
יהוה
INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER FVNDATA MDCCCVII
PS CXIX
169
JOH XVII
17
ΑΚΡΟΓΩΝΙ
ΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ.

Dr. *Michaelis Permanederi*,

Juris ecclesiast., Historiae sacrae nec non Patrologiae Professoris in Lyceo regio Frisingensi,

Bibliotheca Patristica.

Tomus secundus.

Patrologia specialis.

Volumen I.

Landishuti, 1842.

J. G. Wölfle.

Sumptibus Bibliopol. literar. Universit. Krülliani.

Vindobon. **ap. Carol. Gerold et Fr. Wimmer.**

Colon. Agripp. **ap. Du Mont. Schauberg.**

Conspectus.

Specialis Patrologia.

---

§. 1. *Patrologia specialis* de SS. Patrum aliorumque Scriptorum ecclesiasticorum vitae fatis, moribus et scriptis, de librorum eorum editionibus, genuinitate et sinceritate, denique de catholica, quae istis libris continetur, doctrina circa fidem moresque *in specie* agit.

Volumen I.

SS. Patres ceterique christiani Scriptores tribus prioribus Ecclesiae seculis.

Pars I.

SS. Patres Apostolici.

§. 2. Primo nascentis Ecclesiae seculo praeter ipsos Apostolos causam religionis christianae scriptis suis egregie promoverunt *Patres Apostolici*, viri tanto majoris auctoritatis et fideliores Traditionis testes, quod ex ipso Apostolorum ore sua perceperunt. Et in eorum quidem numero, quorum saltem nonnulla nobis supersunt genuina monumenta, referuntur *SS. Barnabas*, *Hermas*, *Cle-*

mens Romanus, *Ignatius Antiochenus*, *Polycarpus*, et anonymus vir apostolicus, *auctor epistolae ad Diognetum;* quibus nonnulli *Papiam* et *Quadratum* subjungunt, de quorum tamen scriptis nonnisi exigua fragmenta extant. Hi viri paene omnes uno duntaxat scribendi genere et eo quidem *epistolari* utebantur. At si quis diligentius eorum scripta perlustraverit, facile reperiet, jam tum initia et prima quasi rudimenta cujusvis fere theologicae disciplinae, praesertim *apologeticae*, *polemicae*, *dogmaticae* et *moralis* coepisse explicari. Opera autem SS. Patrum apostolicorum in Bibliothecis *Ittigii*, *Coteleri*, *Freyi*, *Russelii*, *Hornemanni*, *Hefelii* (Patrol. T. I. §. 83. p. 78) et *Guil. Jacobsonii* (ed. II. Oxon. 1840. II. 8.) leguntur. Singulares autem *commentationes*, quibus VV. DD. de illorum vitis atque scriptis exponunt, supra jam recensuimus (Patrol. T. I. §. 243. p. 409—414).

I.

S. Barnabas Apostolorum socius, Martyr.

A. Ejus Vita.

§. 3. S. Joses *(Joseph)*, *qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis*, *Levita* fuit, *Cyprius genere*, *vir bonus et plenus Spiritu Sancto et fide* [1]), unus e *septuaginta* discipulis Domini [2]), et *D. Pauli* in praedicatione gentium *comes fidelis* [3]). Sunt, qui eundem etiam in *Liguriam* venisse et *Mediolanensem* ecclesiam condidisse dicant [4]);

1) Actt. Apostt. IV. 36; XI. 24.

2) *Clemens Alex.* in Strom. II. 20, in Ej. Opp. omn. edit. *Potteri* Venet. p. 489.

3) Act. Apost. XI. 22—27, 30; XIII, XIV, XV. — *S. Hieron.* in *Catal. Scriptt.* s. *De viris illustr.* c. 6, in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 104.

4) *Plac. Puccinelli* Vita di Santo Barnaba Apostolo primo pastore di' Milano, Mediolan. 1649. 4; Jos. *Ant. Saxii* Vindiciae de

sed longe minus probabile hoc est, quam illud alterum, quod in urbe patria *Salamina* c. a. 76 p. Chr. *martyrium passus sit*, [5])

B. Scripta.

§. 4. Sub S. Barnabae nomine praeter unam Epistolam (§. 5.) *duo* prodierunt *Evangelia*, quorum alterum et antiquius jam a *Gelasio* (malim *Hormisda*) Papa tanquam *apocryphum* rejectum est [1]); alterum vero demum proximo abhinc retro aevo in lucem protractum [2]) ipso haeretico suo tenore satis superque ceu *spurium* se cuivis legenti offert. In his igitur nihil morati ad solam, qua genuina esse videtur, epistolam adtendimus.

1. Epistolae S. Barnabae editiones.

§. 5. Epistolam hanc primus Jac. *Usserus*, Armaghanus in Hibernia Archiepiscopus edidit *Oxonii* 1643. Deinde, quam Hugo *Menardus* O. S. B. Monachus ex Congregatione Maurina paraverat, editionem post mortem ejus Luc. *D'Achery*, ejusdem congregationis Benedictinae socius, gr. et lat. evulgavit *Paris*. 1645. 4. Quae editio, tam quoad latinum textum e Cod. *Corbejensi* ante secu-

---

adventu Mediolanum S. Barnabae Apostoli contra nonnullos recentioris aevi Scriptores, Mediolan. 1748. 4. — Rectius vero *S. Anathalon* primus ibi episcopus fuisse creditur.

5) *Alex. Symm. Mazochius* in Comment. in vet. marmor. Neapolit. Eccles. Calendar. (Neap. 1763) p. 570 sq. — Plura legere cupienti inserviunt: *Acta et Passio S. Barnabae in Cypro*, e Mss. Cod. Vatican. gr. et lat. c. nott. *Dan. Papebrochii*, in Bollandi etc. Actt. SS. m. Junii II. 431; *Laudatio S. Barnabae ab Alexandro monacho Cyprio*, gr. c. interpretatione *Fr. Zinii* et animadverss. *Dan. Papebrochii*, in Actt. SS. m. Jun. II. 436.

1) Grat. c. 3. §. 36. Dist. XV., qui canon a *Gelasio I* R. P. († 496), ut vulgaris inscriptio habet, imo vero pro meliori sententia *Ballerinorum* ab *Hormisda* († 525) conditus est. Cf. *Ballerin*. Edit. Opp. *S. Leonis M.* T. III. p. CLI.

2) Primum publici juris factum est ao. 1713 ab Jo. Frid. *Cramer*.

lum IX exarato [1]), quam quoad textum graecum a Jac. *Sirmondo* S. J. inter schedas manuscriptas P. *Turriani* Romae erutum, multis et lacunis et hiatibus depravata est. Jam vero nova aliis tribus Codd. Mss. nempe *Mediceo-Florentino*, *Vaticano*, et *Romano-Theatinorum* collatis recensio unacum Ignatianis Epistolis (§. 47.) et variis annott. instructa prodiit curante Isaaco *Vossio*, Philologo et Canonico Windesoriensi, *Amstelod.* 1646. 4. Deinde post J. J. *Maderi* [2]), J. *Felli* [3]), Steph. *Le Moynii* [4]) editiones eadem recepta est in J. Bapt. *Cotelerii*, Sorbonae Parisiensis Theologi, Opp. SS. PP. Apostolicorum ex rec. Jo. *Clerici* theologi Arminiani (Antwerp. imo vero *Amstelod.* 1698. II. fol.) T. I. gr. c. nova lat. vers. Coteleriana p. 15—54., lat. solum ex vetere interprete p. 55—66; item in Rich. *Russelii* PP. apostolicorum opp. genuin. gr. et lat. (*Lond.* 1746. II. 8.) T. I.; in Andr. *Gallandii*, Presb. Orator. Venet., Bibliotheca vett. PP. (*Venet.* 1765—1788. XIV. f.) T. I. 3.; in Car. Jos. *Hefele*, Theol. Dr. et Prof. Tubing., Opp. PP. Apostoll. (*Tubing.* 1839. 8.) p. 1—29.

2. Disquisitio critica.

a. De genuinitate et integritate Epistolae.

aa. ex testimoniis antiquorum.

§. 6. Antiquissimus *Clemens Alexandrinus* est, qui genuinam hanc epistolam esse aperte et multis quidem

1) Certiora de auctore hujus latinae versionis proferre nescio. Errant certe *Papebrochius*, *Fabricius*, alii, qui *S. Philastrium* Brixiensem Episcopum († c. a. 392) fuisse auctorem conjiciant. Cf. Paul. *Galeardi* Veterum Brix. Episcoporum opuscula collecta (Brix. 1738. f.) p. 20. sq.

2) gr. et lat. *Helmstadii* 1655. 4.

3) gr. lat. *Oxon.* 1685. 12.

4) in opere c. t. *Varia Sacra*, gr. et lat. *Lugd. Batav.* 1694. II. 4.

locis dicit [1]). Idem facit *Origenes*, imo *catholicam* eandem praedicavit et S. Scripturae nomine insignivit. [2]) Neque obstant verba *Eusebii* et *Hieronymi*, ut quibusdam visum est. *Ille* enim, ubi ad scripturas *nothas* illam relegat [3]; non *adulterinam*, sed eam esse ait, de cujus *canonica auctoritate* dubitatur. Id quod collatis Hist. eccl. VI. c. 13. et 14. facile apparet. Idem sentit S. *Hieronymus*, qui *genuinam* quidem asserit, sed *apocrypham* [4]) eo sensu, quae *in S. Scripturae canone non* sit *reposita*. [5]) Haec igitur externa si testimonia spectes, vix est, quod authentiam Epistolae in dubium vocare velis.

§. 7. Alia vero et ea longe maximi momenti disceptatio in eo versatur, *quod epistola nostra utpote apostolica in sacro Canone non sit reposita*. Provocant ad S. *Augustinum*, qui scripta aliqua, quae SS. Apostolorum *Andreae* et *Joannis* nomine aliquamdiu circumferebantur, inter spuria ablegat, hanc unam caussam subjiciens: „*Haec si illorum essent, ab Ecclesia recepta essent.*“ [1]) Ergo et nostra, si Barnabae Apostoli esset, in canone recepta foret. Numquid vero omnes, qui *Apostoli* dicuntur, illo *principaliori sensu* ita vocati, tantaque prorsus auctoritate fuerunt, quanta *duodecim* a Christo Domino immediate instituti polluerunt? Hi enim soli sunt *discipuli ipsius Christi Jesu*, qui dignitate aliis non amplius communicabili *Apostoli per eminentiam* audiunt. Aliter res se habet cum *discipulis apostolorum*, cum *Epaphrodito*,

---

1) Strom. II. 6, (ed. Venet. 1757.) p. 445; ib. c. 7, p. 447; c. 15, p. 464; c. 18. p. 472; c. 20. p. 489; V. c. 8, p. 677; c. 10, p. 683.

2) Explan. in Epist. ad *Rom*. I. 24.

3) Hist. Eccl. III. 25, ed. *Zimmermanni* T. I. p. 184.

4) De viris illustr. c. 6 (ed. *Maurin*. l. l.) col. 104.

5) Cf. *Jo. Pearsonii* Vindiciae Epistt. S. Ignatii (Oxon. 1672) P. I, c. 4. p. 289; et *Andr. Gallandii* Biblioth. SS. PP. (§. 5.) T. I, Proleg. p. XXX.

1) *S. August*. Contra adversar. legis et Prophet. Lib. I. c. 20, §. 39. (ed. Maurin.) T. VIII. p. 570.

qui in S. Scriptura itidem *Apostolus* vocitatur [2]); cum *Barnaba*, qui a Senioribus Antiochenis *apostolus* gentium ordinatus est. [3]) At, quaeret quispiam, nonne *Paulus* quoque per eandem manuum impositionem ad praedicationem gentium segregatus fuit? Imo Apostolus hic „*non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum*, qui se ipse revelavit ei" proprie *Apostolus* [4]) cum reliquis *ejusdem potestatis* factus est. Itaque eorum solum, qui *immediate* a Domino electi sunt, Apostolorum scripta, quotquot genuina potuit agnoscere, in S. canonem Ecclesia recepit.

bb. ex notis epistolae internis.

§. 8. Sunt autem, qui praeterea offendantur, eoquod epistola librorum etiam *apocryphorum* usum, *suspectae fidei* narrationes, interpretationes *S. Scripturae incongruas*, nimias *allegorias* et gravitate apostolica indignas contineat. His igitur rationibus persuasi post Jo. *Dallaeum* imprimis *Natalis Alexander* [1]), Andr. *Rivetus* [2]), Remig. *Ceillier* [3]), Gottf. *Lumper* [4]), et recentiori aevo Vit. Ant. *Winter* [5]), Dr. *Hug* [6]), C. *Ullmann* et *Mynster* [7]),

---

2) Phil. II. 25.

3) Act. XIII. 2. 3.

4) Galat. I, 1. 12—20; al.

1) Hist. eccl. (c. nott. C. *Roncagl.*, Paris 1740. XVIII. 4.) Sec. I. p. 85.

2) Critici sacri libb. IV. (Genev. 1642. 8.) L. I, c. 6, p. 136.

3) Histoire générale des Auteurs sacrés et ecclés. (Par. 1729. sq. XXIII. 4.) Lib. III. c. 2. art. 5. p. 498.

4) Historia theol.-critica (Aug. Vindel. 1783. sq. XIII. 8.) T. I. p. 149.

5) Patrologie (München 1814. 8.) §. 48. S. 245.

6) Zeitschrift für die Geistlichkeit des Erzbisthums Freyburg, herausgegeben von Dr. Hug u. A. (Freybg. 1829. 8.) Heft II. S. 132; Heft III S. 208.

7) Theologische Studien und Critiken, herausg. von Dr. C. Ullmann und Dr. Fr. W. C. Umbreit (Hamburg 1828. ff. 8.) Jahrgang I. S. 381; Jahrg. II. S. 323.

J. Nep. *Locherer*[8]), J. A. *Annegarn*[9]), alii VV. DD. hanc epistolam tanquam *supposititiam* rejecerunt.

§. 9. In contrariam vero partem abierunt, et oppositas ab illis ratiunculas erudite dissolverunt Guil. *Cave*[1]), Lud. Ell. *Dupin*[2]), Nic. le *Nourry*[3]), Andr. *Gallandius*[4]), Ern. *Henke*[5]), Jo. Chr. *Roerdam*[6]), J. A. *Moehler*[7]). Et profecto, si diligentius animum advortas, „epistola haec *stylum majestatis apostolicae dignum materiamque nascentis Ecclesiae rebus accomodatam non modo sapit, sed ingerit etiam clementioribus lectorum judiciis, ita ut . . . de sua cum ceterorum Apostolorum scriptis comparatione suffragium secundum sperare debeat.*“[8]) Imo etiam omnia, quae adversarii opponunt, tanti non sunt, quod ipse *Lumper* ingenue fatetur, ut epistolae authentiam subvertant. Quae enim maximam offensionem dederunt, ea *Menardus* et *Cotelerius* in annotationibus suis[9]) egregie tutati sunt. Objectiones scilicet, quod auctor noster more Apostolis, ut aiunt, prorsus insolito multa ex *aprocryphis* desumta allegaverit; hae, inquam, objectiones etiam *Clementis* Romani literas ad Corinthios, imo D. *Pauli* ad Hebraeos et *Judae* epistolas aeque feriunt. Similiter quod nimiis usus sit *allegoriis mysticisque interpretationibus*;

---

8) Lehrbuch der Patrologie (Mainz 1837. 8.) §. 3. S. 22.

9) Handbuch der Patrologie (Münster 1839. 8.) S. 15, 16.

1) Scriptt. eccl. Historia literaria (ed. nov. Basileae 1741. II. f.) T. I. p. 18.

2) Nouvelle Bibliotheque des auteurs eccl. (ed. III. Paris. 1699. sq. LXI. 8.) T. I.

3) in Apparat. ad Biblioth. SS. PP. Lugduni editam (Paris. 1703 —15. II. f.) T. I. Diss. 3.

4) in Biblioth. PP. (v. §. 5.) T. I. in Prolegg. p. XXIX. sq.

5) De epistolae, quae Barnabae tribuitur, authentia. Jenae 1728. 8.

6) Commentatio de authentia Epist. Barnabae, Part. I. Hafniae 1827. 8.

7) Patrologie (Regensb. 1840. 8.) Bd. I. S. 84. ff.

8) *L. D'Achery* in Ep. Barnabae edit. prima H. Menardi, Paris. 1645.

9) Opp. SS. PP. Apostolic. (ed. *Clerici* 1698.) T. I. p. 16. not. 6.; p. 27. nott. 17—21.; p. 48. not. 64.

quid mirum? eum neminem fugiat, eum in hoc ipso, utpote in *Synagogis* maxime usitato, more fuisse a teneris institutum.[10]) Porro quod de *imminente rerum fine* et *magno mundi sabbatho* Noster habet, id cum *Petro*, *Joanne*, aliis Apostolis commune sentit. Denique quod *apostolos*, cum a Christo susciperentur, *homines fuisse super omne peccatum peccatores* dicat, quid inde reprehenderis? Hoc etenim ad oculos monstrare voluit *plenipotentiam J. Chr.* in justificationis gratia, quippe qui ex *iniquissimis* possit reddere *sanctissimos*. Idem fere habent *Origenes* (Contra Celsum I. 63.), *Chrysostomus* (Homil. IV. in I Tim.), *Hieronymus* (adv. Pelag. III. 2.); atque D. *Paulus* (I Tim. I, 13. 15.) semet ipse hominem *blasphemum*, *contumeliosum*, *primum peccatorem* vocat.

b. De tempore quo scripta est.

§. 10. *Non ita multo post eversionem Hierosolymae* epistolam esse exaratam, satis jam arguitur ex ratione, qua c. 16. de isto excidio agit, dicens; „*Quia bellum gerebant, nunc ab hostibus destructum est* (templum)“. Qui Barnabam jam *ante* illud tempus c. a. 61, aut omnino ao. 52 martyrio coronatum asserunt, nec teste aliquo antiquiore nec ullo alio argumento satis firmo tueri hanc sententiam possunt. Nos cum *Mazochio* (vd. §. 3. not. 5.) ao. 76 ipsum Martyrem obiisse, epistolam vero *circa a.* 73 consignatam esse salvo meliori judicamus.

---

10) Quod novissime vir doctus *Daniel Schenkel* probare nisus est, Barnabae epistolarum genuinam quidem, sed a Therapeuta quodam mysticis additamentis depravatam esse, (Theol. Studien und Kritiken — vd. §. 8. not. 7. — Jahrg. X. S. 652.) Car. Jos. *Hefele* solide reprobavit in Ephemerid. c. t. Theologische Quartal-Schrift (Tübingen 1839.) I. p. 60. sqq. quamquam hic V. D. Epistolam nostram a recentiore aliquo intra annos 107—120 exaratam esse judicat in libro suo, qui inscribitur Das Sendschreiben des Apostels Barnabas aufs neue untersucht, übersetzt und erklärt (Tübing. 1840. 8.) p. 156—195.

3. Argumentum et analysis Epistolae.

§. 11. Quatuor priora capita, quae in graecis exemplaribus manuscriptis desunt, ex veteri latina versione (cujus tamen postrema perinde quatuor capitula desiderantur) suppleri possunt. Epistola autem scripta est adversus quosdam ex Judaeis, qui cum suscepta religione *christiana Mosaicam simul* servandam esse legem arbitrati sunt. Hoc enim argumentum habet *pars prior*, quae est quasi *didascalica*, semptemdecim capitula continens; *altera pars*, quae formam *paraeneticam* prae se fert, duo capita cum epilogo complectens, praelara monita salutis et praecepta habet. Argumentum suum aggressus auctor ex oraculis Prophetarum Christum Dominum jure merito *legem V. T. abrogasse*, nec alia nisi spiritus et cordis sacrificia postulare monstrat (c. 1—5.). Subinde docet, Christum *ideo carnem induisse* ac sustinuisse mortem, ut mortis imperio destructo mundum sanguine suo *redimeret*. Addit, illum, quamvis *lubens* mortuus sit, tamen *verum* esse *Dei filium*; ostendit, quomodo Prophetae cum verbis tum figuris *Christi passionem* significaverint; haec tamen omnia surdis Judaeorum auribus esse decantata. Monet inde, ut aures *cordis* circumcidant, circumcisionem enim Judaeorum antiquatam et ciborum prohibitionem *spirituali* sensu intelligendam esse (c. 5—9.). Agit deinde de *reprobatione populi Judaici* et Gentilium electione, de abrogatione Sabbathi et templi Judaeorum demolitione, deque novi templi spiritualis aedificatione in cordibus nostris (c. 9—18.). Secunda pars quatuor capitibus absolvitur. Duas esse vias ait, via *lucis* et via *tenebrarum*, atque inde explicat, quae christiano homini *facienda* sint, quae *fugienda*. Postremo hortatur, ut praeceptis divinis morem gerant, et sui meminerint apud Deum (c. 18—21.).

C. Doctrina S. Barnabae.

1. Observationes dogmaticae.

a. De Christo Deo incarnato, Redemtore, Judice.

§. 12. Primum sibi duxit Barnabas asserere, quod sit Christus Dei filius, verus Deus, coaeternus Patri. Est enim „*terrarum Dominus, cui dixit Deus ante constitutionem seculi: „„Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*““ (c. 5.). „*Habes et in hoc gloriam Jesu, quod in ipso sint omnia et per ipsum*“ (c. 12.). Et de fine incarnationis Domini luce clarius advertit, in voluntaria passione et morte Christi positum esse meritum, cui debemus remissionem peccatorum: „*Ideo in carne oportebat eum apparere,.. ut vacuam faceret mortem, et de mortuis resurrectionem ostenderet*“ (c. 5,). „*Si ergo Dei filius, qui est Dominus et judicaturus est vivos et mortuos, passus est, ut plaga illius vividos nos redderet; credamus, non potuisse filium Dei pati nisi propter nos*“ (c. 7.). *Itaque Dei filius ideo in carne venit, ut summam imponeret peccatis eorum, qui ad mortem usque persecuti sunt prophetas illius. Propter hoc Dominus sustinuit tradere corpus suum in exterminium, ut remissione peccatorum sanctificemur, i. e. sparsione sanguinis illius*“ (c. 5.).

b. De sacramento Baptismatis et regenerationis gratia.

§. 13. Ex eo, quod Christus passus est pro nobis, virtus quoque sanctificans *Baptismi* pendet. Hinc enim probat virtutem *crucis*, quod populus Judaeos pugnans, dum Moyses expassis in formam crucis manibus oraret, hostes vinceret. Itaque ut Moyses manus extendit, „*ut cognoscerent, quod non poterant servari nisi per spem in illum*“ (c. 12.); ita nobis per signum Domini „*baptismus affert remissionem peccatorum*“ (c. 11.). *Effectum* autem lavacri paucis ingerit dicens: „*Descendimus quidem in*

aquam peccatis et sordibus inquinati, inde autem energimus fructum afferentes in corde, habentes timorem et spem in Jesum ex Spiritu" (ibid.). Haec autem justificatio, quae fit per Christi merita in lavacro ex aqua et Spiritu sancto, vera est *regeneratio*. *„Ubi ergo nos renovavit per remissionem peccatorum, effecit, ut aliam formam haberemus, animam nempe puerili similem"* (c. 6.). *„Accepta remissione peccatorum et spe habita in nomen Domini facti sumus novi, iterum ab integro creati, quare in domicilio nostro vere Deus existit, habitat in nobis. Quo modo? Verbum ejus fidei, vocatio ejus repromissionis, sapientia justificationum, mandata doctrinae* in nobis sunt; *ipse in nobis prophetat, ipse in nobis habitat, morti addictis nobis aperit fores templi, id est, os; nobis dat poenitentiam, sicque nos inducit in templum incorruptum.. hoc est, templum spirituale Domino constructum"* c. 16.).

c. De resurrectione carnis et aeterna retributione.

§. 14. Qui observans mandata Dei bona opera operatus fuerit, *„cognoscet, quis sit bonus mercedis retributor"* (c. 19.). Quicunque vero male fecerint, hi ambulant in *„via tenebrarum et coecitatis*, quae est *plena maledictionis, via mortis aeternae cum supplicio"* (c. 20.). Quibus verbis statim subjungit: *„Aequum igitur est, ut edocti justificationes Domini.. in eis ambulemus. Qui enim eas facit, in regno Dei gloria cumulabitur, qui vero alia elegerit, simul cum suis operibus peribit. Propterea resurrectio, propterea retributio"* (c. 21.).

3. Observationes morales.

§. 15. Dignum quidem sed longum nimis est repetere totum, quem sanctus *Noster* bonorum operum et praeceptorum texuit catologum, quo omnia paene morum dogmata quasi compendio complexus est. *Insigniora* inter *lucis opera* haec habet: *Diliges proximum tuum plus*

quam animam tuam"; sc. ut adeo vitam ponas pro fratribus tuis. „*Communicabis in omnibus cum proximo tuo, nec quidquam dices proprium.*" Viguisse utique hunc morem apud primos fideles constat. „*Diligis, ut pupillam oculi, omnem qui tibi loquitur verbum Domini* .. *Confiteberis peccata tua; non accedes ad orationem tuam in conscientia mala. Haec est*, inquit, *via lucis*" (c. 19.). In *tenebrarum* autem operibus tanquam notabiliora referuntur: „*idolorum servitus, temeritas, elatio potestatis, simulatio*, .. *adulterium, homicidium, rapina, superbia*, .. *dolus*, .. *veneficium, magia, avaritia, nullus Dei timor.*" In eadem via mortis incedunt „*bonorum persecutores, osores veritatis, amatores mendacii,*" .. item „*a quibus procul est mansuetudo et patientia, qui diligunt vana, consectantur remunerationem, non miserentur inopis*, .. *adversantes egenum, opprimentes afflictum, divitum advocati, pauperum iniqui judices, per omnia peccatores*" (c. 20.).

II.

S. *Hermas.*

A. Vita Hermae.

§. 16. *S. Hermas*, vir communi antiquissimorum Patrum sententia [1]) *apostolicus*, a D. *Paulo* in Epistola *ad Rom. XVI.* 14. salutatus, homo erat *uxoratus* [2]); utrum autem *laicus* [3]), an *Presbyter* [4]) ecclesiae Romanae fuerit, ambigitur. Saepius, prout ipse fatetur, lapsus ideoque a

---

1) Cf. §. 19. et ibi allegata Scriptorum testimonia.

2) Hermae *Pastor.* lib. I, visio II. c. 2.

3) Ita Claud. *Fleury* Hist. eccl. (ed. lat. August. Vind. 1768—98. c. contin. XCI Vol. 8.) Lib. II. §. 44. p. 319.; Seb. le Nain de *Tillemont* Mémoires pour servir à l'histoire ecclesiastique (Bruxell. 1732. X. fol.) T. II. p. 520.; Gottfr. *Lumper* (vd. §. 8. not. 4.) T. I. p. 99.; alii.

4) In hoc potissimum cum *Dodwello* consentit *Gallandius;* at eorum non satis firma videntur esse argumenta.

Domino correptus et ad paupertatem repente redactus est. Sed ad Christi fidem conversus *poenitentiam* agebat quamdiu vixit. [5]) De reliquis vitae fatis nihil constat. Mortuus est *c. a.* 96.

B. Ejusdem liber c. t. Pastor.

§. 17. Inscriptioni *Pastoris* ansam dedit visio, in qua *angelus habitu pastorali*, pallio albo amictus, peram in humeris et virgam in manu gestans ei apparuerat, et mandaverat, ut quae visurus et auditurus esset, literis consignaret [1]). Hermam autem visiones suas in *Italia* haud procul ab urbe Roma accipisse, ex ipso libro comperimus. [2]) Et *graece* quidem initio scriptos esse libros, cum ex fragmentis, quae adhuc graece extant, tum ex ipsa *latinae*, quae tota hodiedum superest (cf. §. 21. in fin.) *versionis* lectione facile colligitur.

1. Editiones.

§. 18. Primus Hermae tractatum evulgavit Jac. *Faber Stapulensis*, *Par.* 1513 *fol.* ap. Henric. Stephanum majorem. Sequebantur inde editiones *Gerbelii* (*Strassburgi* 1522.), Jo. *Heroldi* in Orthodoxographis theologiae (*Basil.* 1555 fol.), Jo. Jac. *Grynaei* in Monumentis SS. PP. orthodoxographis (*Basil.* 1560. f.), Margarini de la *Bigne* in Bibliotheca SS. PP. (*Paris.* 1575. VIII. f.), cett. Novam posthac et accuratiorem editionem adornavit Jo. Bpt.

5) Pastor. Lib. I. Vis. I. c. 3.; Vis. II. c. 2, 3.; Lib. II. prooem.

1) Pastor. Lib. II. Proleg. — Dr. K. R. *Jackmann* (Der Hirt des Hermas, Königsberg 1835. 8.) hanc denominationem ab *indole operis ethica* derivandam esse arbitratur, simili modo quo et tres *S. Pauli* Epistolae *pastorales* saepe audiant.

2) Primam enim et secundam visionem habuit in Italia ad *Tiberim*, aliam in itinere non ita procul a via *Campana*, aliam in monte quodam *Arcadiae*, fortasse et is prope Romam situs erat. Past. Lib. I. Vis. I. c. 1.; Vis. II. c. 1.; Vis. IV. c. 1. cett.

Cotelerius in Opp. SS. PP. Apostolicorum, *Paris.* 1672. II. f., recus. cura Jo. *Felli* Oxoniensis Episcopi (*Oxon.* 1685.) et iterum cura Jo. *Clerici* (vd. §. 5.) T. I. p. 75—124. Receptus est Hermae Pastor etiam in Jo. Alb. *Fabricii* Codice apocrypho N. T. animadversionibus illustrato (*Hamburg.* 1703—1719. III. 8.) T. III. Optimam autem editionem in lucem emisit Andr. *Gallandius* in Biblioth. PP. (vd. §. 5.) T. I. Is enim non solum collatis omnibus, quae ab anno 1672 prodierant editionibus suae nullibi operae pepercit, sed etiam quantacunque *Montfauconius* fragmenta graeca in *Doctrina ad Antiochum ducem* inter *S. Athanasii* opera supposititia evulgaverat, cum nonnullis recentius a se detectis publici juris fecit. Gallandium secutus est C. J. *Hefele* (vd. §. 5.) p. 137—237.

2. Disquisitio critica.

a. De authentia Pastoris.

§. 19. Hermae librum, cui titulus *Pastor*, in *antiquissima* Ecclesia *magno in pretio* fuisse ac paene inter *scripturas canonicas* commemorari solitum, documento est *S. Irenaeus* [1]), *Clemens Alexandrinus* [2]), *Tertullianus* [3]). Ita et *S. Athanasius* [4]) eum simul cum Genesi et S. Pauli epistola ad Hebraeos recitat; ita *S. Maximus* [5]) eundem cum Danielis prophetiis adducit, quasi par esset horum omnium auctoritas. *Origenes* autem locis plus quam tredecim e Nostro allegatis aperte dicit: „*Puto quod Hermas iste* (sc. a D. Paulo in ep. ad Rom. XVI. 14. salutatus) *sit scriptor libelli illius qui Pastor appellatur, quae scriptura valde mihi utilis videtur,*

---

1) adv. Haeres. IV. c. 20. nr. 2. init., ed. Massuet. p. 253.

2) Strom. lib. I. c. 29.; cf. I. 17.; II. 1.; VI. 15.; al.

3) De Oratione, c. 12.; quem librum scilicet, antequam ad Montanistas defecerat, scripsit Tertullianus.

4) De incarnat. Verbi, in Opp. omn. (ed. Montfaucon.) T. I. P. II. p. 55.

5) Lib. de divin. nomin. c. 4. ad init.

et, ut puto, divinitus inspirata" [6]). Idem asserit *Eusebius* subjungens: „*Unde etiam in Ecclesiis eum publice lectum scimus, et quosdam ex vetustissimis Scriptoribus testimonio ipsius* (tanquam *canonico*) *usos fuisse comperi*". [7]) Hoc idem testatur *S. Hieronymus*, addens: „*Revera utilis liber*, .. *sed apud Latinos paene ignotus est.*" [8]) Si qui igitur ex his aliisque Scriptoribus antiquissimis *contrà* auctoritatem libri nostri verba facere videantur, tale quid nonnisi *de receptione in S. Scripturae canonem* dictum fuisse manifestum est. [9]) De *genuinitate* certe nemo tunc temporis dubitavit. Atque haec eadem usque adhuc longe plurimorum DD. VV. sententia est. [10])

§. **20.** Atvero *Liber Pontificalis* auctorem opusculi nostri *Hermetem, Pii I. R. P. fratrem*, judicat; quae fabula, quamquam nescio quis Poëta sub honesto *Tertulliani* nomine latens eam recoxit [1]), non ita multos tamen commovit, ut *commune antiquitatis judicium* relinquerent. Demum novissimo abhinc seculo Lud. Ant. *Muratorius*, Ducis Mutinensis Bibliothecarius, e Codice Mediolanensi seculo circiter XII ut videtur manuscripto, fragmentum, quod *Cajo* Romano presbytero († c. 220.) adjudicandum suspicatur, in lucem protraxit [2]), ubi itidem

---

6) Explan. lib. X. in Rom. XVI. 14.

7) Hist. eccl. III. 3., ed. Zimmerm. T. I. p. 135. nr. 3.

8) De viris illustr. c. 10., in Ej. Opp. omn. ed. Maur. T. IV. P. II. col. 105.

9) Cf. e. gr. *S. Athanas.* Lib. de decret. Nicaenae Synodi, in Ejusd. Opp. (ed. Montfaucon.) T. I. p. 266.; — *Ejusdem* Epist. Paschal., ibid. T. II. p. 39. 40.; — *Rufini* Expositio Symb. apostol. §. 38., in Opp. *S. Cypriani* ed. *Fr. Oberthür* (Wirceburg. 1782. II. 8.) Append. I. p. 337.

10) Ita missis aliis post *Cotelerium*, *Gallandium* pro genuinitate steterunt *Lumper* (vd. §. 8. n. 4.) T. I. p. 100. sqq.; — *Winter* (vd. §. 8. n. 5.) S. 248. ff.; — J. B. J. *Busse* Grundriß der christl. Literatur (Münster 1829. 19. II. 8.) Thl. 1. §. 3. S. 2.; *Moehler* (vd. §. 9. n. 7.) Bd. I. S. 97. ff.

1) *Pseudo-Tertull.* Carm. adv. Marcionem lib. III. in fin. p. 635.

2) *Muratorii* Antiqq. itall. med. aevi, (Rom. XXVII. f.) T. III. p. 853.

liber Pastor cuidam Hermae, non apostolico viro sed *fratri* supradicti *Pii Papae* († 152) tribuitur. Ex quo tempore plures in hanc novam sententiam abierunt, imprimis Laur. *Mosheim* [3]), Matth. *Schroeckh* [4]), Daniel *Tobenz* [5]), alii; recentissime vero C. J. *Hefele* [6]). Verumtamen, cum bona pace dixerim, multa sunt, quae eorum opinionibus adversantur. Primo enim *prope omnes* Patres in hoc conveniunt, non Hermetem quendam sed *Hermam* fuisse auctorem; secundo epistolam *graece primum*, non latine conscriptam esse probabilissima res est. Tertio eadem *S. Hieronymo* teste in latina Ecclesia *fere incognita* fuit, quod fieri minime potuisset, si ab Hermete Pii Papae fratre fuisset exarata. Quid porro quod toties adeo in *sacrum canonem* recipienda visa est? Id sane fieri nullo pacto potuit, nisi *apostolici* viri monumentum et eadem, qua *Clementis* et *Barnabae* Epistolae, auctoritate dignum agnita fuisset. Quid, quod *S. Irenaeus* adversus Gnosticos de Pastore tamquam de *canonico* locutus est? Aususne hoc fuisset, si liber iste *suis* demum temporibus enatus crederetur? Denique (ut *conjecturae* locus sit), quid obstat, quominus *graecus ille* a D. Paulo salutatus *Hermas auctor* libri fuerit; *Hermes* autem *Pii Papae frater* eundem primus *latinitate* donatum in *Occidente* quasi introduxerit? [7]) — Objectiones autem quorundam Acatholicorum, qui supposititium esse Pastorem ex eo praetendant, quod auctor

---

3) J. Laur. *Mosheim*, Cancellarii universit. Goetting. Commentatio de rebus Christianorum ante Constantinum M. (Helmstad. 1753. 4.) p. 163. sq.

4) Matth. *Schroeckh*, Prof. hist. Wittemberg., Christliche Kirchengeschichte (Leipzig. 1768. ff. XXXV. 8.) Bd. II. S. 275.

5) Daniel *Tobenz*, in univers. Viadobon. Theologiae dogm. Prof., Institutiones, usus et doctrinae Patrum (ed. III. auct. et emend. Viadobonae 1819. 8.) p. 141. 142. §§. VII. VIII.

6) Theol. Quartalschrift, herausgegeben von Drey, Mack, Kuhn und Hefele (Tübingen 1839. 8.) I. S. 169. ff.

7) Cf. Herm. *Scholliner* Historia theologiae christ. (Salisburg. 1761. 4.) p. 184. sq.

noster *Montanismo* et *Pelagianismo* faveat, et doctrinam christianam falsis, ut aiunt, *de libero arbitrio*, *purgatorio etc.* dogmatibus depravatum iverit, solidissime refutarunt *Nourrius* [8]), *Gallandius* [9]), *Lumperus* [10]).

b. De tempore, quo Pastor scriptus est.

§. **21.** *Certam* quidem temporis notam figere non est in promtu. Alii enim opusculum ante *Hierosolymorum* excidium confectum statuunt, alii demum *sub finem seculi I* exaratum arbitrantur. Nobis *posterior* sententia videtur esse probabilior. Etenim auctor eorum meminit, „*qui jam meruerunt Deum, et passi sunt causa nominis ejus* .. *feras bestias, flagella, carceres, cruces*" [1]); quibus verbis ad *Neronianam* persecutionem respexisse videtur. Alibi de *pressura et tribulatione superventura* sermo est [2]), qua fortasse altera *Domitiana* persecutio ao. 95 orta significatur. Alius rursus locus Hermam sub *Clementis pontificatu* (91—101) scripsisse non obscure indicat [3]). Hinc *Pastor* verisimilius *ad annum* c. 95 literis consignatus est. *Latina* autem, quae sola nunc *integra* extat versio, quamquam ejus anctor incompertus [4]), absque dubio tamen *vetustissima* est, utpote quae jam *Tertulliani* temporibus in Ecclesia Africana nota fuit.

3. Operis argumentum.

§. **22.** Hermae Pastor in *tres libros* divisus est,

---

8) Apparat. in Bibl. PP. (vd. §. 9. not. 3.) T. I. p. 57.
9) Biblioth. PP. (vd. §. 5.) T. I. Prolegg. p. XXIX.
10) Hist. theol. crit. (vd. §. 8. not. 4.) T. I. p. 107. sqq.
1) *Pastor*. Lib. I. Vis. IV. c. 2.
2) Ibid. Vis. II. c. 2.; Vis. IV. c. 1.
3) Ibid. Vis. II. c. 4.
4) Casp. *Barth* in editione Hermae Pastoris (Cygn. 1655. 8.) hanc versionem temere et absque ulla ratione *epitomen* magis quam interpretationem dicit, et ab *Anastasio Bibliothecario Romano* († 886) demum conscriptum esse futilissimis conjecturis hariolatur.

quorum *primus* quatuor *Visiones* continet, quae statum Ecclesiae et mores Christianorum concernunt; *secundus* duodecim *Mandata* seu praecepta pietatis ab Angelo custode sub specie venerabilis Pastoris tradita complectitur; *tertius* decem exhibet *Similitudines*, per quas ad vitam beatam et Christiano dignam auctor instituitur.

C. Doctrina S. Hermae.

1. Observationes dogmaticae.

a. De S. Scriptura.

§. **23.** Permulta Hermas e libris canonicis hausit, quae pertinent ad *quatuor Evangelia*, ad *Acta Apostolorum*, ad *Epistolas SS. Pauli* (ad Romanos, Ephesios, Hebraeos), *Petri* (primam et secundam), *Jacobi*, *Joannis* (secundam atque tertiam), *Judae* catholicam et ad *Apocalypsin Joannis* apostoli. Quae loca omnia summa cum diligentia collecta exhibet Nathanael *Lardnerus* in libro suo c. t. Glaubwürdigkeit der evangelischen Geschichte, aus dem Englischen von Bruhn und Heilmann übers. (Berlin 1749. V. 8.) Bd. I. Thl. II. S. 80—101.

b. De Deo trino.

§. **24.** Sub similitudine quadam Noster sacrosanctae *Trinitatis* mysterium exponit. Vidit *fundum* magnum; et *Dominum fundi*; et *Servum* plus quam sibi imperatum fuit laborantem, ideoque cohaeredem *Filio* constitutum; vidit et *amicos Domini*, quos hic in consilio advocavit. Visionis autem haec est expositio: „*Orbem terrarum fundus ille significat*, . . . *Dominus autem fundi demonstratur esse is*, *qui cuncta creavit*“, puta Deum *Patrem* Creatorem . . „*Filius autem Spiritus sanctus est*“, nimirum filium vocat *Spiritum*, quod ineffabili spiratione Spiritus e Patre per Filium procedit. 1) . . „*Servus vero*

1) Ita hujus loci sensum interpretatus est Ge. *Bullus* in *Defens.*

ille Filius Dei est," nempe *Christus* ratione humanae naturae .. „*Amici vero illi sunt Angeli sancti, quos primo creavit.*" [2])

c. De Christi duplici natura.

§. 25. Vidit autem Hermas .. „*ingentem petram .. ut posset totum orbem sustinere. Vetus autem videbatur esse, sed habebat novam portam.*" [1]) Petra Christus, Christus item Porta est. Quid autem *vetus* petra sibi velit et *nova* porta, sic revelatur: „*Petra haec et porta Filius Dei est .. Filius quidem Dei omni creatura antiquior est, ita ut in consilio Patri suo adfuerit ad condendam creaturam.*" [2]) Hoc igitur de Filii cum Patrum *coaeternitate* firmiter adsertum habes. Cui statim subjungitur: „*Porta autem propterea nova est, quia in consummatione in novissimis diebus apparuit, ut, qui assecuturi sunt salutem, per eam intrent*

---

fidei Nicaenae de aeterna divinitate Filii Dei, in Ejusd. Opp. omn. (ed. *Grabii,* Londin. 1703. f.) Sect. I. c. 2. p. 18. *Moehler* autem utrumque membrum „*Filius autem Spiritus sanctus est. Servus vero ille Filius Dei est*" de uno *Christo* Domino, quatenus est *Homo-Deus,* intelligit (cf. Ejusd. Patrologie Bd. I. S. 102.). Nimirum Christum eundem et *Spiritum* et *Servum* vocitat, per Servum *humanam* Christi naturam significans, per Spiritum *divinam.* Et recte sic ut mihi videtur; siquidem Pastor statim subjungit: „*Hoc ergo corpus, in quod inductus est Spiritus sanctus* (sc. humana Christi natura cum divina unita) ... *serviliter conversatum est,* .. sed *quum paruisset omni tempore Spiritui sancto* (humana natura quum obtemperasset divinae) *fortiter cum Spiritu sancto comprobatum Deo receptum est .. In consilio advocavit ergo et Filium* (Christum in servili natura manifestatum, passum, crucifixum) .. *ut et huic scilicet corpori, quod servivit Spiritui sancto .. locus aliquis consistendi daretur, ne videretur mercedem servitutis suae perdidisse*". — De *Spiritu Sancto* autem, nempe tertia Divinitatis persona hic locus peculiaris est: „*Neque cum vult* (sc. homo), *homini loquitur Spiritus Sanctus, sed tunc loquitur, cum vult Deus*". Lib. II. Mand. XII. c. 1. ad fin.

2) Totus hic locus legitur Lib. III. *Simil. V. c.* 5. princ. et med.; cf. *c.* 6. med. et fin.

1) Past. Lib. III. Simil. IX. c. 2. init.

2) Ibid. c. 12. princ.

in regnum Dei." [3]) Et cum Hermas dicta isthaec nondum plane intelligens interrogaret, quare in servili conditione Filius Dei positus sit, Pastor: „*In servili*, ait, *conditione non ponitur Filius Dei, sed in magna potestate et imperio*" [4]), addens infra: „*Magnum Filii Dei nomen et immensum est, et totus ab eo sustentatur orbis.*" [5]) Atvero novissime *apparuit* idem Filius Dei, et propter nos *servus* factus est, et corpus, *quod serviliter conversatum est*, assumsit. Hic enim Servo comparatus Filius Dei „*ipse plurimum laboravit, plurimumque perpessus est, ut aboleret delicta eorum.. Deletis* autem *peccatis populi sui ipse eisdem monstravit itinera vitae, data eis lege, quam a Patre acceperat* .. atque *corpus illud*, quod *serviliter conversatum est, quum paruisset omni tempore Spiritui sancto, recteque et caste laborasset cum eo.. fortiter cum Spiritu sancto comprobatum Deo* et *receptum est*"; atque ideo in redemtos omnes regnat „*Dominus populi accepta a Patre omni potestate.*" [6])

d. De Sacramentis.

§. 26. Necessitatem *Baptismi* ejusque miram efficacitatem Pastor angelicus his verbis optime et perspicue declarat: „*Antequam homo accipiat nomen Filii Dei, morti destinatus est; ubi accipit illud sigillum, liberatur a morte et traditur vitae. Illud autem sigillum aqua est, in quam descendunt homines morti obligati, ascendunt vero vitae assignati.*" [1]) — Circa *Poenitentiam* autem tradit, „*quod post vocationem illam magnam et sanctam* per baptismum *si quis.. peccaverit, unam poenitentiam habet, si autem subinde peccet, et poenitentiam agat, non* (facile) *proderit homini talia agenti; difficile enim vivet*

---

3) Ibid. c. eod. princ.
4) Simil. V. c. 6. princ.
5) Simil. IX. c. 14. ad fin.
6) Sim. V. c. 6. princ. et med.
1) Lib. III. Simil. IX. c. 16. in med.

Deo." [2]) Scilicet *valde dubia* ob iteratos relapsus redditur ejus poenitentia. Ceterum remissionem *omnium* peccatorum per *veram* poenitentiam Hermas toto fere opere suo clare et ex instituto docet. [3]) Verum dimisso peccato nequaquam eo ipso dimitti *omnem poenam*, sed suscipienda esse *opera satisfactionis*, aperte dicit. [4]) — De *Matrimonii* autem vinculo, *quod nullo pacto sit dissolubile*, sic habet: „*Quodsi* (vir) *dimiserit mulierem suam* in adulterio deprehensam, *et aliam duxerit, et ipse moechatur* ... *Hic actus similis est et in viro et in muliere.*" Mandat praeterea, ut ab *adultera* conjuge maritus se *quoad thorum separet*, sed *caelebs* maneat ipse. Et ubi mulier dimissa poenitentiam egerit, et voluerit ad virum suum reverti, *recipere eam* non recuset, secus peccatum magnum admittit. [5])

e. De Angelis.

§. 27. Multa quoque de *Angelis* exponit Hermas, quae fidei antiquissimae catholicae documento sunt. Dicit eos *primo esse constitutos*; esse subordinationem quandam Angelorum ita ut *alii aliis sint excellentiores* [1]); *Michaëlem* autem archangelum *magnificum et bonum* esse, *qui populi* christiani *potestatem habet et gubernat eos* [2]); Filium Dei praeposuisse *Nuncios* s. Angelos *in custodiam eorum, quos* Pater coelestis *ipsi tradidit*. [3]) Et imprimis hoc concedit *novellis in fide* i. e. Neophytis, *ut commoneantur ab Angelis ad benefaciendum*. [4]) Declarat autem in genere, quod *duo Genii* sint cum homine, *unus aequitatis et unus iniquitatis* [5]), homo vero in amborum medio constitutus sit.

---

2) Lib. II. Mand. IV. c. 3. sub fin.
3) e. gr. Lib. I., Vis. I. c. 1., Vis. III. c. 3. 5. al.
4) Lib. III. Simil. VI. c. 2. 3., Sim. VII., Sim. IX. c. 6.
5) Totus de Matrimonio locus est Lib. II. Mand. IV. c. 1. med.
1) Lib. I. Vis. III. c. 4. princ.
2) Lib. III. Simil, VIII. c. 3. pr.
3) Ibid. Simil. V. c. 6. init.
4) Lib. I. Vis. III. c. 5. in med.
5) Lib. II. Mand. VI. c. 2. totum de his duobus Angelis bono et

1. Observationes morales.

§. 28. „*Time Dominum*, inquit Pastor, *et mandata ejus custodi*... *Hic est timor, quo timere oportet, ut salvus esse possis.*"[1]) Hermae autem objicienti, neminem non cupere quidem custodire mandata Dei, sed diabolum potentia sua in servos Dei dominari, Pastor: „*Nolite*, ait, *timere diabolum, quia in vobis potestatem non habet*[2])... *Potest* quidem *diabolus luctari, sed vincere non potest; si enim resistitis illi, fugiet a vobis confusus*[3])... *Minas* igitur *illius in totum nolite timere, sine virtute enim sunt sicut mortui hominis nervi.*[4]) — Praeclara saepe etiam de *Oratione*[5]), *Jejunio*[6]), *Eleemosyna*[7]), imo de operibus quoque *supererogatoriis*[8]) praecepta struit.

III.

S. Clemens Romanus Pontifex.

A. Vita S. Clementis.

§. 29. *S. Clemens*, quem divus *Paulus* laudibus effert inter apostolatus sui socios et *coadjutores*, *quorum nomina scripta sunt in libro vitae*[1]), *tertius* fuit *a S. Pe-*

---

malo agit. Locum hunc a nonnullis acriter impugnatum et male vexatum tuentur SS. PP. Basilius in Proph. Jesai. c. 3.; Greg. Nyss. De vita Moysis; Maximus Taurin. in Centur. I. de Caritate c. 91.; Joann. Chrysost. Homil. III. in Ep. ad Coloss.; alii.

1) Lib. II. Mand. VII. init.

2) Ibid. Mand. XII. c. 4. in fin.

3) Ibid. eod. c. 5. in pr.

4) Ibid. c. 6. med.

5) Ib. Mand. IX. c. un. Totus hic de *oratione* sermo instituitur.

6) Lib. III. Simil. V. c. 1. 2. 3.

7) Lib. II. Mand. II. c. un.

8) Lib. III. Sim. V. c. 3. med.

1) *S. Pauli* Epist. ad Phil. IV. 3.

tro Pontifex Romanus ab eodem ordinatus [2]), vir sanctissimus, apostolico spiritu plenus, religionis christianae praeco zelosissimus, *qui et ipsos vidit Apostolos, et contulit cum eis, cum adhuc insonantem eorum praedicationem et traditionem ante oculos haberet.* [3]) Idem *septem notarios* constituisse in urbe Roma dicitur, qui inquirerent in SS. Martyrum gesta, eaque literis consignarent. [4]) *Obiit ao.* 101, pontificatus sui prope decimo. [5]) An *martyrium* passus sit, multum ambigitur. [6])

---

2) *S. Irenaeus* adv. Haeres. III. c. 3. nr. 3. ed. Massuet p. 176.; *Euseb.* Hist. eccl. V. 6., ed. laud. T. I. p. 325. nr. 1.; — *S. Epiphan.* Haeres. XXVII. 6., ed. Petav. (Paris. 1622. II. f.) T. I. p. 107. — *S Hieronym.* De vir. illustr. c. 16. — Contra tantam vetustissimorum virorum auctoritatem parum valet *Catalogus Liberianus* qui dicitur *Chronicon*, quod vulgo *Damaso* Papae tribuitur, imo *S. Augustinus* (Epist. 53 ad Generosum) et *S. Optatus Milev.* (De Schismate Donatist. lib. II.), qui S. Clementem Lino immediate successisse testantur.

3) *S. Irenaeus* et *Euseb.* ll. supra ll.

4) *Caes. Baronii* Annales eccl. ad a. 98 nr. 3.

5) Quod maxime congruere videtur cum testimoniis antiquorum *Irenaei, Eusebii, Epiphanii, Hieronymi*, cum *Calendario et Martyrologio Romanae Ecclesiae*; cum sententiis DD. VV. *Baronii, Natalis Alexandri, Bollandi, Tillementii, Cotelerii*, quos sequuntur *Wiest, Tobenz, Lumper, Schoenemann, Hortig, Busse, Ruttenstock, Katercamp, Locherer, Annegarn, Moehler.*

6) Extant quidem *Acta*, quae virum sanctum in Chersonesum Tauricam relegatum, jussuque Trajani in mare demersum fuisse tradunt. Hoc Martyrium S. Clementis ex *Simeonis Metaphrastes* Vitt. SS. exhibetur in *J. B. Cotelerii* Opp. SS. PP. Apost. (ed. Clerici, Amstel. 1698.) T. I. p. 804—811. Sed aegre ista sibi fidem mereantur; tota enim miraculis conflata sunt. Neque *Irenaeus* Pontificum Romanorum seriem usque ad Eleutherum recensens eorum quemquam praeter Telesphorum martyrium passum significat; neque *Eusebius* neque *Hieronymus* ullam de martyrio ejus mentionem faciunt; neque *Gregorius M.* hac de re quidquam in Ecclesiae aut urbis Romanae Archivis reperisse videtur (cf. S. Greg. M. Epist. 29 ad Eulogium). Et *Constantinus* Episcopus, cum c. a. 850 iter fecisset in eas regiones seduloque de Martyrio isto sciscitaretur ex incolis, omnino nullum neque scripturae neque traditionis vestigium indagavit, (cf. Acta Constantini in Actt. SS. 9 Mart.). Nihilominus *Rufinus, Zosimus* Papa, praeterea *fasti Ecclesiae*, vetus *Romanorum traditio* et plerique *catalogi RR. Pon-*

B. Ejusdem Scripta.

1. Supposititia.

§. 30. *Absque dubio spuriae* sunt *Epistolae quinque decretales*, quae postea in collectionem *Pseudo-Isidorianam* abierunt, *duae* nempe *ad Jacobum* fratrem Domini, *una* communicatoria *ad clerum*, *una ad Iulium* et *Julianum* discipulos, *una ad Hierosolymitanos*. Exhibentur in *Jo. Dom. Mansi* Collect. Conciliorum novissima et amplissima (Florent. 1759—1767 et continuat. Venet. 1769—1798. XXXI. f.) T. I. col. 91—144. Clementis nomen porro mentiuntur *Constitutionum apostolicarum libri VIII* et qui sub Ejusdem tamquam editoris auctoritate circumferuntur *Canones Apostolorum* quatuor s. quinque et octoginta; vide sis in *Cotelerii* Opp. SS. PP. Apost. (ed. Clerici 1698. f.) T. I. p. 199—423. p. 437—451. Opera item supposititia *Libri X Recognitionum*, *Homiliae XIX* dictae *Clementinae*, et Epitome vitae Petri seu *Itinerarium S. Petri*; quae quidem cuncta variae ejusdem fere argumenti recensiones esse videntur; continent enim *Petri* in itineribus suis cum *Apione* aliisque habitas et a *Clemente* Apostoli comite literis consignatas disputationes. Extant apud *Cotelerium* l. l. T. I. p. 487—601., p. 615—749., p. 749—804. Alius denique liber, qui *Liturgia S. Clementis* vulgo laudatur, nihil aliud quam pars libri octavi Constitutionum est. Verum non habeo, quod in his operibus aperte spuriis diutius insistam. Scatent enim *ineptiis*, *anachronismis*, *Ebionitarum erroribus*.

2. Dubia.

§. 31. Inter *dubia* S. Clementis Scripta rejicimus

---

tificum Clementem martyrio coronatum asserunt. Scimus autem martyris nomen saepe iis quoque tributum fuisse, qui aliquid pro Christo passi sunt, licet non sit ad extremum supplicium ventum. Atque *hoc forsitan sensu* Sanctus Noster et *Martyr* appellatus est.

epistolam illam mutilam, quae *altera ad Corinthios* scripta vulgo laudatur. Haec cum priori eaque genuina Ejusdem epistola (§. 32.) simul reperta est, ideoque in omnes recentiores, quas infra memorabimus, *Russelii*, *Gallandi*, *Schoenemanni*, *Hefelii* editiones transmigravit. Eandem *Cotelerius* exhibet gr. et lat. in collectione supra laudata T. I. p. 184—189. Et multi sunt, qui ejus *genuinitatem* tueri acriter contendunt, velut *Cotelerius*, *Bullus*, *Coustantius*, *Mansius*, *Gallandius*, praecipue *Lumper* [1]) et *Schoenemannus* [2]), provocantes ad *can. Apost.* 84, ad testimonia *S. Dionysii Corinthii* [3]) et *S. Epiphanii.* [4]) Sed quae debebant, minime evincunt. Canonem enim istum pseudo-apostolicum non ante finem seculi V confectum egregie docet Seb. de *Drey.* [5]) *Epiphanius* autem, cum de Epistolis (nempe non una tantum), quae in Ecclesia legantur, sermonem faciat, primam ad Corinthios et duas ad virgines (§. 32.) verosimilius significavit. Denique quod *S. Dionysius Corinthius* de priore Clementis nostri epistola ad Corinthios data dicit, tantum abest, ut eam posteriori cuipiam ejusdem *Clementis* epistolae opponeret, ut potius respectu *Soteris* epistolae, quae pariter publice legi solebat, illam tempore priorem dixisse videatur. Imo vero qui luculenter et expresse de secunda epistola Clementis ad Corinthios testantur, *Eusebius* [6]), *Hieronymus* [7]) et *Photius* [8]), aperte statuunt eam *non perinde ac priorem notam, sed a veteribus reprobatam* rejectamque esse tamquam spu-

1) Historia theol.-crit. (§. 8. not. 4.) T. I. p. 22—30.

2) Car. Traug. Gottl. *Schoenemann* (Secretar. Biblioth. Goetting.) Epistolae genuinae Pontificum Romanorum (a S. Clemente usque ad Xystum III.) c. nott. Petri *Coustantii* et Fratrum *Ballerinorum* (Goett. 1796. 8.) p. 60—64.

3) apud Euseb. Hist. eccl. IV. 23., ed. laud. T. I. p. 277. nr. 6.

4) Haeres. III. 15. ed. Petav. T. I. p. 139.

5) Untersuchungen über die Constitutionen und Canonen der Apostel (Tübingen 1832. 8.) S. 201. ff.

6) Hist. eccl. III. 38, ed. laud. p. 209. nr. 2.

7) De vir. illustr. c. 15., ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 107.

8) in Biblioth. Cod. CXIII.

riam. Accedit, quod et *stylus* et dicendi methodus dissimilis est priori, nec raro Scripturarum *apocrypharum* loca laudantur. Quae quum ita sint, permulti VV. DD. et in his *Jo. Morinus*, *Henr. Wottonus*, *Rich. Simonius*, *Herm. Venema*, *Jo. Grabius*, et novissime *M. J. Wocherus*, *J. A. Annegarnius* hanc epistolam Clementi abjudicant, quibus et nos cum C. Jos. *Hefelio* 9) et J. A. *Moehlero* 10) accedimus. Ceterum nobis *Vendelini*, *Dodwelli*, *Grabii* maxime opinio arridet, quae *Lochero* quoque, *Hefelio*, *Moehlero*, aliisque probatur, *Homiliae* nempe partem esse illud fragmentum, quod inscribitur secunda ad Corinthios epistola. 11)

3. Genuina.

§. 32. Ex omnibus S. Patri nostro vulgo accensitis libris *Epistola prima ad Corinthios* et *duae ad Virgines* i. e. coelebes ascetas masculos et feminas conscriptae *genuinae* merito habentur. De his duabus magna quidem dissensio est, quoniam proximo demum abhinc seculo in lucem protractae omnibusque retro temporibus penitus, ut ajunt, incognitae latuerint. Sed nobis earum utique tuenda est auctoritas (cf. §. 35.).

a. Variae earum editiones.

§. 33. Epistolam *ad Corinthios primam* (unacum secundae ad eosdem fragmento) primus omnium *Patricius Junius* (Jacobo I et Carolo I Regibus Anglo-Britannicis a Bibliotheca) ex *Alexandrino* quodam, verisimilius jam *ante medium quartum seculum* manuscripto Codice, quem *Cyrillus Lucaris* Patriarcha Constantinopolitanus ao. 1632 *Carolo I Anglorum regi* dono misit, graece cum versione sua latina edidit *Oxonii* 1633. 4. Ad hoc Junianum

---

9) Patrum Apostol. Opp. (v. §. 5. in fin.) in Prolegg. p. X—XII.

10) Patrologie (v. §. 9. n. 7.) Bd. I. S. 65—67.

11) Singularem de hac epistola scripsit commentationem J. A. *Dietelmayer* c. t. Diss. crit. de fragmento Clementis Romani, quod sub nomine epistolae II ad Corinthios habeter, Altdorf. 1749. 4.

exemplar sequentes deinceps prodierunt editiones: *Joach. Joh. Maderi*[1]), *Jo. Felli* Episcopi Oxoniensis [2]), *Pauli Colomesii* Philologi Londinensis [3]), et *J. B. Cotelerii* in Opp. SS. PP. Apostol. (Paris. 1672. II. f.) ex rec. *Jo. Clerici* (Amstelod. 1698. II. f.) graece cum nova versione Coteleriana, T. I. p. 143—181. Recensionem eandem graeco-latinam receperunt *Petr. Coustantius* O. S. B. monachus ex congregatione *Maurina* [4]) et *Jo. Dom. Mansius* [5]). Interea autem multo praestantiorem et emendatiorem curavit *Henr. Wottonus*, Theol. Dr. et Praebendarius Salisburiensis, *Cantabrig.* 1718. 8.; hancque deinde secuti sunt *Ludovicus Frey*, *Rich. Russelius*, *Andreas Gallandius*, *F. Hornemannus*, *Guil. Jacobsonius* in suis Bibliothecis SS. PP. Apost.; item *C. Tr. G. Schoenemannus* in Epp. RR. PP.; (vd. §. 31. not. 2.) gr. et lat. p. 6—64,, denique *C. J. Hefele* (vd. §. 5. in fin.) sed graece tantum, p. 29—68. — Utraque vero *epistola ad Virgines* primum ab *Jo. Jac. Wettsteinio*, Calviniano in Academia Basileensi Theol. Professore, medio demum seculo XVIII ad calcem *Codicis Msspti* N. T. *syriaci* eruta et *Lugduni Batav.* 1752. f. in lucem emissa est. Easdem exhibet *Gallandius* in Biblioth. PP. T. I. et *Mansi* in Concil. T. I. col. 144—157.

b. Disquisitio critica.

aa. De genuinitate et integritate.

α) Epistolae prioris ad Corinthios.

§. 34. S. Clementis *epistola (prima) ad Corinthios communi prope omnium Eruditorum consensu* tamquam *genuina* agnita et recepta est. Commendant illam *Hegesippus* (apud *Euseb.* in Hist. Eccl. IV. 22.); *S. Dionysius Corinthius* (apud *eundem Euseb.* in H. E.

1) Helmstadii 1654.
2) Oxonii 1669.
3) Londini 1686. 8.
4) Epistolae Romanorum Pontificum genuinae (Paris. 1721. f.) T. I.
5) Coll. Concill. (vd. §. 30. pr.) T. I., col. 271—217.

IV. 23.); *S. Irenaeus* adv. Haeres. III. 3.; *Clemens Alexandrinus* in Strom. I. 7. IV. 1.; *Origenes* in lib. de Principiis II. 3., all.; *Eusebius* Caesareensis in Hist. Eccl. III. 16.; *S. Cyrillus Hierosolymitanus* in Catech. XVIII; *S. Epiphanius* in Haeres. XXVII. 6.; *S. Hieronymus* De vir. illustr. c. 16.; *Photius* in Biblioth. Cod. CXIII. Et sane venerabile illud sacrae antiquitatis monumentum priscum Evangelii vigorem spirat, neque quidquam in ea reperire est, quod a primaevae Ecclesiae disciplina aut viro vere apostolico abhorreat. Reprehendit quidem *Photius* Cod. CXXVI, quod in hac epistola *Mundos* quosdam *extra oceanum* existere supponat; quod *fabula de Phoenice* in ea referatur; quod conceptus *non satis magnificos de Christo* inspiret. Sunt porro, quibus dubium ex eo movetur, quod *Danaidum* et *Dirces* nomina ceu feminarum christianarum martyrum obveniant. Sed omnes istae difficultates facile removentur. *Gisbertus Voethius* autem, *Eduardus Bernardus*, *Jo. Clericus*, *Jo. Moshemius*, qui misere vitiatam eam esse ac *interpolatam* audebant contendere, ab *Joach. Madero* [1]), *Henr. Wottono* [2]) et *Lud. Frey* [3]), quem sequebatur *Gallandius* [4]), satis superque refutati sunt. Denique Jo. Salom. *Semlerus* [5]) plus minus septemdecim objectiones, cum circa materiam Epistolae nostrae, tum quoad expressiones adducit, quae magnam suppositionis praebeant suspicionem. Sed et eas jam supersedere posse eo magis mihi visus sum, quod *Daniel Tobenz* [6]) ad singulas earum planius atque ita reposuit, ut facile victor e proelio disscessisse videatur.

1) in praefat. edit. suae supra (§. 33. ad init.) laudatae.

2) in nott. ad Clem. Epist. I a se editam (§. 30. med.) c. 9. p. 40.

3) Epistolae SS. PP. Apostol. Clementis, Ignatii et Polycarpi, c. varr. annott. (Basil. 1742. 8.) in media praefat.

4) Biblioth. PP. T. I. Prol. p. XIII.

5) in S. J. *Baumgarten* „Untersuchung theol. Streitigkeiten," (qui liber ab ipso *Semlero* cum suis annott. editus est Hal. 1762—64. III. 4.) T. II.

6) Institt. Patrol. (vd. §. 20. not. 5.) §§. XXII—XXXI. p. 148—154.

b) *Epistolarum ad Virgines.*

§. 35. *Duae epistolae ad Virgines* ab *J. Wettstenio* e Mss. codice Syriaco in linguam latinam translatae, cum primum unacum Ejusdem Nov. Test. graec. c. lectt. varr. etc. (Amstelod. 1752. II. f.) ad calcem Tomi II prodierunt, ab *Herm. Venema* potissimum et *Nathan. Lardnero* tamquam *spuriae* penitus rejiciuntur, a plerisque vero VV. DD. saltem in *dubium* vocantur, utpote toti retro antiquitati incognitae. Ita fere sentiunt *Mansi*, *Lumper*, *Winter*, *Locherer*, *Annegarn*, alii. Sed valde vereor, ne praepropere id fecerint. Cuncta enim, quae ad suam opinionem stabiliendam proferunt argumenta, *paene nihil* evincunt, id unum si forte excipias, quod vix probabile sit, Clementem Romanum *syriace* scripsisse. Unde ego magis assenserim *Andr. Gallandio* [1]) et *J. A. Moehlero*, [2]) qui cum *Wettstenio* genuinitatem earum acriter defendunt cum ex scribendi et ratiocinandi methodo Clementi plane consona, tum maxime ex testimoniis *S. Epiphanii* (Haeres. XXX. c. 15.) et *S. Hieronymi* (adv. Jovian. Lib. I. c. 7.). Legesis et reperies in *Epist. I* c. 6., et *Epist. II. c.* 9. 10. 14. ad verbum, quod testatur *Epiphanius* dicens: „*Nam ipse Eliam, David, Samsonem et Prophetas commendat;*“ reperies item, quod ille ait: „*ipse enim virginitatem docet;*“ et *Hieronymus* l. l. habet: „*Ad hos* (Eunuchos) *et Clemens scripsit epistolas, omnemque paene sermonem suum de Virginitatis puritate contexuit.*“ Etenim in omnibus utriusque epistolae capitibus (solis c. 14. et 15. Epist. I. exceptis) *de virginitate* sermonem redire inveneris. Adde, quod nonnulli in iis loci mire consonent cum locis *Epistolae primae ad Corinthios*. Textum denique *syriacum* quod attinet, nemo erit, qui non viderit, eum *graeci* codicis *versionem* esse, quod permulta, quae ibi remanebant, graeca idiomata satis declarant.

---

1) Bibl. PP. T. I. p. XX sqq. in Prolegg.
2) Patrologie Bd. I. S. 67—69.

bb. De tempore quo scripta sunt epistolae.

§. 36. *Epistolam ad Corinthios* fuisse scriptam *paulo post persecutionem* aliquam, ex ipsa epistola c. 1. satis constat. Eane autem *Neronis* an *Domitiani* persecutio fuerit, non liquet. *Grabius*, *Pagius*, *Orsi*, *Gallandius*, *Wottonus* et recentissime VV. DD. *Ign. Doellinger* Theolog. in Univers. Monacensi Prof. et Eccl. aul. ad S. Cajetanum ibidem Canonicus senior [1]), et multoties laudatus vir Cl. C. J. *Hefele* [2]) desinente *Neroniana* persecutione *ao. circiter* 78; *Cotelerius* autem, *Tillemontius*, *Coustantius*, *Lumper*, ac recentioris aetatis *C. Fr. G. Schoeneman*, reg. Biblioth. Goetting. a Secretis [3]); *Vit. Ant. Winter*, Consiliar. reg. eccl. et in univers. Landishut. olim Prof. [4]); *Theod. Katercamp*, Prof. Theolog. nec non Eccles. cathedr. Monasteriensis Decanus [5]); *J. A. Moehler*, Theol. in univers. Monacensi Prof. et Decanus design. Eccl. cathedr. Wirceb. [6]) ad finem demum *Domitiani* persecutionis *c. a.* 96 *aut* 97 exaratam eam esse arbitrantur, quibus et nos accedimus omnibus religiose ponderatis argumentis utrique parti pariter fere faventibus. — De *duabus* autem *ad Virgines* epistolis nihil omnino est unde conjicias, quo anno scripserit eas S. Clemens; nullum enim in iis factum explicatur. Neque admodum interest, ut diligentius inquiramus, dummodo de genuinitate constet.

c. Epistolarum genuinarum argumentum et index.

aa. Epistolae I ad Corinthios.

§. 37. Quae *prima ad Corinthios* inscribitur

---

1) Gesch. der christl. Kirche (Landsh. 1833. 8.) Bd. I. Abthl. I. S. 88.
2) PP. Apost. Opp. in Prolegg. p. XII. nr. 5.
3) Epistolae RR. PP. genuinae (§. 31. not. 2.) in Prooem. p. 2—5.
4) Patrologie §. 36. nr. 4., S. 173—175.
5) Kirchengeschichte (Münster 1819—34. V. 8., unvollendet) Abth. I. S. 119.
6) Patrologie Bd. I. S. 57—59.

epistola *nomine Ecclesiae Romanae* transmissa est ad Corinthios *sedandae seditionis causa* per aliquos excitata, qua presbyteri ab Apostolis aliisve deinceps viris apostolicis constituti injuste ab officio dejecti fuerant. *Clemens* igitur primum *Corinthiorum virtutes* extollit, *fidei* praecipue constantiam, sincerum in Pastores *obsequium* et egregiam erga proximos *caritatem* (c. 1—3.). Luget deinde, quod istas virtutes et pristinae beatitudinis statum *discordia* inter ipsos exorta perdiderint. Ex invidia autem quae incommoda nascantur, pluribus V. T. exemplis demonstrat (c. 3—7.). Hortatur mox ad *poenitentiam*, *humilitatem*, *obedientiam*, proponens Christi et Prophetarum exempla, imo omnium creaturarum in leges sibi impositas mirum obsequium (c. 7—21.). Hanc esse Dei voluntatem ait, ut in concordia vivant, *Dominum Deum timeant*, et in eo confidentes teneant *spem futurae resurrectionis*, cujus argumenta primum ab ipsius Christi resurrectione, tum a continua diei cum nocte vicissitudine, a grano frumenti mortuo rursusque germinante, a Phoenice fabulosa avi petit (c. 21—27.). „*Ipse nos elegit Dominus*" omnipotens, omniscius, et quemadmodum Patriarchis fidelem se praebuit in promissionibus, ita et *nos in Christo Jesu vocati* justificabimur, *non per nosmet ipsos sed per fidem in eum*, *cui soli honor in secula*" (c. 27—33.). Hinc statim monet, ut proni sint ad quodlibet opus bonum. Ordines vero et *inter praepositos ac subditos discriminis necessitatem* in ministerio Ecclesiae demonstraturus militiae exemplum proponit. Stultos esse, qui humilitatem nostram ludibrio habeant; *neminem* enim fore *coram Deo irreprehensibilem* (c. 33—40.). „*Unusquisque igitur in suo statu gratias Deo habeat*, . . . *non transgrediens praescriptam muneris sui regulam*." Ostendit subinde, *Deum ipsum* Ecclesiasticae *Hierarchiae auctorem*; Jesum Christum a Deo, Apostolos a Christo Jesu missos esse, eosque regnum Dei adventurum ubique praedicasse, et successores et adjutores sibi, Episcopos nempe et Diaconos, constituisse. In hac *subordinatione* Sanctos Dei semper conversatos esse (c.

40—46.). Jamque ut *contentionis*, *inimicitiae*, *discordiae*, *seditionis* finem faciant, hortatur, neque *dilacerare* pergant *membra Christi*. *Caritatis* deinde laudes prosequitur, eam *Moysis* ad exemplum commendans, qui scilicet ex libro vitae voluerit deleri, si populo suo veniam non impetrasset. Huic exempla *gentilium* quoque addit, qui ob communem utilitatem exilium mortemque fuerint perpessi (c. 46—57.). Tunc ad eos, qui seditionis istius causam dederant, conversus monet, *ut se subjiciant*, et *in poenitentia corripiantur*. [Hic folium unum in Cod. Alexandrino Mss. desideratur.] Postremo Deum orat, ut per *Christum Jesum* illis det *fidem*, *timorem*, *pacem*, *patientiam*, ceteras virtutes; petit a Corinthiis, ut epistolae hujus tabellarios brevi et cum laeto nuntio remittant (c. 57—59. fin.)

bb. Epistolarum ad Virgines.

§. 38. Epistolis his duabus *virginitatis continua laus* et *commendatio* continetur, imo et institutio, in quibus *virginitatis gloria* consistat. Monentur etiam, ad quos scriptae sunt, ne *Paganis* sacra praelegant aut exponant, ludibrii vitandi causa. Ceterum, cum ambae *ascetici* sint argumenti, non ita multo quidem continent, quae ad doctrinam *fidei* accuratius percipiendam magnopere conducant; sed tanto plura, quae ad *castitatem*, *simplicitatem*, *frugalitatem* verbis vere apostolicis instituant.

C. Doctrina S. Clementis.

1. Observationes dogmaticae.

a. De S. Scriptura.

§. 39. Multa tam *in Epistolis ad Virgines* quam *in priore ad Corinthios* loca laudat in testimonium *Canonis S. Scripturae* cum *veteris* tum *novi* testamenti; e libris quinque *Moysis*, libro *Josue* et *Judicum*, e libris *Regum*, plurima de *Psalmis* et Prophetarum libris *Isaiae*, *Jeremiae*, *Ezechielis*, *Danielis*, ex *Proverbiis* et libro *Hiob*; ita in

sacris *novi foederis* ex *Evangeliis Matthaei* atque *Lucae;* ex *Epistolis S. Petri* I et II; *Jacobi*; *Pauli* ad Romanos, ad Corinthios I et II, ad Ephesios, ad Colossenses, ad Thessalonicenses, ad Timotheum, ad Titum, et praecipue ad *Hebraeos*. Et omnem sacrum Codicem „*divina* praedicat *eloquia*, .. *vera Spiritus sancti Oracula*" (Corinth. I, c. 45.), quibus verbis aperte sacrarum Scripturarum *divinitatem* et *inspirationem* comprobat.

b. De Christi divinitate et incarnatione.

§. **40.** De *Christi divinitate* S. Pater loquitur cum dicit: „*Omnes humili animo creatis, Dei viatico contenti.. Passiones ejus* (Dei) *prae oculis vestris erant* (I. Cor. c. 2.). „*Septrum majestatis Dei Dominus est*" (ib. c. 16.). Praeclara autem sunt, quae tradit circa beneficia, quae pro hominibus ex *incarnatione Verbi* consecuta sunt: „*Salutare nostrum invenimus Jesum Christum, Pontificem oblationum nostrarum, infirmitatis Patronum et Auxiliatorem; per hunc in coelorum altitudines oculos defigemus, per hunc immaculatum et supremum illius vultum speculabimur, per hunc oculi cordis nostri aperti sunt; . . . per hunc voluit Dominus, ut immortalem cognitionem gustaremus. Qui, cum sit splendor majestatis ejus, tanto major est Angelis, quanto excellentius nomen sortitus est*" (ibid. c. 36.). Et de *Christi meritis* pro nobis quam admirabile elogium efformat, dicens: „*Assumsit nos ex voluntate Dei, sanguinem suum pro nobis tradidit, carne suam pro carne nostra, et animam pro animabus nostris*" (ib. c. 49.).

c. De justificatione et gratia.

§. **41.** Docet S. Clemens, nostram *vocationem ad fidem* esse *merum donum Dei*, neque pietatis opera *per se*, scilicet sejuncta a fide, per quam vivificantur, sufficere ad justificationem nostram. „*Et nos*, ait, *in Christo Jesu vocati, non per nosmet ipsos justi efficimur, neque per sapientiam nostram aut intelligentiam aut pietatem, aut opera quae in cordis sanctitate operati sumus, sed per fidem, per*

quam cunctos, qui unquam justi fuerunt, justificavit" (I. Cor. c. 32.). Numquid igitur S. Pater hisce dictis *merita bonorum operum rejicit?* Minime. Nam immediate subjungit: „*Quid igitur faciemus? fratres, Cessabimus a bonis operibus, et caritatem delinquemus? Neutiquam hoc a nobis fieri permittat Dominus; sed .. ex totis viribus nostris operemur opera justitiae*" (ib. c. 33.). Et paucis inde interjectis concludit: „*Oportet ergo nos ad bonum faciendum prompto animo esse, ex hoc enim omnia constant*" (ib. c. 34.). Apprehenditur enim regnum coelorum virtute *fidei*, cum homo ostenderit in fide opera *caritatis*.

d. *De Hierarchia divino-ecclesiastica.*

§. 42. *Divinitus institutam* esse *hierarchiam* in Ecclesia S. Pontifex aperte probat dicens: „*Apostoli nobis evangelizaverunt a Domino Jesu Christi* missi, *et Jesus Christus a Deo* missus... *Utraque missio facta est ordinatim ex voluntate Dei. Apostoli igitur cum S. Spiritus plenitudine ac securitate egressi sunt annuntiantes regnum Dei. Praedicantes igitur per regiones et urbes primitias earum* (primos, quos ad Christi fidem converterant fideles), *Spiritu cum probassent, in Episcopos et Diaconos eorum, qui credituri erant, constituerunt*" (I. Cor. c. 42.); ... *et deinceps futurae successionis regulam tradiderunt, ut, cum illi decessissent, ministerium eorum ac munus alii viri probati exciperent*" (ib. c. 44.). Eamque Hierarchiam divino-apostolicam constare docet *Episcopis, Presbyteris et Diaconis* (arg. c. 40. cf. c. 21.).

2. Observationes morales.

§. 43. *Christianorum officia* S. Noster paucis complectitur paene *omnia*, monens ut „*a voluntate Dei non simus transfugae;.. Dominum J. Chr., cujus sanguis pro nobis datus est, veneremur; Praepositos nostros revereamur; Presbyteros honoremur; Juvenes doceamus disciplinam timoris Dei; uxores nostras ad id, quod bonum est,*

corrigamus; amabiles castitatis mores ostendant, simplicem ac sinceram mansuetudinis suae voluntatem demonstrent, linguae suae moderationem silentio manifestum faciant, caritatem suam non secundum animi propensiones sed omnibus, qui sancte Deum timent, aequalem exhibeant. Liberi nostri disciplinae Christi participes sint; discant, quid humilitas apud Deum valeat, quid casta caritas apud Deum possit" (I. Cor. c. 21.). In specie autem *caritatis* quasi characteres quam praeclare depingit! *„Altitudo, ad quam evehit caritas, inenarrabilis est. Caritas nos Deo agglutinat, caritas operit multitudinem peccatorum, caritas omnia aequo animo suffert; in caritate nihil sordidum, nihil superbum; caritas schisma non habet, seditionem non concitat;... in caritate omnes Dei electi perfecti sunt facti; sine caritate Dei nihil acceptum est Deo"*.. (ib. c. 49.). Et *humilitatem* christianam quam egregie commendat! *„Dominus noster J. Chr., sceptrum majestatis Dei, non venit in jactantia arrogantiae neque superbiae, licet tam potens sit; sed in humilitate, quemadmodum Spiritus Sanctus de ipso locutus est... Cernitis, viri cari, quod exemplar nobis datum sit? Nam si Dominus adeo humiliter se gessit, quid faciemus nos, qui sub jugum gratiae ejus per ipsum venimus?"* (ib. c. 16.) De *castitatis et virginitatis* autem laude *utraque Epistola ad Virgines* tota verba facit.

IV.

S. Ignatius, Episcopus Antiochenus, Martyr.

A. Ejus vita.

§. 44. S. *Ignatius Theophorus* (i. e. Deum in pectore gerens) vulgo cognominatus, natione probabilius *Syrus*[1]), vir aetate, moribus, doctrina vere apostolicus, fuit

---

1) Cf. *J. A. Moehleri* Patrologie Bd. I. p. 122.

beati *Joannis Apostoli discipulus* [2]) et post Evodium *secundus a S. Petro Episcopus Antiochenus* [3]) *ab ipso Apostolo ordinatus.* [4]) *Trajanus* autem iniquo adversus christianos animo affectus, quum bellum Parthis illaturus *Antiochiam* pervenisset, sanctum Antistitem advocans, vehementius increpuit, et liberis ejus responsionibus ictus *supplicii reum damnavit.* Qua sententia accepta *Ignatius* gratias Domino egit, et cum gaudio membra sua vinculis obtulit, suamque Ecclesiam, preces cum lacrimis fundens, Deo commendat. Inde *Romam* deductus, ibique in amphitheatro *leonibus objectus* pro Christo martyrii palmam tam diu tamque avide desideratam obtinuit die vigesima Decembris [5]) anno 107 [6]) aut ut nonnulli arbitrantur 116. [7]) Ossa absumtis carnibus reliqua Antiochiam translata sunt.

---

2) *Eusebii* Chronic. ad 11 a. Trajani. ex interpret. *S. Hieronymi;* — *S. Greg. M.* (Epist. XXXVII ad Anastas.) eundem Petri quoque auditorem, et *S. Chrysostomus* (Orat. XLII.) generatim cum Apostolis eum conversatum *fluenta hausisse spiritualia* dicit.

3) *Origenis* Homilia VI in Luc. — *Euseb.* Hist. eccl. III. 36; — *S. Hieronym.* De vir. illustr. c. 16.

4) *Theodoret.* in Eranist. Dial. I.; — *S. Felix III.* Pap. in Epist. ad Zenonem.

5) *Acta martyrii S. Ignatii* (§. 251.).

6) Ita statuunt VV. DD. *Jac. Usserus, Theod. Ruinartus, Dom. Rem. Ceillier, Seb. Tillemontius, Jo. Phil. Baraterius, Ed. Corsinius, Gottfr. Lumperus, Steph. Wiest, Theod. Katercamp, J. N. Hortig, Ant. Klein, J. Ign. Doellinger, J. Ad. Moehler;* quibus et nos assentimus. Occubuit enim S. Ignatius, ut in martyrio ejus legitur, *Sura et Senecione Coss.* Atqui ao. 107 *Caj. Sosium Senecionem* quartum et *Luc. Licinium Suram* tertium Consules fuisse exponit *Jo. Frid. Wurm* De Ponderum, Nummorum et Mensurarum et de anni ordinandi rationibus apud Rom. et Graec. (Stutgard. 1820. 8.) p. 244. Cetera hujus sententiae argumenta fusius tractat *Lumperus* in Hist. theol.-crit. T. I. p. 251—256.

7) Hanc opinionem tuentur *Jo. Pearsonius., Guil. Loydius, Ant. Pagius, Ern. Grabe, Thom. Smith, Mich. le Quien, Andr. Galland, Ign. Ritter, J. N. Locherer,* alii, qui *Jo. Malalae* imprimis auctoritatem secuti videntur. Cf. *Galland.* in Biblioth. PP. T. I. Prolegg. col. 61.

B. Ejusdem Scripta.

1. Spuria.

§. 45. Multa, quae S. Ignatii nomine aliquamdiu circumferebantur, nunc *virorum doctorum prope omnium judicio* inter *spuria* relegantur; ita libellus, cui titulus *Doctrina S. Ignatii;* alius, qui inscribitur *Liturgia;* item opusculum, quod formam *dialogi* prae se fert; similiter *octo* eidem accensitae *epistolae*, et quinque quidem *graece* scriptae ad *Mariam ex Cassobolis*, ad *Tarsenses*, ad *Antiochenos*, ad *Heronem* diaconum Antiochenum, ad *Philippenses;* tres autem *latine* quae multo etiam minorem fidem habent, duae nempe ad *Joannem* Evangelistam, et una ad beatissimam Virginem *Mariam*. Edita sunt isthaec monumenta in *Cotelerii* Opp. PP. apost. ex rec. *Clerici* (vd. §. 5. med.) *T. II. p.* 99—127, aliisque alibi notatis editionibus.

2. Genuina.

§. 46. Aliae vero *septem epistolae*, ad *Ephesios* scilicet, ad *Magnesianos*, ad *Trallianos*, ad *Romanos*, ad *Philadelphenos*, ad *Smyrnaeos*, ad *S. Polycarpum* scriptae in duplici exemplari graeco, altero *breviore*, altero *longiore sed seculo sexto interpolato*, ad nos pervenerunt. Hanc *breviorem* editionem tamquam *genuinam*, *integram*, *sinceram* praeferendam esse longiori omnes nunc viri critici affirmant. Et Car. *Meier*, Theologiae Professor Giessensis [1]), qui contrariam denuo propugnavit sententiam, a VV. DD. *Rich. Rothe* [2]), *D. Baur* [3]), *Arndt* [4]), He-

1) In Ephemeride c. t. Theologische Studien und Critiken (vd. §. 8. not. 7.) Jahrg. IX. (1836.) S. 340. sqq.

2) *Rich. Rothe*, Prof. Heidelberg. Die Anfänge der christl. Kirche. (Wittenberg 1837. 8.) Bd. I. S. 739.

3) *F. Baur*, Prof. Tubingens. in Tübinger Zeitschrift für Theologie, herausgeg. v. *J. C. F. Steudel* (Tübingen 1828. ff. 8.) Jahrgg. 1838. Heft III. S. 148. ff.

4) *Arndt* Ratzeburgensis in Theol. Studien und Critiken, Jahrgg. XII. (1839.) S. 136. ff.

fele [5]) nuperrime solide refutatus est. *Brevior* autem recensio primum e codice latino *Cottoniano* ab *Jac. Ussero* Episcopo Armaghano exscripta, moxque deinde ab *Isaac Vossio* Canonico Windsoriensi etiam e graeco Codice *Florentino*, qui in bibliotheca *Medicea* eousque latuerat, et epistolas omnes (una ad Romanos excepta) illis latinis ad amussim aequiparatas continebat, typis excusa est.

a. Epistolarum genuinarum editiones.

§. 47. Has breviores et genuinas Epistolas primus e *latino* exemplari *Usserus* in lucem edidit *Oxonii* 1644. 4. Easdem sed *graecas* e Codice Florentino (una epistola ad Romanos excepta, quam ex longiori sed *interpolata* editione restituere et textui *Usserianae* latinae conformare conatus est) publici juris fecit *Vossius*, *Amstelodami* 1646. 4.; castigatius mox *Jac. Usserus* iterum (*Londin.* 1647. 4.) et J. Bapt. *Cotelerius* in ed. Opp. SS. PP. Apost. Paris. 1672. fol. Posteaquam vero *Theodorico Ruinarto* Maurino id quoque contigerat, ut in *Actis Martyrii S. Ignatii* e Codice Mss. Bibliothecae *Colbertinae* exscriptis etiam illam *ad Romanos* epistolam in Codice Mediceo desideratam reperiret, quam proinde in *Actis primorum Martyrum sinceris* (Paris. 1689. 4.) evulgavit: jam *omnes genuinae* epistolae S. Ignatii *graeco-latinae* coeperunt in lucem emitti. Omnium autem praestantissima editio est *Thomae Smithii* Ecclesiae anglicanae Presbyteri, *Oxon.* 1709. 4.; quam deinde secuti sunt *Andr. Gallandius* in *Bibliotheca PP.* T. I., item in suis editionibus *Opp. PP. Apostolicorum* Jo. L. *Frey* (vd. §. 34. not. 3.) *Rich. Russelius* (§. 5. in fin.), *Car. F. Hornemann* (Hafniae 1828. 29. III. P. 4.), *Car. Jos. Hefele* (§. 5. in fin.) gr. tantum, p. 77—116. Hanc *genuinam* lubet conferre cum longiore et ea quidem *interpolata* recensione, quae extat gr. c. vers. lat. in *Coteleriana* PP. apostolicorum editione (cur. *Clerici*, Antwerp. 1798.) *T. II. p.* 45—99.

---

5) *Opp. PP. apost.* (vd. §. 5. in fin.) in Prolegg. p. XIII et XIV.

b. Disquisitio critica.

aa. De genuinitate et sinceritate Epp.

α) Ex testimoniis Antiquorum.

§. 48. Quod S. Ignatius *literas* ad Christianos, qui erant in urbe *Roma*, miserit, legitur in Ejus *martyrio c.* 11., cui ipsa *Epistola ad Romanos* annexa est. *Plures* autem ab eodem epistolas consignatas esse, cum *ipse* Ignatius testatur c. 4. *ad Rom.*, tum S. *Polycarpus* in epistola sua *ad Philippenses* c. 13. confirmat. *Singula* porro effata Ignatiana et iisdem quidem verbis, quibus nunc in breviori recensione leguntur, laudant *S. Irenaeus* adv. Haeres. V. c. 28. n. 4.; — *Origenes*[1]) in Prologo ad Cantic. Canticorum, item in Homil. VI in Lucam; — *S. Athanasius*[2]) De Synodis Arimini et Seleuciae habitis, c. 47.; — *S. Chrysostomus*[3]) in Homil. de Legislatore, c. 4., et in Hom. in Ignatium martyrem, n. 5.; — *Eusebius*[4]) praecipue et *S. Hieronymus*[5]), qui non solum plura loca laudant, sed accuratius enarrant epistolas, *quot* et *ubi* scripserit et *ad quos* earum quamlibet direxerit Ignatius; — *Theodoretus*[6]), qui in Dialogis, queis titulus *Eranistes*, permulta adfert; — ut *Pseudo-Dionysii Areopagitae*, et *Gelasii* Papae; aliorum, quibus jam interpolata exemplaria ad manus fuisse videntur, *S. Ephraemi* Patriarchae Antiocheni, *Gildae* Badonici, *Jovii* monachi, *S. Anastasii Sinaitae*, *S. Maximi* abbatis martyris, *S. Theodori Studitae*, *S. Joannis Damasceni*, *Photii* et recen-

1) in Ej. Opp. (ed. *Paris.*) T. III. p. 938, et p. 30. Cf. Ign. Epist. ad *Ephes.* c. 19. et ad *Rom.* c. 7.

2) in Ej. Opp. (ed. *Paris.*) T. I. P. 2., p. 761. Cf. Ign. Ep. ad *Ephes.* c. 7.

3) in Ej. Opp. (ed. *Paris.*) T. VI. p. 410; cf. Ign. Ep. ad *Polycarp.* c. 4.; et T. II. p. 599.

4) *Hist. eccl. III.* 36, ed. laud. T. I. p. 203. sq. nr. 2. 3. 4.

5) *De vir. illustr. c.* 16., ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 108.

6) Opp. Ejusd. (ed. *Paris.*) T. IV. Dial. *Immut.* p. 33.; Dial. *Inconfus.* p. 86.; Dial. *Impatib.* p. 154. Cf. Ign. Epp. *ad Ephes.* c. 7. 18. 20., *ad Trall.* c. 9., ad *Smyrn.* c. 1. 3. 4. 5. 7.

tiorum testimonia taceam. Dubitationes autem, quas *Dallaeus* [7]) partim adversus testimonia *Polycarpi*, *Irenaei*, *Origenis*, *Eusebii*, *Chrysostomi*, partim ex silentio *J stini*, *Theophili*, *Clementis Alexandrini* profert, tamquam frivolas et ineptas minime adtendendas esse plane probat Jo. *Pearsonius* [8]) *in Vindiciis Epistolarum S. Ignatii.*

b) Ex Epistolarum indole ac dictione.

§. 49. Ignatianae *septem epistolae* e *breviori* recensione petitae, S. Martyris nostri et *aetati* et *genio* plane conveniunt. Ignatium *S. Joannis Evangelistae discipulum* fuisse constat; quis enim, qui epistolas nostras vel obiter perspexerit, illius Apostoli ingenium et animi calorem non ubique spirantem viderit? et tamen nullibi nostrum reperies de hac sua intima cum Apostolo necessitate verba facere, aut dictis ejus sua exornare, quod *falsarius* ad scripturam suam commendandam non ita neglexisset. *Res* porro si respicias, quae in Epistolis tractantur, videbis, quam mire congruant cum *temporibus Ignatii*. In *Judaismi* enim et eas potissimum *Gnosticismi* haereses, quales *Ebionitae*, *Simon Magus* et *Cerinthus* disseminaverant, tela sua acuit. Quid multa? cum *inaffectata* et *nativa* ratio, qua ubique incedit auctor, cum omnimoda *sinceritas* summaque *simplicitas* et arctissimus *materiae nexus* omnem suppositionis aut interpolationis suspicionem penitus discutiant.

§. 50. Sunt quidem perpauci et in his potissimum *Dallaeus*, qui *anachronismis* nostras laborare epistolas contendant, eo quod auctor passim *Cleobuli*, *Saturnini*, *Basilidis*, *Theodoti* longe post viventium errores refutaverit; quod de *Σιγῃ Valentini* verba fecerit; quod denique perpetuo *de discrimine inter Episcopos et Presbyteros* altero Ecclesiae seculo nondum cognito disseruerit. Verum illa

---

7) De Scriptis, quae sub Dionysii Areopagitae et Ignatii Antiocheni nominibus circumferuntur libri II. *Genev*. 1666. 4.

8) *Jo. Pearsonii*, Cestrensis in Anglo-Britannia Episcopi, *Vindic. Epp. Ign.* (Oxon. 1672.) P. I. c. 5—8.; insertae sunt etiam in *Cotelerii* Opp. PP. Apostol. (ed. *Clerici* de ao. 1698.) *T. II. p.* 284—342.

Haereticorum nomina quod attinet, habet ea quidem in epistola ad *Trallanos* c. 11., scilicet si *interpolatam* attenderis editionem; at neque in Florentino *Vossiano* neque in latino codice ab *Ussero* eruto ullum reperies. Imo *neminem haereticum a se nominatim indicari* ipse S. Ignatius aperte dixit.[1]). *Errores* autem istorum virorum, utpote magna ex parte cum *Simonianis* et *Ebionitis* communes, utique jam *suo* tempore Ignatius castigare potuit. *Cleobulum* enim *seu Cleobium*[2]) Theodoretus[3]) quidem *Simonis Magi* Apostolorum coaevi discipulum fuisse, S. Epiphanius[4]) autem *Ebionitarum* sectatorem exstitisse testatur. De *Basilide* vero ac *Saturnino* dubium non est, quin et ipsi *jam inchoante seculo secundo* palam coeperint docere; imo vero si ipsi multo post vixissent, tamen doctrinam eorum *Simonianam* maxime redolere, quis est qui nesciat? *Theodoti* autem haeresis multum cum *Ebionitis* et *Cerintho*, ut qui erant haeretici jam primi seculi, commune habet, ita ut hos potius, non illum, respexisse Noster videatur. Porro quod de *Σιγη* dictum est in Epist. ad *Magnes.* c. 8.; id non ad *Valentinum* spectat, sed *appositio est paraphrastica* ad vocem *ἀΐδιος Λόγος*, de Christo Jesu praedicatam. Ad extremam denique quod pertinet objectionem, non negamus quidem, in primordiis Ecclesiae nonnunquam et *Episcopos* solo *Presbyterorum* nomine (utpote qui nempe *summi* et sensu quodam eminentiori *Sacerdotes* essent) insignitos, scimus autem *simplicem* sacerdotem *nullibi umquam Episcopum* fuisse appellatum[5]), sed ea, qua scripserat Ignatius, aetate *tres* utique gradus Clericatus, *Episcopatum*, *Presbyteratum*, *Diaconatum* probe distinctos in Ecclesia exstitisse; cujus rei S. Scripturae loca et

---

1) *Ign.* Epist. ad Smyrn. c. 5.

2) Cleobium et Cleobulum *eundem* dici *Epiphanius* testatur.

3) in Fab. Haeret. Epitome I. 1.; II. 1.

4) Haeres. LI. c. 6., ed. Petav. T. I, p. 427.

5) Praeclarissime hanc rem exposuit V. Cl. *Jo. Jos. Ign. Doellinger*, Geschichte der christl. Kirche (vd. §. 36. in pr.) Bd. I. Abth. I. S. 323—333.

antiquissima SS. Patrum primaevae Ecclesiae testimonia praesto sunt. Has igitur *Dallaei* aliorumque argutias refellit Jo. *Pearsonius* in suis *Vindiciis* (v. §. 49. fin. c. not. 8.) P. II. c. 2—8. 13.; sive in *Opp. PP. Apost.* (ed. Clerici 1698.) T. II. p. 347—376. 402—415. Similiter nec *Leopardi* vox Ep. ad Rom. c. 5.) aliaeque phrases quasi essent *Neologismi*, *Receptio Poenitentium* (Ep. ad Philad. c. 8.) tanquam *primaeve* disciplinae repugnans, nec *longiores Epistolarum inscriptiones*, nec *Epithetorum frequentia*, neque alia argumenta, quae a dictione petantur, genuinitatem Epistolarum infringunt, quod solide probavit idem *Pearsonius* l. l. c. 7—13., in *Opp. PP. apost.* cit. T. II. p. 376—402. 415—441. Et iisdem fere objectionibus, quas Sam. *Basnagius* [6]) retractare nisus est, diserte respondit vir doctissimus G. *Lumper* [7]).

bb. De tempore, quo scriptae sunt.

§. 51. Epistolae septem genuinae a S. Patre nostro *eodem* anno vel 107 vel 116 (cf. §. 44. fin.) et *in ipso itinere*, cum jam ad supplicium Romam duceretur, consignatae, et *quatuor* quidem priores (ad *Ephesios*, *Magnesianos*, *Trallanos* et *Romanos*) ex urbe *Smyrna*, reliquae vero *tres* (ad *Philadelphenos*, *Smyrnaeos* et *ad Polycarpum*) *Troade* datae sunt. Id quod luculentissime testatur *Eusebius* [1]) et ejus interpres *S. Hieronymus* [2]).

c. Analysis Epistolarum.

aa. ad Ephesios, Magnesianos, Trallanos.

§. 52. Etenim cum S. Martyr Romam deductus ad *Smyrnam* appulisset, multi undique certatim „*concurrebant ex Ecclesiis Asiae et civitatibus cum ad eum videndum, tum ut pulchro fruerentur fluento, quod fluebat ex ore il-*

---

6) Annales polit.-eccles., Roterdam. 1701. III. Voll.

7) Hist. theol.-crit. T. I. p. 269—286.

1) Hist. eccl. III. 36, p. 203. 204.

2) De viris illustr. c. 16., col. 108 ed. Maur.

lius." [1]) Et advenerunt cum nonnullis Presbyteris et Diaconis vicinarum regionum Episcopi *Onesimus Ephesinus, Damas Magnesianus, Polybius Trallanus.* Hisce igitur singulas dedit literas perferendas ad Ecclesias, quibus eorum quisque praeerat; atque in iis primum *pro caritate gratias agit, et Episcopos* aliosque, quos legatos ipsi miserant, *laudibus effert* [2]); Ecclesias hortatur, *ut unitatem conservent* [3]); *haereticorum consortia vitent* [4]); *in fide ac dilectione perseverent* [5]); postremo *eorum precibus se suamque Ecclesiam commendat.* [6]).

bb. ad Romanos.

§. 53. *Timens* autem *de iis, qui Romae erant fideles, ne forte non sustinerent videre eum tradi bestiis, ac martyrii januam sibi praecluderent, statuit ad ipsos quoque, priusquam ipse adveniret, praemittere literas* (Acta Martyrii c. 11.), quibus eosdem magnificis elogiis salutatos *rogat, ne intempestiva benevolentia mortem suam impedirent* (Ep. ad Rom. c. 1—4.); *amore moriendi tractum omnia se passurum tormenta dicit, tantum ut Jesum Christum nanciscatur* (ibid. c. 5—8.); orat, ut in precibus suis *Ecclesiae Antiochenae* memores sint. Haec praeclara epistola data est a. d. IX Cal. Sept. i. q. 24 *Augusti* (ibid. c. 9. 10.)

cc. ad Philadelphenos et Smyrnaeos.

§. 54. S. Praesul, Smyrna deductus Troadem, *Troade* tres epistolas scripsit, *unam ad Philadelphenos*, quos monet, ut a *Schismaste* caveant pravaque *haereticorum se-*

---

1) *Acta Martyrii* S. Ignatii (vd. §. 251.) c. 10.

2) Epist. ad *Ephes.* c. 1. 2.; ad. *Magnes.* c. 1—4.; ad *Trall.* c. 1—3.

3) Epp. ad *Ephes.* c. 3—6.; ad *Magn.* c. 5—7.; ad *Trall.* c. 7. 8.

4) Epp. ad *Ephes.* c. 7—10.; ad *Magn.* c. 8—11.; ad *Trall.* c. 6. 9—11.

5) *Ephes.* c. 15. 16.; *Magn.* 12. 13.; *Trall.* 13.

6) *Ephes.* c. 21.; *Magn.* c. 15.; *Trall.* c. 12.

ductione, ut inserviant doctrinae *Apostolorum* ac *Prophetarum*, et a *Judaismo* recedant [1]; *alteram ad Smyrnaeos*, qua catholicam fidem *de Christi Dei humana natura* adversus *Doketas* exponit, et pravitatem eorum, quod a bonis operibus, ab Eucharistia et oratione abstineant, depingit [2]; in *utraque* vero hortatur fideles, *ut sinceram teneant unitatem*, adhaerentes Episcopo [3]; orat, ut *Antiochiam legatum mittant*, qui cum fidelibus ibi Deum glorificet de tranquillitate obtenta [4]; claudit cum *gratiarum actione* et *salutationibus*. [5]

dd. ad S. Polycarpum.

§. **55.** *Tertia*, quam Troade exaravit, Epistola *ad Polycarpum* episcopum Smyrnensem directa est. Cogitarat enim S. Ignatius ad *alias* quoque Asiae Ecclesias dare literas; temporis autem angustia impeditus, munus istud in *Polycarpum amicum* rejecit (Ep. ad Polyc. c. 8. pr.); *laudat invictam ejus virtutem*, datisque saluberrimis *regulis pastoralibus* (ibid. c. 1—6.) rogat, ut *concilio convocato unum eligat, qui Ecclesiae Antiochenae de restituta pace gratuletur;* obsecrat, ut *finitimas ecclesias, quae idem faciat, adhortetur* (ibid. c. 7. 8.).

C. Doctrina S. Ignatii.

1. Observationes dogmaticae.

a. De SS. Scripturis.

§. **56.** Ex libris *Veteris* quidem Testamenti perpauci tantum loci sunt, quos Noster in epistolis suis recitat; aliquanto vero plures e S. Scriptura *N. T.* adfert, et quidem ex *Evangeliis Matthaei et Joannis*; ex *Actis Apostolorum*; ex *Epistolis SS. Petri* (prima), *Joannis* (tertia), *Pauli* (Epp. ad Romanos, ad Corinthios I et II,

1) Epist. ad *Philadelph*. c. 2—6.
2) Epp. ad *Smyrn*. c. 1—7.
3) Epp. ad *Philadelph*. c. 7—9.; ad *Smyrn*. c. 8. 9.
4) *Philad*. c. 10.; *Smyrn*. c. 11.
5) *Philad*. c. 11.; *Smyrn*. c. 10. 12. 13.

ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Thessalonicenses I et II, ad Philemonem); quae omnia *Lardnerus* [1]) collecta exhibet. *Utriusque* vero Testamenti libros quanta in aestimatione habuerit, satis his verbis innuit: „*Eximium quiddam habet Evangelium, nimirum adventum Salvatoris Domini nostri J. Chr. et passionem ejus ac resurrectionem*" (Philadelph. c. 9. med.). „*Divinissimi autem Prophetae juxta Christum Jesum vixerunt; ob hoc et persecutionem passi sunt gratia ipsius inspirati*" (Magnes. c. 8. med.). Totum utriusque foederis codicem *tribus quasi partibus* absolvi innuit, *prophetica*, quae libros V. T. continet; *evangelica*, quae Evangelia et Acta Apostolorum habet; *Apostolica*, quae scilicet epistolas canonicas amplectitur. Unde dicit: Confugimus „*ad Evangelium tanquam ad carnem Jesu, et ad Apostolos velut ad Ecclesiae Presbyterium* i. e. tamquam ad doctrinam eorum, qui primi Ecclesiam fundaverunt; *sed et Prophetas diligamus; nam et ipsi evangelium annunciarunt, et in Christum speraverunt, ipsumque expectarunt; in quo credentes salutem consequuti sunt, quum in unitate Jesu Christi sancti essent, et amore et admiratione digni*" (Philad. c. 5. med.). Bonum est Vetus Testamentum, melius Novum Foedus: „*Dilecti namque Prophetae annunciaverunt in ipsum, Evangelium vero perfectio est incorruptionis... Omnia in universum bona sunt, modo in caritate credideritis*" (ibid. c. 9. ad fin.).

b. De Deo uno et trino.

§. 57. Loca sunt satis clara, quae de sacrosancta Trinitate agunt. „*Unus Deus est,*" (Magn. c. 8. ad fin.) .. „*Deus humanitus manifestatus in novitatem vitae aeternae*" (Ephes. c. 19. ad fin.).. „*Studete igitur*, ait, *confirmari in dogmatibus Domini et Apostolorum, ut omnia vobis succedant carne et spiritu, fide et caritate, in Filio, Patre et Spiritu Sancto*".. Dein paucis inter-

1) Nath. *Lardneri* Glaubwürdigkeit der evangel. Geschichte (Berol. 1749. V. 4.) P. 2. Vol. I. p. 112—133.

jectis addit: „*Subjecti este Episcopo et vobis mutuo, ut Jesus Christus Patri secundum carnem, et Apostoli Christo et Patri et Spiritui*“ (Magn. c. 13.).. Et rursus alibi: „*Praeparati in Dei Patris aedificium, sublati in altum per crucem Jesu Christi, Spiritu sancto tanquam fune utentes*... *jam vos omnes congregati este, Deiferi*,.. *Christiferi, Sanctiferi*“ (Ephes. c. 9.).

c. De Christi Dei incarnatione, passione et resurrectione.

§. 58. Quod *Jesus Christus* Filius Dei, *Deus* verus, coeternus Patri, vere *Homo* factus, passus, mortuus et a mortuis suscitatus, humani generis *Redemtor* atque omnium una *Salus*, unus apud Patrem *Mediator* sit; en, quam id luculenter declaraverit Noster dicens: „*Unum esse Deum, qui se ipsum manifestavit per Christum Filium suum, qui est Verbum ejus aeternum, non a silentio procedens, qui in omnibus ei, qui misit ipsum, complacuit*“ (Magn. c. 8. in fin.) . . „*Qui ante omnia Secula apud Patrem erat, postremo vero apparuit* (ibid. c. 6. med.);.. *qui invisibilis, propter nos visibilis; impatibilis, nostra causa patibilis* (Polycarp. c. 3. in fin.).. *factus et non factus, in homine existens Deus, in morte vita vera, et ex Maria et ex Deo natus* (Ephes. c. 7. ad fin.) . . *secundum carnem quidem ex genere David, Filius Hominis;* idem vero *et Filius Dei* (Ib. c. 20. c. med.) . . *Deus noster J. Chr. in utero gestatus a Virgine ex Spiritu Sancto* (ib. c. 18. ad fin.); . . *vere natus ex virgine, baptizatus a Joanne, sub Pontio Pilato et Herode tetrarcha clavis confixus pro nobis* (Smyrn. c. 1. med.),.. *et vere crucifixus et mortuus est in conspectu coelestium, terrestrium et infernorum, et vere resurrexit a mortuis resuscitatus a Patre*“ (Trall. c. 9. med.).. „*Ego enim et post resurrectionem eum in carne novi et credo esse*“ (Smyrn. c. 3. pr.). Atque „*omnia hic passus propter nos, ut salutem consequamur*“ (ibid. c. 2. init.) Hic Salvator noster, „*Medicus hic*

unus est et carnalis et spiritualis" = Homo-Deus (Ephes. c. 7. med.) „*Ipse Janua Patris, per quam ingrediuntur Abraham, Isaac et Jacob et Prophetae et Apostoli atque Ecclesia . . omnia haec ad unitatem Dei*" (Philad. c. 9. med.).

d. De sacramento Eucharistiae.

§. 59. „*Una Eucharistia utamini; una enim caro est Domini nostri Jesu Christi et unus calix in unitatem sanguinis ipsius, unum et altare*"; una nempe mensa, in qua Christus immolatur, (Philadelph. c. 4. init.) .. „*Nisi quis intra altare sit, privatur Dei pane*" (Eph. c. 5. med.). Haeretici, ait, ab Eucharistia abstinent, quoniam non confitentur „*eam carnem esse Jesu Christi Servatoris nostri, quae pro peccatis nostris passa est, quam Pater benignitate sua suscitavit*" (Smyrn. c. 7. init.) In hac communione passionis et resurrectionis Domini nostri, cujus in Eucharistia memoriam recolimus, spes posita est *nostrae* quoque resurrectionis; nam „*Et nos, ipsi credentes, ita resuscitabit Pater in Christo Jesu, sine quo veram vitam non habemus*" (Trall. c. 9. fin.) — Hujus igitur divinos Eucharistiae *effectus* his paucis exprimit: „*Obediamus Episcopo et Presbyterio mente indivulsa, frangentes panem unum, qui pharmacum immortalitatis est, antidotum ne moriamur, sed vivamus in Jesu Christo in aeternum*" (Ephes. c. 20. in fin.).

e. De unitate Ecclesiae et divina Hierarchia.

§. 60. Veram Ecclesiam esse *unam* duntaxat et *catholicam* et *incorruptibilem* atque ea potestate praeditam, ut *Episcopi Presbyteris majores* sint, *hi vero Diaconis*, aperte docet. „*Clamavi et locutus sum magna voce, voce Dei: Episcopo attendite et Presbyterio et Diaconis*" (Philad. c. 7. init.; cf. Polyc. c. 6. init.) . . *Non licet sine Episcopo* quidquam facere, *neque baptizare neque Agapen celebrare, sed quodcunque ille probaverit, hoc beneplacitum est Deo*" (Smyrn. c. 8. in fin.).

„Quemadmodum enim Dominus sine Patre nihil fecit, ipsi totus unitus; ita et nec vos sine Episcopo et Presbyteris quidquam agite . . . Unus est Jesus Christus, quo nihil praestantius. Omnes igitur velut in unum templum *Dei concurrite, velut ad* unum altare, *velut ad* unum Jesum Christum, *qui ab uno Patre procedit, et in uno existit, et in unum revertitur“* (Magn. c. 7.) . . *„Quicunque igitur Dei sunt et Jesu Christi, hi sunt cum Episcopo“* (Philad. c. 3. med.) . . *„Qui intra altare est, mundus est; qui sine Episcopo et Presbyterio et Diaconis quidquam agit, is non est mundus in conscientia sua“* (Trall. c. 7.). *„Hoc igitur sit vestrum studium, in Dei concordia omnia agere* Episcopo praesidente *Dei loco, et* Presbyteris loco Senatus apostolici, *et* Diaconis, quibus commissum est ministerium Jesu Christi“ (Magn. c. 3. init., Smyrn. c. 8.). *„Sine his* Ecclesia *non vocatur“* (Trall. c. 3. med.). Ubi vero Episcopus cum clero suo, ibi et Ecclesia. *„Ubi apparuerit Episcopus, ibi et multitudo sit, quemadmodum ubi fuerit Jesus Christus, ibi* catholica ecclesia“ (Smyrn. c. 8. in med.). Atque *„unio haec perfecta sit, et* carnalis et spiritualis“ (Magn. c. 13. fin.); *„quia nequaquam Episcopum hunc quis fallit, quem videmus, sed illudit* invisibili Deo, *omnium Episcopo“* (ibid. c. 3. ad fin.). *„Bene habet, Deum et Episcopum respicere. Qui honorat Episcopum, a Deo honoratus est“* (Smyrn. c. 9. ad princ.). *„Ubi autem divisio, ibi Deus non habitat* (Philad. c. 8. pr.). *„Si quis igitur* Schismaticum *sectatur, regni Dei haereditatem non consequitur; si quis in* haeretica *doctrina ambulat, is passioni Christi non consentit“* (ib. c. 3. in fin.). Omnium autem Ecclesiarum centrum unitatis est *„*Ecclesia quae Roma praesidet, praesidium tenens confoederationis christianae“ (Ep. ad Rom. in inscript.).

2. Observationes morales.

a. Admonitiones generales.

§. 61. Multa sunt et praeclara, quae S. Ignatius fidelibus commendat; eorum pauca paucis duntaxat attigisse sufficiat. „*Decet vos*, ait, *non modo vocari Christianos sed etiam esse*“ (Magn. c. 4. pr.). „*Nemo vestrum desertor inveniatur! .. Baptismus vester maneat, sit vobis tanquam telum, fides ut galea, caritas ut hasta, patientia ut tota armatura .. Longanimes estote alter erga alterum in mansuetudine, ut Deus erga vos*“ (Polyc. c. 6. med.). „*Mansuetudinem adsumentes recreate vosmet ipsos in fide, quae est caro Domini, et in caritate, quae est sanguis Jesu Christi .. Nullus vestrum adversus proximum aliquid habeat*“ (Trall. c. 8. med.). „*Obsecro vos — non ego sed caritas Jesu Christi — ut solo christiano alimento utamini; ab aliena autem herba abstineatis, quae est haeresis*“ (ibid. c. 6.) .. „*Carnem vestram ut templum Dei custodite; unitatem amate; dissidia fugite; imitatores este Jesu Christi sicut et ipe Patris ipsius*“ (Philad. c. 7. fin.). „*Omnia ad honorem Dei fiant*“ (ad Polyc. c. 5. in fin.).

b. Speciales.

aa. De Fide et Caritate.

§. 62. „*Fides subvectrix vestra, caritas vero via est, quae ducit ad Deum*“ (Ephes. c. 9. med.). „Fides et caritas *principium et finis vitae sunt; principium vitae fides, finis autem caritas. Haec autem duo in unum coëuntia Dei sunt; omnia alia, quae ad probitatem pertinent, his consectanea sunt. Nemo, qui fidem repromittit, peccat; neque odit, qui caritatem habet. Ex fructibus cognoscitur arbor; similiter qui Christum profitentur, ex iis, quae faciunt, cernuntur; non enim jam in promissione* positum est, *sed in virtute fidei* contingit, *si quis inveniatur* perseverans *usque ad finem*“ (Eph. c. 14.).

bb. De publicae orationis virtute et utilitate.

§. 63. Etiam atque etiam hortatur sanctus Martyr, ut *communiter* fiant fidelium preces, addens caussas dignissimas memoratu. „*Si enim*, ait, *unius et alterius precatio tantas vires habet, quanto magis ea, quae Episcopi est et totius Ecclesiae. Qui igitur ad idipsum non conveniunt, hi jam superbia elati se ipsos separaverunt*“ (Ephes. c. 5. c. med.).. „*Vos singuli autem chorus este, ut consoni per concordiam.. cantetis voce una per Jesum Christum Patri, quo et vos audiat, et agnoscat ex iis, quae operamini, membra esse vos Filii ipsius*“ (ibid. c. 4. c. med.). „*Date igitur operam, ut crebrius congregemini ad gratiarum actionem et glorificationem Dei. Quando enim saepius in unum convenitis, labefactantur vires Satanae, et concordia vestrae fidei solvitur exitium, quod ille infert*“ (ib. c. 13.).

cc. De Virginitate et Matrimonio.

§. 64. Optime habet, si quis *coelebs* manere velit, sed caveat ab inani gloria. „*Si quis potest in castitate manere ad honorem carnis Dominicae, in humilitate maneat; si vero glorietur, periit*“.. Si *nuptias* velint contrahere, id adnuente Episcopo faciant Sponsi. „*Sponsi vero et Sponsae de sententia Episcopi conjugium faciant, quo nuptiae sint secundum Dominum, non secundum cupiditatem*“... „*Sororibus meis dicito, ut Dominum ament, et maritis suis contentae sint carne et spiritu... Manda fratribus meis in nomine Jesu Christi, diligant uxores suas sicut Dominus Ecclesiam*“ (ad Polycarp. c. 5.).

V.

Anonymus vir Apostolicus,

auctor

Epistolae ad Diognetum.

A. Animadversiones criticae.

1. De Auctoris persona.

§. 65. Antiquiores VV. DD. ad unum omnes epistolam praestantissimam *ad Diognetum* inscriptam *S. Justino Martyri* tribuerunt, usque adeo donec Seb. *Tillemontius* [1]) auctorem ejus multo *antiquiorem Justino* esse primus existimavit. *Tillemontii* sententiam secuti sunt Nic. *Nourrius* [2]), Casim. *Oudinus* [3]), Jo. Phil. *Baraterius* [4]), J. Augustinus *Orsi* Cardinalis [5]), Andr. *Gallandius* [6]), Gottfr. *Lumper* [7]), Ge. *Boehl* [8]), G. D. a *Grossheim* [9]), C. Jos. *Hefele* [10]), J. A. *Moehler* [11]), alii. *Argumenta* autem, quae ad suam sententiam adstruendam proferunt, potissimum haec sunt: *S. Justinus* martyr nemine Apostolorum *immediate* magistro suo usus

1) Memoires eccl. (§. 16. not. 3.) T. II. p. 493. n. 1.

2) Apparat. ad Biblioth. (§. 9. n. 3.) T. I. p, 445. sqq.

3) Commentar. *de Scriptoribus eccl. antiqq. eorumque Scriptis* etc. c. multis dissertatt. (Lipsiae 1722. III. fol.) T. I. p. 212.

4) *Disquisitio chronologica de Successione antiqq. Episcopp. Romanorum* (Ultraject. 1740. 4.) c. 6. §. 4. p. 76. sq.

5) *Storia eccl.* (Rom. 1748—1762. XX. 4.) T. I. p. 378—382.

6) Biblioth. vett. PP. (§. 5. in fin.) T. I. Prolegg. p. LXVIII.

7) Hist. theol.-crit. (§. 8. not. 4.) T. I. p. 183. sqq.

8) *Opuscula Patrum selecta,* cum Praef. A. *Neander*. (Berolin. 1826—1828. II. 8.) T. I. p. 109.

9) *De epistola ad Diognetum*, quae fertur Justini martyris. Lips. 1828. 4.

10) Opp. PP. apost. (§. 5. in fin.) Prolegg. V. p. XIX. sq.

11) Patrologie (§. 36. med. c. n. 6.) T. I. p. 164. sqq.

fuisse videtur; idem de christiana religione, cum eam amplecteretur, non potuit tanquam de *novissima et tunc demum orta* dicere. Accedit, quod *librorum V. T. divinitatem* Justinus maxime veneratur, ad eam *saepissime* provocans, et cum Tryphone *perquam caute* de Judaeorum legibus et observantiis verba faciens. Denique quod ad *dicendi genus* attinet, stylum Justinus servat *parum cultum*, intricata nonnunquam et impedita verborum constructione utitur, scriptorum nexum et consequentiam non raro negligit. Econtra *auctor hujus nostrae epistolae*, quisquis est, *discipulum Apostolorum* se esse ipse praedicat (Ep. ad Diognet. c. 11.), et Christianos *novum genus* hominum appellat (ibid. c. 1., cf. c. 2. 9. 11.); porro *nullum* is e libris *V. T. locum* adfert; legem *Mosaicam* adeo parum curat, ut Judaeorum inde superstitiones acriter perstringat (ibid. c. 9.); et, si sermonis indolem respicias, *simplicem* ac *perspicuam dictionem*, *expeditam* simul et *integram verborum constructionem*, miramque *singulorum connexionem* animadvertes.

§. 66. Ex his aliisque colligitur, auctorem epistolae *Justino antiquiorem*, et probabilius *Apostolicum esse virum*, quod de se ipse profitetur. *Quisnam* autem ille fuerit, omnino incompertum est. *Baraterius* (l. l. §. 5. p. 77.) *S. Clementem Romanum*, *Gallandius* (l. l. p. LXVIII.) et *Lumperus* (l. l. p. 189. 190.) *Apollo*, virum toties in SS. Scripturis commemoratum [1]) conjiciunt auctorem. Sed firmioribus, ut mihi quidem videtur, argumentis destituti sunt. Imo alia duplex ratio me movet, ut paulo his *posteriorem* aliquem Scriptorem putem (cf. §. 67.). Quis porro *Diognetus* ille fuerit, ad quem epistola directa est, pariter ambigitur; plures enim hoc nomine insignitos esse apud graecos tunc temporis Nobiles, notum est. [2]) *Illustrem* eum fuisse virum, *qui magno christianae*

---

1) Act. Apost. XVIII. 24—28.; I. Cor. I, 12., III, 4. 6., XVI, 12.; Tit. III, 13.

2) Cf. Jo. Alb. *Fabricii* Biblioth. Graeca (Hamburg. 1705—1728. XIV. 4. Ed. nov. Harles. ib. 1790—1809. XII. 4.) T. II. p. 226.

religionis cognoscendae desiderio flagrabat, ex ipsa epistola (c. 1.) observatur. Nonnulli Diognetum *eundem* opinantur esse, quem apud Marcum Aurel. Antoninum plurimum valuisse testatur *Capitolinus* [8]); sed magis placet eorum sententia, qui nostrum Diognetum ideoque consequente retiam *auctorem epistolae* temporibus Apostolorum *propius* accedere arbitrantur.

2. De tempore, quo epistola scripta sit.

§. 67. Sunt, qui epistolam esse exaratam c. a. 66 aut paulo postea conjiciant ex eo, quod de Judaeis verba faciens Anonymus ita exponat, ut eo tempore, quo scribebat, *cultus Judaicus adhuc viguisse* oportuerit. Sed hi mihi videnter conjecturae suae nimium indulgere. Locus autem, ad quem provocant, is est: „*Judaei*, .. *qui per sanguinem et nidorem et holocausta facere se Deo sacrificia putant, nihil mihi differre videntur ab iis, qui sensu carentia eodem honore studiose prosequuntur*“ (c. 3. in fin.); et statim deinde: „*Eorum autem circa cibos meticulosam cautionem et superstitionem circa sabbata, et jactantiam de circumcisione, et quae de jejunio ac noviluniis simulant, quae ridicula sunt et relatu indigna, te a me discere necesse habere non arbitror*“ (c. 4. princ.). Quae si diligentius perpenderis, nescio an quidquam inde certi possit evinci. *Judaicum* enim cultum cum *gentili* et *christiano* comparans, ita sane loqui *debebat*, *etiamsi tunc temporis templum Hierosolymitanum jam fuisset destructum*, quia scilicet Judaei Sacrificia *ad tempus* quidem interruptum plorabant, nihilovero minus sperare potuerunt, fore ut pristinus ipsis restitueretur cultus. Adde, quod Diognetus jam *essentiale* istud *discrimen*, quod *Judaeos* inter et *Christianos* intercedit, probe novisse videatur, quae distinctio demum *aliquanto serius* omnino et ubique agnita et observata est. Accedit, quod auctor epistolae *Graecos* aeque

8) Jul. *Capitolini* Vita Antonini Philosophi c. 4.

ac *Judaeos* adversus Christianos pugnasse, *Christianos feris objectos* dicit, et „*eo majorem esse illorum numerum* pronuntiat, *quo plures sunt, qui eos supplicio afficiunt*" (c. 5. fin., c. 7. fin.). Hoc mihi minus apte de sola *Neroniana* persecutione sed etiam de proxime sequentibus intelligendum, et ad *Trajani* illam multo ampliorem potissimum spectare persecutionem videtur, in qua, ut omnes norunt, ob solam Christi professionem *permulti* tum varie cruciati, tum (quod a Scriptoribus singulariter observatur) *feris in amphitheatro belluis objecti* sunt. Hinc rectius *Trajani temporibus c. a.* 116 epistola exarata putatur.

A. Epistolae ad Diognetum

1. Editiones.

§. **68.** Epistolam hanc primus graece cum interpretatione latina et notis in lucem extulit *Henricus Stephanus*, *Paris.* 1592. Ex quo passim inter *Justini Opera* (quia scilicet ejusdem Patris esse putabatur) typis excusa et a Frid. *Sylburgio* gr. et lat. *Heidelberg.* 1593. *fol.*, deinde *Parisiis* 1615. 1636.; *Colon.* 1686.; optime vero a *Prudentio Marano* O. S. B. monacho e congregatione S. Mauri, *Paris.* 1742. *fol.* edita est. Absterso autem falso *Justini* nomine *anonymo viro Apostolico* vindicata haec epistola ad Diognetum cum novis annotationibus recusa est in Andr. *Gallandii* Biblioth. PP. T. I., gr. et lat.; et novissime in C. J. *Hefelii* Opp. PP. Apostol. gr. tantum, p. 125—136.

2. Analysis Epistolae.

§. **69.** *Diognetus, vir* κράτιστος, ut noster ait, homo *gentilis* quidem sed Christianorum virtutes admirans et eorum religionis cognoscendae cupidissimus, auctori nostro *duas* potissimum circa eam *quaestiones* proposuerat, primo *Cur homines christiani et Gentilium et Judaeorum sacra*

aspernentur et novam plane doctrinam amplectantur; secundo *Cur haec religio christiana, si quidem humano generi adeo sit utilis, tam sero introducta fuerit.* Ad haec respondit Noster, et primo quidem docet *Graecorum* seu *Gentilium insaniam*, qui diis manu factis immolent ac divinos exhibeant honores; perstringit deinde *dementiam Judaeorum*, ut qui se sola legis ceremonialis observantia justificationem suam consecuturos esse putent, et Deum verum quidem agnoscant, ita tamen ipsi serviant, ac si eorum servitio indigeat (c. 1—5.). Depingit *candidos Christianorum mores*, insignem eorum tolerantiam et multiplicem, quem ex eorum conversatione universum genus humanum capiat, fructum, „*quod est enim anima in corpore, id in mundo Christiani sunt*" (c. 5—7.). Atque isthaec omnia effectus esse doctrinae, quam profitentur; „*doctrinae*, inquit, *non ab mortali homine, sed ab ipso omnipotenti invisibili Deo . . . coelitus demissae*" . . . „*Rex igitur mittens regem filium misit, misit eum velut Deum, velut Salvatorem, ad homines misit eum.*" Per *hunc* se manifestavit Deus, per *hunc* cognoscitur Deus in fide, et *sine illo* nulla Dei cognitio (c. 7—9.). Deinde, quae sibi videtur, caussam exponit, *cur Redemtor tam sero venerit.* Adeo enim in immensum crescere debebat hominum depravatio, ut, cum sibi *ipsimet* nullum potuissent remedium excogitare, hac miseria sua compulsi auxilium *aliunde* desiderarent, quod illis Deus demum definitio tempore in *proprio Filio suo* impertitus est. Docet, quot et quanta *bona* Diogneto affluant, si fidem suscipiat. Quae sibi, *Apostolorum discipulo*, tradita sint, ea nunc a se aliis subministranda esse. Hominum autem permagni interesse, ut *veram* cognitionem religionis percipiant, eam enim cum *vera vita* conjunctam esse.

3. Doctrina.

a. *Observationes dogmaticae.*

aa. *De Christo Dei Filio, Deo vero.*

§. 70. Luculentissimum pro *divinitate* filii Dei et Ejusdem cum Patre *consubstantialitate* testimonium epistola nostra continet, *dilectum* eum vocans filium (c. 8. ad fin.), *proprium* ac *unigenitum* Dei Filium (c. 9. med.), *sanctum incomprehensibile Verbum omnipotentis et invisibilis Dei* (c. 7. sub princ.). „*Ipse.. Deus*, ait, *de coelis Veritatem et Verbum sanctum incomprehensibile inter homines collocavit, et in cordibus eorum firmam habere sedem voluit*“.. hinc „*hominibus non ministrum aliquem sive Angelum.. misit, sed ipsum opificem et creatorem omnium,.. misit eum tanquam Rex mittens filium Regem.. ceu Deum misit.. ceu condemnaturum*“ (c. 7.). „*Verbum misit, ut a mundo conspiceretur; qui a populo suo contemtus, Apostolorum praeconio promulgatus, a gentibus est creditus.*“ Et paulo supra: „*Hic ab initio erat, qui novus apparuit, et* (in carne) *inventus, et in Sanctorum cordibus usque nascens. Hic aeternus hodie Filius habitus est, per quem Ecclesia ditatur*“ (c. 11. med.).

bb. *De Christi satisfactione et justificatione nostra.*

§. 71. Inprimis autem praeclara est Anonymi nostri expositio de *Christi satisfactione* et *justificatione* nostra. „*Ubi venit tempus*, ait, *quod Deus ad revelandam benignitatem suam praedestinaverat,.. ipse peccata nostra suscepit, proprium ipse Filium pretium redemtionis pro nobis dedit, Sanctum pro peccatoribus, Bonum pro malis, Justum pro injustis, Immortalem pro mortalibus. Quid enim aliud potuit peccata nostra tegere, quam ejus justitia? In quo alio nos iniqui et impii justificari possumus, nisi in solo Dei Filio? O dulcem permutationem! O impervestigabile artificium! O beneficia omnem exspectationem superantia! Ut iniquitas multorum

in justo uno abscondatur, justitia autem unius faciat, ut multi injusti justificentur!" (c. 9. med.) De hac justificatione autem quam longe alia sit quam mere *imputata*, statuit: *Ipse coelitus.. Verbum sanctum hominibus immisit et in cordibus eorum firmavit*" (c. 7. init.). „*Hoc in Sanctorum cordibus usque nascitur*" (c. 11. med.) Ideoque *fidem* a *caritate* separatam non posse cogitari judicat. „*Si enim cognoveris eum, quo quanto putas te impleri gaudio! quanto opere eum diliges, qui prior adeo te dilexit! Si autem dilexeris eum, bonitatem ejus imitaberis. Noli vero mirari, posse hominem imitatorem esse Dei, Potest esse eo volente... Qui proximi onus in se recipit; qui, qua in re superior est, alium inferiorem beneficio vult afficere,... is Dei est imitator*" (c. 10. in med.).

cc. *De Christi infallibili in Ecclesia assistentia.*

§. 72. Regulam autem fidei dicit *traditionem*, qualem acceperunt Apostoli ex ore incarnati Dei, qualis eadem in Ecclesia a Patribus propagata est. „*Λόγος, qui semper hodie Filius Dei creditur, ille per quem Ecclesia ditatur; per quem gratia in Sanctis augumentatur; qui intelligentiam praebet, mysteria revelat;.., de Sanctis gaudet.. Hinc charisma Prophetarum cognoscitur, Scripturarum fides stabilitur, Traditio Apolorum custoditur. Hinc gratia Ecclesiae exsultat*" (c. 11. med. et fin.).

b. Observationes morales.

§. 73. Cum nimis longum sit, singula quae huc spectant effata recensere, audi sis pulcherrimum, quod fidelibus tunc temporis tribuit, elogium. Est enim quasi *enumeratio virtutum*, quibus antiquissimi praecelluerunt Christiani. „*Omnia*, inquit, *cum aliis communia habent, tanquam cives, et omnia patiuntur velut peregrini. Omnis peregrina regio patria est eorum, et omnis patria peregrina... In carne sunt, sed non secundum carnem vivunt. In terra degunt, sed in coelo civitatem suam ha-*

bent. Obsequuntur legibus, quae sancitae sunt, et suo vitae genere leges superant. Amant omnes, et omnes illos persequuntur. Mendici sunt, et multos ditant; rebus cunctis indigent, et cuncta illis redundant. Dedecorantur, et inter dedecora gloria afficiuntur; laceratur eorum fama, et justitiae eorum testimonium perhibetur.. Cum se gerunt ut probos decet, tanquam improbi puniuntur; dum puniuntur, gaudent, tanquam vivificentur" (c. 5. med.). Plura sitiens ipsum fontem adeat.

VI.

S. Papias, Episcopus Hierapolitanus.

A. Vita.

§. 74. *S. Papias, Joannis Apostoli et Evangelistae auditor* et *Polycarpi Smyrnensis familiaris* [1]), *Ecclesiae quae est Hierapoli* in Phrygia minore *Episcopus* fuit. [2]) Sunt quidem, qui ex ipso fragmento Papiano per Eusebium servato conjiciunt, eum *presbyteri* Joannis, *non Apostoli discipulum* fuisse, et in his post ipsum *Eusebium* [3]) Caesar. *Baronius*, Claud. *Fleurius*, et praesertim Rem. *Ceillier* [4]), quem secutus est Vit. Ant. *Winter.* [5]) Verum Eusebii argumentum minus probat, cum praecipue ipse alibi contrariam sententiam satis innuit. [6]) Neque scio, an tantum auctoritati illius detulis-

1) *S. Irenaeus* adv. Haeres. V, 33. §. 4., ed. Massuet. p. 333.; — *Eusebius* in Chronic. ad a. 2116.; — *S. Hieronym.* Fpist. 76 ad Theodoram §. 3., ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 581.

2) *Euseb.* l. l.; *Idem* in Hist. eccl. III, 36., ed. laud. T. I. p. 202. nr. 1.

3) Hist. eccl. III, 39., ed. laud. p. 210. nr. 2.

4) Histoire générale (§. 8. not. 3.) T. I. p. 683. sq.

5) Patrologie p. 245. — Idem sibi persuasum habere videnter *Locherer et Annegarn.*

6) *Euseb.* in Chronic. l. l.

sent *Justinus*, *Athenagoras*, *Irenaeus*, aliique opinionem ejus de chiliasmo secuti, nisi habuissent *certum atque plane exploratum*, eum sub *Apostoli cujuspiam* disciplina adolevisse. Itaque *alteram Eusebii* sententiam, cui assentit etiam *S. Hieronymus*, tuendam putant VV. DD. *Grabe* [7], *Tillemont* [8], *Dupin* [9], *Orsi* [10], *Lumper* [11], *Wiest* [12], *Busse* [13], *Moehler* [14]. De ceteris ejus vitae fatis nihil liquet, nisi quod *vir magna fama et celebritate fuit* [15], et *Traditiones* ab Apostolorum discipulis acceptas, *diligentissime conservavit.* [16]) Mortuus est *c. a.* 120 p. Chr. [17]. *Martyrio* eum coronatum dicit Steph. *Gobar* [18], et auctor *Chronici Paschalis* [19]) eodem cum S. Polycarpo tempore cum multis aliis Pergami mar-

---

7) Jo. Ern. *Grabii* (Regiomontani, in Anglia vitam privatam degentis) *Specilegium SS. PP. ut et Haereticorum I., II. et III. seculi* (Oxon. 1698—99. II. 8. Ed. II. ib. 1714. II. 8.) T. II. p. 27.

8) Memoires eccles. (§. 16. not. 3.) T. II. p. 620. n. 1.

9) *Du Pin.* Biblioth. Scriptt. eccl. (Colon. Agripp. 1703. III. 4.) T. I. p. 81.

10) Storia eccles. (§. 65. not. 5.) T. II. p. 74.

11) Hist. theol.-crit. (§. 8. n. 4.) T. I. p. 360—365.

12) Steph. *Wiest* (Ord. Cisterc., Theol. Prof. Ingolstad.) *Institutiones Patrolog.* (Ingolst. 1795. 8.) p. 107. §. 46.

13) Jo. Bern. Jos. *Busse* (Theol. Facult. Braunsberg. Prof.) Grundriß der christl. Literatur Münster 1828. 29. II. 8.) T. I. p. 4. §. 6.

14) Patrologie (§. 36. med. c. not. 6.) T. I. p. 175. 176.

15) *Euseb.* Hist. eccl. III, 36. p. 202.

16) Ipse *Papias* in fragm. ap. *Euseb.* H. Eccl. III, 39.

17) „*Joannem Apostolum usque ad Trajani tempora Irenaeus permanisisse scribit, post quem auditores Ejusdem insignes fuerunt Papias Hierapolitanus et Polycarpus Smyrnaeus et Ignatius Antiochenus.*" *Euseb.* Chronic. ad a. 2116. — „*Papias Polycarpi contubernalis.*" *Irenaeus* adv. Haeres. V, 33.

18) ap. *Photium* in Biblioth. CCXXXII. Quae Petrus *Halloix* inde in notis ad Vitam Papiae c. 3., ex Actis *Onesimi* a *Simeone Metaphraste* descriptis apud *Surium* refert, tota sunt erronea. Cf. Actt. SS. *Bollandi* ad d. 16. Febr.

19) *Chron. Paschale* vulgo Alexandrinum appell. (ed. Car. *du Fresne* du Cange, Paris. 1688.) ad ann. 133.

tyrium subiisse ex traditione refert. Sed utraque narratio, antiquiorum virorum testimoniis destituta, parum fidei meretur.

B. Scripta
nunc fere deperdita.

§. 75. S. *Irenaeo*, *Eusebio*, *Hieronymo* testantibus [1]) *Expositionem Sermonum Domini* quinque libris contentum exaraverat. Exstitit hoc opus ad seculum usque *decimum tertium*, ut ex Codice c. a. 1218 *manuscripto* et cura *Hugonis Menardi Maurini monachi* typis expresso [2]) erudimur. Nunc autem *nonnisi Fragmenta* supersunt, quae exhibet Andr. *Gallandii Bibliotheca PP.* (§. 5. in fin.) *T. I. col.* 316—420. Et in *primo* quidem fragmento [3]) dicit auctor, *quam sollicitus* (imo incuriosior et nimis credulus!) *Apostolicarum traditionum investigator ac perscrutator fuerit.* In *secundo* [4]) duo enarrat *miracula*, quae *a filiabus Philippi Apostoli* Hierapoli degentibus se comperisse ait. *Tertium* [5]) fragmentum traditiones *de Evangeliis Matthaei et Marci* refert. Dicit Papias, *Marcum Petri fuisse interpretem*, et quaecunque memoriae mandaverat ex ore Apostoli percepta, diligenter perscripsisse. „*Non tamen secundum ordinem pertexit, quae a Domino dicta aut gesta fuerant; neque enim ipse Dominum audiverat aut sectatus fuerat unquam, sed cum Petro postea versatus ... nonnulla ita scripsit, prout ipse memoria repetebat.*" *Matthaei* autem evangelium *hebraico*

---

1) *S. Irenaeus* adv. Haeres. V, 33.; ed. Massuet. p. 333.; — *Euseb.* Hist. eccl. III. 39., ed. Zimmerm. T. I. p. 210. nr. 1. — *S. Hieronym.* de vir. illustr. c. 18., in Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 108. sq.

2) in *Ejusd.* Hist. civ. eccles. et liter. de Nisme. Paris. 1750. 4.

3) ap. *Eusebium* in Hist. eccl. III, 39., nr. 2.

4) ap. *Euseb.* l. l.

5) ap. *Euseb.* l. l.

primum sermone scriptum et exinde in *graecam* linguam fuisse translatum perhibet. In *quarto* fragmento [6]) opinionem de *millenario Christi regno* propugnat. In *quinto* [7]) refert, *Angelos* aliquot, quibus Deus orbis regendi curam commiserat, munere suo *non rite functos* esse. Fragmentum *sextum* [8]) *quatuor*, quae in Evangeliis commemorantur, *Marias* (Mariam matrem Domini; Mariam Cleophae uxorem et matrem Jacobi, Simonis et Thaddaei; Mariam Salome uxorem Zebedaei; et Mariam Magdalenam) *accuratius discernit*. *Septimum* fragmentum [9]) *de morte Judae proditoris* singularem exhibet traditionem, quae a narratione biblica vulgata differt, sed a vero plurimum videtur abhorrere.

§. 76. Ex huc usque recensitis S. Papiae opinionibus, ut mihi videtur, satis apparet, simplicem eum uisse et *mediocris ingenii virum* [1]), qui audire et narrare miracula delectabatur. Et quum ex omnibus, ut ipse ait, sciscitaretur, et ad credendum, quidquid illi narrabatur, proclivis esset, non miraberis, si *errores quoque* pro Apostolorum sententiis disseminaverit, et historias fictitias retulerit tanquam veras. Utut igitur „*magna fama et celebritate fuit* tanquam *vir plane cum omnium aliarum scientia disertissimus, tum cognitionis ss. Literarum non ignarus*“ [2]); tamen recte *Dupinus* [3]): „*Periculosum est*, inquit, *leviter credere, avideque amplecti, quidquid habet pietatis umbram.*“ Et *Moehlerus* noster p. m. Vir clarissimus bene monet, *magnam pietatem non sufficere ad detegenda, quae vera sint, in rebus religiosis.* [4])

6) *S. Irenaeus* adv. Haeres. V. 33., p. 333.

7) in *Andreae* Caesareensis in Capadocia episcopi Commentario in Apocalypsin. c. 34. p. 67.

8) in *Grabe* Specilegio PP. (§. 74. not. 7.) T. I. p. 331.

9) Cf. *Oecumenii* Episcopi Triccensis in Thessalon. Commentar. in Acta Apost. c. 2.; item *Theophylacti* Achridis in Bulgaria Episcopi Commentarii in Actt. Apostt. ad c. I. v. 18.

1) *Euseb.* Hist. eccl. III, 39., ed. Zimmerm. T. I. p. 213. nr. 6.

2) *Idem* eod. c. 35., p. 202. nr. 1.

3) *Dupin* (§. 74. not. 9.) p. 81.

4) *Moehler* l. l. T. I. p. 178.

VII.

S. Quadratus Episcopus Atheniensis.

A. Vita.

§. VV. *S. Quadratus*, *Apostolorum discipulus*[1]), vir *prophetica* quoque *gratia clarus*[2]), *Publio martyri in ecclesia Atheniensi successit Episcopus.*[3]) Adnumeratur iis „*qui inter Apostolorum successores principem obtinentes locum*, *utpote discipuli tantorum virorum admirabiles plane ac divini*, *Ecclesiarum fundamenta* apostolica . . *additis aedificiis exstruxerunt*, *praedicationem Evangelii magis promoventes*, *et salutaria regni coelestis semina per universum terrarum orbem late spargentes*, . . *per quos etiam divini Spiritus vis ac potentia multa miracula etiamnum operabatur.*“[4]) *Ecclesiam Atheniensem* grandi terrore dispersam *fide èt industria sua congregavit*, *et Hadriano imperatori* tunc Eleusina sacra invisenti *porrexit librum pro religione nostra valde utilem*, *plenumque rationis et fidei*, *et Apostolica doctrina dignum*[5]), *qui tantae admirationi omnibus fuit*, *ut persecutionem gravissimam illius excellens sedaret ingenium.*[6]) Obiit vir sanc-

---

1) *S. Hieronym.* de vir. illustr. c. 19., ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 109.

2) *Euseb.* Hist. Eccl. V, 17., ed. Zimmerm. T. I. p. 351. nr. 2.

3) *S. Dionys. Corinth.* apud *Euseb.* H. E. IV. 23.; — *S. Hieronym.* l. l. — Henr. quidem *Valesius*, Philologus Parisiensis, et post eum *Tillemontius* et *Dupinus* Quadratum nostrum Apologetam ab Episcopo Atheniensi *diversum* esse contenderunt; sed hi a VV. DD. *Caveo* (Histor. liter. T. I. p. 52.), *Grabio* (Specileg. PP. T. II. p. 119.), *Fabricio* (Biblioth. graeca T. V. p. 186.); *Lumpero* (Hist. theol.-crit. T. I. p. 375—377.) satis sunt refutati.

4) *Euseb.* H. E. IV, 23., p. 274. nr. 2.

5) *S. Hieron.* de vir. illustr. c. 19., col. 109.

6) *Idem* in Epist. 84 ad Magnum; in *Opp. S. Hieron.* (éd. Venet. 1766. XI, 4. a D. Vallarsio et Sc. Maffeio) T. VIII. p. 705.

tus *c. a.* 130, certe non multo post.[7]) Quae de *martyrio* ejus nonnulli afferunt, ea ad alium pertinent, *juniorem* scilicet et *Magnesiae episcopum* († 250), ut Bollandistae ostendunt.[8])

B. Apologiae ejus fragmentum.

§. 78. Is igitur vir apostolicus *Apologiam* scripsit, eamque unacum altera, quam *Aristides* philosophus Atheniensis eodem tempore composuit, *Sereno Granio legato, viro apprime nobili dedit, qui literas ad imperatorem Hadrianum misit, iniquum esse dicens, clamoribus vulgi innocentium hominum sanguinem concedi, ac sine ullo crimine, nominis tantum et sectae, reos fieri.*[1]) Libellum istum ao. Christi 126 *Hadriano* fuisse oblatum, inter viros doctos dudum constat.[2]) Sed *totus fere periit*, excepto perexiguo fragmento ab *Eusebio*[3]) servato, quo loco Quadratus exponens, quantum Christi miracula ab impostorum prodigiis differant: „*Servatorem nostri*, inquit, *opera semper conspicua erant, vera enim fuerunt. Ii scilicet, qui morbis liberati, aut qui ex morte ad vitam revocati sunt, non solum cum sanabantur, aut dum ad vitam revocabantur, conspecti sunt ab omnibus, sed etiam secuto deinceps tempore. Nec solum quamdiu in terris moratus est Servator noster, verum etiam post ejus discessum diu superstites fuerunt, adeo ut nonnulli eorum etiam ad nostra usque tempora pervenerint.*"

---

7) Anno enim 126, quo Apologiam suam Hadriano obtulerat, ipsum *jam provectae aetatis virum fuisse*, meminit Euseb. H. E. IV. 3.

8) Jo. Bollandi et Sociorum *Actt. SS.* (Antwerp. 1643. sq. LI. f.) ad d. 26. Maji. T. VI. p. 358.

1) *S. Hieron.* Chronic. in Opp. omn. (ed. Venet. 1766. 4.) T. VIII. p. 705.

2) Cf. Jo. *Dallaei* De Scriptis, quae etc. (v. §. 49. not. 7.) Lib. I. c. 13. p. 83.

3) Hist. Eccl. IV, c. 3., ed. Zimmerm. T. I. p. 222. nr. 2.

VIII.

S. Polycarpus Episcopus Smyrnensis, Martyr.

A. Vita s. Martyris.

§. 79. S. *Polycarpus*, Ignatio Martyri fide et animo conjunctissimus, *ab ipsis Apostolis edoctus, et cum multis, qui* Christum *Dominum viderunt, familiariter conversatus* [1]), *a D. Joanne Episcopus Smyrnensis ecclesiae ordinatus est.* [2]) *Exortis de celebratione Paschatis controversiis Romam profectus cum Aniceto Papa* collatis frustra quidem consiliis tamen *in intima communione* cum sede Romana persistens, postquam diu doctrina ac virtute illustravit Ecclesiam, *in ultima senectute summa cum gloria illustre martyrium subiit.* [3]) Etenim *pro fide in Christum imperante Marco Aurelio Antonino sub Statio Quadrato Proconsule vivus crematus* [4]), *et quia corpus ab igne non potuit consumi, mucrone confossus* [5]) obiit ao. probabilius [6]) 167 *p. Chr.*

---

1) *S. Irenaeus* adv. Haeres. III, 3. §. 4., ed. *Massuet.* p. 176, apud *Euseb.* Hist. Eccl. IV, 14., ed. *Zimmerm.* T. I. p. 243.

2) *Tertullian.* de Praescript. Haeret. c. 32., in Ej. Opp. ed. Girardi p. 213.; *S. Hieronym.* De vir. illustr. c. 17., ed. *Maurin.* T. IV, P. II. col. 108.

3) *S. Irenaeus* ap. *Euseb.* Hist. Eccl. V, 24.; ed. laud. T. I. p. 370. nr. 5.; *S. Hieronym.* l. l.

4) *S. Hieron.* ibid.; *Chronic. Pasch.* vulg. Alexandr. (ed. a Car. du Fresne D. du Cange, Paris. 1688.) p. 604.

5) *Epist. Eccl. Smyrn.* de Polycarpi martyrio; vd. §. 262.

6) S. Martyrem *c. a.* 147 martyrio decoratum esse, probare nisi sunt Jo. *Pearsonius*, Cestriensis in Angl-Britannia Episcopus, in Dissertatt. *De serie et successione primorum Romae Episcoporum* (Londini 1687. 4.) Diss. II. c. 14—20., p. 276—310; et Lud. du Four de *Longuerve* in Dissert. *De variis Epochis et anni forma vett. Orientt.* etc. (Lipsiae 1750. 4.) §§. 13—20., p. 17—32. Atque his accesserunt *Cave, Dodwell, Fabricius, Galland, Lumper, Wiest.* Quamvis enim, inquiunt, de persecutione sub Antonino *Pio* grassata nullibi mentio fiat,

B. Polycarpi Scripta.

1. Supposititia.

§. 80. Multa sunt, quae S. Polycarpus *Irenaeo* teste [1]) literis consignavit; sed prope omnia, quod merito dolemus, perierunt. Ex iis autem, quae adhuc sub ejus nomine recensentur, libellus, cui titulus *Doctrina S. Polycarpi*, quem *S. Maximus* [2]) aliique recitant, item *Epistola ad Athenienses* [3]), alia *ad Dionysium Areopagitam* scripta [4]) omnium paene unanimi DD. VV. consensu tanquam spuria rejiciuntur.

2. Dubia.

§. 81. Extant item *fragmenta quinque Respon-*

---

tamen eodem imperatore regnante etiam *Publium* Athenis Episcopum supplicio affectum esse omnibus constat. Sed repugnat illorum virorum sententiae hoc potissimum, quod S. Polycarpus Irenaeo, Eusebio et Hieronymo testibus Romam pervenit sub *Aniceto* Papa; Anicetus autem certe non ante *a.* 157 sedem Romanam obtinuit. Hinc post *Valesium* et *Mazochium* plerique Scriptores recentiores, uti *Hortig, Klein, Ruttenstock, Katerkamp, Ritter, Doellinger, Locherer, Annegarn, Moehler*, S. Polycarpum ao. 167 demum martyrio coronatum adserunt. Verum et haec opinio nova eaque magna, ut mihi videtur, implicata est difficultate. Jam enim ad senectutem supra quam cuiquam credibile est, provectus fuisset S. Martyr. Si quidem enim Polycarpus cum Ignatio intima et *diuturna* amicitia junctus, et tantam illo adhuc superstite auctoritatem in episcopatu adeptus est, ut post obitum S. Ignatii (a. 107) *in omnes Ecclesias Asiae* testante Hieronymo (De vir. ill. c. 17.) *principatum* quendam ac quasi suprematiam exerceret, vir *minimum quinquaginta annorum* tunc fuerit necesse est; atqui sexaginta porro (qui ab ao. 107 usque ad a. 167 intercedunt) superadditis annis senex non minus *decem et centum annorum* factus fuisset.

1) *S. Irenaeus* ap. Euseb. H. E. V. 20., ed. Zimmerm. T. I. p. 361, nr. 4.

2) ap. *Fabricium* in Biblioth. graeca T. V. p. 50.

3) Jo. *Pearsonius* De Scriptt. Ignatii et Polycarpi in Cotelerii PP. Apost. Opp. (ed. Clerici) T. II. p. 184. col. 2.

4) *Lumper* in Hist. theol.-crit. P. I. p. 357.

res Magdeburgenses [1]), *Dallaeus* [2]), alii perpauci epistolam nostram in dubium vocare nitebantur, adeo nihil satis grave habent, ut ea refutare amplius operae pretium non sit, cum praesertim VV. DD. Jo. *Pearsonius* [3]), Guil. *Caveus* [4]) et Nic. *Nurrius* [5]) ejusdem genuinitatem egregiis suis lucubrationibus satis superque tuerentur.

bb. De tempore, quo scripta est.

§. 85. Eam *paulo post martyrium S. Ignatii*, anno igitur 107 *vel* 108 exaratam esse, ex ipsa epistola erudimur; si quidem Polycarpus, quem sanctus ille martyr, Romam quum ad supplicium duceretur, visitaverat [1]), jam petit a Philippensibus edoceri, *si quid de Ignatio ejusque comitantibus certius audierint.* [2])

c. *Analysis epistolae.*

§. 86. Divus Polycarpus in ea *Philippensibus gratulatur*, quod S. Ignatium ejusque comites cum caritate susceperunt, *laudat eorum firmam fidem* (c. 1.) eosque *adhortatur* primum *generatim omnes*, ut in fide ac dilectione maneant (c. 2—4.), dein *singulos* fidelium ordines adloquitur, ut suis quisque officiis fungatur propositis deinceps obligationibus *Conjugatorum*, *Viduarum*, *Juvenum*, *Virginum*, *Diaconorum* (c. 4—7.); addit monita, ut in *Christum* credant *vere incarnatum*, *passum*, *mortuum et a mortuis resuscitatum* (c. 7.); ut *patientiae exempla* imitentur, *opera bona* exerceant, ut abstineant ab avaritia, ut casti sint,

---

1) Centur. II. c. 10.

2) Jo. *Dallaeus* De Scriptis, quae sub Dionysii Areop. et Ignatii nominibus circumferuntur, libri II. (Genev. 1668. 4.) p. 427.

3) *Pearson.* Vindiciae Ignat. P. I. c. 5., in *Cotelerii* PP. Apost. Opp. ed. cit. T. II. p. 183 sqq.

4) *Cave* Hist. liter. T. I. p. 45. sq.

5) *Nourry* Apparatus ad Biblioth. max. PP. Lugdun. T. I. p. 84. 101. 161. sqq.

1) Cf. Martyrium S. Ignatii c. 10.

2) Epist. Polyc. ad Philipp. c. 13.

veraces, vitantes crimina *Valentis* presbyteri cujusdam Philippensis, qui ordine suo indignum se reddiderat (c. 8—12.). Deinde cohortatus eos, ut pro omnibus sanctis *orent*, monet, se *Ignatii* epistolas, quoquot nancisci potuisset, ad eos mittere, et *Crescentem*, per quem has literas dedit, eorum benevolentiae commendat (12—14.).

C. S. Polycarpi Doctrina.

1. Observationes dogmaticae.

a. De s. Scriptura et Traditione.

§. **87.** S. Martyr in epistola hac una superstite ad Philippenses *plerosque fere libros S. Scripturae N. T.* attigit, *Evangelium Matthaei*, *Acta Apostolorum*, *Epistolas S. Pauli* ad Rom., I et II ad Corinth., ad Galatas, ad Ephesios, ad Philipp., I et II ad Thessal., I et II ad Timoth., item I *Petri*, I *Joannis*, nec non *Judae* epistolam. Qui loci omnes exhibentur in *Gallandii* Bibl. SS. PP. T. I. p. 309—314. Neque vero minus *S. Polycarpus*, postquam dixerat, ab haereticis eloquia Domini ad sua traduci desideria, hortatur, *ut ad traditum nobis ab initio sermonem revertamur* (cap. 7.).

b. De Christo Jesu.

aa. Quod sit Homo-Deus.

§. **88.** Christum Dei esse filium, largitorem gratiae et aeternae beatitudinis, his verbis satis innuit: „*Deus et Pater Domini nostri J. Ch. et ipse sempiternus Pontifex Dei filius Jesus Christus aedificet vos in fide et caritate . . et det sortem vobis et partem inter Sanctos suos* (c. 12.). *Omnis, qui non confessus fuerit, Jesum Christum in carne venisse, Antichristus est; et qui non confessus fuerit martyrium crucis, ex diabolo est; et qui eloquia Domini traduxerit ad desideria sua, et resurrectionem et judicium negaverit, hic primogenitus est Satanae*“ (c. 7.).

bb. Justificationis et resurrectionis nostrae Mediator.

§. **89.** „*Gratia*, ait, *salvati estis, non ex operibus sed voluntate Dei per Jesum Christum, qui sustinuit pro peccatis nostris usque ad mortem* (c. 1.).. *Etenim propter nos, ut in ipso vivamus, omnia sustinuit* (c. 8.).. *Et qui suscitavit ipsum a mortuis, et nos suscitabit, si fecerimus ipsius voluntatem* (c. 2.); .. *cui si in hoc seculo placuerimus, recipiemus et futurum; quemadmodum pollicitus est vobis, quod resuscitati a mortuis etiam regnabimus cum eo, si quidem crediderimus*" (c. 5.).

cc. Sedens ad dextram Patris, venturus Judex.

§. **90.** „*Deus dedit ei gloriam et sedem ad dextram suam; cui subjecta sunt omnia coelestia et terrestria, cui omnis spiritus servit; qui venit judex vivorum et mortuorum; cujus sanguinem requiret Deus ab iis, qui non credunt in illum*" (c. 2.).

2. Observationes morales.

§. **91.** „*Aedificamini in fide, quae data est vobis, quae est mater omnium nostrum, subsequente Spe, praecedente caritate in Deum, in Christum et in proximum. In his enim qui ambulat, mandatum justitiae implevit,; nam qui habet caritatem, procul est a peccato*" (c. 3.) .. *Imitatores simus patientiae ipsius* (Jesu Christi); *si patiamur propter nomen ejus, gloria illum afficimus* (c. 8.). *Vincula conveniunt Sanctis, haec enim diademata sunt eorum, qui vere sunt a Deo et Domino nostro electi* (c. 1.) .. *Bonum est separari a desideriis mundi, quia omnis cupiditas militat adversus spiritum* (c. 5.). *Quapropter sobrii simus in orationibus, jejunia tolerantes et supplicationibus petentes omnium perspectorem Dominum, ne nos inducat in tentationem* (c. 7.). Haec et reliqua ejusmodi, quae *generatim* dedit monita (c. 8. 9. 10.), quaeque speciatim tradit *uxoribus et viduatis* (c. 4.) *Diaconis* (c. 5.) et *Presbyteris* (c. 6.) quam sint praeclara, en! ipse advorte, lege, mirare!

Appendix.

Scripta dubiae auctoritatis
vel adeo supposititia.

I.
De Dionysio Areopagita et Episcopo Atheniensi.

1. Vita.

§. 92. *S. Dionysius* teste D. Chrysostomo [1]) patria *Atheniensis* et (si librorum, qui ipsi tribuuntur, revera auctor sit) anno Christi nono natus fuit. [2]) In *Areopagi* Senatum postmodo cooptatus, Asterio testante [3]) illius celeberrimi consessus princeps erat, cum *D. Paulus* stans in medio Areopagi verbum Dei praedicaret, et eum ipsum cum nonnullis aliis ad Christi fidem converteret (Act. Apost. XVII, 33. 34.). Post haec Dionysius primus Atheniensium Episcopus institutus est. [4]) An vero et in *Galliam* subinde venerit, ibique *martyrii* coronam reportaverit, quaestio fuit magnis utrinque litigantium studiis agitata. Launoyus, Sirmondus, Petavius, Puteanus, Morinus, Dupinus, alii Parisiensem Dionysium in seculum III ad Decii aetatem amandant, alii contra, et in his praecipue Natalis Alexander, vere illum Areopagitam cum sociis nonnullis venisse Parisios ibique passum esse contendunt.

---

1) De Sacerdotio Lib. IV. c. 7., in Ej. Opp. omn. ed. *Montfaucon*. T. I. p. 412.

2) *S. Dionysii* Epist. ad Polycarp. §. 2., in Ej. Opp. omn. ed. *Corderii* T. II. p. 91. Ipse enim dicit, se quinque et viginti annis natum in urbe Heliopoli fuisse, dum Christo moriente mirabilis illa solis defectio acciderat.

3) *Asterii* Orat. VIII in SS. Apostt. Petr. et Paul., in *Combefisii* Auctar. nov. (Paris. 1648. f.) T. I. p. 162.

4) S. Dionys. Corinth. apud *Euseb.* in Hist. eccl. Lib. III. c. 4. nr. 4., ed. *Zimmermann*. T. I. p. 188; cf. Lib. IV. c. 23. nr. 2., p. 275.

Nobis nunc citra dubium positum est, utrumque fuisse plane *diversum*. Mortuus est probabilius imperante Domitiano (81—96.).

2. *Scripta Dionysio attributa.*

a. An sint genuina.

§. **93.** Extant in plerisque SS. Patrum Bibliothecis sub nomine Dionysii Areopagitae Liber *de coelesti Hierarchia*, Liber *de Hierarchia ecclesiastica*, Liber *de divinis nominibus*, Liber *de mystica theologia*, item *decem Epistolae* ad diversos, et quatuor quidem priores ad *Cajum therapeuten*, proximas deinde ad *Dorotheum*, ad *Sosipatrum*, ad *Polycarpum*, ad *Demophilum*, ad *Titum*, ad *Joannem Evangelistam*. Alia praeterea *ad Apollophanem philosophum epistola* in nonnullis tantum editionibus adjecta legitur; sed haec certissima evidentis falsitatis indicia praesefert, nec omnino eadem, qua reliqua scripta, manu exarata fuisse videtur. De ceteris autem, quae diximus, monumentis an genuina sint, dubitatur. Neque enim *Dionysius Corinthius*, neque *Irenaeus*, neque *Origenes*, aut *Eusebius*, aut *Athanasius*, aut *Hieronymus*, aut alius quisquam Veterum alicubi ex hujus Dionysii operibus aliquid in medium profert, cum tamen ob dignitatem materiarum, quas tractant, ob praestantiam auctoris, a quo prodierunt, ob satis grande volumen, quod prae se ferebant, optimo jure promererentur commendari. Et haeretici fuere homines, *Severiani* nempe, qui primum publice in collatione *ao.* 532 Constantinopoli cum Orthodoxis habita ad probandos suos errores ad hosce libros provocarunt; quos tamen Catholici confestim in dubium vocarunt, et inter hos *Hypatius*, qui, cum episcopus esset ejusdem Ephesinae ecclesiae, ad cujus primum antistitem, S. Timotheum, illa Dionysiana directa esse feruntur, haec scripta minime ignorare debebat. Instant quidem defensores, jam a *Cyrillo* Alexandrino († 444), *Juvenale* Episc. Hierosolymitano († c. a. 456), *Leontio Byzantino* († c. 620), *Sophronio* Patriarcha Hierosol. († 638), *Maximo* Confessore

(† 662), a Synodo *sexta* oecumenica (ao. 680), et in Occidente a SS. RR. Pontificibus *Gregorio M.* († 604), *Martino I.* († 655), *Agathone* († 683), *Hadriano I.* († 795), *Nicolao I.* († 867) aliisque deinceps scripta illa tanquam genuina agnita fuisse et laudata. Atvero locus iste e libro S. Cyrilli adv. Theodorum Mopsvestenum aperte *mendosus* est; dicit enim de Dionysio *Areopagita* *Corinthiorum episcopo*, confundens in unum duos longe inter se diversos viros, ita ut nihil nos certos reddit, num *Areopagitam* an *Corinthium* Dionysium voluerit Cyrillus allegare. Juvenalis autem parum auctoritatis promeretur, utqui complures alias congessisse fabulas reprehenditur. Sexta porro Synodus forte et hic errore decepta est, cum certe alia quoque, ut omnes norunt, apocrypha in rem suam allegaverit. Reliqui vero Scriptores supra dicti solam *libri doctrinam* adduxerunt, nulla severiore de *auctore* ejus disquisitione habita. Pariter, errore semel inducto, SS. Pontifices Romani supra memorati opinioni *jam multum tunc temporis vulgari* inhaerentes praecise et absque ulteriore indagatione supposuerunt, esse ea Dionysii Areopagitae. Opponunt autem Areopagitici, non posse alium istorum esse auctorem, quam S. Dionysium, si quidem ille se *Pauli discipulum* praedicat, seque *exequiis Deiparae* interfuisse testatur, et suarum epistolarum unam ad *Titum*, alteram ad *Joannem Evangelistam*, dedit, quem conpresbyterum suum appellat. Num haec omnia potuerit mentiri homo, cujus scripta modestiam, gravitatem ac sanctimoniam spirent, nec quidquam vel levitatis vel vanitatis fumum redoleant? Utique vero parem pietatem exhibent non pauca eorum, quae *S. Hormisdas* (c. 3. §§. 29—80. Dist. XV.) respuit; exhibent eandem pietatem *Constitutiones Apostolicae*, exhibent *Pseudo-Isidori Decretales*. Quidni fieri potuit, ut malum opus auctor bono saltem, ut videtur, fine susceperit, et ea aetate susceperit, qua multorum persuasio de piae fraudis honestate fallendi audaciam confirmavit? Sunt autem in illis libris plura alia, quae *suppositionis* notas praeseferunt. *Stylus* turgidus et adfectatus

tempori apostolico non convenit. Quaestiones quaedam sublimes et *curiosae* magis, quam utiles, ab illo pariter abhorrent aevo. Dogmata in his scriptis ex proposito ad natam de iis in Ecclesia controversiam stabilita inveniuntur, e. gr. Filium ejusdem esse cum Patre naturae; unamque in Christo personam et duas naturas confiteri oportere, quae dogmata *ea* plane phrasi exponit auctor, ut haereses *Arianam*, *Nestorianam*, *Eutychianam*, seculis demum quarto et quinto exortas, sibi debellandas sumisse manifestum sit. *Paedobaptismum* ut *antiquam* traditionem defendit, cum tamen ante Dionysium Areopagitam nullus facile Scriptor ecclesiasticus proferri, nec traditio apostolica ejus tempore vetus admodum fuisse dici possit. Porro *ceremonias Baptismi* refert, quae vix jam ab Apostolis in Sacramentorum administratione fuisse adhibitae videantur, imo seculo demum quarto in usum deduci coeperunt. Praeterea de templorum *magnificentia*, de *Monachis* extra urbes degentibus etc. sermo fit. Respondent quidem Areopagitici ad singulas hasce objectiones, sed argumentis minus firmis, quam ut litem dirimant. Sentiat igitur, quod sibi quisque probabilius advertit; mihi quidem, cum bona pace dicam, veritati propinqua magis videtur eorum sententia, qui libros istos *seculo demum quinto* ab *incerto* nunc *auctore* exaratos esse opiniantur. Qui curatiorem hujus controversiae notitiam comparare sibi optant, adeant ipsas doctorum virorum hic illic emissas dissertationes, imprimis *Natalis Alexandri*, *M. Ant. Delrionis*, *Lud. Cozzae*, *Jac. Usseri*, *Phil. Baraterii*, *Cas. Oudini* (vd. Patrolog. nostrae T. I. §. 243. p. 410. sq.) et recentiorum Scriptorum commentationes, *J. G. Vit. Engelhardti* De origine Scriptorum Areopagitt. Erlang. 1822. 4., *L. F. Ott. Baumgarten-Crusii* De Dionysio Areop. Jenae 1823. 4., et *Car. Vogt* Untersuchungen über die angeblichen Schriften Dionys. des Areopagiten, Berol. 1836. 8. — Ceterum haec sub Dionysii nomine evulgata opera, cum plurima ad utilitatem et aedificationem pertinentia contineant,

nequaquam sunt spernenda, unde pauca exscribere equidem non dubitavi.

b. Nonnulla ex (Pseudo-) Dionysii scriptis excerpta.

aa. De Deo uno trino et Christo Filio Dei.

§. **94.** Auctor, quisquis is est, *Deum unum, sanctum, justum, omnipotentem, aeternum etc.* profitetur, multaque admodum subtiliter de Dei attributis disputat. [1]) De sacrosancta autem *Trinitate* primo docet, quae nomina *absoluta* i. e. ratione essentiae, et quae *relativa* i. e. ratione personalitatis Deo competant; operationes divinas *ad extra* (qualis est e. gr. creatio) de tota Trinitate esse praedicandas; distinctionem autem trium *personarum* in solis relationibus fundari, scilicet in *paternitate, filiatione et spiratione*, seu in notionibus *ingeniti, unigeniti, procedentis.* De *Christo Jesu* edisserit, ipsum esse *Deum verum* atque Dei Verbum, Christi autem opera haud esse communia S. Trinitati, eoquod is solus incarnatus sit [2]); eundem *verum esse hominem* profitetur, sed *θεάνθρωπον*; unde actiones ejus item *θεανδρικάς* appellat. [3])

bb. De Sacramentis.

§. **95.** *S. Baptismus* sacramentum dicitur, quo quis vitam spiritualem consequitur, ac Dei filius efficitur. Deinde sacros *baptismi ritus* describens et eorum explicationem adjungens agit *de Patrino* ejusque officio, *de abjuratione infidelitatis, de insufflatione* et solemni *abrenuntiatione Satanae, de fidei professione, de unctione* in forma crucis et terna item *in aquam immersione* cum invocatione Dei trini, *deque iterata unctione*, qua Episcopus Neobaptizatum oleo divinitus sacrato consignat, eumque sacrosanctae Eucharistiae participem declarat. [4]) — *Euchari-*

---

1) De divinis nominibus c. 1. §. 2. 3. 4., in Ej. Opp. omn. ed. *Corderii* T. I. p. 439. sq.

2) ibid. c. 2. §. 1. sqq., p. 489. sq.

3) Epist. IV ad Cajum. T. II. p. 74.

4) De eccles. hierarch. c. 2., T. I. p. 249—261.

stiam Sacramentorum sacramentum et singulariter *Communionem* (*ςυνάξιν*) et ceterorum symbolorum quasi consummationem vocat. *Ritum* autem sacrificandi s. *missam celebrandi* in hunc modum describit: *Pontifex precem sacram ad altare Dei celebraturus ab ejusdem suffitione initium faciens universum circuit chori ambitum, donec rursum ad altare divinum rediens sacrum Psalmorum melos incipit, omni ordine ecclesiastico sacram ipsi psalmodiam succinente. Per ministros deinde SS. Scripturarum lectio recitatur, qua finita sacro ambitu arcentur Catechumeni et cum iis Energumeni ac Poenitentes ... Qui autem in ministrorum ordine primas tenent* (Diaconi) *unacum sacerdotibus divino altari panem sacrum calicemque benedictionis imponunt, ab universa Ecclesiae plenitudine communi symbolo fidei praemisso. Ad haec divinus Pontifex* (Episcopus) *sacram peragit precationem, sanctamque cunctis pacem apprecatur, et tum omnes invicem amplexantur ... Tum lotis aqua manibus Pontificis et Sacerdotum Pontifex divini altaris medio assistit, circumstantibus illi solis ministrorum primoribus una cum sacerdotibus. Porro ubi Pontifex sacrosancta Dei munera collaudavit i. e. hymnum recitavit, divinissima consecrat mysteria, quae etiam celebrata sub symbolis sacrosancte propositis in aspectum ducit, exhibitisque divinorum operum muneribus ad sacrosanctam eorundem communicationem cum ipsemet accedit, tum ceteros invitat, accepta denique dataque divina communione in sacram desinit gratiarum actionem.* [5]) Praeterea *ritus unguenti* seu *S. Chrismatis consecrandi* exponuntur [6]), et *ceremoniae Ordinationis* [7]), et *quinam ordinibus initientur.* [8])

c. Editiones Areopagiticorum.

§. **96.** Initio haec sub Dionysii Areopagitae nomine

5) ibid. c. 3., p. 281—302.
6) ibid. c. 4., p. 329. sq.
7) ibid. c. 5., p. 355—369.
8) ibid. c. 6. p. 384—392.

evulgata opera *latine* tantum prodierunt, et primum quidem e versione *Ambrosii Camaldulensis* cum *Fabri Stapulensis* notis, *Argentorati* 1498; alia deinde ex interpretatione *Marsilii Ficini* ao. 1504 sive *Compluti* (ut habet Dupinus), sive *Alcalae* (referente Ceillierio). Sequebantur deinceps *Parisiana* 1505 ex versione Ambrosii Camaldulensis c. notis Stapulensis, atque rursus ibidem additis commentariis *Clichtovei* 1515; alia ex antiquissima versione *Joannis Scoti Erigenae* adjectis interpretationibus et *Dionysii Carthusiani* notis, *Coloniae* 1546. f.; denique ex nova versione *Joach. Perionii* O. S. B. Monachi, *Argentorati* 1557 ac saepius alibi. — *Graeca* autem antiquissima editio est *Florentina*, quae 1516 cum glossario evulgata est. Sequebantur *Basileensis* 1539, *Coloniensis* 1546, *Parisiensis* (cum S. Maximi et Pachimerii scholiis) 1562, aliae. — *Graece* et *latine* primum prodierunt opera curante *Lansselio* S. J. Presbytero, *Par.* 1715; deinde unacum Pachimerii et S. Maximi commentariis studio *Balth. Corderii* S. J., *Antverp.* 1633. II. f. Novissimam c. Pachimerii paraphrasi et annott. Corderii instructam variisque lectt. et accessionibus auctam editionem curavit *Ge. Constantinus*, *Venet.* 1755. II. f. — *Versionem germanicam* praestat *J. G. Vit. Engelhardt* c. t. Die angeblichen Schriften des Areopagiten Dionysius übersetzt, mit Anmerkungen, Sulzbac. 1824. 8.

II.

De Epistola Presbyterorum et Diaconorum Achajae de martyrio S. Andreae Apostoli.

1. *Epistolae genuinitas probabilis.*

§. 97. Viros eruditos in varias de hujus epistolae auctoritate sententias abiisse, nemo est qui nesciat, dum alii oppugnant, alii defendunt ejus genuinitatem, alii media quasi via incedentes suum hac de re judicium modeste suspendunt, vel interpolationibus passim depravatam esse

contendunt. Inter *defensores Bellarminum*, *Baronium*, *Gandellum*, *Natalem Alexandrum*, *Possevinum*, *Labbeum*, *Woogium*, *Gallandium*, *alios* sane non contemnendae auctoritatis viros habes. Stant autem celeberrimorum item Criticorum non pauci, velut *Dupinus*, *Caveus*, *Vossius*, *Ittigius*, *Ceillierus*, *alii a parte adversa;* ad quos accedit longus Socinianorum et Calvinistarum ordo, qui fidem huic epistolae scilicet eo potissimum nomine denegant, quod in ea *praesentia corporis Christi in Eucharistia* comprobetur. Et hi quidem primo objiciunt, Acta S. Andreae jam a *S. Gelasio* (imo vero Hormisda rejecta [1]), et ab ipso *D. Augustino* tanquam haeretica esse explosa. [2]) Attamen illa, quae proscripsit Hormisdas, Acta S. Andreae *Nexocharidem* et *Leonidem Philosophos* auctores habent; ea vero, quae Augustinus merito rejecit, a *Leucio Manichaeo* conficta fuisse dicit; utraque igitur Acta a nostris, utpote a *Presbyteris et Diaconis Achajae* conscriptis plane diversa sunt. *Tillemontius* [3]) autem et *Ceillierus* [4]) aliique, quos supra commemoravimus auctores, vel omnino *suppositam*, vel male saltem *depravatum* epistolam nostram esse contendunt ob multas easque (ut dicunt) graves *novitatis* notas. Sed isti viri omnes nunquam viderant *textum graecum*, seculo medio demum decimo octavo in Anglia repertum, et a *Chr. Woogio* publici juris factum. Argumenta autem eorum ab ipso Woogio in nova sua editione (§. 98.) et inde brevius a *Lumpero* [5]) ita diluuntur, ut, si non fecisse satis videantur, aliquanto tamen minus dubitationis supersit. Mihi quidem, ne *meam* opinionem reticeam, *longiores* potissimum, quae in hac epistola occurrunt, et *quaesitae digressiones dogmaticae et morales*

1) c. 3. §. 30., Dist. XV, Decret. *Gratian.* ex ed. *Richteri* col. 33.

2) Lib. I contra Adversar. leg. et Proph. c. 39.; in Ej. opp. omn. ed. *Maurin.* T. VIII. col. 579.

3) Memoires eccles. T. I. p. 320. n. 1. 2.

4) Histoire des auteurs eccl. T. I. Sect. III., c. II. Art. III., §. III. (ed. Paris. 1729 sq.) p. 488. sq.

5) Hist. theol.-crit. T. I. p. 210—217.

non levem, fateor, adulterationis suspicionem immittunt. Scriptam esse eam, siquidem vera sit, non ita multo post martyrium Andreae consentaneum videtur, sed ipse annus, quo occubuerit S. Martyr, ignoratur. Alii sub *Domitiano*, alii sub *Vespasiano*, Gallandius *anno c.* 80 B. Apostolum affixum esse cruci arbitratur.

2. *Editiones.*

§. 98. Epistolam hanc primus *latino* idiomate in lucem emisit *Boninus Mombritius* Patricius Mediolanensis in *Vitis Sanctorum* sub finem seculi XV typis exscriptis. Eandem *Aloys. Lipomannus* Episcopus Veronensis in suis *Vitis SS.* (ed. Rom. 1551 sq. VIII. 4.) T. VI., et *Laur. Surius* Carthusianus in *Vitis SS.* (Edit. III. Colon. 1617. VI. f.) T. VI. p. 653 evulgavit. Postea (ut alias editiones taceam) *graece et lat.* prodiit cura et studio *Car. Chr. Woog*, qui textum graecum e codice *Huntingdoniano* Bibliothecae *Bodlejanae* descripsit, et cum nova versione latina et uberioribus annotationibus publici juris fecit *Lipsiae* 1749. Hanc editionem secutus est item *Gallandius* in sua novissima SS. PP. Bibliotheca T. I.

3. *Excerpta quaedam.*

§. 99. Auctores hujus epistolae *SS. Trinitatis* dogma his disertissimis tradunt verbis: *Pax vobis et omnibus, qui credunt in unum Deum, perfectum in trinitate, verum Patrem qui genuit, verum Filium unigenitum, verum Spiritum Sanctum procedentem ex Patre et in Filio permanentem; ut intelligatur, unum esse Spiritum Sanctum in Patre et Filio, et eundem esse unigenitum Filium, qualis est qui genuit eum. Hanc regulam fidei didicimus a S. Andrea Apostolo etc.* 1) Et de *peccato originali* et humani generis *redemtione* praeclare docent: Propterea, quod *ex immaculata terra creatus fuerat primus homo, necesse erat, ut ex immaculata virgine nasce-*

1) Epist. c. 1., in *Galland.* Biblioth. PP. T. I. p. 152.

retur perfectus homo, quo Filius Dei, qui ante condiderat hominem, vitam aeternam, quam perdiderunt homines per Adamum, repararet . . . Primus enim homo per lignum praevaricationis mortem induxit; hinc necesse erat, ut per lignum passionis mors, quae ingressa fuerat, pelleretur. [2]) Alius memorabilis locus is est, ubi de *S. Eucharistiae* sacramento legitur: *Omnipotenti Deo ego omni die vivum offero sacrificium; non thuris quidem fumum, neque taurorum mugientium carnes, nec hircorum sanguinem, sed purum Agnum quotidie in altari crucis Deo offero, cujus carnes postquam credens in Christum populus commedit et sanguinem ejus bibit, immolatus Agnus integer tamen permanet et vivus.* [3])

III.
De Actis SS. Theclae et Pauli.

1. *Vita S. Theclae Virginis et Martyris.*

§. **100.** *S. Thecla Iconii Lycaoniae nobili genere nata* singulari venustate inter virgines emicuit, *variaeque eruditionis et cunctarum artium liberalium comprehensione nemini cessit.* [1]) Haec, quum *primario cuidam civitatis valde diviti, nobilissimo splendidissimoque desponsata jam fuisset, pactas nuptias dissolvit* [2]), postquam a D. Paulo Apostolo in christiana religione instituta et perpetuae virginitatis amore incensa est. Copulam igitur nuptialem fugiens de christiano nomine a sponso accusata *leonibus objecta est*, sed *naturam etiam bestiarum virginitatis veneratione mutavit.* [3]) Illaesam deinde in *rogum* injecerunt,

---

2) ibid. c. 5., ed. laud. 157.

2) ibid. c. 6., p. 156.

1) *S. Methodius* in Conviv. X Virgg. Orat. VIII, in Biblioth. PP. *Lugdun.* T. III. p. 691.

2) *S. Epiphan.* Haeres. LXXVIII. nr. 16, in Ej. Opp. ed. *Petav.* T. I. p. 1048.

3) *S. Ambros.* Epist. XXV. ad Vercell. Eccles., in Ej. Opp. ed. *Monte-Alto* T. V. col. 242.

at ne flamma quidem Divae corpus attingere ausa est.[4]) Num inter tormenta forte *alia* exspiravit virgo, an *incruenta morte* obierit, non est compertum. Utut est, *martyris* titulo, quo eam omnes uno ore Patres honorant, minime fraudanda est, cum certe martyrii cruciatus tolerasset. *S. Gregorius Nazianzenus* eam inter victimas numerat pro Christo caesas. Sunt contra, qui tyrannum tandem verecundia victum dicant, ne in eam saevire pergeret, quae feris belluis igneque superior fuisset. Si actis nostris fides habenda est, S. Thecla *annorum octodecim* passa, dein vita ascetica in monte quodam septuaginta duos transegit annos, adeo ut *nonaginta* esset annorum, quando Dominus eam de terra absumsit.

2. *Actorum Theclae breve compendium et crisis.*

§. **101.** Jam *Tertulliani* tempore extiterunt *acta quaedam S. Theclae*, quae *D. Paulum* quasi auctorem mentita insulsam fabulam *de leone quodam baptizato* continebant. Fuerunt autem haec quidem a presbytero quodam in Asia conflata, qui fraudis convictus atque confessus est, se hoc Pauli amore fecisse.[5]) Ab illis prorsus fabulosis diversa sunt, quae *Jo. Ern. Grabius* in suo Specilegio Patrum T. I. p. 90. edidit, quamquam ipse quidem probare nisus est, ea ipsa esse acta, de quibus Tertullianus agit. Sed et haec Grabiana primo statim initio nonnihil afferunt parum probabile et pugnans cum iis, quae in *Actis Apost.* XIII et XIV de primo *Pauli* et *Barnabae* Iconium adventu et de eorum fuga ex illa urbe leguntur. Similiter prima *praedicatio S. Pauli* parum sibi fidei facit, qualis ibi legitur; tota enim tendit, ut ad *virginita-*

4) *Quis Theclam necis eripuit flammaeque periclo? Quis validos ungues vinxit rabiemque ferarum? S. Greg. Naz.* Carm. III. in Ej. Opp. omn. ed. Billii T. II. p. 59. *Thecla liberata ignis flamma et ferarum immanium homicidis insultibus. S. Method.* l. l.

5) *Tertull.* De baptism. c. 17., in Ej. Opp. omn. ed. *Girardi* (Venet. 1744. f.) p. 231.; *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 7., in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 104.

tem, continentiam, mundi fugam persuaderet, praetermissis fidei fundamentis. Narratur porro in hisce nostris Actis, quod S. Thecla Paulum in opposita domo praedicantem e fenestra domus suae audiret, *immota per triduum et amplius sine cibo potuque*, adeo ut ne respiceret quidem in matrem iniquissimo interea animo lugentem lacrimasque fundentem. Atque haec ipsa mater tacente Thecla coram judice exclamasse dicitur: *Combure, combure eam, ut cunctis ab illa edoctis mulieribus metus incutiatur.* Dicuntur post haec adolescentes et virgines lignum et gramen (foenum?) attulisse, ut Thecla combureretur. Extincto deinde igne salva per urbem egressa, et Paulum secuta est *migrans a puero ducta Antiochiam in Syria.* Alexander autem, primarius ejus urbis, cum primum videret Theclam, statim amore incensus, eamque in platea *osculatus* est; ipsa vero tunicam ejus concidit, et coronam de capite excussit. Inde ad urbis praefectum rapta et *ad bestias damnata* esse perhibetur. Omnes autem emissae bestiae, quasi somno obrutae, virginem haud tetigerunt. Demum duobus *tauris* alligata est, ut in partes distraheretur; sed aeque frustra ac bestiis fuerat exposita. Additur aqua cum *phocis*, in quam ipsa Thecla praecipitem se dedisse asseritur, morientibus omnibus phocis. Ex his omnibus liberata Virgo et flagrans Pauli desiderio, quum audisset eum in *Lyciam* abiisse, eo profecta est *virili induta habitu.* Inde domum reversa sponsum defunctum, matrem vero vivam invenit. Et relicta iterum matre, cum eam non posset ad fidem convertere, *Seleuciam* migravit, et in montem vicinum secessit, ubi multos annos in spelunca vixit, discipulas ad asceticam vitam instituens, aegrosque et energumenos undique allatos sanans. Quare *medici* Seleucienses succensi submiserunt homines impuros, qui virgini vim inferrent, eamque vitiarent. Illa vero re intellecta ad Deum oravit; moxque petra se aperuit; Sancta autem divinitus monita petram ingressa, et impuris impiorum manibus illico liberata est, cum petra continuo post ejus ingressum rursus coiret. — Haec, qualiacun-

que sunt, in compendio narrare volui Acta Theclae, ut lecturus sibi ipse quisque suum depromat judicium. Licet autem *mihi quidem* vel penitus *apocrypha* vel saltem magna ex parte *corrupta et interpolata* videantur; tamen iisdem nonnulla insunt, quae facilius sibi fidem conciliant, nec utilitate quadam carent. Nec infitiandum est, eadem magnam primaevae antiquitatis speciem atque existimationem habere. Scripta fuisse videntur jam *quarto* seculo aut *quinto ineunte.* Probabile enim valde est, ex iis sua hausisse *Basilium Seleuciensem*, qui item Theclae praeclara certamina fuse persequitur dicens, hanc suam historiam *ex alia et quidem vetustiore* excerptam esse ita, *ut ejusdem velut vestigiis insisteret.*

3. *Actorum Editiones.*

§. **102.** Acta S. Theclae e Codice Mss. *Barocciano* bibliothecae *Bodlejanae* primus edidit *Jo. Ern. Grabius*, Oxon. 1698, unde eadem recensio *graeca* in SS. PP. Bibliothecam Parisiensem aliasque recepta est. Idem Grabius *latinam* quoque et eam vetustam versionem in lucem edidit, et graecum textum ex Cod. *Huntingdoniano* quodam correxit, sed morte impeditus evulgare novam editionem non potuit. Suscepit hoc munus alius nescio quis V. D. At in utraque Grabiana recensione, quum magno hiatu (sc. a capite IX exeunte ad finem usque capitis XI) laboraret, ex Actis, quae *Simeonem Metaphrasten* auctorem habent, deficientia supplere placuit. Denique *Thomas Thearne* Codicem *Huntingdonianum* nactus, qui eadem *acta integra* referebat, ea, quae priores editores fugerant, excerpsit, et in *Jo. Lelandi Collectan. de rebus Britanicis* (Oxon. 1715. VI.) App. P. II. publici juris fecit. Postremo *Andr. Gallandius* haec Acta secundum posteriorem Oxoniensem editionem supra memoratam, addito fragmento hocce Thearnano, in sua *Bibliotheca PP.* T. I. edidit.

IV.

S. Prochori Vita et miracula B. Joannis Apostoli.

§. **103.** *Prochorum* quendam fuisse unum *e septem primis Diaconis*, S. Scriptura docet (Act. Apost. VI. 6.). Auctor autem opusculi, diu quidem sed perperam *S. Hippolyto* attributi, cui titulus: *De duodecim Apostolis et septuaginta discipulis*, scribit, S. Prochorum fidem cum filiabus suis amplexum *primum fuisse Nicomediae Episcopum* 1); et *Martyrologium Romanum* eundem his verbis commemorat: *S. Prochorus, qui fuit unus de septem primis Diaconis et fide et miraculis clarus, martyrio coronatus est die nono Aprilis* (ao. c. 60.). — Sub hujus Prochori nomine in variis Patrum Bibliothecis 2) extat *Liber de vita et miraculis S. Joannis Apostoli.* Sed eum omnino *supposititium* esse uno fere omnes VV. DD. consensu affirmant. Qui quam recte judicaverint, haud longiore opus erit demonstratione. Auctor enim (sive rectius *impostor*) narrat, Joannem jam in *Pathmo* insula edidisse Evangelium suum; eundem ingemiscentem *ad pedes Apostolorum sese projecisse, et mortem adeo sibi muneris loco fore asseruisse prius, quam mare tentans in Asiam trajiceret, ut ibi praedicaret verbum Dei;* Christianos huic Apostolo, cum e dolio ferventis olei illaesus prodiisset, *ecclesiam* exstruxisse, ejusque nomine consecrasse *Ad portam latinam;* Joannem et ipsum Prochorum Romae *a balneatrice conductos* operas ei suas collocasse, et Joannem quidem fuisse incensorem fornacis, Prochorum vero aquae infusorem etc. Apage mihi tales nugas!

---

1) *S. Hippolyt.* Opp. ed. *Fabricii* (Hamburg. 1716—18. II. f.) T. I. Append. p. 41. nr. 8.

2) Biblioth. SS. PP. Parisian. (1576. VIII. f.) T. II. col. 185—231; Coloniens. (1618. XV. f.) T. I. p. 49—69.; Lugdunens. (1677. XXVII. f.) T. II. p. 46—67.

V.

De S. Lini Papae Scriptis.

1. *Vita S. Lini.*

§. **104.** *S. Linus* pro communi omnium sententia *primus a D. Petro* sedem tenuit Romanam. *Italum* fuisse, *Volaterris natum*, ex Chronico S. Damasi eruimus. [1]) Mortuus est *a. c.* 78, die 23 Septembris. An *martyr* fuerit necne, parum liquet. *Bollandistae* illum *stricte talem* dicunt [2]); negant *Tillemontius*, alii. Certe neque *Irenaeus* neque *Eusebius* aut *Hieronymus*, qui Romanorum Episcoporum seriem recensent, et si quem martyrem fuisse invenerant, diligenter notant, violenta morte absumtum esse Linum tradunt. Nihilominus juste Martyr vocari potest ob pesecutiones, si quas forte passus fuerit, licet non ipsam caedem sustinuerit.

2. *Ejus Scripta, quae feruntur.*

§. **105.** Sub Lini nomine circumferuntur *Libri II de Passione SS. Petri et Pauli*, quae in Bibliothecis Patrum [3]) exhibentur. At, quae ibi referuntur, neque ipso Lino tanquam auctore, neque Apostolis digna sunt. Ut enim taceam permulta alia, ecquis quaeso fidem habeat narranti, Romae coortam esse *seditionem*, cum in Petrum crucis sententia ferretur; *totam enim urbem jam tunc temporis christianae religioni fuisse additam;* atque adeo Neronem aegre tulisse, quod Agrippa, urbis praefectus, ipso inconsulto Petrum damnasset? Quid, quod narratur, D. Petrum uxori cuidam persuasisse, ut amore castitatis repudiaret thorum viri sui licet *inviti ac reclamantis*. Adde, quod S. Paulum contra *Gentiles* de idolorum vani-

---

1) *Pagii* Critic. ad a. 67 not. 28 in *Baronii* Annal., ex edit. *Mansiana* (Lucae 1738–46. XXXVIII. f.) T. I. p. 653.

2) Actt. SS. m. Septb. T. VI. p. 541. sq.

3) Parisiens. T. II. col. 231—245; Coloniens. T. I. p. 69—76; Lugdun. T. II. p. 67—73.

tate disputantem e *S. Scriptura* argumenta sua petiisse auctor adserat, et aliquando sententias, quas *Pauli* esse ex ipsa Scriptura sacra erudimur, *Petro* tribuat. Unde jam *Bellarminus*, *Pagius*, *Dupinus*, omnes denique hodie viri eruditi Acta isthaec tanquam *spuria* rejiciunt. — Eidem *Lino* ab Joanne Trithemio et Sixto Senensi tribuitur *Historia de altercatione S. Petri cum Simone Mago*. Verum nemo Antiquorum ejus ullam facit mentionem, nec liber hujus tituli in bibliothecis nostris usquam reperire est. — Adcensentur eidem etiam ab Anastasio Bibliothecario nonnulla *Constitutiones s. Literae decretales*, sed certo *spuriae*.

VI.

De duabus S. Martialis epistolis.

1. *Martialis vita.*

§. **106.** A S. Martiali *Lemovicensem in Gallia ecclesiam* fuisse conditam, nemo facile controvertet. At quis iste Martialis fuerit, et quo certo anno in Gallias venerit, multum ambigitur. Nos quidem *S. Gregorio Turonensi* fidem habendam censemus narranti, anno circiter 254 a *Fabiano* Papa *septem episcopos* cum aliis e clero sociis in Galliam missos esse, qui plures ibi ecclesias fundarent, et *Paulus* quidem *Narbonnensem*, *Saturninus Tolosanum*, *Trophimus Arelatensem*, *Austremonius Claramontanam Arvernensem*, *Martialis Lemovicensem*, *Gratianus Turonensem*, et *Dionysius* (sed alius ab illo Areopagita §. 92.) *Parisiensem*. *Is* autem, *de quo nobis hic sermo est*, *Cephae* cognomentum sibi sumsisse; Christo postremum cum discipulis coenanti inservisse; suis ipse oculis Lazarum resuscitatum, tremens a Juda proditore condiscipulo suo datum Christo osculum, et Jesum ascendentem in coelum vidisse dicitur. Idem porro Petrum, cum is Antiochiam et deinde Romam proficisceretur, comitatus, et duos ibi commoratus annos ab Apostolo Episcopus destinatus ad Lemovicenses abiisse et tota Aquitania miraculis clarus

in summa sanctitate vixisse, demum cum Dionysio, Saturnino aliisque martyrium passus esse perhibetur anno c. 74 p. Ch., tempore scilicet juxta hanc narrationem computato. — Atvero liceat mihi observare primum, quam sit incredibile, unum de discipulis tantum sibi arrogasse, ut nomen *Cephae*, specialem Petro datam praerogativam, ad se transferret; unde et Hieronymus in Lib. I. Comment. in Epist. ad Galat. c. 2. testatur [1]), *se alterius Cephae nomen nullum scire nisi Petri.* Secundo neminem praeter ipsos Apostolos cum Christo in horto *Getsemani* adfuisse, Evangelistae tradunt, nisi forte quis dicat, Martialem esse adolescentem, quem relicta sindone nudum profugisse testatur D. Marcus. Tertio a veritate videtur omnino abhorrere, *Vespasiano* imperante Episcopos illos ob Christi fidem martyrium pertulisse, cum vel ii, qui Dionysium *Parisiensem* eundem cum *Areopagita* esse opinantur, mortem Dionysii illius alii *Domitiani* temporibus, alii demum *anno* 109, aut etiam 120 affigant. Imo auctor ille antiquus, qui scripsit *Acta martyrii S. Saturnini* diserte testatur, Evangelii lucem *lente* tantum *ac pedetentim* in Galliis esse divulgatam; item *Sulpicius Severus* expressis verbis dicit, temporibus demum *M. Aurelii primos* ibi passos esse martyres; et monumenta omni fide digna inter hos primos *Pothinum* († 178), *Symphorianum* († c. 180), *Irenaeum* († 202) commemorant.

2. *Epistolae olim ei accensitae.*

§. **107.** Sub laudati hactenus Martialis nomine in omnibus fere SS. PP. Bibliothecis [2]) *duae* extant *Epistolae*, quae *Gaufredo Gausio* testante in scriniis Ecclesiae *Lemovicensis* seculo XI repertae sunt. Una est *ad Burdegalenses*, altera *ad Tolosanos* directa. Utraque vero epistola aeque ac Pseudo-Martialis vita recte (ut mihi qui-

---

1) in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. I. col. 244.

2) Parisiens. T. I. col. 47—63; Colon. T. I. p. 166—173.; Lugdun. T. II. p. 107—115.

dem videtur) inter *spuria* ablegatur. In altera enim epistola res prorsus nova et nulli rerum Gallicarum Scriptori cognita narratur, nempe *Stephanum* tunc regem et alium quendam tyrannum unacum Satrapis suis a Martiale baptizatos esse. Adde, quod in utrisque literis loca S. Scripturae aperte secundum versionem *Hieronymianam* passim allegantur.

VII.

Abdiae Babylonii Libri X de certamine Apostolorum.

§. **108.** *Abdias*, quem Judaeum et Apostolorum discipulum quidam putant, *primus Babyloniae episcopus ab Apostolis ordinatus* fuisse dicitur. Is scripsisse *vitas Apostolorum* perhibetur, et eas quidem lingua *hebraica*, prout ipse dicit. At plures loquendi formulae ibi occurrentes manifeste docent, libros istos *latine* primum, non hebraice, fuisse exaratos. Porro Abdias Christum *suis oculis* in terra jam vidisse dicitur, cum tamen ipse nonnulla ex *Hegesippi* libris laudet, quem Scriptorem anno circiter 160 p. Chr. claruisse, obiisse vero anno 180 compertum est. Narrat idem, illum hominem, cui *Thomas* Apostolus maledixit, fuisse a leonibus dilaniatum; at id ipsum *D. Augustinus* in *Lib. contra Adimantum* c. 17. figmentum Manichaeorum esse ait. Taceam alia (multa sunt enim), quae aperte mendacii et fictionis speciem praeseferunt. *Editi* sunt isti libri primum e vetustissimis (ut affirmant) codicibus a *Wolfg. Lazio* 1551, recusi deinde a *Jo. Fabro*, et notis illustrati a *Jo. Alb. Fabricio*. Post alias denique editiones in multas passim *SS. Patrum Bibliothecas* inserti sunt.

VIII.

De testamentis duodecim Patriarcharum.

1. *An sint genuina et quo tempore scripta.*

§. **109.** *Auctor* libri, qui inscribitur *Testamenta XII*

Patriarcharum, *incertus* est. Eum non Judaeum, ut Grabio visum est, sed *Christianum* fuisse, cum viris aliis doctissimis *Gallandius* [1]) et *Lumperus* [2]) evincere conantur. Nec plus fidei sibi fecerint, qui librum istum e *hebraica in graecam* versum, et *Christianorum manu interpolatum* dicunt. Hebraismi enim, qui ibi occurrunt, nihil probant, cum et sacrum codicem Novi Testamenti ad hebraismum proxime accedere nemo non affirmet. Praeterea ab *una* manu omnia in hoc opere perscripta sunt; eadem enim ubique styli ratio spirat, cunctà uno quasi tenore aequabiliter fluunt, nihil insincerum, nihil interlitum apparet; nihil quod non proposito conducat. Denique *Apocryphorum usum*, qui hic illic observatur, auctor iste cum aliis ejusdem temporis Scriptoribus communem habet; quemadmodum et illas de Gigantibus fabulas deque carnali Angelorum cum mulieribus commercio Philo, Josephus, Justinus, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, alii amplexi sunt. Unde *Maranus* [3]) concludit, nihil esse, cur vereamur haec testamenta Patriarchis supposita *velut germanissimum opus Judaei in Christum credentis* citare. Nos, esti non temere hanc Marani sententiam subscribere audeamus, tamen minime *Nicol. Nourrio* viro cetera aequissimo assentiamus dicenti, *haec testamenta perpetuis fuisse tenebris damnanda.* [4]) Scriptorem, quisquis ille est, vixisse *sub finem Seculi I* cum *Dodwello*, *Wolfio*, aliisque ex eo conjicimus, quod de Hierosolymorum excidio et calamitatibus Judaeis ob caedem Christi inflictis disseritur.

2. *Eorum argumentum et loca excerpta.*

§. **110.** Auctor non tam animo decipiendi quam Ju-

---

1) in Biblioth. vett. PP. T. I. Prolegg. c. VI. p. 51.

2) in Hist. theol.-crit. T. I. p. 228. sq.

3) in Libr. De divinitate D. N. Jesu Chr. manifesta in Scripturis et Traditione (Paris. 1746. f.) Lib. II. c. 1. §. 4. p. 203. sq.

4) in Apparat. ad Biblioth. SS. PP. Lugd. T. I. p. 240.

daeos religione ac disciplina christiana imbuendi studio in his testamentis Patriarchas, duodecim filios Jacob, loquentes inducit, qui jamjam morituri futura praenuntient, et optimis institutis filios ac nepotes erudiant. Lubet adducere unum alterumve ex libro locum, qui pro Christi divinitate praeclarum testimonium adstruit. In testamento *Juda* de Messia dicitur: *Hic est germen Dei altissimi.* [1]) In testamento *Zabulon: Et post haec orietur vobis ipse Dominus lux justitiae, et videbitis Deum in forma hominis.* [2]) In testamento *Aser*: *Altissimus visitabit terram; et ipse veniens ut homo, cum hominibus manducans et bibens, et in silentio conterens caput draconis per aquam. Hic salvabit Israel et omnes gentes, Deus in virum absconditus.* [3]) Et in testamento *Benjamin* praedicitur, Israelitas judicandos esse, *eoquod advenientem Deum in carne liberatorem non crediderint.* [4])

3. *Editiones.*

§. 111. Haec *testamenta XII Patriarcharum*, filiorum Jacob, e graeco exemplari per *Robertum Episcopum Lincolniensem* (adjuvante *Nicolao Clerico Abbate* S. Albani) ao. c. 1268 in *latinam* linguam translata, et saepius postea intra annos 1483—1677 typis consignata sunt, et in omnes paene bibliothecas SS. PP. abierunt, e. gr. *Parisiens.* 1575. T. III. col. 797—833; *Coloniens.* T. I. p. 172—188; *Lugdun.* T. II. p. 477—492. Haec exemplaria cum duobus codicibus Bibliothecae *Bodlejanae* contulit, novamque *graecam* curavit editionem *Jo. Ern. Grabius* in suo *Specilegio SS. PP.* (Ed. I. Oxon. 1698. II. 8.) T. I. Idem Grabius textum graecum iterum cum duobus aliis codicibus *Cantabrigiensibus* collatum emendata latina versione additisque suis annotationibus eden-

1) Test. XII. Patr. c. 4., in Biblioth. PP. Colon. T. I. p. 179.
2) ib. c. 6. p. 181.
3) ib. c. 10., p. 185.
4) ib. c. 12., p. 188.

dum curavit in *Edit. II Specilegii sui* (Oxon. 1714. II. 8.) T. I.; et hanc recensionem adjectis suis quoque animadversionibus *Andr. Gallandius* in *Biblioth. vett. PP.* T. I. recepit.

IX.
De Sibyllinis libris.

1. *Eorum origo et auctoritas.*

§. 112. Plures jam apud antiquissimos summo in honore fuisse *Sibyllarum* [1]) nomine Prophetissas, veluti *Persicam*, *Babylonicam*, *Delphicam*, *Cumanam*, *Trojanam*, *Tiburinam*, *alias*, omnes norunt. Et ex iis, quae de his omnibus a Veteribus accepimus, illud sane consequitur, extitisse olim apud Paganos feminas, oestro quodam quasi divinitus immisso percitas, quas ut oracula consulere solebant. De eo autem dubitatio movetur, sintne *libri illi octo* ad hunc diem superstites *iidem* Sibyllini libri, quos veteres Gentilium scriptores laudant, an alii. Eos *impostoris* cujusdam opus esse, vel ex sola ipsorum lectione intelligitur. Et *Christianum* quidem pleriqne auctorem fuisse contendunt, qui, ut opus suum gentilibus acceptius faceret et probabilius, complura ex vetustis Ethnicorum oraculis longe ante Christi adventum editis excerpsit, et cum his alia ejusdem generis oracula propheticis sententiis consentanea, quae apud gentes ex Hebraeorum traditione atque Mosaicis libris manaverunt connexuit, plurima vero ex ipsis SS. Scripturis tum veteris tum novi Testamenti desumta in unum consarcinavit et collectioni suae inseruit. Multa ceterum in hac collectione occurrunt *inepta*, *falsa*, quin et veritati christianae quandoque *adversantia*, quae sive humanae imbecillitati exciderunt, vel ab auctore fortasse etiam consulto (ne se Christianum proderet) immixta sunt. Ex eo porro, quod auctor *Cohor-*

1) *Sibyllae* nomen sive a σιὸς, dorice i. q. διὸς = θεὸς, et βουλή; sive ab ἠβυλλιᾷν q. e. *furere, extra se rapi*, derivatur.

tationis ad Gentes [2]), Sibyllinos libros jam *ubique* esse, pronuntiare non dubitavit, eos longe *ante medium alterum seculum* compositos fuisse probabile est, cum fieri plane non possit, ut opus aliquod exiguo annorum spatio in omniam manus perveniat. Quid, quod auctor *Quaestionum ad Orthodoxos* [3]) affirmat, *S. Clementem Romanum* in Epistola ad Corinthios (cujus finis s. epilogus intercidit) Sibyllam allegasse; imo jam *Hermas* [4]) Sibyllae tanquam prophetissae de religione nostra disserentis meminit? Ceterum opus hoc apocryphum, quale hodie extat, *non integre* ad nos pervenisse videtur, cum multa a veteribus Ecclesiae Patribus tanquam ex istis libris desumta laudentur, quae in nostris exemplaribus non inveniuntur. Imprimis autem *Justinus*, *Athenagoras*, *Theophilus*, *Clemens Alex.*, *Lactantius* Sibyllinos libros laudarunt, et loca integra ex iisdem transcripserunt. Neque eo nomine reprehendendi sunt primores christianae fidei propugnatores, quod studio veritatis asserendae tam fluxa in medium protulerint argumenta, modo pro veritate facerent, quam adstruere nitebantur. De Sibyllis recentissime commentati sunt *Birgerus Thorlacius* duobus voluminibus, quae inscribuntur *Libri Sibyllist. vet. eccles. etc.* Havniae 1815; *Conspectus doctrinae christianae, qualis in Sibyllist. libris continetur*, ibid. 1816.; et *F. Bleek* in Theol. Zeitschr. ed. a *Fr. Schleiermacher*, W. Lud. *de Wette* et F. *Lücke* (Berol. 1819—22. III. 8.). P. I.

2. *Editiones.*

§. 113. Collectio librorum Sibyllinorum primum *graece* ad Codicem mss. Bibliothecae Augustanae prodiit curante *Xysto Betulejo*, Basil. 1545. 8. Eosdem *Seb. Bastalion latine* reddidit, et anno proxime insequente ibidem

2) *S. Justini* Opp., ed. *Marani* (Venet. 1747. f.) p. 34.

3) ibid. p. 503.

4) *S. Hermae* Pastor Lib. I., Vis. II. c. 4., in *Hefelii* Opp. PP. Apostoll. p. 142.

evulgavit. *Graeco-latine* in *Jo. Heroldi* Orthodoxograph. Theologiae (Basil. 1555. f.) et in *Jo. Jac. Grynaei* Monumentt. SS. PP. orthodoxogr. (ib. 1560. f.) innexi sunt. His editionibus multo praestantior est illa, quae studio *Jo. Opsopaei*, Parisiis 1589. 8. ac saepius ibidem emissa est. Secuta deinde nova *Servatii Gallaei*, Amstelod. 1689. 4. Exhibentur libri etiam in *Bibliothecis PP. Parisiana* (1575) T. II. col. 123—170; *Coloniensi* (1618) T. I. p. 188—209; *Lugdunensi* (1677) T. II. p. 492. sq. Postremo recusi sunt studio *Andr. Gallandii* in Biblioth. vett. PP. T. I. p. 339. sq.

3. *Loci ex iis selecti.*

§. 114. Ex hisce Sibyllinis oraculis nonnulla duntaxat loca seligere voluimis et ea quidem inprimis, quae *de Christi deitate et incarnatione* testantur; e. gr.

Advenietque *Dei* nobis tunc Filius alti,
Carnifer in terra similis mortalibus . .

Lib. I. v. 331. 332.

Heu miserae mihi, quando dies advenerit illa,
*Judicium*que *Dei magni sine fineque regis.*

Lib. II. v. 402. 403.

Ecce, tibi dedit (exulta et laetare, puella!)
Laetitiam secli, *qui coelum fecit et orbem*
Terrae . .
In te habitabit eritque tibi *Dux immortalis.*

Lib. III. v. 722—724.

Quique ante astereum coelum terramque creatam
Est *genitus, Verbum, Patri;* et *Pneumate Sancto*
Indutus carnem, Patrisque volavit in aedes.

Lib. VII. v. 67—69.

Pars II.

Reliqui secundi seculi Patres.

§. 115. Sanctos Patres Apostolicos excipiunt alii deinceps, qui *labente seculo secundo* floruerunt, Patres et Scriptores ecclesiastici, a quibus magna sane pro re christiana in lucem prodiit copia librorum, varii tum argumenti tum generis scribendi; opuscula nimirum *historica*, *exegetica*, *apologetica*, *polemica*, quae speciem *epistolarum*, *dialogorum*, *tractatuum*, *et commentariorum* prae se ferebant. Plures enim undique et atrociores passim surrexerunt hostes, instabant Judaei, fremebant Gentes, novique indies emergebant Haeretici, ut foris simul et intus ad extremam, si fieri posset, perniciem adigeretur Ecclesia Christi. At vero in hoc tanto religionis nostrae periculo divina providentia factum est, ut viri passim doctrinae et eloquentiae fama conspicui ad christiana sacra transirent, omnesque ingenii animique vires ad defendendam catholicam veritatem et conservandam ejus unitatem conferrent. — Et defensiones quidem fidei nostrae *adversus Gentiles* post *S. Quadratum* primum Apologetam (§. 77.) continuarunt *Aristides*, *Justinus*, *Melito*, *Apollinaris*, *Tatianus*, *Athenagoras*, *Theophilus*, *Irenaeus*, *Miltiades*, *Apollonius*. — Ex his *Justinus* et *Miltiades*, item *Aristo Pellaeus* etiam *contra Judaeos* pugnarunt. — Opera vero polemica *adversus Haereticos* consignarunt *Agrippa Castor* contra Basilidem, *Philippus Gortynensis*, *Bardesanes*, *Justinus*, *Theophilus*, *Modestus et Rhodon* adversus Marcionitas; *Maximus* contra dogma illud Gnosticorum „Unde malum"; *Musanus* adversus Encratitas; *Irenaeus* contra omnes ad suam usque aetatem hae-

reses, praecipue Valentinianam; *Apollinaris*, *Miltiades*, *Serapion* contra Montanistas. — Porro jam in eo coeperunt operam collocare Patres, ut Scripturas sacras explicarent, ac maxime locis, quae videbantur obscuriora, lucem adferrent, aut etiam pravas Haereticorum interpretationes refutarent. Hujus generis *scripta exegetica* reliquerunt *Heraclitus*, *Candidus*, *Appion*, *Judas*, *Rhodon*, *Pantaenus*. — Nec defuerunt hoc seculo secundo *historica* quaedam monumenta, e. gr. *Philonis et Agathopodis* Acta martyrii S. Ignatii, *Ecclesiae Smyrnensis* Epistola de martyrio Polycarpi, alia *Lugdunensis Ecclesiae* de Photini, Blandinae aliorumque martyrum Actis etc.; inprimis vero *Hegesippi* Memorabilia ecclesiastica. — Denique catholica, quo magis ab Haereticis premebatur, Ecclesia eo studiosius unitatem suorum fidelium conservare, et circa disciplinam quoque, quidquid contentionis et discordiae ansam dederit, removere conabatur. Nota est controversia de tempore *celebrandi Paschatis*; cujus rei causa permulti Ecclesiarum praesules Epistolas encyclicas emiserunt, velut *Melito*, *Polycrates*, *Palmas*, *Bacchyllus*, *Theophilus*, *Victor*, *Irenaeus*. Alii ad alias ecclesias aut ecclesiarum antistites literas dederunt, quibus hortantur, ut gregibus sibi commissis adtendant, depositum fidei diligenter custodiant, ab Haereticis caveant, unitatis et pacis vinculum servent; sic *Soter Romanus*, *Dionysius Corinthius*, *Pinytus Gnossius*, alii. — Sed plerorumque illorum virorum libris temporis injuria adeo non peperit, ut vel *omnino nihil*, vel exigua tantum nunc nobis suppeditent *fragmenta*. Pauci admodum sunt, quorum saltem nonnulla opera, et ea quidem certo genuina, conservata sunt, nempe *Justinus*, *Tatianus*, *Athenagoras*, *Theophilus Antiochenus*, *Hermias*, *Irenaeus*. Accedunt aliquot *Acta Martyrum*, absque dubio *sincera*.

I.

SS. Aristides. Agrippa Castor. Aristo Pellaeus.

1. Aristides Atheniensis.

§. 116. Proximus S. Quadrato ac fere aequalis tempore fuit *Aristides, philosophus Atheniensis, vir eloquentissimus ac fidelis ex religionis nostrae sectatoribus.* Is quoque *perinde ac Quadratus Hadriano Caesari Apologiam pro Christianis obtulit contextam philosophorum sententiis.* [1]) Qui liber totus periit. Idem testante *Usuardo* [2]) etiam oretenus coram illo Imperatore de Christi Jesu divinitate disseruisse dicitur.

2. Agrippa Castor.

§. 117. Eodem tempore, cum plurimi ecclesiastici viri patrocinium veritatis susciperent, et pro apostolica doctrina disertissime decretarent; nonnulli etiam assertiones suas scriptis proditas tanquam remedia ad cavendas haereses comparata posteris reliquerunt. [3]) In his *S. Agrippa Castor, vir valde doctus, qui adversus viginti quatuor Basilidis haeretici volumina*, quae iste in Evangelium confecerat, *validissimam scripsit confutationem, in qua ejus hominis praestigias ac fraudes detexit, cunctaque ejus arcana in lucem protulit.* [4]) Sed et hujus refutatio-

---

1) *Eusebius Pamphili* in Hist. Eccles. lib. IV. c. 3. fin., ed. *Zimmermann*. T. I. p. 222. — *S. Hieronymus* in Catalog. Scriptt. eccles. c. 20., in Ejus Opp. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 109. Idem in Ep. LXXXIII. (ad Magnum), ibid. col. 656.

2) Martyrolog. *Usuard*. P. II. in Actt. SS. Bolland. m. Junii T. VII. p. 502.

3) *Euseb*. Hist. Eccl. lib. IV. c. 7., ed. Zimmerm. T. I. p. 228.

4) *Euseb*. l. l.; — *S. Hieron*. in Catal. Scriptt. eccl. c. 21., ed. Maurin. l. l.

nis nihil ad nos pervenit, nisi aliquot pauca fragmenta, quae *Gallandius* in Bibliotheca veterum Patrum T. I. exhibet s. t. *Confutationis adversus Basilidem Excerpta.*

3. Aristo Pellaeus.

§. 118. Haud diu post extitit *Ariston Pellaeus Palaestinensis, gente Judaeus,* qui, postquam Christi fidem amplexus est, opusculum evulgavit s. t. *Disputatio Jasonis et Papisci;* in quo dialogo duo concertant Judaei, Jason nempe ad Christum conversus et Christi adventum e prophetarum vaticiniis demonstrans; Papiscus contra incredulus acriter quidem oppugnans sed tandem convictus. *Origenes* in libro IV §. 52. *Contra Celsum* istud opusculum adversus hujus cavillationem defendens dicit libellum fuisse viliorem quidem sed ita compositum, *ut nonnihil posset ad vulgi simplicioris fidem promovendam conferre.* [5]) *Eusebius* quoque Aristonis nostri obiter mentionem facit [6]); item *S. Hieronymus* Dialogum ejus supra dictum seu *Altercationem,* quam vocat, semel atque iterum commemorat. [7]) Haec scripta fuit primum *graece,* postea a Celso quodam in latinum translata est; verum neutra recensio ad nos pervenit. Sola *Epistola dedicatoria,* quam *Celsus* unacum versione sua ad *Vigilium* quendam episcopum (verosimilius sub finem tertii seculi) miserat, hodiedum servata est. [8])

---

5) in *Origenis* Opp. ed. Maurin. *(De la Rue)* T. I. p. 544.

6) *Euseb.* H. E. IV. 6 sub fin., ed. cit. p. 226.

7) *S. Hieron.* in libro Hebraicc. Quaestionum in Genesin sub init., in Ej. Opp. ed. Maurin. T. II. col. 506. *Idem* in libb. II Commentar. in Epist. ad Galatas c. III., ed. cit. T. IV. P. I. col. 259.

8) *Celsi* Epistola *s. Praefatio in Altercationem Jasonis et Papisci* De judaica incredulitate, in *S. Cypriani* Opp. ad edit. Maurin. rec. *Oberthür.* T. II. Append. I. p. 221—231.

II.

S. Justinus Philosophus, Martyr.

A. Vita.

§. 119. *Eadem tempestate prae ceteris omnibus florebat Justinus, sub habitu philosophi* (scilicet philosophicum pallium cum Christi sacerdotio conjungens) *verbum Dei praedicans et scriptis voluminibus pro fide nostra propugnans.* [1]) Fuit is, prout ipse refert, *Prisci filius, Bacchi nepos, oriundus Flavia Neapoli urbe Syriae Palaestinensi* [2]), quae civitas olim Sichem dicebatur, natione *Graecus.* Traduxit adolescentiam in *literis humanioribus*, sed nullius disciplinae vehementius quam *philosophiae* studiis exarsit. Et primum se dedit *Stoico, quocum satis diu versatus ad alium se contulit, quem Peripateticum dicebant;* sed eum non ita multo post agentem de mercede missum fecit, et *Pythagoreum, hominem de sapientia valde gloriantem* adiit; postremo, quum tertio frustratum se vidisset, ad *Platonicos* confugit, et brevi multum in hoc instituto profecisse sibi videbatur. *Elatus idearum contemplatione* aliquando ad maris litora obambulans in *senem* quendam incidit, *cujus in vultu comis residebat gravitas.* Is occasione data *cum Justino collocutus*, quum juvenem videret de philosophis inflatius sentientem, sic ejus animum pertractavit, ut primo *illius*, de qua tantopere gloriatus est, *scientiae ostenderet inanitatem;* deinde *e quibus fontibus sit hauriendu veritas* doceret, *eamque a Prophetis petendam esse* demonstraret. *Et postquam multa disseruerat senex, abiens praecipit* ei, *ut ea meditando persequeretur.* [3]) Ex quo tempore Justinus se precibus ac medi-

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. IV. c. 11., ed. *Zimmermann.* T. I. p. 288. nr. 3.; — *S. Hieronym.* Catalog. Scriptt. eccl. c. 23., in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 110.

2) Apolog. I. c. 1, in *Justini* Opp. ed. Maurin. (Venet. 1747. f.) p. 44

3) Dialog. c. Tryphone Judaeo, c. 2—8, ed. cit. p. 106 sq.

tandis Scripturis totum dedit, omnemque operam posuit *in evolvendis SS. literis*, ut ipse grati animi causa testatur, *hanc gratiam sibi a Deo commissam esse, ut ejus Scripturas intelligeret.* [4]) Inflammatum autem sic illius animum alia res magis etiam confirmavit — *consideratio constantiae Christianorum* in cruciatibus perferendis. *Quum enim eos ad mortem et ad alia, quaecunque videntur metuenda, impavidos cerneret, fieri non posse intellexit, ut in nequitia et amore voluptatum viverent.* [5]) Itaque missis philosophorum sectis ao. Chr. 133 aetatis suae trigesimo *sacris Christianorum mysteriis initiatus* [6]) doctrinam eorum aperte professus est, nullo periculi metu perculsus, *nec erubescens ignominiam crucis.* [7]) *Sacerdotii* dignitate divum Justinum insignitum fuisse, ex ipsis ejus scriptis conjicere licet. [8]) Ingens fuit ejus studium in discipulis edocendis; quod quidem munus, ut a Deo commissum, tanto animi ardore, tanta observatione ac diligentia gerebat, ut gravis peccati *reum se in judicio futurum crederet, si ipsius culpa accidisset, ut divinae veritatis luce aliquis careret.* [9]) Imo et ad impugnandos illico *Gentiles*, *Judaeos* et *Haereticos* omnis generis animum applicuit. *Marcioni* haeresiarchae *tum adhuc in urbe Roma superstiti* fortiter restitit [10]); Ephesi *Tryphonem Judaeum* secum disputantem devicit [11]); Romae, quo bis vicibus profectus, satisque diu ibi commoratus est, *ludum literarium erexit* [12]); et *praeter opuscula, quae adversus Gentiles doctissime elaboravit, alios etiam libros, qui fidei nostrae defensionem continent, ipsis*

4) ibid. c. 58, p. 162.
5) Apolog. II. c. 12, p. 100.
6) *Tillemont* Memoires pour servir à l'hist. eccl. T. II. p. 310. not. 4.
7) *S. Hieronym.* Catalog. l. l.
8) Cf. *Lumper* Historia theol.-crit. de scriptt. SS. PP. T. II. p. 54.
9) Dialog. c. Tryph. c. 58. 82, p. 162. 189.
10) Apolog. I. c. 26., p. 60.
11) Dialog. c. Tryph. c. 142, p. 244.
12) *S. Hieron.* Catal. l. l.

velut De animae natura, de ejus post mortem statu etc. disseruerat; itaque cuncta ea continuit, quae Eusebius in ea oratione quam Justino tribuit (§. 122) animadverterat. Et cum jam *Photius* (Cod. XLVIII.) testatur, illum librum *De Universo* ab aliis esse Flavio *Josepho*, ab aliis *S. Justino* aut *Irenaeo* accensitum; fieri omnino potuit, ut Eusebius viso aliquo ejusmodi exemplari, quod Justini nomen forte praeseferebat, deceptus sit, et S. Hieronymus Photiusque postmodo eum exscripserint. Alius praeterea Justini liber adversus Gentiles ab *Eusebio* l. l. memoratur, quem ille *Confutationem* inscripserit; sed plurimi VV. DD. hunc non aliuin esse suspiciantur, quam illum, qui hodiedum extat s. t. *Oratio ad Graecos* (§. 123.). — Sunt autem praeter hos, quos modo diximus, alii quoque nonnulli a variis Scriptoribus S. Justino Martyri adcensiti libri. Sic *Anastasius Sinaita* Divo nostro adscribit etiam *Commentarium in Hexaëmeron* s. in opus sex dierum, puta creationem mundi. Sed *errasse* in hoc Anastasium plerique nunc non immerito judicant viri eruditi. Sic in Tom. II. Opp. *S. Maximi* loci aliquot allegantur orationis *De providentia et fide* ad Euphrasium Sophistam directae, cujus etiam *Euthymius Zigabenus* sub Justini Martyris nomine mentionem facit; sed ista *alii* Justino putabilius adscribitur. Sic verba *Hieronymi* (Catal. c. 9.) „*Scripsit* — Joannes Evangelista — *Apocalypsin, quam interpretantur Justinus martyr et Irenaeus*", nonnullos in opinionem adduxerunt, *Commentarium* ab iis esse scriptum; imo vero S. Hieronymus non de peculiari quodam Justini opere, sed de *explicatis variis Apocalypseos locis* loquitur. Petrus *Halloix* [6]) censet, S. Martyrem suam cum Crescente philosopho Romae habitam concertationem *literis mandasse*, quod ipse nempe dicat [7]) se paratum esse cum illo denuo sermonem conferre, si disputationis colloquia ad imperatores non fuerint relata.

6) Vita et Documenta S. Justini (Duaci 1622. 8.) p. 173.
7) Apolog. II. c. 3, p. 94.

Atvero ex hisce verbis non necesse est colligere, imperatores illius contentionis notitiam *ex lectione libri* accipere debuisse, cum scilicet eam non minus commode *per relationem* eorum, qui altercationi praesentes aderant, haurire potuissent; quod idem jam *Tillemontius* et *Ceillierus* recte observarunt.

2. Supposita.

§. 121. In collectione operum S. Justini nonnulla aliquamdiu occurrebant, quae nunc unanimi fere omnium DD. VV. sententia inter *spuria* ablegantur. In his *Epistola ad Zenam et Serenum* [1]), quae in Mss. Codd. inscribitur „*Zenae et Sereno salutem dicit Justinus*"; — Justinus etenim *simpliciter* hic vocatur, nullo (ut in genuinis ejus libris fit) neque *Philosophi* neque *Martyris* cognomine apposito. Et profecto in hac epistola, toti retro antiquitati *ignota* et nascentis Ecclesiae moribus *parum conveniente*, sive argumentum spectes et materiam, sive ad stylum et scribendi rationem animum advertas, *nihil* omnino deprehenderis, quod sancti nostri Patris vel *ingenium* vel *aetatem* ullo modo indicet. *Ceillier*, *Halloix* et *Dupinus* Justinum quendam *Abbatem* septimi seculi Scriptorem, cujus in vita beati *Anastasii Persae martyris* mentio habetur, auctorem putant esse; alii *Isidorum Pelusiotam*. Sed afferenda erant quaedam istarum opinionum solidiora argumenta. — Aliud opusculum, quod dicitur *Expositio rectae confessionis* [2]) sancti Patris quidem *ingenio* dignissimum foret, sed cum ejusdem *aetate* minime congruit. In priori enim expositionis parte, ubi *de Trinitate* agitur, verba οὐσία, ὑπόστασις, ἐκπόρευσις ita usurpantur, ut in *Arianis* demum controversiis fiebat; altera vero pars, quae *de Incarnatione Verbi* disputat, tota *Nestorii* et *Eutychetis* seculo demum quinto obortos er-

---

1) ed. in *S. Justini* Opp. edit. *Maurin. Venet.* Append. P. I. p. 437.

2) ibid. p. 450.

rores impugnat. *Ceillierus* [3]) Justinum *Siculum* sub finem seculi quinti viventem hujus lucubrationis scriptorem fuisse arbitratur. Ceterum ibi magno studio et stylo ubique exculto divinissima religionis dogmata de Trinitate scilicet et Incarnatione explanantur. — Nec minus *Quaestiones et Responsiones ad Orthodoxos* [4]) Justino Martyri falso adscribuntur. Res ipsa clamat, ut uberior demonstratio superflua esse videatur. Etenim in Reponsione CXV S. *Irenaeus* († 202), et in Resp. ad Quaest. LXXXII et LXXXVI *Origenes* († 254) laudatur; imo etiam in Quaest. CXXVII *Manichaeorum* haeresis (cujus auctor † c. 277) commemoratur; denique in Resp. ad Quaest. CXXVI de *Paganorum cultu sacrisque jam prohibitis* et christiana religione dominante disseritur, quae tamen prohibitiones medio quarto demum seculo coeperunt fieri. Praeterea voces multoties ibi usurpatae „*hypostasis*, *persona*, *consubstantialis*“ ad tempora Justino multo *recentiora* respiciunt. Sunt, qui *Theodoretum Cyri episcopum* auctorem ejus libri statuant; sed eorum parum firmas esse opiniones *Moehlerus* [5]) paucis demonstrat. Id pro certo haberi potest, librum istum *seculo ineunte quinto* in lucem prodiisse. — Similibus anachronismis laborant, ideoque pari jure Justino nostro abjudicantur *Quaestiones Christianorum ad Graecos* V, nonnullas gentilis philosophiae controversias exponentes, *et Graecorum ad Christianos* XV de forma et operatione Dei deque mortuorum resurrectione. [6]) Falso librum Justino tribui, ut alia taceam, jam ex *Manichaeorum* toties ibi facta mentione satis elucet. Incertum ejus auctorem *Nourrius* [7]), *Dupinus* (l. l. p. 157), Pr. *Maranus* (l. l. p. 591.) et *Moehlerus* (l. l. p. 232.) ex styli similitudine eundem esse judicant, qui aliud

---

3) Histoire générale des Auteurs sacrés et eccl. T. II. p. 48.
4) in *Justin.* Opp. ed. Maur. p. 473.
5) Patrologie Bd. I. S. 231.
6) *Justin.* Opp. p. 546.
7) Apparatus ad Biblioth. SS. PP. max. *Lugdun.* T. I. p. 457.

quoque opusculum exaraverit non minus perperam Justino Martyri olim accensitum, cui titulus *Confutationis quorundam Aristotelis dogmatum liber* [8]) ad *Paulum* Presbyterum, cetera ignotum directus. Commemoratur quidem a *Photio* (Biblioth. Cod. CXXV.) Justini Martyris tractatus quidam contra librum I et II Physicae Aristotelis. Verum illa, quam nos heic dicimus, confutatio non duos solum priores sed etiam *plures alios* hujus scriptoris libros impugnat. Porro *argumentatio* a scripturae genere sanctis Patribus per quinque priora secula usitato plane abhorret. Quamvis enim ii quoque magno consensu Aristotelem exploderint; tamen nullibi quod scio eum *sola* arte dialectica et argumentis *nonnisi a ratione petitis*, nullisque S. Scripturae testimoniis adhibitis confutarunt. Verus igitur libri auctor, quisquis est, vix ante seculum VII vixisse creditur. — Denique evulgatum est in ed. Opp. S. Justini etiam fragmentum seu potius tota paene pertractatio *De Resurrectione* [9]). *Grabius* quidem, vir eruditissimus, de hujus libelli genuinitate non dubitavit; nec Mich. *le Quien*, qui illud insigne fragmentum inter *Parallela S. Joannis Damasceni* edidit, illius sententiae refragatus est. Sed primum de isto opere Damasceni dubitatur, num sit *genuinum*; porro, quod *peculiarem* de Resurrectione scripserit Justinus librum, omnes antiqui silent; unus autem *S. Methodius*, qui exiguum sub Justini nomine locum laudat, hunc utique ex alio quodam ejusdem opere potuit exscribere. Praeterea illi libro, quod sub Justini nomine lactatur, nonnulla insunt, quae *nec aetatem nec doctrinam* ejus redoleant. Prud. *Maranus* hunc ab eodem incerto auctore putat esse confectum, qui edidit supra dictam *Expositionem rectae fidei*.

3. Dubia.

§. 132. Praeter duas Apologias (§. 129.) duae aliae

8) *Justin.* Opp. p. 592.
9) Ibid. p. 636.

extant sub Justini nomine elucubrationes adversus Ethnicos, quarum altera aliquanto brevior inscribitur *Oratio ad Graecos*, altera multo longior *Cohortatio ad eosdem*. Totidem et *Eusebius*, *Hieronymus* et *Photius* Justino Martyri adversus Gentes libros praeter duas Apologias tribuunt. Et *Eusebius* quidem dicit: *Est et alius ejus liber adversus Gentiles, in quo cum de aliis plurimis quaestionibus, quae tam a nostris quam a Gentilium philosophis agitari solent, uberrime disputat; tum de daemonum natura sententiam suam exponit. Alius praeterea ejusdem liber adversus Gentiles ad nos pervenit, quem ille confutationem inscripsit.* [1]) *S. Hieronymus* autem habet: *Extat ejus et aliud volumen contra gentes, ubi de daemonum quoque natura disputat; et quartum adversus Gentes, cui titulum praenotavit Elenchus.* [2]) *Photius* idem contestans: *Porro*, inquit, *quatuor adversus Gentes tractatus composuit;.. in tertio de natura daemonum disseruit; quartus, etiam contra Gentes compositus, inscribitur Confutatio.* [3]) Ex duobus vero S. Justini adversus Gentes libris, qui hodiedum sub nominibus *Oratio* et *Cohortatio ad Graecos* extant, neuter disserit *de natura daemonum*, neuter *Elenchus* vel *Confutatio* inscribitur. Sed et alia, si diligentius animum advertas, deprehendes, quae dubium possint movere, num genuini sint isti libri.

a. Oratio ad Graecos.

§. **123.** Haec oratio brevis [1]), si quidem *Justinus* eam composuit, scripta est non multo post ejus conversionem, quod facile ex ipso orationis primordio conjicitur, cum auctor ibi dicat, se non sine ratione et judicio a Gentilium ritibus descivisse. Christum autem Justinus induisse

---

1) Hist. eccl. Lib. IV. c. 18. §. 1. fin. et 2 pr.; ed. cit. T. I. p. 267.

2) Catalog. c. 23, ed. Maurin. l. l.

3) Biblioth. Cod. CXXV.

1) ed. gr. et lat. in *S. Justini* Opp. edit. *Maurin.* (Venet.) p. 1—5.

dicitur ao. 133 (§. 119.). Sunt autem nonnulla, quae de genuinitate dubium admittunt. Certe enim haec oratio *ab Eusebio* ceterisque quos diximus Scriptoribus antiquis *non est indicata;* nam neque de daemonum natura tractat, nec confutatio est, stricte dicta. Quamquam enim gentilium deos acute exagitat, tamen Ethnicorum ea de re opiniones data opera nullibi refutavit. Sunt quidem, qui dicant, eam utique *ab Eusebio omissam* esse, neque vero hoc mirum, si illius diligentiam fugerit, cum sit brevissima. Alii vero caussam ejus rei, quod nec de daemonum natura quidquam, nec ea, quae *Leontius Byzantinus* ex illa laudat [2]), ibi usquam occurrat, in *mutilatione* ponunt, quam factam esse jam ex ipsa orationis brevitate satis posse perspici arbitrantur. Ego vero mutilationis vestigia nulla video. Orationis enim *argumentum* est brevis *expositio rationum*, quibus adductus auctor *Christianus* factus est (c. 1.). Fastidium ipsi moverunt *instituta Gentilium*, quae nihil prorsus habeant, quod placere Deo possit; Dii omnibus vitiis sceleribusque notati (c. 2.); heroes effeminati (c. 3.); solennes conventus, in quibus luxuria, tibiae, unctiones, bacchanalia, maximorum flagitiorum irritamenta vigeant (c. 4.). Cum hoc ethnicae superstitionis et depravationis fastidio se conjunxit amor et *admiratio christianae doctrinae.* Proinde hortatur Gentiles, ut accedant, discant, atque ipsi fiant ex Ethnicis Christiani. Se quoque captum fuisse declarat coelesti doctrinae vi et efficacia verbi, quod sedatis vitiosis affectibus tranquillitatem animi adfert (c. 5.). Hic nihil sane est, quod ultra desideres. Ergo libellus hic neuter est eorum, quos Eusebius laudavit. Magis etiam mihi movet dubium *stylus longe diversus* a Justini alibi perspecta dicendi proprietate. Mire enim *comta* est oratio et *vegeta* plus quam in alio aliqu Justini genuino opere. Ad hoc accedit, quod orationis auctor totum id agit, ut ostendat, quam vaniloquiis refertus, quam flagitiis infamis et conspurcatus esset pagano-

2) *Contra Nestor. et Eutych.* lib. II. in *Grabii* Specileg. T. II. p. 172.

rum cultus et religio, dum contra S. Martyr etiam in Gentilium sacris plus quam nudas fabulas videt, et, ubi ad ea sermo redit, ubique altiorem quendam inter *Mythologias* et *Christianam revelationem* indagare nexum nititur. E recentioribus Scriptoribus tanquam genuinam tuentur hanc orationem *Wiest* 3) et *Goldwitzer* 4); eandem vero in numerum eorum referunt, de quorum genuinitate dubitatur, *Winter* 5), *Annegarn* 6), *Moehler.* 7) Alii mediam quasi viam tenent, et libellum ad ea Justini monumenta dicunt pertinere, quae quidem communius et verosimilius a Criticis eidem adtribuuntur, licet res non omnino sit certa, e. gr. *Tobenz* 8), *Lumper* 9), *Locherer.* 10)

b. Cohortatio ad Graecos.

aa. Analysis.

§. 124. Neque mihi hujus libri genuinitas adeo extra omnem dubitationem posita videtur, ut e vestigio licet unanimem prope Criticorum sententiam ausim subscribere. Sed juvat brevem ejus lucubrationis analysin praemittere. Constat ea *duabus* potissimum partibus. *Primam* orditur auctor hortans, ne plus aequo Majoribus suis Ethnici tribuant (c. 1.); docet deinde, qui et quales fuerint, quibusve temporibus exstiterint cum *ethnicae* tum *christianae* religionis *auctores atque magistri.* Et primo quidem *Poëtas*, quorum absurda refert commenta, frustra a Paganis primos religionis doctores jactari (c. 2.); neque disci veritatem a *Philosophis* posse, qui opinionibus suis tam variis tamque falsis adeo ipsis Poëtis magis ridiculi sint (c. 3.

---

3) Institt. Patrol. p. 102.
4) Bibliographie der Kirchenväter S. 13.
5) Patrologie S. 278.
6) Handb. der Patrologie S. 26.
7) Patrologie Bd. I. S. 224.
8) Institt. usus et doctrina PP. (edit. III. p. 174.
9) Hist. theol.-crit. P. II. 105.
10) Lehrbuch der Patrologie S. 33.

4.). Imo ne *Platonem* quidem et *Aristotelem* excipit; non enim solum inter se, verum etiam secum ipsi pugnant (c. 5—8.). Longe dissimiles *Propketae*, qui non humana industria sed divino Spiritu afflante veritatem acceperunt (c. 8.). Horum primus *Moses* erat, cujus antiquitas multis testimoniis probatur. Post hunc ceteri deinceps illud donum divinitus adepti sunt (c. 9. 10.). Quodsi vero ad *Oracula* coufugiant Graeci, ea ipsa quoque ad *Hebraeorum* fontes respiciunt (c. 11.). Ceterum sicut certum est, Mosen et Prophetas philosophis omnibus *vetustiores* esse; ita eosdem quoque Philosophos, non secus ac Poëtas, si qui veriora de Deo et religione scripserint, ea ex *sacris illorum libris* hausisse, plane penitusque convincit (c. 12. 13.). Et hoc in *secunda* orationis parte uberius exponit. Divina nempe providentia factum esse, ut multa cum Christianis facientia vel inviti dicerent, praesertim ii, qui in *Aegypto* versati sunt, et *Mosis* doctrinae reliquias ibi asservatas collegerunt (c. 14.). In hunc usum laudantur *Orphei* de uno Deo ejusque Verbo testimonia, *Sibyllae* etiam et *Homeri* et *Sophoclis* et *Pythagorae* de uno ac singulari Deo sententiae (c. 15—20.). *Platonem* si quandoquidem plures Deos admittat, ob metum Atheniensium id fecisse testatur. Ceterum idem in Aegypto videtur cognovisse illud Dei dictum: *Sum qui sum*, similiter illud: *Quod semper est, non genitum*. Immerito igitur Homerum a Platone vituperari; nam et illum in Aegypto cognovisse de *singulari* Deo (c. 20—25.). Ipsum vero *Platonem* multa alia e *Mose* mutuatum esse, scilicet *de Prophetis a Deo afflatis, de Judicio, de Resurrectione* (c. 26. 27.). Sic et *Homerum* ex eodem fonte delibasse testimonia sua *de anima in inferis cum corpore cruciata, de creatione, de paradiso, de turri Babylonica, de diabolo e coelo praecipitato* (c. 28.). Nec secus *Platonis ideae* ex Mose minus bene intellecto ortum habuerunt; similiter *currus Jovis* et *ignea essentia*, in qua Deum esse dicit. Videtur etiam aliquid cognovisse *de dono coelitus descendente* in sanctos homines; pariter esse ex Mose desumtum, quod ait, *tem-*

pus cum mundo creatum etc. (c. 29—34.). Postremo hortatur auctor, ut ad sacros *Christianorum* libros Ethnici confugiant, cum Philosophi ipsi nihil sese scire fateantur (c. 34. 35.); aut saltem *Orpheum* audiant, et ex parte veram religionem ex *Sibylla* discant, et antiquos philosophos *Mercurium* et *Acmonem* consulant, qui Deum nec intelligi nec nominari posse asserunt (c. 36—38.).

bb. Disquisitio critica.

§. 125. Si quidem *Justino* videatur tribuenda isthaec cohortatio, verosimilius scripta est antequam persecutio, quae sub M. Aurelio Antonino Ecclesiam afflixit, acriora S. Martyris studia ad defendendam religionem excitaret; ergo non *ita multo ante annum* 138, qui annus postremus fuit Hadriani. [1]) Hoc enim ipso vel proxime subsequente anno jam priorem Apologiam Justinus exaravit. De genuinitate autem hujus libri non admodum quidem variant doctorum virorum sententiae. Unus enim Casim. *Oudinus* est, qui eum tanquam *supposititium* plane rejiciendum putavit. [2]) Contra vero *Bellarminus*, *Tillemontius*, *Scultetus*, *Blondellus*, *Ceillierus*, *Dupinus Maranus*, alii; et inter recentiores *Tobenzius* et *Lumperus*, quos secuti sunt item *Wiest*, *Winter*, *Goldwitzer*, *Locherer*, *Annegarn*, omnes absque omni haesitatione Martyrem nostrum Justinum auctorem statuunt. Recentissime demum vir clarissimus *Moehlerus* [3]) p. m., utens argumentis ex styli disparitate potissimum desumtis, librum in *dubium* vocat. Operae igitur pretium est, rem altius indagare. Et ut de *Antiquorum testimoniis* ordiamur, e quatuor illis adversus gentes libris, quos S. Justino tribuunt *Eusebius*, *Hieronymus et Photius* ll. ll. (§. 122.), is certe non est, in quo *de daemonum natura* disseritur; nihil enim hujus rei

1) Cf. Prud. *Maran*. Praefat. in Opp. Justini, P. III. c. II. nr. III.; ed. Venel. p. LXV.

2) Commentar. de Scriptoribus eccl. T. I. p. 187.

3) Patrologie, Bd. I. S. 224. ff. n. 8.

ibi relatum legimus. Quartus autem ab iisdem commemoratus liber *Confutatio* inscriptus fuit, dum nostra elucubratio primum *Orationis*, nunc vero *Cohortationis* nomen in fronte gerit. *Bellarminus*[4]) quidem, *Tillemontius*[5]), *Possevinus*[6]), *Nourrius*[7]), *Ceillierus*[8]), *Maranus*[9]) aliique viri eruditi hanc utique eandem ac illam Confutationem esse censent, quod etiam *Tobenzius*[10]) ex libri nostri scopo colligit. Is enim, ait, duplex est, primum nempe refellere stultitias Paganorum, deinde Gentiles ad christianam religionem amplectendam cohortari. Quo igitur jure a postrema parte *Cohortatio* vocatur, eodem respectu primae partis *Confutatio* potest appellari. Accedit, quod Stephanus *Gobarus*[11]), qui Scriptor sub finem sexti seculi florebat, ex hac paraenesi locum quendam adtulit, quem *Photius*[12]) ex libro Justini decerptum testatur, in quo Gentiles refellit et ratiocinia Platonis. Cetera, quibus supradicti optimi viri Cohortationis authentiam tueri conantur, haec sunt: Justinus uno *omnium consensu* vel saltem nemine refragante auctor libri usque nunc habebatur. Et vere illa tanto viro et Martyre et Philosopho *dignissima* est. Deinde auctor se *ipse* a Gentilium religione ad Christianorum sacra transiisse confitetur; quod item S. Justino convenit. Praeterea profunda *antiquitatis* et *veterum gentilium Scriptorum notitia*, quam in Justino miramur, ex monumento illo ubivis elucet. Denique quod ad *scribendi methodum* concernit, nonnulli quidem non omnem in ea lucubratione similitudinem nec prorsus eundem ac in ceteris genuinis Justini operibus stylum sese deprehendisse dicunt; conten-

4) De Scriptt. eccl. p. 64.
5) Memoires eccl. T. II. p. 310.
6) Apparatus sacer, p. 990.
7) Apparat. in Biblioth. PP. Lugdun. T. II. p. 353.
8) Histoire des Auteurs sacrés, T. II. p. 7.
9) Praefat. in S. Justini Opp. P. III. c. II. nr. II. p. LXIV.
10) Institt. usus et doctr. PP. p. 173.
11) *Useri* Prolegomm. in S. Ignatii Epp. (Oxon. 1644.) c. 6. p. 33.

dunt tamen, eam dissimilitudinem non ita magnam esse, ut idcirco opus illud eidem abjudicari debeat, et aliquam diversitatem facile inde potuisse evenire, quod divus Martyr in principio conversionis suae plus in excolendo stylo laboraverit. [13]) Ego vero, quamvis praestantissimum hoc opusculum, uno fere omnium DD. VV. consensu inter genuina Justini opera tamdiu receptum, ex hoc eximio loco amovere noluerim; tamen non possum, quin cum *Moehlero* nostro de ejus genuinitate *subdubitem*. Et quod primum me movet, *styli diversitas* est, utique *aliquanto major*, quam *Dupinus* aliique sibi persuadebant, et *calamus longe nitidior*, quam qui in Apologiis et in Dialogo cum Tryphone apparet. Auctor quippe noster non solum eruditus omnino, sed etiam magnis itineribus perpolitus vir (etenim in *Aegyptum* et *Italiam* se profectum ipse refert) hanc totam orationem ita composuit, ut mira inde *rerum scientia* et *lucidus ac perspicuus ordo* refulgeat et *sermo fluens, vegetus atque excultus*, quas quidem virtutes in S. Justino desiderari omnes norunt. Accedit, quod ille idem aperte cavillat *rationem humanam* et exprobrat, acerbissime notans quam parum, imo nihil per se ipsa valeat proficere. Jam enim incipiens referre, quid maximi unquam philosophi de Deo, de rerum origine et natura senserint, *eorum theosophias ipsis Poëtarum figmentis multo magis ridiculas esse* contendit. [14]) Contra Justinus quam longe aliter et humanius, ne dicum verecundius, sentiens *Platonis* instituta necnon aliorum, *Stoicorum* videlicet, *Poëtarum* et *Historicorum*, non prorsus a Christo *aliena* dicit, sed non *omnino similia. Ut quisque enim disseminatae rationis divinae partem aliquam sibi cognatam videbat, praeclare locutus est.* [15]) Similiter Justinus, esse quosdam, inquit, *qui in qualibet regione apte ad rectam rationem leges tu-*

12) Bibl. Cod. CCXXXII. p. 900.
13) *Dupin*. Bibl. des Auteurs eccl. T. II. p. 156.
14) Cohort. ad Graecos. c. 3, ed. cit. p. 9.
15) Apolog. II. c. 13; p. 101.

lere aut philosophati sunt; et paucis deinde interjectis *Stoicos* in his saltem, *quae de moribus dixerunt, praeclare sensisse*, ingenue fatetur [16]); atque iterum alibi: *Omnia*, ait, *quaecunque de immortalitate animae, vel poenis post mortem, vel coelestium rerum contemplatione, vel similibus sententiis tum Philosophi tum Poëtae dixerunt, sumto ex Prophetis argumento, non solum intelligere res illas potuerunt, sed etiam exposuerunt. Hisce omnibus videntur inesse veritatis semina.* [17]) Perspicuum est inde, Justino persuasum fuisse, quod unusquisque illorum veritatem *saltem ex parte* cognoverit. Auctor vero *Cohortationis cuncta* contemnit, *cuncta* damnat, quaequae ab ullo unquam philosopho a *Thalete* Milesio usque ad *Platonem* et *Aristotelem* dicta sunt, nec in Platone quidquam aliud agnoscit, quam quod ex *Orientalium* libris edoctus disseruerit. Et ut peculiari quodam exemplo utar ad demonstrandum, quam diverse de uno eodemque viro judicaverit uterque, sume tibi *Heraclitum* philosophum, cujus doctrinam, cum rerum omnium principium ignem esse statueret, auctor *Cohortationis* nostrae inter opiniones relegat *ipsa Poëtarum theologia multo magis ridiculas* [18]); *Justinus* vero: *Quicunque*, inquit, *cum ratione vixerunt, Christiani sunt, etiamsi Athei existimati sunt, quales apud Graecos fuere Socrates et Heraclitus, apud barbaros autem Abraham . . . et Elias et multi alii.* [19]) Neque minus observatione dignus videtur locus iste *Paraeneseos*, in quo auctor sacram *Inspirationem*, quae coelestium rerum cognitionem recludit, *meram divini Spiritus operationem* esse intelligit nulla omnino inspirati hominis cooperante animi ingeniive facultate, ita ut divinum illud delapsum e coelis plectrum justis hominibus non aliter ac quodam *citharae* aut *lyrae instrumento* uteretur. [20]) Simile quid amat *Athenagoras*

16) ibid. c. 7. 8.; p. 97.
17) Apolog. I. c. 44.; p. 72.
18) Cohort. ad Graecos. l. l.
19) Apolog. I. c. 46.; p. 73. — Cf. Apolog. II. c. 8., p. 97.
20) Cohort. ad Graec. c. 8., p. 13.

dicere, quod nempe Dei Spiritus Prophetarum ora *tanquam instrumenta* pulsavit.[21]) Neque id mirum. Uterque enim totus id agit, demonstrare, tantum abesse, ut quis res divinas *sola* rationis investigatione assequi, et cognitionem Dei non ab ipso *Deo* sed a *se* posse discere arbitretur, ut potius *mera* sit divini Spiritus operatio *exclusa quaecunque humanae mentis facultate vel cooperatione.* Haec vero cogitandi ratio (ni omnia me fallunt) a S. *Justino* aliena est, qui scilicet ad divinam veritatem perfecte cognoscendam utique *revelationem* et eam quidem *externam* omnino necessariam esse docet; verum etiam sola ratione, eoquod omnibus semen quoddam veritatis insit, *nonnihil* posse velut in umbra percipi, deinde autem animum, si forte externa aliqua revelatione excitatus et adjutus fuerit, adeo esse habilem, ut *ulterius* investiget et persequatur veritatem. Justini igitur, si quid de Inspiratione dicturus fuisset, verosimilius dixisset, eam esse *intelligentiam humanam divino Spiritu superveniente ad divinioris cognitionis gradum et quasi potentiam evectam.* — Haec fere sunt, quae habui dicere in meam defensionem, quod Paraenesin nostram ad dubia Justini Martyris opuscula reponendam putavi.

4. Scripta genuina.

a. Liber de Monarchia (Dei).

aa. Disquisitio critica.

α) De genuinitate.

§. **126.** Inter genuina S. Justini Opera librum de Monarchia, duas item Apologias et Dialogum cum Tryphone recensemus. Et Tractatus quidem *De Monarchia*, opus a nonnullis in dubium vocatum, nobis *genuinum* videtur atque *integrum.* Librum enim quendam cum hac inscriptione a Justino nostro exaratum esse testantur

21) *Athenagor.* Legatio pro Christian. unac. S. *Justini* Opp. (ed. Maurin.) p. 303.

Eusebius [1]), *Hieronymus* [2]), *Photius.* [3]) Verba autem Eusebii haec sunt; *Praeter hos libros est etiam alius De Monarchia Dei, quum quidem non solum (οὐ μόνον) auctoritate sacrorum apud nos voluminum sed Gentilium etiam scriptorum testimoniis asserit.* Quibus verbis commotus primus *Natalis Alexander* [4]) libellum De Monarchia, quum is, qui nunc extat, Gentilium duntaxat virorum sententiis abundet, sacrarum vero literarum ne unum quidem testimonium adstruat, protinus relegandum inter spuria arbitratus est. *Tillemontius* autem, quem plerique alii secuti sunt, eadem Eusebiana verba respiciens, nostrum aut alium prorsus ab eo esse librum, quem Eusebius ex sacris et profanis constare testimoniis declarat; aut, si idem sit, saltem priorem partem, quae scilicet Scripturae loca referebat, quum nunc nullum eorum extet vestigium, totam periisse autumat. Quae posterior opinio probata est inprimis *Dupino* [5]), *Tobenzio* [6]), *Lumpero.* [7]) Et ne gratis id contendisse videantur, ad ipsum secundae (quam putant esse) partis initium provocant, et Justini verba c. 1: „Ἐγὼ δὲ... φιλοθέῳ τῇ γνώμῃ κεχρημένος, φιλανθρώπῳ χρήσομαι τῇ φωνῇ — sic vertunt: *Ego, divina* prius (i. e. in superiore libelli parte) *usurpata sententia, humana nunc etiam voce* (q. e. humanis testimoniis) *utar.* Sed in hoc quantopere erraverint, in aprico est. Debebant enim interpretari: *Ego autem.. animo utens Deo amante, utar voce hominibus amica.* Nihil igitur in ipso libro indicatur de altera quadam orationis parte, quam desideres. Ergo *non* est *mutilus* iste liber; imo, sive principium ejus sive finem respicias, totus perfectus et absolutus; quod item

1) Hist. eccl. lib. IV. c. 18. §. 2.; ed. cit. T. I. p. 267.

2) Catal. Scriptt. eccl. l. l.

3) Biblioth. Cod. CXXV.

4) Hist. eccl. c. nott. Const. *Roncaglia* (Paris. 1740.) T. V. c. 4. Art. 2. p. 30.

5) Bibliotheque des Auteurs eccl. T. I. p. 58.

6) Institt. Patrolog. (ed. III.) §. LXXXIII. p. 177.

7) Hist. theol.-crit. SS. PP. T. II. p. 108.

Moehlerus recte observat. Illa autem Eusebii verba cur viros eruditissimos in hanc sententiarum varietatem deberent conjicere, non video. Dicit enim, Justinum de Monarchia Dei disserentem usum esse *non solum* (nicht etwa —quemadmodum scil. alibi facere solent Justinus aliive SS. Patres, cum nempe totum sermonem suum divinis effatis contexunt) non solum, inquam, *sacris apud nos Scripturis, sed etiam* (q. e. imo potius) *gentilium scriptorum testimoniis.* Sic ipse *Justinus* alibi e. gr. in Cohortatione ad Graecos c. 9, ubi antiquitatem Mosis demonstrare adnisus est: *Non modo* (non), inquit, *ex divinis apud nos historiis id demonstrare aggredior, sed etiam ex vestris et ad religionem nostram nihil pertinentibus.* Et reapse nullum ibi deprehendes argumentum e SS. Scripturis petitum, sed gentilium tantum philosophorum ac Poëtarum sententias. Quae dicendi formula quam usitata fuerit Graecis atque Latinis, bene observant Grammatici, qui unam negationem in ejusmodi locis idem interdum ac duas valere, atque hinc *οὐ μόνον* nonnusquam pro *οὐ μόνον οὐ* usurpari monent; id quod pluribus exemplis demonstrat *Maranus.* [8]) Hoc igitur semoto dubio jam nihil est amplius, quod librum istum in suspicionem adducant. Consonat cum antiquorum Scriptorum testimoniis; consonat cum Justini dicendi ratione tam in principio quam in fine; consonat cum ejusdem proposito, quatenus ipse nempe testatus est, se varias in christianae religionis defensionem instituisse lucubrationes; consonat cum magna ejus in literis exercitatione, ut, qui in omni literarum profanarum genere eruditissimus erat, etiam hac via Gentilium errores aggrederetur, et eorum, quos hi plurimi fecerunt, nimirum Poëtarum et Philosophorum auctoritate profligaret. Ad haec accedit, quod is libellus in omnibus Mss. graecis Divo Justino attribuatur, et communi tot doctorum virorum judicio inter genuina ejusdem opera laudatus sit.

---

8) in Opp. S. Justini, Praefat. P. III. c. 2. nr. 6., p. LXVI. sq.

b) De tempore, quo liber scriptus est.

§. 127. Quò *anno* is tractatus exaratus fuerit, *non liquet*. *Eusebius* l. l. eum *quinto* loco scilicet post primam et secundam Apologiam et duo adversus Graecos volumina recenset. Eundem ordinem *Hieronymus* et *Photius* servant. Sed Apologiarum, non servato ordine chronologico, propter eminentiorem, in quem componebantur, finem et effectum prae ceteris libris omnibus mentionem fecisse videntur. Nos igitur scriptum esse hunc libellum arbitramur, *ante* quam *persecutio* Justinum acrioribus stimulis ad religionis defensionem excitaverat. Medias enim inter persecutiones neque otium neque animus fuisset S. Martyri, Gentiles Gentilium duntaxat scriptis refellendi. Est enim, ut recte *Maranus* observat, quaedam potius adversus Ethnicos ventilatio, quam plena religionis defensio; et satis quidem scite tunc (puta *secundo tertiove post ipsius conversationem anno*) profanam eruditionem ad Ethnicos refellendos convertit, at in explicandis christianae religionis principiis nondum immoratur.

bb. Opusculi Analysis.

§. 128. Praeter illustrium virorum gentilium maxime Poëtarum testimonia admodum brevis est auctoris ipsius oratio et perpauci illius proprii sermones atque sententiae. Scopus autem libelli est, docere, *unum esse Deum et rerum omnium Dominum ac Gubernatorem*. In medium profert *Aeschyli*, *Sophoclis*, *Philemonis*, *Orphei* et *Pythagorae* Carmina (c. 1. 2.). Hunc Deum solum esse *judicem*, non incensis malorum nec libaminibus placandum; homines autem de pravis operibus suis et de ipsa Dei ignoratione *poenas daturos* praedicat demonstratque productis iterum *Sophoclis*, *Philemonis*, *Euripidis*, *Platonis* testimoniis (c. 3. 4.). Deinde de *idolorum vanitate* disserens, eos minime inter deos reputandos esse, quos quidam vana traditione tanquam deos receperint, ostendit allatis multis ejusdem *Euripides* et *Menandri* locis (c. 5.). *Unum* igitur esse Deum concludit, non sua solum voce praedica-

tum, sed poëtarum etiam gentilium et eorum, qui nos in prima doctrinae elementa introducant; hunc solum ab omnibus Deum agnoscendum, ne non solum ut *ignari* coelestis gloriae sed etiam ut *ingrati* rationem Judici reddere cogamur (c. 6.).

b. *Duae Apologiae.*

aa. *Earum Disquisitio.*

α) circa genuinitatem.

§. 129. *Duae Apologiae* inter S. Justini Martyris opera adeo *communi omnium Eruditorum consensu genuinae* habentur, ut neutra longiore disquisitione indigeat. Luce enim clariora sunt verba *Eusebii*: *Primum igitur locum inter ejus* (Justini) *libros obtinet oratio ad Antoninum cognomento Pium et ad ejus Liberos Senatumque Romanum pro religione nostra conscripta. Altera vero Ejusdem oratio defensionem similiter fidei nostrae continens Antonino Vero nuncupata est, imperatoris supradicti successori et cognomini.* 1) Quod testimonium suffragatur S. *Hieronymus* his verbis: *Justinus ... pro religione Christi plurimum laboravit, in tantum ut Antonino quoque Pio et filiis ejus et Senatui librum contra gentes scriptum daret;.. et alium librum successoribus ejusdem Antonini, Marco Antonino Vero et L. Aurelio Commodo.* 2) Idem *Photius* affirmat. 3) Paucorum virorum autem opinio, *breviorem* apologiam, quae nunc *secundo* loco habetur, nonnisi *praeludium* longioris, ideoque has duas apologias *unam* tantum esse, quae suis numeris absoluta dici possit; haec inquam, opinio a *Lumpero* 4) aliisque satis superque refutata est. Neminem praeterea, qui eas diligentius perscrutatus fuerit, id fugiet, magnum esse inter utramque

1) Hist. eccl. Lib. IV. c. 18. pr., ed. cit. T. I. p. 266.

2) Catal. Scriptt. eccl. c. 23., in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 110.

3) Biblioth. Cod. CXXVII.

4) Hist. theol.-crit. T. II. p. 73. sq.

cum materiae tum temporis *discrimen*; et S. Justinum in breviori apologia multa paucis tetigisse, quae jam alias sese indicat pertractasse. Unde liquet, duos fuisse *peculiares* libros, et *breviorem* quidem (uti nunc demonstrabimus) tempore *posterius* evulgatum.

b) De tempore, quo scriptae sunt.

§. **130.** In vulgatis *antiquioribus* editionibus *Apologia longior breviori postponitur.* Caussam hujus erroris inter alia fortasse dedit *Eusebius* [1]), qui locum quendam ex breviori S. Justini apologia adfert, dicens, eum esse ex priore eoque longiore Apologetico desumtum. Sed hic aperte *calami error* est, cum is ipse capite antecedente et subsequente eandem posterius editam testetur. Post *Tillemontium* [2]) nulla amplius hac de re controversia est. Atque *primam* Apologiam *Romae* esse confectam ex Eusebio colligimus. [3]) *Quo anno* id factum sit, quamvis ipse quidem Justinus tunc annos a Chr. n. centum et quinquaginta numeratos esse observet [4]); tamen, quia non probe scimus, a quo anno S. Martyr inceperit Salvatoris nostri nativitatem computare, non ita facile possumus accurate definire. Nos iis accedimus, qui eam anno ineunte 139 exaratam censent. Directa enim est ad Titum Aelium *Antoninum* imperatorem, ad Marcum *Aurelium* et L. *Verum* et ad Senatum Populumque Romanum [5]). Regnabat autem Antoninus *Pius* ab anno 138 usque ad 161. Ergo non est *ante* annum 138 composita. Neque vero *finito* anno proximo 139 editam fuisse ex eo conjicimus, quod Marcus Aurelius jam eo ipso anno *Caesar* creatus est, quem quidem honorem tunc, cum dedicata apologia est, nondum adeptus erat, alioquin Justinus certo non omisisset, illum eximio hoc honoris et dignitatis titulo insignire.

1) Hist. Eccl. Lib. IV. c. 17. §. 1, p. 262. sq.
2) Memoires eccl. T. III. P. II. not. 12., p. 610.
3) Hist. Eccl. IV. c. 11. §. 4. in fin., p. 239.
4) Apolog. I. c. 46. pr., ed. *Maurin.* p. 73.
5) ibid. c. 1, p. 44. Cf. *Euseb.* et *Hieron.* ll. ll. (§. 129.).

Huic argumento aliud accedit, nimirum quod eo tempore, quo scripta est haec apologia, Christianos valde adhuc vexatos comperimus. Cum enim *Antoninus Pius* neque ipse quidquam severe in Christianos ediceret, neque turbari eos ab aliis pateretur (id quod pro certo relatum legimus) consentaneum non est, Justinum *tunc demum* pro Christianis intercessisse, cum satis illius clementiam cognovisset, nec amplius querelae locus esset.

§. **131.** *Secunda* eaque aliquanto *brevior* Apologia quo anno, quibusve Imperatoribus scripta sit, non una est doctorum virorum sententia. Et Henr. *Valesius* [1]) quidem et Lud. de *Longuerue* [2]), quibus accedunt *Pearsonius* [3]) et *Lumperus* [4]), Antonino Pio imperante ao. 13, s. aerae vulgaris ao. 150; *Pagius* [5]) vero, *Tillemontius* [6]), *Ceillierus* [7]), *Tobenzius* [8]) et recentiores paene omnes sub initium imperii Marci Aurelii Antonini Philosophi seu intra annos 161 — 166 confectam esse breviorem apologiam statuunt. Id certum est, S. Justinum Martyrem, quum alterum librum pro fidei nostrae defensione obtulisset, fraude et machinationibus *Crescentis* philosophi sacro martyrio coronatum esse. [9]) Idem *Eusebius* dicit, hanc alteram fidei nostrae defensionem oblatam esse Antonino Vero, imperatoris supradicti (Pii Antonini) successori. [10]) Et profecto multo verosimilius atrox illa et late vagans, quam ipse S. Martyr non obscure indicat [11]), persecutio a *Marco Aurelio* quam a *Pio Antonino* facta fuisse perhibetur.

---

1) in nott. ad Euseb. Hist. Eccl. IV. c. 17.

2) Dissertatt. de variis Epochis etc. (Lips. 1750. 4.) De vita S. Justini, p. 228. sq.

3) Opp. posthum. Dissert. II. c. 9. p. 254.

4) Hist. theol.-crit. T. II. p. 76. sq.

5) Critic. in Baronii Annal. ad a. 162. §. 2. sq.

6) Memoires eccl. T. II. not. 12. p. 315.

7) Histoire générale des Auteurs eccl. T. II. p. 19. sq.

8) Institt. Patrol. (Edit. III.) §§. LXXXI et LXXXII. p. 176.

9) *Euseb.* Hist. Eccl. IV. c. 16. §. 1., p. 259.

10) Idem ib. c. 18. §. 1. p. 266.

11) Agolog. II. c. 1—3., ed. *Maurin.* p. 91. sq.

Magis vero miror, quod ii quoque, qui decretum illud *ad commune Asiae* transmissum (§. 133.) genuinum putant et ab Antonino Pio editum, sibi persuadere possunt, principem tam generosum postmodo tam infensum se praebuisse christiani nominis persecutorem, aut missum in omnes provincias decretum illud, Christianis adeo gratiosum, ita Romae sub ejusdem Imperatoris oculis spretum violatumque fuisse, ut novam, nempe secundam apologiam Justinus offerre cogeretur.

bb. Analysis.

a) Apologiae I.

§. 132. Tota haec Apologia commode in *tres partes* dispescitur, quarum in *prima* Justinus Christianos indicta causa non esse condemnandos demonstrat, eorumque *innocentiam* exponit; in *altera* religionem christianam certissimis niti *fundamentis* probat; in *tertia*, quid in *mysteriis* Christianorum peragatur, enarrat. Initio igitur declarat S. Martyr, unum se esse ex Christianis (c. 1.). Summa cum libertate postulat, ut imperatores *aequitatem* servent, et Christianos aliorum reorum more jubeant judicari; periniquum enim esse, solum *nomen* indicta caussa damnari (c. 2—5.). Hanc injustitiam ortam esse a *daemonibus;* in hoc quidem, quod daemones non colant, Christianos dici posse atheos, quippe cum Deum *Patrem et Spiritum Sanctum* colant (c. 5—7.). Si qui ex Christianis convicti essent criminis, id non debere *aliis* nocere. De fide sua interrogati *libenter confitentur*, quamvis possint negare, sed confitentur ut mendacium vitent, et ad Deum suum citius perveniant (c. 7—9.). Neque etiam vituperari debent Christiani, quod *simulacra* non colant, nec quod putent, Deum *donis* non indigere (c. 9—11.). Neque regnum *humanum* expectant Christiani; nihil ejusmodi ab eis metuendum; quin imo eorum principia ad *pacem* et reipublicae *tranquillitatem* maxime conducunt (c. 11—13.). Iterum edisserit, *atheos non esse* Christianos, id quod probat ex puro cultu, quem exhibent uni

Deo trino, et ex mirabili morum mutatione, postquam a Daemonum cultu recesserunt (c. 13—15.) Producit auctor in medium eximia *Christi praecepta* a christianis religiose observata, veluti de castitate, de caritate in omnes et liberalitate in pauperes, de patientia, de vitando jurejurando, de obedientia regibus praestanda et solvendis vectigalibus (c. 15—18.). Tam bene affectos cives ne spernant imperatores; sin metuant post mortem *judicium*, quod ipsi gentiles scriptores agnoscunt. Christiani insuper *corporum resurrectionem* credunt, et huic dogmati nonnulla affinia dixerunt etiam Ethnici, unde soli christiani propterea non debent vexari (c. 18—21.). Similiter quae de *Filio Dei* ejusque in coelum *ascensione*, de *Verbi generatione*, Ejusdem *incarnatione* et *morte* docent, absurda videri non debent, cum tam multa Poëtae de filiis Jovis nugati fuerint (c. 21—23.). — In *secunda* parte Apologiae Justinus tria se probaturum pollicetur: Veritatem a solis Christianis doceri; Filium Dei vere esse incarnatum; fabulas opera Daemonum inventas, ut Christi adventus item fabula videretur esse. Et *veritatem* quidem *a solis Christianis doceri*, eosque *propterea* vexari ex eo probat, quod illis solis *non* licet, quod aliis omnibus libere conceditur; quod sola *veritas* adducere eos potuit, ut adeo morte proposita Deum verum colant; quod denique ipsi *iniquissima* patiuntur, dum Haereticos persecutio non affligit (c. 23—27). *Christianos criminibus* ita *abhorrere* docet, ut ne infantulos quidem recens natos exponere fas esse putent, et homicidii inde periculum metuant. Vel enim *omnino non* ineunt matrimonium nisi ad liberorum educationem; vel si a nuptiis abstineant, perpetuam *castitatem* servant (c. 27—30.). Quod autem ad alterum est, nempe *Filium Dei esse vere incarnatum*, id demonstrat ex pluribus *Prophetarum* vaticiniis a Mose usque ad Michaeam; in qua expositione data occasione quasdam quasi regulas addit ad Scripturae intelligentiam, exempla struens, ubi Deus Pater loquatur, ubi Filius, ubi Spiritus Sanctus; quid porro de Apostolis et de Christi regno dudum prae-

dictum sit, observans obiter, quod in libris propheticis non raro futura ut jam facta narrentur (c. 30—43.). Docet, ex his prophetiis minime consequi, ea omnia, quae praedicta sunt, necessitate quadam *fati* fieri, imo *liberum* in homine *arbitrium* esse probat. Loquitur deinde de Christi *ascensione* a Prophetis annuntiata, contenditque, minime innocuos esse eos, qui *ante* Christum vixerunt, si a veritate aberraverint, cujus semina insunt omnibus hominibus. Pergit inde ad *vaticinia* de Hierosolymorum expugnatione, de vocatione gentium et Judaeorum reprobatione, de Christi adventu, generatione inenarrabili, de Ejusdem morte ac resurrectione. Ex his oraculis jam *adimpletis* concludit, ea quoque *confirmari*, quae *nondum* evenerunt. Sub omnium enim oculis versari, quod adimpleta sint, quae de Judaeorum reprobatione et Gentilium vocatione Prophetae praedixerunt (c. 43—54.). Postremo ostendit, *fabulas de filiis Jovis inspiratione daemonum, ut etiam Christi veri Filii Dei adventus figmentum videretur, esse inventas* et a Poëtis divinos Prophetas quasi imitantibus divulgatas. Hi tamen Poëtae nihil unquam de *Cruce* suspicati sunt, cujus potentiam et utilitatem nunc Justinus commendat. Eodem consilio Daemones induxerunt *Simonem*, *Menandrum* et *Marcionem* haereticos; sed nihil aliud perficere potuerunt, nisi ut Christiani ab impiis odio haberentur. Imo *Platonis* quoque sententias de mundi creatione, de Filii decussato etc. ex libris *Mosis* haustas esse probat (c. 54—61.). — Denique in *tertia* Apologiae parte primum docet, quomodo Christiani sese Deo consecrare soleant in *Baptismo*. Hoc lavacrum Daemones cum per Prophetas praedicatum comperissent, baptismum imitantes aspersiones et *lavacra Ethnicorum* induxerunt. Sic etiam ex his, quae *Christus* Mosi dixerat, instituerunt, ut calceos solverent, qui in templa ingressuri erant. (Non enim Deum *Patrem* apparuisse Mosi, sed *Filium*; Judaeos autem, qui Patrem apparuisse dicant, neque Patrem cognovisse neque Filium demonstrat). Eidem daemonum artificio tribuit etiam fabulas de Minerva et Proserpina (c.

61—65.). Deinde S. Martyr *Eucharistiae* institutionem et consecrationem ejusque significationem atque omnia deinceps, quae in SS. Synaxibus agebantur, exponit (c. 65—68.). Ad conclusionem Imperatores admonet, ut, si ea quae dixit spernenda arbitrentur, saltem capitali supplicio digna non videantur. Subjungit postremo epistolam *Hadriani imperatoris* in gratiam Christianorum datam (c. 68—70.). Hactenus Justinus. In ejus Operum editione praestantissima a Prud. Marano adornata huic primae Apologiae adnexae sunt aliae duae *appendices*, nempe Antonini (Pii an M. Aurelii ambigitur) *Epistola ad Commune Asiae* (c. 70.); et Marci (Aurelii Antonini) imperatoris *Epistola ad Senatum* (c. 71.). De his duabus epistolis statim plura.

§. 133. Hanc Apologiam non absque prospero successu fuisse, vix erit qui dubitet. Id vero, quod *Zonaras* (Annal. XII. 1.) innuit, hunc illius defensionis fructum fuisse, ut *ne quis Christianus propter religionem accusatus supplicio afficeretur, imo ipse tali saccusator poenam lueret*, id, inquam, minus sibi fidem faciet. Sunt quidem, scio, multi et ii quidem magni nominis viri, qui genuinum illud *decretum ad Commune Asiae* profitentur; licet inter eos ipsos gravis de vero hujus rescripti auctore controversia sit, siquidem *Scalinger*, *Valesius*, *Pagius*, *Grabius* aliique illud *Marco Aurelio* tribuunt; *Baronius* vero, *Halloixius*, *Papebrochius*, *Maranus*, *Lumperus*, *Ruttenstockius*, alii a *Pio Antonino* emissum contendunt. Illorum opinioni maxime *Eusebii* auctoritas favet, qui illius Decreti auctorem expressis verbis Marcum Aurelium fuisse scripsit. [1]) Alterius vero partis sententia aliis iisque non contemnendis argumentis testimoniisque comprobari videtur. Unde etiam editum est unacum Justini Apologia prima ad *Pium* Antoninum directa, ad cujus calcem cap. 70 subjungitur. [2]) Primo enim ipse Eusebius l. l.

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. IV. c. 13. §. 1., ed. cit. T. I. p. 241.
2) in *Justini* Opp. ed. *Maurin.* p. 87.

illud ex Apologia *S. Melitonis* ad *Marcum Aurelium* descripsisse se fatetur. Cur autem Melito, quem sub M. Aurelio vixisse et apologiam suam exarasse compertum habemus, clementiam hujus imperatoris singulari libello implorasset, si is talem legem in Christianorum gratiam tulisset? Deinde graves illi terraemotus, quorum in Edicto diserta mentio fit, teste *Capitolino* [3]) tempore *Antonini Pii* in Asia acciderunt. Item *Orosius* (Hist. VII. 14.) librum apologeticum Antonino (sc. *Pio*) ab Justino traditum, illumque inde benignum erga Christianos factum esse contestatur. Quod idem etiam *Zonaras* l. l. confirmat. Nihilo vero minus non pauci VV. DD. atque in his, ut alios taceam, eruditissimus *Doellingerus* [4]) de genuinitate prorsus dubitantes hoc decretum cujuspiam hominis christiani *figmentum* esse arbitrantur. Ab Eusebio quidem (quod nonnulli suspicati sunt) confictum fuisse vix est credibile, quum magistratus coaevi eum e publicis scriniis facile fraudis convincere potuissent. Sed valde suspectus usque manet tenor hujus legis. Quis enim ethnico et Romano imperatori, sive Pio Antonino sive Marco Aurelio Philosopho unquam venisse in mentem putet edicere: „*Quodsi quis adhuc pergit cuiquam illorum negotium facessere ex eo, quod Christianus sit, delatus quidem crimine absolvatur, tametsi constet eum reipsa christianum esse; delator autem ipse poenas luat.*“ [5]) — Quod autem ad *alteram epistolam* attinet, qua M. Aurelius Antoninus testatur, *Christianos victoriae super Marcomannis reportatae caussam* fuisse; itidem sunt, qui eam genuinam illius imperatoris putent, provocantes potissimum ad testimonia *Tertulliani* [6]) et *Eusebii* eundem exscribentis. [7]) Sed ponamus, ut Tertullianus literas ejusmodi suis oculis vide-

3) Vita Antonini Pii, c. 9.; in *Scriptt. hist. August.* T. I. p. 268.
4) Geschichte der christl. Kirche, Bd. I. Abth. I. §. 15. Anmerk. 2., S. 146. 147.
5) *Euseb.* l. l. §. 3., p. 242.
6) Apologet. c. 5., in Ej. Opp. ed. *Girardi* (Venet.) p. 63
7) Hist. eccl. Lib. V. c. 5. §. 2.; ed. cit. T. I. p. 323.

ret, quod quidem vir doctus *Scaliger* omnino negat, *Tillemontius* vero potiori jure asseverat; illas tamen ab hac *nostra* epistola perquam discrepare jam Maranus diserte probat. Ut enim id unum adtingamus, Epistola, de qua nos agimus, *omnem prorsus poenam* a Christiano religionis tantum nomine accusato propulsat; at id penitus pugnat cum Tertulliano et cum exemplis *Martyrum Viennensium*, quos in judicium vocatos legimus damnatosque ipso jubente Marco. Nec procul a vero aberrasse videtur Scaliger, qui literas hasce multo *recentioris* Graeci rerum Romanarum minus gnari foetus esse pronuntiat, infra seculum *Justiniani* imperatoris.

b) Synopsis Apologiae II.

§. 134. Hujus Apologiae *caussam* dedit damnatio aliquot Christianorum, quos Justinus ab *Urbico* Praefecto ob solam Christi nominis professionem supplicio traditos vidisset. Declarat in primordio, homines improbos cum daemonibus operam conjungere ad occidendos Christianos, et hujus rei manifestum argumentum profert, narrans historiam supra dictam. Imo se ipse testatur exspectare, fore ut a *Crescente* Cynico, homine nomine philosophi indigno, accusatus ad stipitem affigatur (c. 1—4.). Rationem deinde reddit, cur Christiani, quos Ethnici per ludibrium, ut mortem sua sibi manu adferant, *quo citius ad Deum suum veniant*, exhortati sunt, id non faciant; cur nihilominus interrogati num Christiani essent, impavide profiteantur; simul refellit objectionem Gentilium, frustra Christianos, Deum sibi adjutorem assistere, gloriari, cum eos occidi patiatur. In qua refutatione et *Dei justitiam* et *fratrum innocentiam* defendere conatur. Et Dei quidem justitiam *sic* probat; Hominum curam Deus angelis commissit, sed hi in vitia lapsi flagitia et perniciem in genus humanum disseminarunt. His Deus potentissimum remedium opposuit, *Filium* suum, *Verbum incarnatum*. Hujus autem contritae diabolicae potestatis prae-

8) in Praefat. ad edit. Opp. *Justini* P. III. c. V., nr. V. p. LXXVI.

stantissimum argumentum in eo ponit, quod Christiani per *nomen Dei* et *Christi* daemones expellunt. Propter Christianos Deus mundum conservat, necdum statim de daemonibus supplicium sumit, sed aliquando in *ignem aeternum* mittentur, cum conflagratione fiet, quae tamen *non ex fato* eveniet, cum fatum nec libertati nec virtuti locum relinquat (c. 4—8.). Pergit deinde ad probandam *Christianorum virtutem* atque *innocentiam*, quae ex ipsis persecutionibus egregie commendatur. Si daemonibus semper invisi fuerunt, qui veritatis vel aliquam scintillam assecuti sunt; quanto magis daemones odio habere Christianos debent, qui *totum Verbum incarnatum* complectuntur, ac daemones expellendo aeterna illis supplicia denuntiant. Refutata obiter eorum opinione, qui ignem aeternum ut commentum irrident, docet, Christianorum doctrinam et vitam longe praestantiorem esse quam philosophorum, atque ipsam illorum *constantiam* in perferendis cruciatibus et suppliciis nobile esse argumentum et virtutis et innocentiae et doctrinae eorum Platonica multo generosioris (c. 8—14.). Postremo rogat, ut hic libellus *publica* auctoritate comprobetur (c. 14. 15.).

c. *Dialogus cum Tryphone Judaeo.*

aa. *Disquisitio.*

α) circa ejus genuinitatem.

§. **135.** Dialogus hic certo *genuinus* est. Id *Eusebius* [1]), *Hieronymus* [2]) atque *omnes* fere antiqui, nemine unquam refragante testantur. Atque cum his testimoniis etiam cuncta, quae de *internis* hujus scripturae notis quaesieris, plane concordant. Seculo demum ineunte decimo octavo Gottl. *Kochius* [3]) in contrariam sententiam

1) Hist. eccl. Lib. IV. c. 18. §. 2., ed. cit. T. I. p. 267..

2) Catal. Scriptt. eccl. c. 23., in Ej. Opp. ed. Marrin. T. IV. P. II. col. 110.

3) D. Justini Dialogus juxta regulas examinatus et suppositionis convictus, Kilon. 1700. 8.

abiit, atque unum et alterum, viros cetera obscuros, post se traxit. Sed is cum asseclis suis ab Alb. *Felde*, Gottfr. *Wagnero*, Ern. *Cypriano*, Franc. *Buddaeo* merito castigatus est. Adeo enim, quae iste adstruit, futilia sunt ac nullius momenti, ut ea neque nostra consideratione neque refutatione digna censeamus. Aliam et eam quidem minus contemnendam difficultatem excitavit Jo. *Wettstenius*, observans, quod auctor Dialogi in V. T. locis allegandis non utatur versione *LXX interpretum*, sed magis accedat ad *Origenis* Hexapla, et aliam rursus (putat Symmachianam) in Daniele adhibuisse videatur versionem. 4) Verum hanc anachronismi suspicionem Andr. *Gallandius* 5) egregie excussit, ut nihil omnino sit, quod ejus vindiciis addamus. Neque longiore refutatione opus erit adversus eos, qui *mutilam* hanc altercationem ad nos venisse autumant. Scilicet in ejusmodi suspicionem adducti sunt nonnulli, eoquod c. 78 et alibi dialogum per *biduum* esse continuatum indicatur, quin tamen in ipso libro (uti nunc extat) ullum interruptionis vestigium animadverti possit. Inde igitur conjecerunt, finem colloquii primi diei et initium secundi in nostris editionibus desiderari; et *Grabius* in Specilegio Patrum has lacunas (ut sibi visum est) sententiis partim pro suo arbitratu additis, partim ex *Joanne Damasceno* repetitis explere conatus est, sed vereor, ne vir doctus operam perdiderit. Etenim si ordinem ac seriem consideremus, quam S. Justinus in omnibus argumentis dispensandis sequitur, amissae dialogi partis desiderio modum ponemus. Satius duxisse videtur S. Martyr omnia una eademque serie comprehendere, quam accurate distinguere, quid primo, quid secundo die disputatum sit. Disertius hanc rem exponit *Maranus*, integritatem operis pro viribus defendens 6), cujus argumentis recentiores plerique acquieverunt.

---

4) Nov. Test. graec. (Hal. 1764. 4.) in Prolegg. c. 5. p. 64.

5) Biblioth. SS. PP. T. I. Prolegg. p. LXXXV. sq.

6) in Justini Opp. (ed. Venet.) Praefat. P. III. c. VII. p. LXXXVI. §§. 1—4.

b) quo tempore scriptus sit.

§. 136. Dialogus colloquium continet *Ephesi* cum *Tryphone* habitum et a Justino postmodo literis mandatum. Nonnulli quidem arbitrantur, in hac elucubratione minus verum hominem quam *personatum* introductum, et dialogum minus extemporalem quam ex *proposito* elaboratum esse. Verum nihil omnino est, quod tale quid suspicandi nobis necessitatem imponat. Dialogus enim artificiosiorem elaborationem non praesefert; sexcentae enim ibi occurrunt quaestiones repente motae et agitatae; quot sermones interrupti, quot ampliores digressiones, quot loca minus sibi cohaerentia, quot defectus transitionis ab altera ad alteram orationis partem! Quae omnia nempe in vero colloquio fieri solent. Varia autem et non raro ampliora S. *Scripturae* testimonia totidem plerumque verbis tam *apposite* tamque *fideliter* citata si forte ea memoria recitata fuisse addubites, id facile concedimus. Fieri enim potuit, ut ea Justinus, cum colloquium istud domi retractaret, *scripto codice adhibito* paulo accuratius exscripserit. Quae quum ita sint, facilius est colligere, quo tempore dialogus habitus et consquenter etiam scriptus fuerit. Nimirum *ante* annum 139, quo nempe *priorem* suam Apologiam exaraverat Justinus, haec disceptatio *non* potuit haberi, quoniam in ipso hoc dialogo illius defensionis fit mentio.[1]) Teste autem *Eusebio* l. l. haec disputatio acta est Ephesi, ubi S. Martyr, prout ipse refert[2]), in *Xisti spatiis* (i. e. in amplissima porticu publica) mane ambulans cum Tryphone aliisque eum comitantibus convenerat. Cum igitur Justinum *non multo post* quam Apologiam primam *Antonino Pio* obtulit, ex urbe Roma aliquamdiu discessisse et in Asiam reversum esse nobis exploratum sit, verisimilius, Dialogum habitum esse *anno* 140 vel *pro-*

---

1) Dialog. c. Tryphone c. 120 in fin., p. 225.

2) ibid. c. 1, p. 105.

ximis abinde annis, cum *Pagio* [3]), *Longuervio* [4]), *Moehlero* [5]), aliis conjicimus.

bb. Dialogi Analysis.

§. 137. Dialogus praemissis nonnullis introductionis instar (c. 1—10.) *tribus partibus* continetur; in *prima* (c. 10—48.) praejudicatae *Judaeorum* de lege Mosaica et christiana religione *opiniones refelluntur*; in *secunda* (c. 49—109.) dogmata nostra de Christi *deitate*, *incarnatione* et *redemtione* ex SS. Scripturis probantur; in *tertia* (c. 109—142.) pari ratione de *vocatione gentium* et Christi *ecclesia* per Prophetas dudum praenuntiata disseritur. Et initio quidem *Dialogi causa* exponitur. Justino Ephesi ambulanti obvius fit quidam Judaeus, *Trypho* nomine, seque *philosophiae studiosum* esse indicat. Ille autem, ubi *Judaeum* esse cognovit, miratur, hominem Mosi et Prophetis addictum non missos facere *philosophos* (c. 1.). Narrat, se pluribus gustatis philosophis tandem adhaesisse *Platonicis* (c. 2.); donec senex quidam sibi demonstraverit, quam *inanis* sit scientia philosophorum (c. 3.). Anima non potest videre Deum sine *Spiritu sancto*, neque etiam natura sua per se *immortalis* est; quod quidem Plato ceterique philosophi ignorabant (c. 4. 5. 6.). Veritatis cognitio a solis *Prophetis* petenda (c. 7.). Ex hoc cum sene colloquio Justinus ad amorem *Christi* accensum se esse fatetur et *christianam religionem* amplexum. Rident, qui cum Tryphone erant socii; dolet ipse Trypho sortem Justini. Is autem pollicetur, se demonstraturum, quod christiana religio *certissimis argumentis* nitatur (c. 8. 9.). His igitur praemissis incipit Dialogus. Tryphoni objicienti, id unum se vituperare in Christianis, quod *legem* non observent, S. Martyr respondet, Mosaicam legem *abrogatam* novamque jam esse inductam, quam per Christi gratiam

3) Critica in Baronii Annal. ad a. 148. §. 7.
4) Dissert. de vita Justini §. 19. p. 223.
5) Patrologie, Bd. I. S. 208.

Gentiles observent, dum illam *Judaei* violent (c. 10—13.). *Peccatorum remissionem* apud Isaiam non per Judaeorum lustrationes promitti sed *per sanguinem Christi* (c. 13.). Justitiam ab eodem Propheta non in externis reponi ritibus sed in *cordis conversione* a Christo donata; hanc *verum* esse circumcisionem (c. 14. 15.); judaicam nonnisi in signum poenae datam merito a Christianis rejici; siquidem veteribus ignota demum, *Abrahae* in signum data est, lex autem sub *Mose* ob duritiam cordis instituta (c. 16—19.). Ciborum *delectum* quendam institutum, ut etiam inter edendum et bibendum Deum ante oculos haberent (c. 20.); *sabbata* autem introducta esse ob peccata populi, non tanquam opus justitiae (c. 21.); similiter *sacrificia* et *oblationes* (c. 22.). Judaeorum de lege sententia injuriam Deo facit (c. 23.). Longe praestantior *Christianorum* circumcisio, sine qua nec Judaei possunt salvari (c. 24—27.). Quodsi *Prophetae* eadem docent ac *Moses*, id propter eandem cordis duritiam faciunt (c. 27.). Vera justitia sola per *Christum* comparatur, Christum autem colentibus lex *inutilis*, quia Christiani legem aeternam per Christi gratiam observant (c. 28—31.). Tanta igitur est *Christi potentia;* quae si tanta in *primo* ejus adventu fuit, quanto magis aliquando in *secunda* erit gloriosa (c. 31.). Duos esse Christi adventus, eundemque Dominum et Deum et adorandum dici ex pluribus *Psalmis* docet, quos in *Salomonem* negat convenire, ut qui non solum non tantus sed etiam vitiosus fuerit ac vero Christiano dissimilis (c. 32—35.). Quamvis enim etiam in Christianis improbi dentur atque haeretici, tamen istae haereses Catholicos in fide magis *confirmant*, utpote a Christo praedictae (c. 35.). Legem ostendit *figuram* eorum esse, quae ad Christum pertineant, et finem habuisse in Christo, sine quo Judaei frustra salutem sibi promittunt (c. 36—45). Fatetur, *justos*, qui ante legem et sub lege fuerunt, *salvari*, sed *per Christum*; neque negat, salutem adepturos, siqui *legem* cum *fide in Christum* conjungant (c. 45—48.).

§. 120. Quae hactenus Justinus dixerat, ad refu-

tandas Tryphonis *objectiones* spectant, quod Christiani legem non observent, et Deum crucifixum credant. Sequitur jam *secunda* pars Dialogi *de Christi Deitate*. Acrius instans Trypho postulat ut *Christum* primo ante secula *Deum* exstitisse; deinde ut eundem *incarnatum*, *hominem* factum esse; *nec* tamen esse *hominem ex homine* probet (c. 48.). Justinus igitur, antequam disputationem ingrediatur, monet, ut fixum ratumque maneat, quod jam demonstratum erat, *Jesum* nempe esse *Christum*. Objicienti vero, nondum advenisse *Eliam*, respondet, *Joannem* esse primi adventus praecursorem, idque ex *Isaia* confirmat (c. 49—52.); ab ipso autem *Jacob* duos adventus esse praedictos ostendit (c. 52—55.). Et rogante Judaeo, ut Christus *Deus* probetur, sed citra metaphoram, promittit Justinus ac probat, Deum, qui Abrahae, Jacob et Mosi apparuit, a Deo *Patre* esse distinctum (c. 55—60.); et Judaicas de eo, qui in rubo apparuit, opiniones refellit et *Sapientiam* a Deo, ut ignem ex igne, genitam demonstrat ex verbis *Salomonis* et *Mosis* (c. 60—63.). His igitur de Christi divinitate argumentis cedens rogat Trypho, ut et de Filii Dei *incarnatione*, *passione*, *resurrectione* et in coelum *ascensione* pergat exponere. Tum Justinus multis, quibus Christus ut *Deus* simul et *Homo* laudatur, *gentium*que conversio praedicitur, testimoniis adlatis susceptam demonstrationem prosequitur, locum Isaiae: *Ego Dominus Deus*, ... et *gloriam meam alteri non dabo neque virtutes meas*, — et alterum Isaiae: *Ecce virgo concipiet*.. exponit (c. 63—67.). Deinde ad ejusdem alias objectiones, nempe hanc ex virgine generationem *fabulae Persei* non absimilem esse, et satius fuisse Jesum *hominem ex homine* natum sed propter potiorem vitae sanctitatem ex observatione legis ad Dei dignitatem evectum esse existimare, respondens primo Judaicas de lege et de Christo, quem hominem ex hominibus sibi fingerent, opiniones refellit; tum in his, quae Poëtae de Baccho, Hercule, Aesculapio, Perseo fabulentur, artificia *diaboli*, oracula *Prophetarum* imitantis, ostendit; denique textum illum: *Ecce*

virgo concipiet etc. adversus pravam Judaeorum interpretationem tuetur, multaque alia S. Scripturae loca adfert, quibus majestas *divinitatis* cum *carnis* humilitate conjungitur (c. 67—77.). His expeditis *Isaiae* prophetiam in Christo adimpletam fuisse ostendit; interpositas a Tryphone de *Angelis*, de *Hierosolymorum restauratione* et *regno mille annorum* quaestiones resolvit; nonnulla de dono *prophetiae*, de praedictis a Christo *persecutionibus* et *haeresibus* disserit; denique Psalmum CIX, 1., Isai. VII, 14., Psalm. XXIII, 7., minime ad *Ezechiam* referenda sed de solo *Christo* dicta esse demonstrat (77—86.). Similiter nunc Christi passionem defensurus multa loca V. T. colligit, quae praesignificarunt *lignum crucis*, et Tryphoni per occasionem interroganti, cur Christus, cum sit Deus, opus habuerit *Spiritu sancto*, fusius respondet (c. 86—89.). Cum autem Judaeus nihilominus crucis ignominiam agnoscere dubitaret, quia *maledictus a Deo omnis, qui in ligno pendet;* tum Justinus quanta sit *potentia crucis* ex manibus Mosis extensis, ex benedictione data Josepho, ex serpente in deserto exaltata exponit, et nonnullis obiter de *interpretatione Scripturarum* monitis locum a Tryphone objectum explicat, addens alia quoque ad hoc mysterium probandum testimonia (c. 89—106.). Reliquum erat, ut de Christi *resurrectione* diceret. Probat eam ex fine *Psalmi* XXI et ex *Jonae* historia, quam Judaei non solum respuerunt, sed Christum et Christianos deterrimis calumniis ubique in invidiam vocarunt (c. 106—109.).

§. **130.** In *tertia* Dialogi parte probatur, *vocationem gentium* et *Ecclesiam* a Christo constitutam jam dudum *Prophetarum* oraculis et veteris testamenti *figuris* praenuntiatam esse. Et conversionem *gentium* quidem praedictam esse a *Michaea* probat, colligens praeterea alia multa, quibus gentium per Christi sanguinem liberatio praesignificata est (c. 109—111.). Exiles et jejunas Judaeorum interpretationes refellit, ac *Josue* figuram *Christi* fuisse, gentesque a Christo *secundam* eamque longe praestantiorem *circumcisionem* accipisse ostendit (c. 111—114.).

Idem dogma ex *Zachariae* visione atque *Malachiae* de sacrificio Christianorum vaticinio demonstrat, idque ex Christi *Sacerdotio* aliisque ejus titulis confirmat (c. 114—119.). Docet, Christianos populum esse Judaeis multo *sanctiorem*, et genus quod Abrahae ejusque filio et nepoti promissum est. Benedictionem autem in ipso Christo promissam non ad Proselytos *Judaeorum* pertinere sed ad *Christianos* dicit; hi enim *verus Israel* sunt et *filii Dei*, et laetantur cum populo Dei, ut Prophetae praedixerunt, ac vocationem suam morum probitate evincunt, dum Judaei impietate sua semper Deum offendant (c. 119—134.). Christi vero *Ecclesiam* similiter praefiguratam et praedictam esse ostendit in connubiis *Jacob*, cui aliud semen promissum, Judaeis reprobis successurum; item in arca *Noë* et benedictionibus, quas Noë dedit filiis suis (c. 134—140.). In qua Ecclesia jam nullum dari discrimen servorum et liberorum, ac frustra Judaeos, se esse filios Abrahae gloriari; etenim eos *sua culpa* hoc loco cecidisse probat. Postremo nequis forte dicat, *oportuisse* Christum crucifigi, neque aliter evenire potuisse, *liberum* esse in hominibus et Angelis arbitrium demonstrat (c. 140—142.). Hac peracta disputatione Tryphon suo et sociorum nomine Justino gratias agit, et faustam navigationem apprecatur. Is vicissim eos peramice salutavit, nec quidquam majus se precari posse ait, quam ut ipsi quoque cognoscant, Jesum esse *Christum Dei* (c. 142.).

5. Justini Operum Editiones.

a. Universales.

§. **140.** Editio *princeps* sed ea *graeca* tantum est *Rob. Stephani*, *Paris.* 1551. *fol.*, omnia Justini opera genuina et supposita, excepta oratione ad Graecos continens. *Hanc* et insuper *Epistolam ad Diognetum*, quae satis diu sub Justini nomine incedebat (§§. 66. 77.) addidit *Henr. Stephanus*, *Paris.* 1592. — Paulo post illam *Roberti* Stephani editionem opera Justini *omnia*, sed *latine*

tantum, appositis post singulos tractatus, *annotationibus* publici juris facta sunt a Joach. *Perionio*, O. S. B. Monacho et Doct. theol., *Paris*. 1554. *f*. — Aliam editionem eamque *latinam* tantum coepit Sigism. *Gelon*. Bohemus, et absolvit quidam *Anonymus*, *Basil*. 1555. 8, recus. *Paris*. 1575. 8. — Et tertia *latina* solum, additis *commentt.* prodiit studio Joann. *Langi* Silesii, *Basil*. 1565. *f*. — Post *Henricum* autem Stephanum, imo eodem fere tempore Frid. *Sylburgius*, Philologus et Polyhist. Heidelberg., *omnia S. Justini Opp. graece* cum lat. versione *Langii* suisque annott. et Jo. *Arcerii*, Dav. *Hoeschelii* et Hieron. *Wolfii* observatt. evulgavit *Heidelberg*. ap. Commelin. 1593. *f*. — Haec editio additis *Athenagorae*, *Theophili* Antiocheni, *Tatiani* et *Hermiae* Philosophi Operibus recusa est *Paris*. 1615 atque iterum 1636. *f*. ap. Nivellium. — Eadem postmodo *Kortholdi*, Prof. theolog. Kilon., Commentariis ad Apologetas supradictos aucta prodiit *Colon*. (imo Vitemberg.) 1686. *f*. — Locupletissimam vero omnium graeco-lat. curavit editionem Prudent. *Maranus*, O. S. B. Monachus ex Congreg. S. Mauri, exhibens non solum *S. Justini Opp. quae extant omnia*, unac. *Epistola ad Diognetum* perperam eidem tributa; sed etiam *Tatiani*, *Athenagorae*, *Theophili* Antioch. et *Hermiae* philos. Scripta, nec non in Append. *supposita* Justini Opera, cum *Actis* illius *Martyrii* et Excerptis *deperditorum libb.* Justini, Tatiani et Theophili. Haec *omnium praestantissima* editio cum Mss. Codd. collata ac novis *versionibus*, *admonitionibus* ac tripartita *praefatione* illustrata cum *indicibus* copiosis in lucem emissa est *Paris*. 1742. *f*. et *Venet*. 1747. *f*. — Secundum hanc Maurinam editionem, omissis tamen nott. etc., Opp. Justini recud. cur. Franc. *Oberthür*, *Wirceburg*. 1777—78. *III*. 8., et Andr. *Gallandius* in sua Biblioth. vett. SS. PP. et quidem Apologg. Justini et Dialog. c. Tryphone, cum Actis Martyrii, nec non Tatiani Orat. adv. Graec. in T. I.; Athenagorae, Hermiae et Theophili quae supersunt in T. II.

b. particulares.

§. 141. Praeterea *singulares* quoque Justini libri tam genuini quam subdubitati (missis tamen certo spuriis) editi sunt; primum quidem *Cohortatio ad Graecos* latino tantum sermone a Joann. Franc. *Pico* Mirandulae Principe, *Basil.* 1528. *f.* — Eadem graec. et lat. *Lutetiae* 1539 ex Officina Guillardi. — *Apologiam majorem* graece cum lat. versione *Langii* correcta, *Kortholdi* annott. et varr. nott. illustratam ed. Jo. Ern. *Grabe*, *Oxon.* 1700. 8. — *Apologia minor*, *Oratio ad Graecos*, *Cohortatio ad eosdem* et *Liber de Monarchia*, cum Langii lat. vers. et notis Rob. et Henr. Stephani, Perionii, Billii, Sylburgi, Grabii, Potteri etc. adjectis Langii et Kortholdi observatt. evulg. ab H. *Hutchino*, Oxon. 1703. 8. — *Dialogus c. Tryphone* ed. et paucis nott. illustr. est a Sam. *Jebb*, *Londin.* 1719. 8. — *Apologiae duae* et *Dial. c. Tryphone*, gr. et lat. ed. c. nott. et mend. Styan. *Thirlby*, Philolog. Anglo-Britan., *Lond.* 1723. *f.* — *Apologias I et II* denuo ex rec. Grabii sed graece tantum edidit et variis lectt. DD. VV. ex editt. Sylburgi, Thirlbii et Marani et suis observatt. instruxit Chr. Guil. *Thalemann*, *Lips.* 1755. 8. — Novissime *Apologiam utramque* graece in usum praelectt. ed. J. W. P. *Braun.* *Bonn.* 1830. 8.

C. Doctrina S. Justini.

1. Observationes dogmaticae.

a. De ss. Scripturis.

§. 142. Omnem veram religionis cognitionem a solo *Deo*, quippe qui summa veritas, peti posse ostendit, et sacras V. T. Scripturas vera *divini Spiritus* oracula dicit, et Prophetas *vaticinantes . . nulla alia re efferri quam Verbo divino . . .* Itaque *cum Prophetarum verba velut aliqua ex persona referri auditis, non ab his, qui afflati fuerunt, sed ab eo, qui illos movebat, Verbo divino, dicta*

existimate [1])... Et alibi similiter dicit: Hi viri *beati et justi et Deo cari.. Spiritu sancto afflante locuti sunt; .. Hi soli verum et viderunt et hominibus nuntiarunt.. ea tantum praedicantes, quae audiverant et viderant Spiritu sancto repleti.* [2]) Quod sibi ipse quidem adeo persuasum habuit, ut Scripturas posse inter se *pugnare* prorsus negaret. *Sed si qua,* ait, *proponatur scriptura, quae ejusmodi esse videatur, et praetextum, quasi alteri esset contraria, praebeat; .. fatebor potius me non intelligere, quae dicuntur.* [3]) Hinc consentaneum est, quod S. Martyr ingenue profitetur, S. Scripturam non posse intelligi nisi speciali *divinae gratiae* dono: *Tu vero,* inquit, *ante omnia precare, ut tibi lucis portae aperiantur; neque enim haec quisquam perspicere valet et intelligere, nisi cui Deus intelligere dederit et Christus ejus.* [4]) In quanta autem reverentia nobis debeat esse haec divini Verbi doctrina, praeclare edisserit hisce verbis: *Habet enim in se terribilem quandam majestatem, et ad eos permovendos idonea est, qui de recta via deflexerunt; his autem, qui eam meditantur, suavissima est requies.* [5])

b. De SS. Trinitate.

§. **143.** *Unum* Deum in *Trinitate* diserte confessus est dicens: *Eum* (Patrem) *et Filium, qui ab eo venit et nos ista docuit, (et ceterorum, qui illum assectantur eique assimilati sunt, Angelorum exercitum) et Spiritum sanctum propheticum colimus et adoramus* [1]); et alibi inferius: *Quis igitur sanae mentis homo non fateatur, atheos nequaquam nos esse, qui opificem hujus universitatis colimus?.. Jesum Christum autem .. vere Dei Filium*

1) *Apolog. I.* c. 33. fin., c. 36 princ.; in *S. Justini* Opp. omn. edit. *Maurin.* (Venet. 1747. f.) p. 66. 67.

2) *Dialog. cum Tryphone.* c. 7 pr., p. 113.

3) ibid. c. 65, p. 170.

4) ib. c. 7 fin., cf. c. 119 pr.; p. 113. 223.

5) ib. c. 8, p. 114.

1) *Apol.* I. c. 6; p. 47.

edocti, ipsumque secundo loco; Spiritum autem propheticum tertio habentes ordine non sine ratione a nobis coli demonstrabimus. [2]) Docet igitur S. Martyr, Deum in *tribus* Personis consistere; Patrem, Filium et Spiritum Sanctum distinctas quidem esse personas, sed *pari* cultu adorandas; denique *Angelis* quoque cultum quendam deferri. Nec offendere debet locus ille, ubi Justinus Christo Deo statim Angelos adjungit. Fecit enim hoc, quod Angelorum quoque cultum praedicabat, ut nimirum magis criminationem *atheismi* propulsaret, et Angelos Christianorum bonos malis Gentilium *daemonibus* opponeret. Adjungit eos autem *Christo*, ut hunc eorum creatorem et omnium creaturarum quasi *Prototypon* esse ostendat. Dicit autem „et *ceterorum* Angelorum", quoniam Christus quoque saepius in Scripturis *Angelus* audit. Ceterum aperte declarat, quantum intersit inter Filium et Angelos, dum eos scilicet ut *famulos et imitatores Verbi* adjungit. Frustra etiam objiciat quispiam illa verba *colimus et adoramus; σέβεσθαι* enim et *προσκυνεῖν* neque semper et absolute adorare significant, neque utrumque simul necessario ad Angelos referendum est, cum nimirum possit solum verbum *adorare* ad Deum trinum, *colere* vero (discrimine nempe habito, quod Creatorem inter et creaturam intercedit) ad Angelos referri.

c. *Speciatim de Christo Deo atque Homine.*

§. **144.** Quid de *divinitate* Christi senserit Justinus, satis luculenter et Paganis et Judaeis, licet non aeque aperte utrisque, exposuit. Dicit enim *Deum ante omnes res creatas Principium genuisse ex se ipso, virtutem quandam rationalem . . Verbum; quale est quod in nobis fieri videmus. Aliquem enim sermonem proferentes, sermonem gignimus, nec tamen cum abscissione, ita ut sermo ille, qui in nobis est, dum eum proferimus, imminuatur. Quale est etiam quod videmus ex igne alium ignem nasci, non imminuto eo, ex quo iste accensus est; et qui ex eo accen-*

2) ibid. c. 13, p. 51.

sus est, extat ipse et apparet, nec eum imminuit, ex quo accensus est. Testis mihi erit Verbum Sapientiae, ipse ille Deus ex Patre Universorum genitus, qui et Verbum et Sapientia et Virtus et Gloria est genitoris. 1). *Deus autem est*, ait, *eoquod Filius primogenitus sit omnium creaturarum* 2) . . . *Verbum denique appellant, quia Patris sermones ad homines perferat. Hanc autem Virtutem a Patre abscindi aut separari non posse, quemadmodum lux solis in terra abscindi et separari nequit a sole, qui est in coelo;* . . . *Virtutem illam, quam et Deum sermo propheticus* . . . *et Angelum vocat* . . *ex Patre genitam dixi virtute et voluntate ipsius, non vero per abscissionem, quasi Patris substantia divideretur* . . 3) Hoc *Verbum antequam mundus crearetur, quod et una cum eo aderat et genitum est, cum per illud initio omnia condidit et creavit; hic, inquam, Filius, eoquod unctus sit et per eum Deus omnia ornaverit, Christus vocatur; quo quidem et ipso nomine res significatur indeprehensa, quemadmodum Dei appellatio non nomen est, sed rei non enarrabilis insita naturae hominum opinio.* 4)

§. 145. Non minus praeclare de Christi *humana natura* loquitur. In Apologia prima vocat illum *Verbum forma indutum, et hominem factum et Jesum Christum appellatum.* 1) Deinde probat *Jesum Christum, cum Dei Verbum et Primogenitus et Virtus sit, solum proprie Filium ex eo esse genitum, ejusque voluntate factum hominem humani generis restaurandi et revocandi causa.* 2) Is vere Homo-Deus, tota Verbi persona est, utramque et divinam naturam et humanam in se conjungens, *quia quidquid ad Verbum pertinet, id extitit Christus, qui pro nobis appa-*

1) *Dialog.* c. Tryph. c. 61, p. 165 sq.
2) ibid. c. 125 med., p. 230.
3) ibid. c. 128 med., p. 234.
4) *Apolog. II.* c. 6 med., p. 96.
1) *Apol. I.* c. 5 sub fin., p. 47.
2) ibid. c. 23, p. 58.

ruit, nempe *Corpus et Verbum* (q. e. divinitas) *et Anima* [3]). Atque hoc incarnationis mysterium fusius exponens dicit: Is, *cum Verbum sit primogenitum Dei, Deus etiam est. Ac prius quidem Mosi ac ceteris Prophetis in specie ignis et imagine incorporea visus est, nunc autem vestri imperii temporibus ex Virgine homo factus, secundum Patris voluntatem pro eorum salute, qui illi credunt; et pro nihilo haberi et pati sustinuit, ut mortuus ac resurgens mortem vinceret.* [4]) Quod idem contra Tryphonem strenue defendit, in qua argumentatione, quaecunque Judaeus ei injungit demonstranda, nimirum Dei Filium *ex Virgine hominem*, de Patris sui *voluntate* natum et *crucifixum* et *mortuum* esse et postea *resurrexisse* et in coelum *ascendisse*, omnia haec, inquam, deinceps pertractat, et cuncta, quae moventur, dubia uberrime resolvit. [5]) Sed imprimis exsurgit oratio, ubi de redemtione nostra a *peccato originali* et debita *maledictione* loquitur, et *Psalmum* XXI exponens Christum pro nobis *vere* passum ac mortuum demonstrat. [6])

d. De Angelis bonis et malis.

§. 146. *Angelos* eodem modo ac hominum genus *liberos* [1]) creatos esse et *immortales* [2]) edisserit, iisque *hominum ac rerum, quae sub coelo sunt, curam commissam* a Deo. [3]) Distinguit autem bonos et malos. Et *bonos* quidem, *qui illum* (Christum) *adsectantur eique assimilati sunt, colimus.* [4]) *Pravi* autem *daemones*, *cum praesentiam suam exhiberent, stupra mulieribus et pueris intulerunt, ac terricula hominibus monstrarunt ita ut percellerentur . . et metu correpti, atque malos esse daemones*

---

3) *Apol. II.* c. 10 pr., p. 98.
4) *Apol. I.* c. 63 sub fin., p. 84.
5) *Dial.* c. Tryph. c. 63—70. p. 168 sqq.
6) ibid. c. 94—107, p. 201 sqq.
1) *Apol. II.* c. 7 med., p. 97.
2) *Dialog.* c. 128 med., p. 234.
3) *Apol. II. c.* 5, p. 95.
4) *Apol. I.* c. 6., p. 47.

ignari Deos appellant. Sic *idololatriam* ortam esse atque incrementa cepisse demonstrat. [5]) Et alibi; *Apud nos,* inquit, *princeps malorum daemonum Serpens vocatur, et Satanas, et Diabolus . . Hunc Christus praemonstravit cum ipsius exercitu et assectantibus hominibus in ignem missum iri, ut in infinitum aevum crucientur.* [6])

e. De Ecclesia et Hierarchia ecclesiastica.

§. 147. *Ecclesiam* esse *unam,* ac veluti Dei filiam ac Jesu Christi sponsam esse considerandam exhibet in expositione *Psalmi* XLIV, 11. 12. dicens, communionem omnium in Christo fidelium recte *filiam* vocari, *cum sit una anima et una Synagoga et una Ecclesia.* [1]) Quomodo autem haec communio fidelium s. Ecclesia ad Christum genitorem suum referenda sit, praeclare innuit dicens: *Quemadmodum ab uno illo Jacob . . omne genus vestrum Jacob et Israel vocatum est; sic et nos ab eo, qui in Deo genuit, Christo . . veri filii Dei vocamur et sumus, mandata Christi servantes.* [2]) Idem S. Pater, ubi *Eucharistiae* liturgiam et celebrationem describit, expresse *Praepositos* ecclesiae et *Diaconos* commemorat, et *Populum* a *Clero* distinguit. [3])

f. De Peccato originali et sacramento Baptismi.

§. 148. Depravationis humani generis causam primariam ponit S. Justinus in *peccato originali.* Hinc, ait, *nasci et crucifigi sustinuit Christus . . pro genere humano, quod per Adamum in mortem et Serpentis fraudem inciderat, unoquoque sua culpa improbe agente.* [1]) Similiter alibi Christum dicit ex *Virgine hominem factum* esse, *ut, qua via initium orta a serpente inobedientia accepit,*

5) ibid. c. 5 med., p. 47.
6) ibid. c. 28 pr., p. 62.
1) *Dialog.* c. Tryph. c. 63 sub fin., p. 168.
2) ibid. c. 123 fin., p. 229.
3) *Apol. I.* c. 65. 67, p. 85. 86.
1) *Dialog.* c. 88 med., p. 196.

eadem et dissolutionem acciperet.. Eva enim sermone Serpentis concepto inobedientiam et mortem peperit. [2]) A qua ingenerata iniquitate per *lavacrum regenerationis* mundamur. Sic enim habet de Baptismo: *Quandoquidem primam nostram generationem ignorantes necessitate quadam ex humido semine per mutuam parentum mixtionem geniti sumus, atque in pravis moribus et nefariis institutis educati; ut necessitatis et ignorationis filii non maneamus, sed electionis et scientiae, et ut remissionem peccatorum, quae prius commisimus, consequamur in aqua; super eo, qui regenerari voluerit, et peccatorum poenitentiam egerit, Patris universorum et Domini Dei nomen pronuntiatur.. Sed et in nomine Jesu Christi.. et in nomine Spiritus Sancti.. is, qui illuminatur, abluitur.* [3]) Per hunc Baptismum *circumcisionem spiritualem* accepimus. [4])

g. De s. Eucharistiae alimento et sacrificio.

§. **149.** De vera incarnati Verbi praesentia in *Sacramento Eucharistiae* tam luculenter exponit S. Martyr, ut nihil omnino reperias, quod ad *figuram* tantum possis trahere; nihil, quod non adstruat diserte mirabilem illam panis et vini *transsubstantiationem.* Narrat enim, *panem* et *poculum aquae et vini* ei, qui fratribus praeest, offerri, hisque ab illo acceptis *laudem et gloriam* Universorum Parenti per nomen Filii et Spiritus Sancti emitti, et *gratias* agi. *Postquam* vero *preces absolvit, et populus omnis acclamavit Amen, Diaconi panem et vinum cum aqua, in quibus gratiae actae sunt, unicuique praesentium participanda distribuunt, et ad absentes perferunt. Atque hoc alimentum apud nos vocatur Eucharistia, cujus nemini alii licet esse participi, nisi qui credat vera esse, quae docemus, atque illo ad remissionem peccatorum et regenerationem lavacro ablutus fuerit, et ita vivat, ut Chri-*

---

2) ibid. c. 100 sub fin., p. 206.
3) *Apol. I.* c. 61 med., p. 82.
4) *Dialog.* c. Tryph. c. 43 pr., p. 145.

stus docuit. Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus; sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jesus Christus Salvator noster et carnem et sanguinem habuit nostrae salutis causa; sic etiam illam, in qua per precem ipsius verba continentem gratiae actae sunt, alimoniam, ex qua sanguis et carnes nostrae per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus. Nam Apostoli .. ita sibi mandasse Jesum tradiderunt; eum scilicet accepto pane gratias egisse et dixisse etc. [1]) Praeclaram deinde subjungit descriptionem *liturgiae in S. Eucharistia* tunc temporis usitatae. [2])

§. **150.** Cum S. Justinus passionem Christi sic in Eucharistia repraesentari fateatur, ut ipsa illa victima, quae pro nobis olim occisa est, *praesens* in altari sistatur; idem nec ambigere potuit, quin Christus in hoc statu sese Patri suo in manibus sacerdotis *offerat.* Atque hoc jam in V. T. *praefiguratum* fuisse ostendit dicens: *Similae quoque oblatio, pro iis, qui a lepra purgabantur praescripta, figura erat panis Eucharistiae, quem Dominus noster J. Chr. in recordationem passionis, pro his qui ab omni pravitate purgantur susceptae, fieri praecepit.* Et statim hujus sacrificii praestantiam et institutionis finem exponens prosequitur: *Ut gratias agamus, Deo, tum quod mundum et omnia, quae in eo sunt, propter hominem creaverit; tum quod nos a nequitia, in qua fuimus, liberaverit, et principatus et potestates funditus deleverit per eum, qui ejus voluntate passibilis factus est.* Sed non solum praefiguratum olim jam fuisse hoc Eucharistiae sacrificium, sed etiam diserte *praedictum* per *Malachiam* Prophetam I, 10.; quibus verbis statim subjungit: *De iis autem, qui ipsi in omni loco a nobis offeruntur, sacrificiis, i. e. de pane et de calice Eucharistiae, jam tum praedicit, illud etiam addens, nomen suum a nobis glorificari, a*

1) *Apolog. I.* c. 65. 66, p. 85. sq.
2) ibid. c. 67, p. 86.

vobis autem (Judaeis) *profanari.*[1]) Ad objectionem autem Tryphonis, qui illum locum Malachiae ad *Judaeos* inter Gentiles dispersos referri, et de sola *interna oratione* intelligi voluit; Justinus non negat quidem, *preces et gratiarum actiones, quae a dignis peragantur, perfecta esse et Deo accepta sacrificia*; verum statim addit: *Atque haec sola facere Christiani didicerunt, cum per alimoniam suam siccam simul et liquidam* (sc. Eucharistiam) *passionis illius, quam propter eos Filius Dei passus est, recordationem celebrant.*[2])

h. De Christi gratia.

§. **151.** Ut lapsus homo sanetur, unicum Justinus agnoscit remedium, *fidem*, quae per *caritatem* operatur. *Ex gentibus* enim, ait, *per Christi fidem Dei cultores et justi facti sumus.*[1]) Et alibi lavacrum salutare dicit esse eorum, *qui poenitentiam agunt, nec jam hircorum et ovium sanguine expiantur . . sed fide per sanguinem Christi et mortem ejus.*[2]) Caritatem autem, quam Christus diffundit in cordibus nostris, saepe depingit sub imagine circumcisionis spiritualis. *Praeclare ergo in nobis agitur*, inquit, *qui circumcisi sumus secunda circumcisione; . . . quorum corda ita sunt pravitate circumcisa, ut laeti mortem oppetamus propter nomen praeclarae illius petrae* (Christi), *quae et in eorum corda, qui per ipsum diligunt Patrem Universorum, aquam vivam emittit, et eos potat, qui aquam vitae sitiunt.*[3])

i. De Resurrectione, Judicio, praemiisque et poenis aeternis.

§. **152.** Sunt, qui S. Justinum in duplicem *errorem*

---

1) *Dialog.* c. 41 pr., p. 144.
2) ibid. c. 117. med., p. 221 sq.
1) *Dial.* c. Tryph. c. 52 fin., p. 156.
2) ibid. c. 13 pr., p. 117.
3) ibid. c. 114 med., p. 219.

incidisse dicunt, cum nimirum hominum animas *non immortales* et impiorum poenas *non aeternas* statuat. Verba autem Justini haec sunt: *Neque immortalis dicenda est* (anima); *nam si immortalis, profecto etiam ingenita..* Et paulo infra: *Piorum quidem animas in meliori loco manere, iniquorum autem et malorum in deteriore, judicii tempus exspectantes. Sic istae, cum Deo dignae judicatae fuerint, jam non moriuntur; hae vero puniuntur, quamdiu eas esse et puniri Deus voluerit.* [1]) Sed accuratius siquis haec dicta adtenderit, et cum aliis S. Patris nostri assertis contulerit, facile reperiet, Justinum in loco illo superiore id solum agere, ut *Platonicorum* sententiam evertat, qui animas non a Deo originem duxisse sed ab aeterno *per se* exstitisse opinabantur. Hinc Justinus recte dicit animam *non per se* esse immortalem sed a Deo creatam et immortalem factam. Idem enim ibidem statim subjungit: *Non tamen perire dico ullas animas; vere enim de lucro id esset improbis.* [2]) Et non multo infra satis luculenter, quam recte sentiat, ostendit dicens: *Anima vel vita est, vel vitam habet. Quodsi vita est, aliud quidpiam vivere faciat, non se ipsam; sicut et motus aliud quidpiam moveat potius, quam se ipsum. Animam autem vivere nemo negaverit. Sed si vivit, non ideo vivit, quod vita sit, sed quod vitae particeps. Aliud autem id, quod alicujus est particeps; aliud id ipsum, cujus est particeps. Vitae autem anima est particeps, eoquod eam Deus vivere velit; sic etiam particeps aliquando non erit, cum eam Deus vivere nolet. Neque enim animae ita, ut Dei, propria vita est.* [3]) Simili modo Justinus poenas impiorum, quibus et quamdiu cruciandi forent, recte a sola voluntate *Dei* dependere dicit, poenarum aeternitatem propterea minime negans. Diserte enim profitetur: *Quoniam autem Deus ab initio liberum Angelorum et Hominum genus crea-*

---

1) *Dialog.* c. Tryph. c. 5 pr., p. 111 sq.
2) ibid. c. eod.
3) ibid. c. 6, p. 113.

vit, merito peccatorum suorum supplicia in aeterno igne persolvent. 4) Et alibi adversus Platonem disputans, qui quidem improbos, cum ad Minoem et Rhadamanthum venerint, punitum iri ab illis dixerat: *Nos autem*, inquit, *idem illis eventurum dicimus, sed a Christo; idque existentibus in iisdem corporibus unacum suis animabus, ut poena aeterna puniantur, non mille annorum, ut iste dixit circuitu definita.* 5) Et rursus alibi docet, *unumquemque ad aeternam sive poenam sive salutem pro meritis actionum suarum proficisci.* 6)

§. 153. Atque ut nihil ex industria praemisisse videar, quod ad doctrinam S. Justini spectat, id quoque breviter attingam, quod ille *de regno millenario* senserit. *Ego*, inquit, *et si qui recte in omnibus sentiunt Christiani, et carnis resurrectionem futuram scimus et mille annos in urbe Jerusalem aedificata etc.* 1) Accusantur autem Millennarii, quod Sanctis ante generalem resurrectionem *visionem Dei* denegent. Sed quocunque in loco animas Justorum ante resurrectionem collocet Justinus, jam tunc eas aeterna beatitudine et Dei visione perfrui non obscure declarat dicens: *Aeternae ac purae vitae cupidi ad domicilium cum Deo universorum Patre atque Opifice promissum contendimus . . cum persuasum habeamus et credamus, haec bona ab illis comparari posse, qui factis suis testati Deo fuerint, se illum sectatos esse, ac illud apud eum domicilium adamasse, ubi nulla vitiositas reluctatur.* 2) Similiter alibi bonorum animas *a corpore exeuntes beatas* esse, animas autem iniquorum *sensu etiam post mortem praeditas puniri* pronuntiat. 3) De *Antichristo* Sanctus noster paucis loquitur et ita, ut *jam pro foribus adesse* illum existimaret. Tunc *Christum de coelo cum*

4) *Apol. II.* c. 7 med., p. 97.
5) *Apol. I.* c. 8., p. 48.
6) ibid. c. 12 pr., p. 50.
1) *Dial.* c. 80 fin., p. 181.
2) *Apol. I.* c. 8., p. 48.
3) ibid. c. 12 et 20, p. 50, 56.

gloria venturum asserit. [4]) Jam vero non ita magno conatu opus foret, ut a Justino propulsetur, quidquid regni terrestris opinio habuit maxime vitiosi, *corporeas* scilicet voluptates. Quamvis enim dixerit, *futurum ut iterum Hierosolymam veniret, tuncque unacum discipulis ederet et biberet* [5]); tamen non vereor, ne justos redivivos adstringat Justinus quotidiana cibi potusque indigentia, ut potius *spirituales* velim intelligere delicias, quibus Christum justos potaturum existimabat. Cum hoc secundo Christi adventu *resurrectionem* quoque bonorum et malorum et *judicium* extremum sic *conjungit*, ut sententiam hac de re *communem* sequi videatur. Dicit enim in Apolog. I: *Cum gloria e coelis unacum angelico ipsius exercitu adventurus . . corpora exsuscitabit omnium, quicumque exstiterunt, hominum; ac dignorum quidem corpora induet incorruptione, iniquorum autem in perpetuo sensu cum pravis daemonibus in ignem aeternum mittet.* [6]) Similiter in Dialogo quoque *sic futurum* ait, *ut mors in secundo ipsius Christi adventu... penitus facesset nec jam amplius ulla sit, cum alii in judicium et condemnationem ignis perpetuo cruciandi mittantur; alii vero perpessionis et corruptionis et doloris expertem statum atque immortalitatem assequantur.* [7]) Denique probe notandum est, S. Martyrem ea, quae *de regno millenario* ipse opinatur, minime pro regula *fidei* tradidisse. Ipse enim suis temporibus esse *multos*, *eosque ex illo Christianorum genere, quod piam et puram* (catholicam) *sequebatur sententiam, id non agnovisse* diserte fatetur. [8])

2. Doctrina moralis.

§. 154. Laude et admiratione sane dignissima sunt,

---

4) *Dial.* c. Tryph. c. 32 med. et c. 110 pr., p. 135. 214.
5) ibid. c. 51 med., p. 154.
6) *Apol. I.* c. 52, med., p. 75 sq.
7) *Dialog.* c. 45 fin., p. 148.
8) ibid. c. 80 pr., p. 186.

quae S. Justinus, Christianorum sui temporis mores depingens observat. *Castimoniam*, ait, *unice amplectimur;.. ea, quae possidemus, in commune conferimus, et cum indigentibus quibuscunque communicamus;.. et convictoros sumus, et pro inimicis oramus; et qui nos odiis prosequuntur, eos suadendo flectere conamur.* 1) A strupis praesertim et fornicationibus et expositione infantium prorsus dicit abhorrere, qui christianae religioni nomen dederunt. *Vel enim*, ait, *omnino matrimonium non inimus, nisi ad liberorum educationem; vel, si a nuptiis refugimus, perpetuo nos continemus.. Deinde vero metuimus, nequis ex iis, qui exponantur, non susceptus intereat, et homicidae simus.* 2) Multos esse, narrat, utriusque sexus homines, annos sexaginta et septuaginta natos, qui a pueris Christi disciplina imbuti, *incorrupti perseverabant*, talesque *in omni hominum genere* monstrari posse praedicat; *innumerabilem* vero esse *eorum multitudinem, qui ex lascivia sese receperunt*, et continentiam didicerunt. 3) Christianos item subditos esse, et lubenter obsequium praestare Principibus ostendit. *Illud etiam*, inquit, *studio nobis est, ut vectigalia et census... primi omnium pendamus.. Proinde nos solum Deum adoramus; vobis autem* (Imperatoribus) *in aliis rebus laeti servimus, Reges et Principes hominum vos agnoscentes, et simul precantes, ut cum regia potestate sanam quoque mentem obtinere comperiamini.* 4) Omnem suam fiduciam in Christo positam affirmat neglectis et contemtis mundi illecebris. *Vos autem*, ait, *cum regnum a nobis exspectari auditis, humanum perperam suspicamini,.. quia spes in rebus praesentibus positas non habemus, interfectores parvi pendimus etc.* 5) Omnes adeo firmos fide et gratia divina sustentos esse docet, ut ne carceribus qui-

1) *Apol. I.* c. 14. med., p. 52.
2) ibid. c. 29 pr., p. 62.
3) ibid. c. 15., p. 53.
4) ibid. c. 17. p. 54.
5) ibid. c. 11, p. 49.

dem et vinculis, nec ferro aut igne aliisve tormentis cruciati a confessione discederent; *imo*, inquit, *quanto magis talia nobis infliguntur, eo plures alii per nomen Jesu fideles et pii fiunt.* [6]) Hinc tanta ipso testante potestas fuit, qua sui aevi Christiani daemonibus imperabant. *Plurimos enim*, inquit, *daemoniis agitatos in toto orbe et in urbe vestra multi ex nostris, cum per nomen Jesu Christi .. adjurarent, ab omnibus aliis adjuratoribus, incantatoribus et veneficis non sanatos sanaverunt et etiamnum sanant fractis et ejectis daemonibus homines detinentibus.* [7])

III.

SS. Melito. Dionysius Corinth. Pinytus. Philippus. Apollinaris.

1. Melito Sardensis.

a. Vita.

§. 155. *Divinus et sapientissimus inter Doctores Melito* [1]), Ecclesiae *Sardensis* in Lydia Episcopus, *Eunuchus* (i. e. caelebs) *fuit, cunctaque Spiritu sancto afflatus gessit* [2]), et *a plerisque Christianorum Propheta habitus est.* [3]) Morte haud violenta anno circiter 173 e vita decedens [4]) *Sardibus sepultus est, ubi adventum Domini, in quo resurrecturus est, exspectat.* [5])

---

6) *Dialog.* c. 110 med., p. 214.

7) Apol. II. c. 6 fin., p. 96.

1) *S. Anastasius Sinaita* in Ὁδηγῷ, c. 13, in Biblioth. PP. max. Lugdun. T. IX. p. 843.

2) *Polycrates* in Epist. ad Victorem Papam fragm., quod extat apud *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. V. c. 24, ed. *Zimmermanni* T. I. p. 367. nr. 2.

3) *Tertullianus* apud *Hieronym.* in Catalog. Scriptt. eccl. c. 24, in Hieron. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 110.

4) S. Militonem ao. 170 vel non multo post mortuum esse, ex eo

b. Opera.

aa. Genuina sed maximam partem deperdita.

§. 156. Is vir, cui erat *ingenium elegans et declamatorium* [1]), multa exaravit opuscula ab *Eusebio* [2]) et *Hieronymo* recensita, quae tamen *cuncta* exceptis nonnullis fragmentis *interierunt*. In his deperditis primum locum obtinet *Oratio pro fidei nostrae defensione*, quam anno c. 170 M. Aurelio Antonino obtulit. Hujus Apologiae fragmentum memoriae nostrae prodidit *Eusebius*. [3]) Alterum non minus memoratu dignum est opus sex librorum, *Eclogas s. Excerpta* e SS. Scripturis V. T. complectens, quod rogante quodam Onesimo, quem in epistola dedicatoria fratrem appellat, conscripserat. Ex hac epistola ab *Eusebio* servata [4]) comperimus, S. Melitonem ipsum in hunc finem profectum esse in Orientem, et loca sancta adiisse, ut Veteris Testamenti scripta diligenter edisceret. Atque ecce, eorum index, quem statim subjun-

conjicitur, quod liber ejus apologeticus, qui teste Eusebio (Hist. eccl. Lib. IV. c. 26, ed. laud. T. I. p. 281. nr. 1.) omnium postremus fuit, verisimilius ao. 170 exaratus Aurelioque Antonino oblatus fuerit; cf. *Antonii Pagi* Critic. in Annal. Baronii ad a. 170 n. 3; *Jo. Pearsonii* Nott. in Ignatii Epistt. genuinas, T. II. p. 76; *Henr. Dodwelli* Dissertatt. Cyprianicae Diss. XI. §. 39. p. 264.; *Phil. Baraterii* Disquisit. chronolog. c. 18. §. 3. p. 220.; *Andr. Gallandii* Biblioth. PP. T. I. Prolegg. col. 119. Alii VV. DD. Melitonem demum intra annos 175—177 Apologiam suam imperatori nuncupasse opinantur, ut *Seb. Tillemontius* in Memoires de l'hist. eccl. T. II. n. 2. p. 321.; *Henr. Valesius* in Nott. ad Eusebium Lib. V. Prooem. ed. Taurin. p. 169.; *Rem. Ceillierus* in Histoire générale des Auteurs sacrés, T. II. p. 76. Morte autem non violenta decessisse Melitonem, ex silentio *Polycratis* conjicere est, qui SS. Episcoporum obitum in illo fragmento narrans, *Polycarpum*, *Thraseam*, *Sagarim*, omnes, qui Martyrio coronati sunt, Martyrum titulo honorat, quo tamen Melitonem nostrum nullibi insignit.

5) *Polycrates* ap. *Eusebium* Hist. Eccl. V, 24. nr. 2.

1) *S. Hieron*, l. l.

2) Hist. eccl. Lib. IV. c. 26 ed. cit. T. I. p. 280. nr. 1.

3) ibid. p. 281—283, nr. 3. 4. 5.

4) ibid. p. 284, nr. 6.

git, *omnes libros V. T. protocanonicos* continet, una libro *Esther* omisso; nisi forte et hunc libellum una cum *Esdrae* (et *Nehemiae*) libris comprehensum intelligit. Idem scripsit *De Paschate libb. II*, in quibus autem opinionem tuitus est Orientalium, qui decima quarta mensis Nisan diem Passionis Domini et tertio deinde die festum Resurrectionis celebrandum esse contendebant. Praeter haec recensita opera Eusebii et Hieronymi temporibus extabant Ejusdem *Liber de recta vivendi ratione et de Prophetis*; alius *De Ecclesia*; alius *De die Dominico*; alius item *De natura hominis*; alius *De formatione* (s. creatione) hominis; porro *De sensuum fidei obsequio*; praeterea *Liber de anima et corpore et mente*; *Liber de lavacro*; alius *De veritate*; alius *De conditu et generatione Christi*; alius *De prophetia*; alius *De hospitalitate*; alius quoque, qui *Clavis* [5]) inscribitur; ad hos accedit *Liber de diabolo*, alius *De revelatione Joannis*; item alius *De corporeo* (incarnato?) *Deo*. [6]) — Hisce ab Eusebio et Hieronymo laudatis S.

5) Extat quidem versio latina in Cod. Mss. Collegii *Claromontani* S. J., cujus titulum esse: *Melitonis Asiani Clavis Scripturae sacrae*, Magn. *Crusius* asseruit. At *Gallandius*, de hoc accuratius sciscitans responsum tulit, veram ejus libelli inscriptionem esse: *Mileti Asiani Episcopi liber, qui congruo nomine Clavis appellatur*.

6) *Περὶ ἐνσωμάτου θεοῦ*, *Eusebius* et *Hieron*. ll. ll.; De Deo corpore induto, *Rufinus* vertit. *Cotelerius* autem, *Valesius*, alii, et recentissime etiam *Locherer* (Lehrb. der Patrol. §. 36. §. 7.) et *Annegarn* (Handb. der Patrol. §. 6. p. 28.) *De Deo corporeo* interpretantur, et inde Melitonem *Anthropomorphitarum* erroris arguunt. Imo duo alia *Antiquorum* testimonia diserte hoc confirmare videntur, *Origenis* nempe, qui (apud *Theodoretum* in Exod. Quaest. XX.) Melitonem inducit „*qui scripta reliquit de eo, quod Deus corporeus sit*"; et *Gennadii*, qui (Lib. I de eccl. dogmatibus c. 4.): *Nihil*, ait, *in Trinitate credamus corporeum, ut vult Melito et Tertullianus*. Alii contra, qui S. Patrem nostrum purgare satagunt, *Rufini* interpretationem adoptant, et Origenem hallucinatum esse dicunt ex inscriptione illius libri, quasi de Deo *corporeo* in eo ageretur, cum tamen liber esset de Deo *incarnato*. Addit praeterea *Vallarsius* (in sua edit. Opp. *S. Hieronymi* T. II. P. II. De viris illustr. c. 24. nota), quod S. Hieronymus non *nudum* libri titulum recensuisset, si tam pravae haereseos dogmata contineret. Pro

Melitonis opusculis *duo alia* item *fere penitus deperdita* adjungenda sunt, nempe libri *De incarnatione Christi* et *De passione*. Quamvis enim *Eusebius* neutrum verbotenus recenseat; tamen, cum is ipse professus sit, se *eorum* tantum Melitonis operum *seriem subjecisse, quae ad suam notitiam pervenerint*, silentium ejus parum nos movebit. Utriusque autem libri mentionem facit *S. Anastasius Sinaita*, qui duo nobis fragmenta conservavit, et alterum quidem his verbis excerptum: *Deus passus est a dextra Israelitica*; alterum vero prolixius de duplici in Christo natura testimonium, quo Melitonem inducit dicentem: *Quae post Baptismum a Christo gesta sunt, maxima miracula, latentem ejus deitatem manifestabant ac mundo comprobabant. Cum enim idem — Deus simul et Homo perfectus esset, duas ejus naturas nobis demonstravit; divinitatem quidem per miracula triennio illo post Baptismum patrata; humanitatem vero suam triginta illis annis Baptismum antegressis, quibus carnis vilitas tegebat signa deitatis ejus, quamvis verus ante secula Deus existeret.* [7])

bb. Spuria.

§. 157. Nonnulla tamen, quae sub nomine *Melitonis* olim tradita, atque ad hunc usque diem conservata sunt, jure meritissimo tanquam *spuria* rejiciuntur. Et in his *Liber de transitu (Assumtione) B. V. Mariae*,

---

nostra autem opinione S. Milito ne *sic* quidem, si librum insignitum voluisset De Deo *corporeo*, penitus peccasset ita, ut ulla ratione in melius vertenda sit isthaec sententia. Potest enim fieri, ut et *ipse* pariter ac *Tertullianus* (adv. Praxeam. c. 7.) intelligeret „*Deum corpus esse, etsiamsi Deus spiritus sit, Spiritus enim corpus sui generis in sua effigie*. Corpus autem Tertulliano nihil est aliud, quam *substantia*, opposita nimirum τῷ *Inani* et *Vacuo;* quemadmodum alibi (De carne Christi c. 11): *Nihil*, inquit, *incorporale est, nisi quod non est*. Gennadius, qui *Tertulliani* mentem male intellexit, quidni etiam *Melitonis* sententiam temere interpretatus esse videatur?

7) in *Galland*. Biblioth. vett. PP. T. I. p. 679.

jam ab *Hormisda* Papa in decreto de Scripturis divinis [1]), et a *Beda Venerabili* c. 3. Retractat. in Actt. Apostol. [2]) inter apocryphos rejectus, quibus optimi VV. DD. *Baronius*, *Natalis Alexander*, *Dupinus*, *Tillemontius*, *Ceillierus*, *Nourrius* et passim hodie *omnes* consentiunt. Quamvis enim ipse *S. Gregorius Turonensis* ea, quae de obitu et resurrectione B. V. Mariae narrat, ex hoc aliove apocrypho libello Pseudo-Melitonis magnam partem hausisse videatur; tamen multa sunt, quae certa suppositionis indicia praeseferunt. Narrat enim auctor, se non modo cum *Joanne* sed et cum *aliis Apostolis* fuisse conversatum; Beatissimam Virginem metuisse, *ne corpus suum a Judaeis post mortem combureretur; omnes* Apostolos *super nubes elevatos et Hierosolymam raptos esse*, ut morti Deiparae adessent etc. — Alia item certo spuria merx est *Melitonis Apocalypsis*, insipida prorsus adversus Monachos satyra, anno 1660 primum in lucem protrusa. [3]) Similiter *fragmenta* quaedam, in Aloys. *Lipomanni Catena Patrum in Genesin* recepta, tanto Episcopo sane indigna videntur esse. [4])

2. S. Dionysius Corinthius.

a. Vita.

§. 158. *S. Dionysius* regnante *M. Aurelio* Antonino *Corinthiorum Episcopus floruit.* [1]) *Non solum popu-*

---

1) quod vulgo sub *S. Gelasii* nomine exhibetur in *Decreto Gratiani* c. 3. §. 36. Dist. XV. Cf. tamen *S. Barnabae* Epist. §. 4. not. 1.

2) in Ej. Opp. (ed. *Colon.* 1688. VIII. f.) T. VI. col. 15.

3) Cf. *Rem. Ceillieri* Histoire générale des auteurs eccl. T. II. p. 79.

4) Cf. Seb. *Tillemontii* Memoires de l'hist. eccl. T. II. p. 188.

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. IV. c. 21, ed. *Zimmermann.* T. I. p. 270; *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 27, in Ej. Opp. ed. *Maur.* T. IV. P. II. col. 111. — Annotante *Tillemontio* (in Memoires de l'hist. eccl. T. II. p. 305.) Dionysium nostrum *S. Primo* in episcopatu successisse verisimillimum est. Cf. *Eusebii* Chronic. ad ann. 11 Marc. Aurel. (ao. aerae vulg. 171.).

lis sibi commissis sed etiam aliarum regionum et urbium incolis divinos labores suos prolixe communicavit, omnium commodis utilitatique inserviens, in catholicis illis, quas ad diversas ecclesias scripsit epistolis. [2]) Mortuus est anno c. 180. Utrum vero *martyrio* coronatus fuerit, ut Ecclesia *graeca* in suis Synaxariis exhibet, Eusebio Hieronymoque tacentibus parum liquet. *Romana* Ecclesia *Confessorem* eundem quotannis celebrat die 8. Aprilis.

b. Opuscula, quae perierunt.

§. 159. Et ex *octo* quidem Dionysii *Epistolis*, quas *Eusebius* recenset [3]), *una* est *ad Lacedaemonios*, rectae fidei institutionem continens, pacemque et unitatem insinuans; *altera ad Athenienses*, excitans ad fidem simulque increpans, quod defuncto ipsorum Episcopo et glorioso Martyre Publio a fide propemodum descivissent, et dilaudans S. Quadratum, Publii successorem ob industriam, qua dispersos fideles collegisset fluctuantesque confirmasset; *tertia ad Nicomedienses*, in qua Marcionis haeresin impugnat; *quarta ad Gortynensem reliquasque in insula Creta ecclesias*, Episcopum ipsorum Philippum (§. 160.) ob egregias virtutes suorum fidelium praedicans, monensque ut ab Haereticorum fraude ac versutia sibi caveat; *quinta ad Amastrianam et ceteras Ponti ecclesias*, jubens poenitentes quoscunque benigne suscipi; *sexta ad Gnossianos*, in qua Pinytum Episcopum (§. 161.) hortatus est, ne grave jugum continentiae tanquam necessarium fratribus imponat, sed communis hominum infirmitatis rationem habeat; *septima ad Romanos* S. Soteri tunc temporis ibidem Episcopo nuncupata; alia denique *epistola ad Chrysophoram fidelissimam sororem*, cui convenientia scribens spirituale, ut decuit, pabulum submini-

---

2) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. IV. c. 23, ed. cit. T. I. p. 274. nr. 1.; cf. *S. Hieronym.* l. l.

3) Euseb. l. l. p. 274—278.

strat. Verum de omnibus hisce epistolis ne una quidem tota ab interitu vindicata est. — Ex una ad Romanos data tria supersunt *fragmenta*, ab Eusebio l. l. conservata. Et in *primo* quidem morem institutumque Romanorum magnopere commendans: *Haec*, inquit, *vobis consuetudo est jam inde ab ipso religionis exordio, ut fratres omnes vario beneficiorum genere afficiatis, et Ecclesiis quam plurimis .. necessaria vitae subsidia transmittatis ... Atque hunc morem B. Episcopus vester Soter non servavit solum, verum etiam adauxit; tum munera sanctis destinata copiose subministrans, tum fratres peregre advenientes, tanquam liberos suos pater amantissimus, beatis sermonibus consolando.* In *altero* fragmento Epistolas SS. Clementis et Soteris Romanorum Pontificum publice in Ecclesia legi solitas esse testatur dicens: *Hodie sacrum diem Dominicum transegimus, in quo epistolam vestram legimus, quam quidem perpetuo deinceps legentes, perinde ac priorem illam nobis a Clemente scriptam epistolam, optimis praeceptis ac documentis abundabimus.* In fragmento *tertio* epistolas suas ipse a falsariis corruptas esse monet: *Epistolas, quas scripsi rogatus a fratribus, ministri quidam diaboli zizaniis compleverunt, quaedam ex illis expungentes, quaedam adjicientes; quos certe manet feralis illa sententia: Vae vobis!* Quibus addit *Eusebius*: „Non mirum igitur videri debet, si sacrosancta Domini scripta quidam adulterare aggressi sunt, quandoquidem in longe inferioribus scriptis idem ausi fuisse deprehenduntur".

3. Philippus Gortynensis Episcopus.

§. **160.** *Philippus*, ille *Gortynensium Episcopus*, quem Dionysius Corinthius (§. 159.) magnopere praedicavit, *quippe cujus ecclesia laudem fortitudinis et generosi animi communi consensu retulisset* 1), *luculentissimum ad-*

1) ap. *Euseb.* in Hist. eccl. Lib. IV. c. 23. nr. 3, ed. laud. T. I. p. 275.

versus Marcionem librum composuit [2]), qui totus temporis injuria intercidit. Vixerat Philippus, Dionysio aequalis, regnantibus *M. Aurelio* et *L. Commodo*, prout Hieronymus l. l. testatur.

4. Pinytus Episcopus Gnossius.

§. **161.** *Pinytus Cretensis, Gnossiae urbis episcopus*, qui eodem cum Philippo tempore vixit, pariter a Dionysio Corinthio literas acceperat, quibus ille rogat, ne grave jugum continentiae tanquam necessarium fidelibus suis imponeret. Verebatur enim Dionysius, ne forte nimia severitate ad errorem Encratitarum accederet. Ad haec rescripsit S. Pinytus *epistolam admodum elegantem*, in qua docet et hortatur, *ut tandem solidiorem cibum impertiat, et transmissis iterum literis plebem sibi commissam alere velit perfectiori doctrina, ne forte lacteis sermonibus perpetuo enutriti homines in infantili quadam disciplina paulatim consenescant.* [3]) *Quae quidem epistola et rectam Pinyti fidem et sollicitudinem de profectu plebis sibi commissae, eloquentiam quoque et peritiam rerum divinarum velut tabella quadam picta egregie demonstrat.* [4]) Ipsa vero epistola dudum periit.

5. S. Apollinaris Hierapolitanus, Martyr.

a. Vita.

§. **162.** *Iisdem temporibus* cum Melitone et Dionysio *summa cum laude viguit Claudius Apollinaris*,

---

2) *Euseb.* l. l. c. 25, p. 279; *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 30, in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 111.

3) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. IV. c. 23. nr. 4. ed. cit. T. I. p. 276; *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. c. 28, in Ej. Opp. omn. ed. laud. T. IV. P. II. col. 111.

4) *Euseb.* l. l.

Hierapolitanus in Phrygia Episcopus [1]), *beatissimus Pater* [2]), quem *Deus adversus Cataphrygarum haeresin propugnatorem veritatis unacum aliis et doctrina et eloquentia praestantibus tanquam validum atque invictum telum excitavit.* [3]) Is et M. Aurelio *imperatori insigne volumen pro fide Christianorum dedit.* [4]) Fuit enim *praeter divinarum rerum cognitionem externa* (i. e. profana) *quoque disciplina excultus* [5]); vir *sane praestans et stylo praestanti usus.* [6]) Obiit S. Martyr ao. c. 180, die 7. Februarii [7]); secundum *Romanum* martyrologium 8. Januarii.

b. Scripta deperdita.

§. 163. Plura sunt S. Apollinaris opuscula, quae *Eusebius* recenset [8]), quamquam is ipse fatetur, *nonnulla* tantum, non *omnia* ejusdem sibi ad manus fuisse. Et Oratio quidem illa *apologetica* ad supradictum imperatorem, quae, cum ibi victoriae Marci Aurelii de Marcomannis et Guadis reportatae mentio facta sit, anno circiter 175 exarata fuisse videtur [9]); item *Adversus Gentes Libb. V*; necnon *De veritate Libb. II;* alii *Libb. II adversus Judaeos*; et alii *Contra Cataphrygas* tunc primum exortos. Praeterea *Photius* (l. l.) eidem accenset *Librum De pietate*, et *Theodoretus* [10]) aliud opus

1) *Eusebii* Hist. eccl. Lib. IV. c. 26, ed. *Zimmermann.* T. I. p. 280. nr. 1.

2) *S. Serapion* ap. *Euseb.* Hist. eccl. Lib. V. c. 19, ed. cit. p. 358.

3) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. V. c. 16, p. 345; cf. ib. c. 19, p. 357.

4) *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 26, in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 111.

5) *Photius* in Bibl. Cod. XIV.

6) *Theodoreti* Haerett. Fabul. Lib. III. c. 2, in Ej. Opp. omn. ed. *Schulze* T. IV. p. 227.

7) Cf. Actt. SS. *Bolland.* ad 7. Febr. T. II. p. 4.

8) Hist. eccl. Lib. IV. c. 27, ed. laud. T. I. p. 285.

9) *Tillemontii* Memoires de l'hist. eccl. T. II. p. 207; *Cellierii* Histoire générale des Auteurs sacrés. T. II. p. 83.

10) Haerett. Fabb. Libb. II. c. 21, ed. laud. T. IV. p. 208.

polemicum *Adversus Severianos Encratitas.* *S. Hieronymus* Apollinarem nostrum cum aliis laudat, *qui origines haereseon singularum, e quibus fontibus emanarint, multis voluminibus explicarunt.* [11]) Num vero hanc materiam *peculiari* quodam opere pertractaverit, non liquet. Similiter Apollinaris librum *De Paschate* scripsisse perhibetur, cujus duo *fragmenta* in *Chronico Paschali*, quod vulgo *Alexandrinum* dicitur, supersunt, et a *Gallandio* exhibentur. [12]) Sed Chronicon istud incertae originis, seculo VI vel VII demum exaratum, temporibus illis remotius est, quam ut per se solum, nec ullo alio suffragante testimonio, magnam sibi fidem facere queat, quamquam non desunt, qui illa fragmenta S. Patri nostro confidenter asserant; in his praecipue *Andr. Gallandius.* [13]) Postremo *Steph. Baluzius* [14]) Apollinari item adscribenda existimavit *fragmenta* illa contra Montanistas, quae recitat *Eusebius* ex anonymi auctoris *Libris Avircio cuidam Marcello nuncupatis.* [15]) Verum Eusebius cum Apollinare *alios* quoque doctrina et eloquentia praestantes (puta Miltiadem, Rhodonem, Apollonium) laudat, et dein pergit: *Unus igitur ex illis ... sermonem suum orditur etc.* Quis ex his dictis *Apollinarem* ab Eusebio intelligi rite conjiciat? Praeterea ipse *Eusebius* (Hist. Eccl. Lib. IV. c. 27.) S. Martyrem nostrum tunc temporis Cataphrygas scriptis exagitasse testatur, *cum primum Montani errores enasci coeperunt* (i. e. anno c. 171.); atvero anonymum istum auctorem, cujus fragmenta Eusebii sunt, *post Montani demum et Maximillae et Theodoti mortem* (q. e. non ante annum 212) scripsisse, ex ipsis fragmentis erudimur.

---

11) Epist. LXXXIII ad Magn. Orat., in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 656.

12) Biblioth. PP. *Gallandii* T. I.

13) ibid. T. I. Prolegg. p. 122.

14) Dom. *Mansi* Collect. Concill. nov. et ampl. T. I. col. 691.

15) Cf. *Euseb.* Hist. eccl. Lib. V. c. 16, ed. cit. T. I. p. 345—350.

IV.

Bardesanes. S. Hegesippus.

1. Bardesanes.

§. 164. *Bardesanem*, *Syrum* s. *Assyrum* [1]), *Edessae in Mesopotamia ortum* duxisse testantur Eusebius [2]), Epiphanius [3]) et Theodoretus. [4]) *Summam Chaldaicae doctrinae* (Astrologiae et Matheseos) *perfectionem adeptus* [5]) Babylone potissimum inclaruit, unde ab Hieronymo *Babylonius* item vocatur. [6]) *Ardens ejus a Syris praedicatur ingenium* [7]), et *disertissimus in patrio sermone et acerrimus in disputando* fuit. [8]) Is initio *longe optimus* exstitit, *cum sana adhuc et integra mente esset. Versabatur enim in Ecclesia Dei, et cum sanctissimo viro Abgaro, Edessenorum regulo, familiaritate conjunctus ejusque disciplinae particeps optime de fide catholica, quam profitebatur, meritus est; quin et ejusdem fidei confessionem coram Apollonio Antonini imperatoris familiari adeo praeclaram ediderit, ut inter Confessores Ecclesiae propemodum fuerit relatus.* At vir ille praeclarissimis ornamen-

---

1) *Syrum* quem Graeci vocarunt, Barbari dixerunt *Assyrum; Herodot.* Hist. Lib. VII. c. 36 (ed. Amstelod. 1763.) p, 539. *Euphrate* enim ac *Tigri* fluminibus *media Assyria* continetur, unde et ab indigenis *Mesopotamia* appellatur; *Arrianus*, Exped. Alex. Lib. VII.

2) *Euseb.* Praepar. evang. Lib. VI. c. 9, ed. *Vigeri* (Colon. 1688. f.) p. 273. 280.

3) *S. Epiphan.* Haeres. LVI. c. 1, ed. *Petavii* (Par. 1682. II. f.) T. I.

4) *Theodoret.* Haerett. Fabb. Lib. I. c. 22, ed. *Schulzii* (Hal. Magdeb. 1768. V. 8.) p. 208.

5) *Euseb.* l. l.

6) *S. Hieronym.* Adv. Jovinian. Lib. II, in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 206.

7) *Idem* in Catalog. Scriptt. eccl. c. 33; in Ej. Opp. ed. cit. l. l. col. 111.

8) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. IV. c. 30, ed. *Zimmerm.* T. I. p. 299. nr. 1.

tis praeditus *sicut egregia navis, infinitis onusta mercibus ad portum illisa, naufragium fecit.* Incidit enim in haeresin *Valentini* Gnostici. [9]) Postea vero, ut Eusebius narrat, *cum doctrinam illam improbasset, et pleraque ejus dogmata fictas esse fabulas convicisset, ipse quidem sibi visus est ad rectiorem sententiam transiisse; vetusti tamen atque inoliti erroris sordes non penitus extersit.* [10]) Errores suos de *duobus Principiis*, de *Aeonum emanationibus*, de *Christi sidereo corpore etc.* [11]) clam disseminasse dicitur; nam *publice*, quantum scimus, nunquam a communione Catholicorum recessit. [12]) Quo anno *mortuus* sit, non omnino constat. *Chronicon Edessenum* Bardesanem die 11. Julii ao. Graecorum 456 (i. e. ao. 154 p. Chr.) demum *natum* refert [13]); quocum *Moses Chorenensis*, Scriptor seculi medii quinti, qui sub *ultimo* Antonino (sc. Heliogabalo † 222) viguisse illum scribit [14]), propemodum consententit. At *Eusebius*, *Hieronymus*, *Epiphanius* et *Theodoretus* (ll. ll.) eundem sub *M. Aurelio Antonino* floruisse narrant, eosque *Baronius*, *Tillemontius*, alii plerique VV. DD. secuti sunt, in quibus uberrime hac de re disputat *Justus Fontanini.* [15]) — Bardesanes *Adversus Marcionem aliosque* variarum opinionum auctores atque assertores *patria lingua* dialogum conscripsit unacum *infinitis aliis opusculis*, quae quidem discipuli ejus *(habuit enim quam plurimos auditores, utpote qui fidem nostram fortiter assereret)* ex *Syriaco* sermone in *Graecum* transtulerunt.

---

9) *S. Epiphan.* l. l.

10) *Euseb.* Hist. eccl. l. l.

11) Cf. *Moehler* Patrologie T. I. p. 326.

12) Cf. *Jo. Jos. Ign. Doellinger* Geschichte der christl. Kirche (Landshut. 1833. 8.) T. I. Sect. I. p. 220.

13) *Chron. Edess.* in Sim. *Assemanni* Biblioth. Oriental. (Rom. 1719. f.) T. I. p. 389.

14) *Mosis Choren.* Hist. Armen. nation. Lib. II. c. 63, ed. Guil. et Ge. *Whiston.* (Lond. 1736. 4.) p. 185.

15) *Just. Fontanini* Hist. liter. Aquilej. Lib. V. c. 20, §. 7. (ed. Rom. 1742. 4.) p. 333.

In his est Dialogus *de fato* ad (M. Aurelium) Antoninum scriptus *sane luculentissimus.* Sed et *alia multa ex occasione persecutionis*, quae tunc temporis in nostros grassata est, scripsisse perhibetur. [16]) Verum *omnia* hujus Scriptoris opera *perierunt*, uno excepto ejusdem dialogi de fato insigni *fragmento* ab Eusebio conservato [17]), quo discimus, non *fuisse illo tempore in orbe provinciam, imo nec civitatem, in qua non essent Christiani;* itemque *adeo potentem fuisse Evangelii praedicationem, ut in diversum ac plane contrarium habitum naturam hominum transformaret.* In eodem fragmento etiam *liberum esse hominis arbitrium* docet dicens: *Deus suam ipse naturae cuilibet praerogativam integramque voluntatis libertatem pro sua benignitate concessit.* [18])

2. S. Hegesippus.

§. **165.** *S. Hegesippus, vir antiquus et apostolicus* [1]), *ex Hebraeis ad Christi fidem conversus* [2]), omnes a passione Domini usque ad suam aetatem *ecclesiasticorum actuum historias texens, multaque ad utilitatem legentium pertinentia hinc inde congregans, quinque libros (Memorabilia actuum ecclesiasticorum) composuit sermone simplici, ut, quorum vitam sectabatur, eorum dicendi quoque exprimeret characterem.* [3]) Is *sub Aniceto*

---

16) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. IV. c. 30, ed. cit. T. I. p. 289. — Cum hoc Eusebii testimonio plane congruit sententia *S. Hieronymi* l. l. col. 112: *Scripsit infinita adversum omnes paene Haereticos, qui aetate ejus pullulaverunt, . . . et multa alia super persecutione volumina; quae sectatores ejus de Syriaca lingua verterunt in Graecam. Si autem tanta vis est et fulgor in interpretatione, quantam putamus in sermone proprio?*

17) *Euseb.* Praepar. evang. Lib. VI. c. 8. 10, ed. laud. p. 273—280.

18) in *Andr. Gallandii* Biblioth. PP. T. I. p. 688. sq.

1) *Steph. Gobar* ap. *Photium* in Biblioth. Cod. CCXXXII.

2) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. IV. c. 22, ed. Zimmerm. T. I. p. 273. nr. 3.

3) *S. Hieronym.* Catal. de Scriptt. eccl. c. 22, in Ej. Opp. omn.

Papa Romam venit, ibique mansit usque ad Eleutherium, qui ao. 175 S. Soteri successit. In quo itinere *plures adiit ecclesias*, imprimis *Corinthiacam*, cum cujus Episcopo *Primo* familiariter collocutus est, et de illius ecclesiae statu sciscitatus, *Corinthios in recta fide usque permansisse* audivit. Sed et ad alias ecclesias quod attinet, *in singulis Episcoporum successionibus et per singulas urbes eandem fidem viguisse, eademque mansisse, quae a Domino ipso praedicata fuerunt*, enarrat. [4]) *Haeresium quoque, quae sua aetate exortae sunt, initia exponit, .. et sectas illas, quae quondam apud Judaeos invaluerunt, recenset; .. nonnulla item ex Hebraeorum evangelio et Syriaco profert; .. denique agens de libris, qui apocryphi dicuntur, quosdam eorum sua aetate ab Haereticis compositos esse scribit.* [5]) *Supremam diem obiit* Hegesippus, si *Chronico paschali* fides habenda est, ao. 180. — Operum autem, quae diximus, *fragmenta* quotquot extant collecta sunt ab *Jo. Ern. Grabio* in Specileg. SS. PP. T. II. p. 205—214. Et de quinque, quae *Eusebius* excerpsit memoriaeque nostrae prodidit, fragmentis primum agit *De historia Martyrii S. Jacobi fratris Domini* [6]); secundum *De propinquis Jesu Salvatoris nostri* [7]); tertium *De Simeonis Episcopi Hierosolymitani martyrio* [8]); fragmentulum quartum ab Eusebio in hunc finem recensitum, ut, *quo tempore Hegesippus vixerit*, illustraret [9]); quintum *De Hegesippi itinere et sectis Judaicis* exponit. [10]) Fragmentum sextum, *dictum*

---

ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 109. — Cf. *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. IV. c. 8, ed. laud. p. 252. nr. 1.

4) *Eusebii* Hist. Eccl. Lib. IV. c. 22, p. 271. nr. 1. — *S. Hieronym.* l. l.

5) *Euseb.* Hist. Eccl. l. l. p. 271—274. nr. 1. 2. 3.

6) Hist. Eccl. Lib. II. c. 23, ed. laud. T. I. p. 118. sq., nr. 3—8. Cf. *Acta martyrum* §. 256.

7) ibid. Lib. III. c. 20, p. 168. sq., nr. 1—4.

8) ibid. Lib. III. c. 32., p. 169. sq., nr. 2—4. Cf. *Acta Martyrum* §. 257.

9) ibid. Lib. IV. c. 8., p. 252. nr. 1.

10) ibid. Lib. IV. c. 22, p. 271 sq., nr. 1—3.

aliquod Hegesippi in locum quendam S. Scripturae continens *Photius* e *Gobaro* desumsit [11]); septimum denique *De S. Clementis Romani Epistola ad Corinthios* allegatur a *Georgio Syncello.* [12])

V.

Tatianus Assyrius.

A. Vita.

§. 166. *Tatianum Assyrum* fuisse, ex ore ipsius comperimus [1]); neque aliud *Clemens Alexandrinus, Epiphanius, Theodoretus* significasse videntur, quamquam modo *Syrum*, modo *Mesopotamia oriundum* eundem vocitant. [2]) *Multas regiones peragravit*, et *in Graecorum disciplinis exercitatus est* [3]), ita, ut *in hoc genere*, prout ipse refert,

11) *Photii* Biblioth. Cod. CCXXXII. col. 893.

12) *Georg. Sync.* Chronrograph. ed. J. *Goar.* (Venet. 1728. f.) p. 344.

1) *Tatiani* Orat. adv. Graecos, c. 42, in *S. Justini* etc. Opp. ed. *Prud. Marani*, p. 293.

2) Cf. §. 164. not. 1.

3) *Tatianus* l. l. c. 35. p. 289. — „*Tatianus vir primo vitae instituto in Graecorum disciplinis exercitatus (σοφιστεύσας) summam inde sibi laudem comparavit.*“ Euseb. Hist. Eccl. Lib. IV. c. 16, ed. Zimmermanni T. I. p. 261. nr. 4. Sed male hanc ab Eusebio usurpatam voculam σοφιστεύσας vertit Rufinus: *Magister eloquentiae.* Similiter S. Hieronymus in Catal. Scriptt. eccl. c. 29 Eusebiana verba perperam interpretatus est: *Primum Oratoriam docens non parvam sibi ex arte Rhetorica gloriam comparavit.* Nec melius Theodoretus *Sophistam* eum appellavit. Fusius hac de re scripsit *Lud. Dufour Abbas de Longuerue* in sua *Dissert. in Tatianum* (ed. in Guil. *Worthii* edit. Tatiani, Oxon. 1700; et in Jo. *Vogtii* Biblioth. hist. haeresiol. T. I. Fasc. II. p. 201. sq.), ubi demonstratur, σοφιστεύσας nihil ad eloquentiam pertinere, sed *philosophiae studia* significare. Neque tamen iis assentior, qui *Valesio* duce non solum rhetoricae artis professionem, sed etiam eloquentiae laudem Tatiano abjudicandam opinantur; sed Philosophum ego fuisse eum puto, ita tamen ut haud parum

praeclarus omnino et spectatus aliquis esset. [3]) Is postquam *variis in locis mysteriorum particeps factus, ubique religiones exploravit*, et, *quomodo verum invenire posset*, cuncta *inquisivit*, tandem in Christianorum sacros libros incidit, *antiquiores, quam ut cum Graecorum disciplinis, et diviniores, quam ut cum eorum erroribus possint conferri*; atque his libris fidem habuit *propter dicendi genus minime arrogans, propter Scriptorum ingenium artificii expers, ob creationis explicationem captu facilem, futurorum praecognitionem, praeceptorum excellentiam, ac singularem universorum principatum.* [5]) Ad christiana deinde Sacra conversus *praeclarissima sane edidit initia Tatianus*, ex quo tempore se Romae ad *Justinum* Martyrem contulerat, *virum*, ut ipse eum appellat, *admodum admirandum*. Hujus igitur magistri et doctrinae et laborum consors sociusque factus [6]), multum videtur in hac sanctitatis et eruditionis disciplina profecisse, ut, postquam S. Martyr ille Crescentis denique insidiis succubuerat, *schola*, quam Justinus Romae instituerat, ad *Tatianum* rediit, quemadmodum conjicitur ex testimonio *Rhodonis* (§. 212.), qui *Tatiano se magistro Romae usum* fuisse narrat. [7]) Quo munere aliquamdiu functus, tandem in patriam reversus, et *recedens ab Ecclesia, et praesumtione magistri elatus ac inflatus, quasi prae ceteris esset, proprium characterem doctrinae constituit.* [8]) Videtur *Valentini Gnostici deliria* de Aeonibus et Demiurgo compilasse [9]); inprimis autem rigidio-

---

operae ac studii etiam in *Poëtis* et *Oratoribus* perlegendis ac omni antiquitate investiganda posuisse videatur.

4) *Tatianus* l. l. c. 1, p. 257.

5) ibid. c. 29, p. 284.

6) Ipse cum *Justino* se inter philosophos numerat, cum de structis utrique a *Crescente* Cynico insidiis loquitur; ibid. c. 19, p. 275. sq.

7) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. V. c. 13. pr., ed. laud. T. I. p. 338, nr. 1.

8) *S. Irenaeus* in Lib. I adv. Haeres. c. 28 nr. 1; ed. Massuet. (Venet. 1734. f.) p. 107.

9) *Tertullian.* in Lib. de Praescript. Haerett. c. 52, in Ej. Opp. ed. Girardi (Venet. 1744. f.) p. 223.

rem *ascesin* assectatus, *nuptias corruptionem esse et fornicationem, similiter ut Marcion et Saturninus*, praedicasse [10]); praeterea *animalibus et vino abstinuisse*, et in mysteriis *solam aquam* adhibuisse [11]); atque hinc *Eneratitarum* auctor exstitisse perhibetur. An vero teste Hieronymo etiam *putativam Christi carnem* Docetarum more induxerit [12]), ambigitur. Mortuus est anno c. 180.

B. Scripta.

1. Oratio contra Graecos.

a. Disquisitio de genuinitate et tempore.

§. **167.** *Magnum librorum numerum ab eo relictum esse constat* [1]), e quibus *unus* tantum in manus nostras pervenit, nempe *Oratio adversus Graecos*, qui quidem liber omnium, quos ille scripsit, *elegantissimus* simul atque *utilissimus* [2]) multorum Veterum, imprimis *Clementis Alexandrini* [3]), *Origenis* [4]), *Eusebii et Hieronymi* [5]) testimoniis laudatur, et a ceteris omnium temporum de-

---

10) *S. Irenaeus* l. l.

11) *Theodoret.* Haerett. Fabb. Lib. I. c. 20; *S. Epiphan.* Haeres. XLVII c. 1, ed. Petav. T. I. p. 400.

12) *S. Hieronym.* Comment. in Epist. ad Galat. c. VI.; Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. I. col. 312 sq. — Sunt, qui pro *Tatiano* S. Hieronymum scripsisse (Julium) *Cassianum* Docetarum principem conjiciunt. Neque obstat, quod teste Theodoreto Tatianus *Genealogiam Christi atque omnia, quae Dominum ex semine David secundum carnem natum ostendunt*, in Libro suo *Διὰ τεσσάρων* (§. 170.) *amputavit*. Nam et *Valentinus* Christum nihil ex Maria sumsisse, sed aliunde habuisse carnem, et per Mariam veluti per canalem docebat transiisse. Quae sententia satis explicaverit illud Tatiani facinus.

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. IV. c. 29, ed. cit. T. I. p. 288, nr. 4; imo *infinita Tatianus scripsit volumina*; *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 29, ed. laud. T. IV. P. II. col. 111.

2) *Eusebius* l. l.

3) *Clement. Alex.* Strom. Lib. I. c. 21. ed. Potteri p. 378.

4) *Origenis* Contra Celsum Lib. I. ed. De la Rue T. I. p. 335.

5) *Euseb.* et *Hieron.* ll. ll.

inceps Scriptoribus, *nemine* quantum scimus reclamante tanquam *genuinus* Tatiano asseritur. Hanc orationem a Tatiano verisimilius demum *post Justini obitum*, sed tamen *antequam ipse in haeresin laberetur*, compositam fuisse ex eo potissimum VV. DD. probant, quod de insidiis *Justino a Crescente Cynico* structis sermonem fecerit, nec tamen eorum, quae postmodo de mundi creatione, de Christi carne, de resurrectione, de libero arbitrio, de nuptiis stultissima commenta propugnavit, in hoc libro quidquam occurrat. Quamvis enim nonnulla obrepunt, quae *Valentinianis* sententiis jam tunc non prorsus immunem fuisse Scriptorem satis arguant [6]), tamen fere cuncta vel aliis ejusdem libri locis iisque plane orthodoxis emendantur, vel mitiorem aliquam et catholiciorem admittunt interpretationem. Ceterum quum VV. DD. alii cum *Valesio*, *Longuervio*, *Gallandio* [7]) jam anno 151, alii contra [8]) anno demum 167 S. Justinum obiisse statuant; nec *de tempore, quo liber iste apologeticus sit exaratus*, una omnium eademque sententia est, sed alii eum anno circiter 151, alii vero (et in his *Moehlerus* [9]) demum ao. c. 172 confectum esse arbitrantur.

b. Analysis.

§. **168.** In hac contra Gentiles oratione Tatianus non sine magna acerbitate in Graecorum superstitionem ac de literis arrogantiam invehens *antiquitatem ac praestantiam christianae religionis* evincere conatur. Et initio quidem illos exagitat, quod praeclaris literarum artibus ac disciplinis tantopere glorientur, cum tamen nec

---

6) e. gr. *Est enim spiritu diviniore inferior ille spiritus, qui materiam pervadit* (Weltseele). c. 4. ed. laud. p. 260.; *Per se anima nihil est aliud nisi tenebrae, nec quidquam in ea luminosum*, c. 13. p. 269.; vox ψυχικοί nimirum τοῖς πνευματικοῖς in sensu quodam *Gnostico* opposita, c. 15. 16., p. 272., alia.

7) *Galland.* Biblioth. PP. T. I. Prolegg. p. 95.

8) Cf. §. 119. not. 18.

9) *Moehler* Patrologie T. I. p. 256.

eas invenerint, nec iis ut par est utantur, sed *rhetoricam ad injustitiam et calumniam, poëticam ad morum corruptelam* convertant (c. 1.); atque ipsi etiam *philosophorum principes* suis quisque *vitiis et erroribus insignes* sint (c. 2. 3.). Merito illorum instituta contemni a Christianis, qui *regibus obediant*, *solum Deum metuant*, et hac una in re non pareant, *si Deum negare jubeantur* (c. 4.). Ab his exorsus initiis interiora religionis dogmata apertius exponit, et *unum esse ac singularem Deum*, a quo omnia per *Verbum*, quod *in eo et cum eo* erat, creata sunt et sustentata, *antequam mundus fieret* (c. 5.). Haec de creatione doctrina confirmat *corporum quoque resurrectionem*. Ridetur quidem haec doctrina, inquit, sed nihil hoc Christianos movet, qui *quemadmodum creati sunt*, *cum antea non essent*, *sic*, *quamvis moriantur et per mortem videri disinant*, *revicturos se aliquando confidant* (c. 6.). Jamque ad initium redit narrans, quommodo *Verbum* coeleste *Angelos* creavit, et *hominem immortalem et ad imaginem suam* fecerit; homo autem, postquam primogenitum angelum secutus a divina lege discessisset, *mortalis*, angelus vero *daemon* factus sit. A daemonibus homines seducti, *fatum invectum*, animalia in coelo collocata, deorum metamorphoses et hominum scelestorum apotheoses inductae sunt (c. 7. 8. 9.). At fato non indigent mores Christianorum, *nec fato homines peccarunt sed libere* (c. 10. 11.). Duo sunt spirituum genera, *anima* et *spiritus sanctus*; non potest anima immortalis fieri, nisi spiritui sancto jungatur (c. 12. 13.). *Hunc* ducem oportet sequi, non daemones, ut, quod amisimus, requiramus; nequaquam enim nos, quemadmodum daemones, spe veniae caremus, sed *victi rursus vincere possumus* (c. 14. 15.). Visne vincere? *Cave*, *ne tibi illudant daemones*, potentiam suam per materiam variis modis ostentantes (c. 16. 17. 18.). Pravis contemtis cupiditatibus et spreta materia danda opera est, ut *alas illas spiritus recuperemus*, quibus amissis angeli e coelo detrusi, homines e paradiso depulsi sunt (c. 19. 20.). Iterato deinde im-

petu in Graecos: *nos*, inquit, *non deliramus*, *dum Deum sub hominis forma natum praedicamus; at vestrae de diis vestris opiniones vere nugae sunt atque commenta. Si generationem deorum memoratis, etiam mortales eos declaratis. Cur enim nunc Juno non praegnat? Consenuitne? an deest, qui vobis nuncium adfert?* (c. 21.). Tunc perstringit *mimos*, *athletas* et *gladiatores*, alia spectacula (c. 22. 23. 24.); *philosophos* quoque, eorumque cultum et habitum et jactantiam et dissensiones acutis naribus suspendit; ridet *inanes Graecorum quaestiones* et absurda grammaticae et atticae pronuntiationis studia (c. 25. 26.). *Frustra mors*, ait, *Christianis intentatur*, *ut suam religionem mentiantur*, aut nugas Graecorum probent. Addit Tatianus, quomodo ad Christianam fidem conversus sit, seque nullam amplius daemoni ansam velle relinquere (c. 27—31.). His rebus oppositis transit Tatianus ad comparationem *philosophiae gentilis cum christiana religione*, docens per exemplum *Mosis* et *Homeri*, christianam theosophiam longe *antiquiorem* esse Graecorum institutis (c. 31.), et interjecta vituperatione, quod Gentiles immerito Virgines et mulierculas sacris ministeriis addictas rideant, cum ipsi adeo meretricibus ac improbis hominibus statuas posuerint, cujus rei se Romae testem oculatum fuisse testatur (c. 32--36.), redit ad illam argumentationem, qua *ex Chaldaeis*, *Phonicibus*, *Aegyptiis Scriptoribus Mosen non Homero solum antiquiorem fuisse*, *sed et alios Homero antiquiores aetate superare* demonstrat (c. 36—42.).

c. *Editiones.*

§. **169.** Editio *princeps* hujus Tatiani Apologiae (unacum Theophili libris ad Autolycum et Antonii Melissae Maximique sententiis) cura *Joannis Frisii* varr. lectt. instructa prodiit *Tiguri* 1546. f. Eodem tempore *latinam* ejusdem cum prolixis annotationibus versionem emisit *Conr. Gesnerus Tiguri* 1546. f. *Graece* deinde cum *Gesneriana interpretatione* evulgata est ista oratio in *Heroldi Orthodoxographis* Basil. 1555. f., item notis *Fron-*

tonis Ducaei aucta in *Fr. Combefisii* Nov. Biblioth. Patrum *Auctario* Paris. 1648. f., denique adjecto Hermiae Philosophi opusculo et varr. DD. VV. dissertationibus notisque illustrata ex recens. *Guil. Worthii Archidiac. Wigorniensis*, Oxonii 1700. 8. Postmodo eadem Tatiani Apologia unac. Justini, Athenagorae, Theophili et Hermiae Operibus prodiit in editionibus *PP. Parisiana* 1615. f. et 1636. f., *Coloniensi* (imo Witemberg.) 1686. f., et postremo *Maurina (Prud. Marani)*, et ea quidem *Paris.* 1742. f. et *Venetiis* 1747. f. Ex hac Maurina editione praestantissima recusa est in *Gallandii Biblioth. PP.* T. I., et cur. *Fr. Oberthür* Wirceburg. 1777. sq. III. 8. (cf. Opp. *S. Justini* §. 140.).

2. Scripta deperdita.

§. 170. Praeter hanc adversus Graecos orationem Tatianus alia quoque composuit opuscula, et unum quidem libellum *De animalibus*, quam *ante* lapsum exaraverat, ipse in illa Oratione c. 15 commemorat, sed nihil ad nos pervenit; alterum vero *Adversus eos, qui de rebus divinis asseveraverunt*, se scripturum demum esse ibidem c. 40 promittit, nec scimus an proposito suo steterit necne. Alia porro opuscula, *postquam in haeresin jam inciderat*, exaravit, cujus generis est *Catena quaedam Evangeliorum* cum inscriptione *Διὰ τεσσάρων* i. e. *ex quatuor Evangeliis contexta*, quae ad Eusebii tempora superstes fuit. [1]) Ex hoc tamen libro, ut supra jam Eusebio teste observavimus (§. 166 not. 12.) *Genealogias Christi* amputavit, ut scilicet ea, quae Christum ex semine David secundum carnem natum ostendunt, amoveret, et nexum inter V. et N. Testamenti libros quasi tolleret. Scripsit idem aliam commentationem seu librum *Problematum* i. e. *Quaestiones in S. Scripturam*, quam obscuram esse ac reconditam (utpote ab iniquo emanatam *Demiurgo*)

---

1) *Euseb.* Hist. Eccl. l. l. p. 288., nr. 3.; *S. Epiphan.* Haeres. XLVI. c. 1, ed. *Petav.* T. I. p. 391.

edisserit; sed a *Rhodone* discipulo suo in peculiari opere refutatus est. [2]) Rursus alium elucubravit librum *De perfectione secundum Salvatorem*, ubi suam novam et haereticam de *matrimonio* sententiam propugnavit. *Clemens Alexandrinus* fragmentum nobis servavit [3]), quod ejus in sensu sacrae Scripturae detorquendo et pervertendo licentiam satis ostendit.

C. Doctrina.

1. Excerpta dogmatica.

a. *De creatione et peccato originali.*

§. 171. De creatione *Angelorum hominumque*, quod utrumque genus *libero arbitrio* praeditum sit, Tatianus uberius exponit; et quamvis in hoc quidem, quod Angelos aliquot ob eam causam coelo depulsos dicat, quia homines ad peccatum impulissent, a nostra sententia recedit; tamen in eo rursus praeclare nobiscum consentit, quod Adamum fraude diaboli in peccatum inductum, ideoque immortalitate privatum aperte profitetur. *Verbum illud coeleste*, inquit, *ad imitationem Patris, a quo genitum est, imaginem immortalitatis hominem fecit, ut, quemadmodum immortalitas est apud Deum, sic homo, Dei portionis particeps factus, immortalitatem etiam habeat. Verbum illud quidem ante homines creatos angelornm fit opifex. Utraque autem opificii species libera creata est, non habens naturam boni, id enim soli Deo inest, ab hominibus autem libera animi inductione perficitur, ut malus merito puniatur, per se improbus factus, justus autem ob recte facta jure laudetur, ut qui libero utens arbitrio voluntatem Dei transgressus non sit... Postquam autem homines unum aliquem* (angelum Primogenitum) .. *prae ceteris callidiorem assectati sunt, atque eum, etsi legi Dei obluctabatur, pro Deo habuerunt; tum Verbi potentia et inceptorem pro-*

2) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. V. c. 13, ed. laud. T. I. p. 341. nr. 4.
3) *Clem. Alex.* in Strom. Lib. III. c. 12, ed. *Potteri* p. 547.

fligatae temeritatis et ejus sectatores a sua consuetudine exclusit; atque is quidem, qui ad imaginem Dei factus erat, discedente ab eo potentiore Spiritu, fit mortalis, ille autem Primogenitus propter transgressionem et stultitiam daemon esse incepit, et, qui inania ejus imitabantur, daemonum exercitus evaserunt, ac propter arbitrii libertatem suae stultitiae traditi sunt. [1]) *Ac isti quidem* (Angeli) *e coelo detrusi, hi autem* (homines) *e terra, non ista quidem* quae nunc est *sed hoc rerum ornatu praestantiore* (paradiso) *ejecti sunt.* [2]) Fortiter auctor deinde impugnat opinionem Graecorum, qui omnia *fato* subjiciant, et mortem non peccati stipendium esse sed aeterna quadam necessitate humano generi inflictam crediderint: *Non facti sumus ut moreremur, sed nostra culpa morimur. Perdidit nos libera voluntas; servi facti sumus, qui liberi eramus; per peccatum venditi sumus. Nihil mali factum est a Deo, nos ipsi produximus vitiositatem.* [3]) Jamque Tatianus praeter corporis mortem etiam *moralem* hominis corruptionem e peccato enatam docet, et animi coecitatem, idololatriam, carnis concupiscentiam, morbos denique tristissimas peccati sequelas enumerat. *Anima,* ait, *cum divino Spiritu copulata non caret auxilio, sed ascendit quo deducitur a Spiritu; . . ac initio quidem Spiritus sanctus animae convictor erat, sed eam sequi nolentem deseruit. Cum autem ejus virtutis quasdam veluti scintillulas retineret, sed ab eo separata intueri res subliminiores non posset; dum Deum quaerit, opinionis errore multos* (sibi Deos) *effinxit, doli artifices daemones sequens* [4]) . . *Alae animae fuerunt spiritus perfectus, quem quum peccando projecisset homo, volavit instar pulli et humi cecidit; coelesti autem convictu delapsa inferiorum commercium appetivit* [5]);

1) *Tatiani* Oratio adv. Graecos c. 7, in ed. *Marani* (Venet. 1747. f.) p. 263 sq.

2) ibid. c. 20 init., ed. laud. p. 277.

3) ibid. c. 11 fin., p. 268.

4) ibid. c. 13 med., p. 269 sq.

5) ibid. c. 20 init., p. 277.

et *siquid veneni inest in his, quae nascuntur, id propter peccatum nostrum supervenit.* [6]) Nec tamen omnis divinae naturae substantia per peccatum penitus deleta est, remansit potentioris spiritus scintilla et libera voluntas, ut perditam felicitatem recuperare valeamus. *Quam*, inquit, *nos ipsi improbitatem produximus, eam .. denuo repudiare possumus* [7]) .. *Potest, quisquis victus est, rursus vincere, si mortis causam* (peccatum) *abjiciat* [8]) ... *Potest, quisquis nudus est, hoc ornamentum* (amissas divini spiritus alas) *consequi, et ad veterem cognationem redire* [9]) ... *Oportet igitur, ut antiquae conditionis desiderio commoti, quidquid obstat, removeamus* [10]) .. *Mundo morere, ejus insaniam rejiciens; vive Deo, per ipsius cognitionem veterem generationem repudians.* [11])

b. De Christo Deo incarnato.

§. **172.** De *divina* Christi Filii Dei natura luculenter exponens Tatianus primum docet, Verbum non progressum esse in vacuum et inane; secundo, per illud omnia creata esse et Angelos et homines; tertio, idem esse Patris primogenitum antequam quidquam fieret; quarto denique, Verbum natum esse per communionem non per abscissionem, ad quod dilucidius ostendendum eodem, quo Justinus, exemplo facis nempe de alia face accensae utitur. Sed suis ipsum audiamus verbis! *Deus*, ait, *erat in Principio; principium autem Verbi potentiam esse accepimus. Universorum enim Dominus, quatenus quidem mundus nondum erat creatus, solus erat; quatenus autem ipse potentia omnis et eorum, quae videntur et non videntur, hypostasis* (Wesen) *siue sustentatio erat, omnia cum eo per rationalem potentiam sustentabat, ipsum etiam illud Ver-*

6) ibid. c. 19 fin., p. 277.
7) ibid. c. 11 fin., p. 268.
8) ibid. c. 15 fin., p. 272.
9) ibid. c. 20 fin., p. 278.
10) ibid. c. 20 init., p. 277.
11) ibid. c. 11 med., p. 267.

bum, quod erat in eo. Voluntate autem simplicitatis ejus prosilit Verbum; Verbum non in vacuum progressum fit opus primogenitum Patris, hoc scimus esse mundi principium[1]) . . *Verbum enim illud coeleste, Spiritus a Patre genitus et Verbum ex rationali potentia, ad imitationem Patris, a quo genitum est, imaginem immortalitatis hominem fecit,* . . et *ante homines creatos Angelorum factus est opifex*[2]) . . . *Natum est autem Verbum per communicationem, non per abscissionem. Nam quod abscissum est, a primo separatur; quod autem per communicationem progreditur voluntariam administrationem suscipiens, id eum non imminuit, ex quo desumtum est. Quemadmodum enim ex una face multi ignes accenduntur, nec tamen primae facis ob plures* ex ea *accensas faces lux imminuitur: sic Verbum ex Patris potentia prodiens genitorem non fecit Verbi expertem. Nam et ego loquor et vos auditis; nec propter transmissionem sermonis ego, qui alloquor, sermone vacuus fio, sed vocem meam proferens materiam in vobis inornatam ornare instituo.*[3]) Hunc Filium Dei Jesum Christum vere *incarnatum* esse profitetur. Graecos enim acriter perstringit, qui Christianis convicium faciant, quod „*Deum sub hominis forma natum*" nuntient.[4])

---

1) ibid. c. 5 init., p. 261. — Propter illud vero „*Opus primogenitum Patris*" noli existimare, Filium Dei a Tatiano in rebus *creatis* numerari; imo *aeternum* eum esse docet, dum illum omnia ab aeterno sustentasse praedicat; *consubstantialem vero Patri*, dum eum lumen esse de lumine accensum dicit, sed ita ut a Patre non possit separari. *Opus* autem vocatur simili sensu, quo nos *substantiale* quidquam nuncupamus, quod non in vacuum progressum est, sed, simulac a Patre prodiit, effectum habuit. Ut ne igitur *Polytheismum* quendam statuisse videatur, si Filii e Patre generationem tacens, Verbum ab aeterno cum Patre fuisse dicat; Tatianus Filium a Patre processisse ostendit, ita scilicet ut humano modo loquens istis fere formulis uteretur, quae nobis de rebus temporalibus usu veniunt; aliter enim *homini* de aeternis loqui non concessum est.

2) ibid. c. 7 init., p. 263.

3) ibid. c. 5 med., p. 261 sq.

4) ibid. c. 21 init., p. 278.

c. *De immortalitate animae et corporis resurrectione.*

§. 173. Non minus diserte docet, hominis animam esse *immortalem*. Sic enim loquitur: „*Est, qui Deum corpus esse dicat, ego incorporeum; mundum esse indissolubilem, ego dissolvendum; conflagrationem variis temporibus evenire, ego semel eventuram; Judices esse Minoëm et Rhadamantum, ego Deum ipsum; solam animam immortalitate donari, ego vero carnem quoque cum anima.* 1) Sunt quidem, qui alio ejusdem libri loco contrariam sententiam propugnatam arbitrantur, ubi nempe Tatianus: *Non est,* inquit, *immortalis per se ipsa anima, sed mortalis; potest tamen eadem non mori. Moritur enim et dissolvitur cum corpore anima veritatis ignara; resurgit autem postea in fine mundi unacum corpore, mortem per supplicia in immortalitate accipiens. Rursus autem non moritur, etiamsi solvatur ad tempus, anima Dei cognitione instructa.* 2) At, quaeso, quis non videt, quod Tatianus idem ac Justinus sentiens minime immortalitatem negat, sed cum *novissimo demum die* et gaudia et supplicia exinde in aeternum duratura incipere opinatur, nec mortis nomine destructionem et quasi *abitionem in nihilum* designat, sed miserum animae a Deo alienae statum! Alioquin enim ipse statum reproborum non potuisset *mortem per supplicia in immortalitate* appellare. Idem rursus alibi expresse: *Nos,* inquit, *postea vel cum voluptate immortalitatem, vel dolorem cum immortalitate percipimus.* 3) Sed et de *corporum* resurrectione totus catholicam tenet sententiam. Praeclare sane dicit: *Corporum quoque resurrectionem futuram credimus, cum omnia fuerint absoluta ... Quemadmodum enim, cum non essem, antequam nascerer, ignorabam, qui essem, ac tantum in substantia carneae materia existebam; genitus autem, qui olim non eram, ex generatione consecutus sum,*

---

1) ibid. c. 25 med., p. 281.
2) ibid. c. 13 init., p. 269.
3) ibid. c. 14 med. p. 270.

ut me existere non dubitem; eodem modo genitus ac per mortem esse ac videri desinens denuo existam... Thesauris recondar divitis Domini. Ac inopem quidem et atheum latent, quae recondita sunt; regnator autem Deus conspicuam sibi substantiam, ubi volet, in pristinum statum revocabit. [4]) Quaenam autem justos in aeterna vita sors manet, his verbis depingit: *Corpus simul cum anima, indumentum coeleste mortalitatis, immortalitatem adipiscetur, et in loco collocabitur, ubi secula praestantiora, quae tempestatum, ex quibus varii morbi nascuntur, vicissitudinem nesciunt, sed temperie omni praedita diem habent perpetuum ac lumen nostris hominibus inaccessum.* [5])

2. Observationes morales.

§. 174. Sufficiat unum e multis adducere locum, qui de potestate principum, ac justis secularis imperii limitibus agit. Sic autem habet: *Jubet rex tributa pendere? paratus sum solvere; servire et ministrare Dominus? servitutem agnosco; homo enim, ut hominem decet, colendus est, solus autem Deus metuendus. Hunc negare si jubear, hac tantum in re non parebo, moriarque potius, ne mendax et ingratus arguar.* [6])

VI.

S. Athenagoras Philosophus.

A. Vita.

§. 175. *S. Athenagoras*, patria (si Codicum inscriptionibus fides habenda est) *Atheniensis*, *Philosophus* gentilis fuit. Is, narrante Philippo Sideta ceterum non magni

4) ibid. c. 6 init., p. 262.
5) ibid. c. 20 med. et fin., p. 277 sq.
6) ibid. c. 4 init., p. 260.

ponderis auctore [1]), *cum in animo haberet, adversus Christianos scribere, legens divinas Scripturas, ut accuratius illos posset aggredi, sic Spiritu sancto captus est, ut similiter ac magnus Paulus ex persecutore doctor fieret illius doctrinae, quam insectabatur.* Utut est, certe inter philosophos sui temporis juventutem transegit, et tandem lectione S. Scripturae ad fidem Christi conversus *Philosophi* nomen atque industriam ad puriora Sacra transtulit, scilicet ut hujus nominis obtentu et sapientiae secularis opinione Gentiles eo facilius ad se traheret. Mortuus est ao. c. 180; sed certus, quo obierit, annus mortisque genus et reliqua ejusdem fata ignorantur. Existimant quidem *Baronius*, *Tillemontius*, alii, Athenagoram nostrum esse eundem, ac ille S. Martyr *Athenogenes* fuit, cujus *Basilius* in *Lib. de Spiritu sancto* c. 29. §. 73, mentionem facit [2]); verum Athenogenem probabilius sub *Diocletiano* demum imperatore in urbe *Sebaste* Armeniaca passum esse martyrologia testantur. Ceterum omnia, quae ad historiam Athenagorae pertinent diligentissime congesserunt *Andr. Polycarp. Leyser* [3]) et *Theod. Andr. Clarisse.* [4]) Sane *vir fuit acerrimi ingenii, singularis eloquentiae, omnigenae eruditionis ac incredibilis in rem christianam studii.* [5])

B. Ejusdem Scripta.

§. 176. Quod *plura* scripserit S. Athenagoras ex ipsius *Libro de resurrectione* conjicere est, ubi c. 1 sub finem dicit, *se nonnunquam Sermones pro veritate iis, qui de veritate habentur, praemittere.* Hodiedum vero non

1) in Fragm. quod *Henr. Dodwellus* exhibet ad calcem *Dissertt. in Irenaeum,* Oxon. 1689. 8.

2) in *S. Basilii* Opp. (ed. Garnieri, Par. 1721.) T. III. p. 62.

3) in Diss. de Athenagora philosopho christ. Lips. 1736. 4.

4) in Comment. de Athenagorae vita, scriptis et doctrina Lugd. Bat. 1819. 4.

5) *Natal. Alexandr.* in Hist. eccl. (ed. Paris. 1740. XVIII. 4.) T. V. p. 47.

plus quam duo genuini extant libri, nempe *Legatio pro Christianis* et *Liber de resurrectione mortuorum*. Aliud enim opusculum, quod praeterea sub ejus nomine a personato quodam *Martino Fumejo* aσ. 1569 in linguam gallicam translatum, et postmodo Parisiis evulgatum est, *De vero et perfecto amore*, ubi de honestis Theogoni, Charitis etc. amoribus disseritur, certo certius *adulterinum* est. [1]) Quare in hoc nihil morantes ad genuina nos conferimus.

1. Librorum genuinorum analysis et censura.

a. Legatio pro Christianis.

aa. *De ejus genuinitate et tempore, quo scripta est.*

§. 177. Mirum sane est, quod *Eusebius*, ille sedulus christianae antiquitatis perscrutator, nullam prorsus Athenagorae mentionem fecit. Quo factum est, ut etiam *Hieronymus*, utqui sua de Scriptoribus ecclesiasticis fere cuncta ex Eusebianis lucubrationibus desumsit, altum sileat. Neque tamen penitus destituti sumus testimoniis Antiquorum. Etenim *SS. Methodius* [2]) et *Epiphanius* [3]) singularem hujus Apologiae locum laudant addito nomine Athenagorae auctoris. Atque ab ipso Athenagora vere scriptam esse hanc *Legationem pro Christianis*, omnes, quotquot reperiri potuerunt, Graeci *Codices* constanter in frontibus suis asseverant; nec ullus unquam Criticorum fuit, qui hoc opusculum inter spuria relegaverit. Oblatam esse hanc Apologiam *Marco Aurelio Antonino* et *Lucio Aurelio Commodo* imperatoribus, omnes Codd. Msspti exhibent, et anno quidem *verosimilius* 177; nam *toto orbe*

1) Cf. Alb. *Fabricii* Biblioth. Graeca T. V. p. 88.

2) *Method.* ap. *Photium* in Biblioth. Cod. CCXXIV. p. 907.

3) *Epiphanii* Haeres. LXIV. §. 21, ed. *Petavii* T. I. p. 544.

tunc pacem regnasse dicit Athenagoras [4]) (et is annus cum proxime praecedente solus a bellis vacuus in toto M. Aurelii imperio fuit), et *utrumque*, Aurelium patrem et filium, *titulo Imperatoris* ornat [5]), quem Commodus mense demum Novembri anni 176 adeptus est. Accedit, quod M. Aurelius ao. 179 iter in Graeciam, Syriam et Aegyptum suscepit, quae praesentia imperatoris peraccommodam occasionem offerendae Apologiae attulisse videtur. *Baelii* enim opinio, qui eam nunquam oblatam publico Christianorum nomine putat, sed *privatim* tantum ab Athenagora scriptam, satis a *Prudentio Marano* refutata est. [6])

bb. Analysis.

§. 178. In exordio Apologiae suae conqueritur auctor, quod sub aequis imperatoribus *Christiani* in Deum piissimi moribusque integerrimi *non eandem judicii formam* obtineant, quae superstitiosissimis ac scelestissimis hominibus conceditur (Leg. pro Chr. c. 1, 2.). Petit, ut ex aequo judicium instituatur de iis, quae Christianis objiciantur, *criminibus;* sunt autem tria potissimum: *Atheismus, Thyesteae epulae, Oedipodei concubitus* (c. 3.) Haec igitur, crimina totidem orationis partibus purgare et diluere conatur. Et ad *primum* quod attinet, *Christianos atheos non esse*, eorum *de Deo doctrina* probat, quam ab ethnicis adeo poëtis atque philosophis propugnari, a Christianis autem multo melius praedicari ostendit (c. 4—8.). Non enim nisi *unum* Deum dari posse, cum ex *ratione* tum ex *prophetis* demonstrat; haec Christianorum *fides in trinunum Deum* Patrem, Filium et Spiritum sanctum, et ipsa eorum *de moribus doctrina* satis jam istam Atheismi criminationem repellit (c. 8—12.). Cum autem criminatio inde maxime orta sit, quod nec *sacrificarent*,

4) Legat. pro Christt. c. 1 med., in Opp. *Justini* etc. editt. *Prud. Marani* supra (§. 140.) laud. p. 297.

5) ibid. in inscriptione, p. 296.

6) ibid. in Praefat. P. III. c. XIII. p. CV.

nec *eosdem cum ethnicis civitatibus deos* colerent Christiani, primo Deum victimis cruentis nequaquam coli probat, deinde etiam Gentilibus crimen istud impietatis inhaerere dicit, quia sibi invicem impii sunt, dum aliae alios colunt; imo si omnes in hac superstitione consentirent, laudandos potius esse Christianos, quod creatorem a re creata discernant, nee mundum nec mundi partes nec hominum opera venerentur (c. 12—18.). Cum porro objicerent, cultum statuis adhibitum *ad Deos ipsos* referri, respondet, Deos illos poëtis et philosophis asserentibus creatos esse ac proinde non adorandos, quod etiam ex absurdis eorum figuris et prave factis et cupiditatibus evincit, quae frustra ad naturam revocari demonstrat; si enim, quod quibusdam visum est, Jupiter ignis sit, Juno terra, Nestis aqua etc., nullus, ait, horum Deus est (c. 18—23.). Objicientibus rursus, *miracula* interdum ad Deorum statuas fieri; hoc quidem concedit Athenagoras, sed causam non aliam quam pravorum *Daemonum* operam esse docet, quorum deinde originem et naturam fusius explicat (c. 23—31.). *Secunda* orationis parte Christianos *incesti concubitus* a paganis, qui crimen illud de diis suis vere praedicabant, falso accusari probans ex *legibus* eorum et *vita moribusque* sanctissimis demonstat. Omnes caste vivere, vel coelibes manentes, vel unico matrimonio nec ullo pacto dissolubili copulatos, dum contra Pagani in omni turpitudinis libidinisque genere sese impune volutent (c. 31—35.). *Thyesteae coenae* sine homicidio fieri non possunt. At neminem unquam dicere, se hominem vidisse a Christianis occisum. Nullam ejusmodi facinoris esse suspicionem in iis, qui ne justam quidem caedem aspicere velint, nedum gladiatores ludos, quique abortivis medicamentis uti homicidium, liberos exponere parricidium existiment. Huc accedit, quod Christianos de futura *mortuorum resurrectione* certiores esse asserit, de quo argumento plenius se aliquando disputaturum pollicetur. Concludit defensionem precans, ut imperatores pro sua in omnes humanitate petitioni adnuant (35—37.).

b. Liber de resurrectione mortuorum.

aa. Disquisitio de genuinitate libri et tempore.

§. **179.** Ipse Athenagoras, ubi Christianorum doctrinam de resurrectionem commemorat, addit, *esse supervacaneum, inpraesentiarum demonstrare*, quid sentiat, *ne propositae orationi alienas inserere disputationes videatur; . . sed haec de resurrectione disceptatio differatur.* [1]) Verisimillime igitur hic, de quo agimus, liber is est, quem in Apologia promisit. Certe non solum *Codices Msspti ad unum omnes* nomen ejus in fronte praeseferunt; sed *stylus* etiam et *scribendi genus* idem omnino atque in *Legatione pro Christianis* esse agnoscitur, neque Doctorum Virorum quisquam fuit hactenus, qui librum istum in dubium vocaverit. De *tempore*, quo scriptus est, ultra nihil accuratius evincitur, quam quod non ita multo post Apologiam exaratus sit.

bb. Analysis.

§. **180.** Liber in *duas* dividitur partes, quarum prior adlatas ab adversariis de resurrectione opiniones refellit, altera autem christianam ea de re doctrinam argumentis confirmat. Statuit igitur *primum*, eos, qui *impossibilem* dicunt resurrectionem, demonstrare debere, quod Deus mortuos ad vitam revocare vel *nequeat* vel *nolit*, et ut *non posse* Deum hoc perficere dicatur, vel *scientiam* ei denegandam esse vel *facultatem*. Atqui Deus non ignoravit, quomodo in *prima generatione* formarentur corpora, neque ei defuit facultas perficiendae generationis; ergo nec ignorat, quomodo sint corpora *renovanda*, neque potestate caret, revivicandi mortuos (Lib. de resurr. mort. c. 1—4.). Deinde respondet ad objectiones, quod hominum corpora, postquam belluas aluerunt, in alios homines transeant, imo homines interdum ab hominibus vorentur, docens, unicuique animali *convenientem* a Deo provisum esse cibum, eumque solum nutriendis in alimentum cedere; quidquid autem contrarium est, id variis modis expelli;

---

1) *Legat. pro Christt.* c. 36, ed. laud. p. 333.

quare nihil ab adversariis evinci dicit, nisi carnem humanam homini naturalem esse cibum demonstraverint. Objectionem autem aliam a *figulis* et *fabris* petitam, ut qui opera sua non possint renovare, paucis absolvit, imposito nimirum discrimine, quod *hominis* inter atque *Dei* potentiam intercedit (ib. c. 4—10.). Neque dici potest, Deum *nolle* mortuos ad vitam revocare. Id enim nollet, vel quia *injustum*, vel quia *Deo indignum*; at neutrum omnino dici potest. Et transeundo ad *secundam* opusculi partem jam triplici argumento demonstrat futuram hominum resurrectionem, et primo quidem *ex consilio Creatoris*, secundo *ex natura hominis*, tertio *ex supremo ejus scopo*. Homo enim non ad alterius usum creatus est, sed ut *esset* et Deum contemplaretur; quare perire non potest (c. 10–14.). Hunc finem cum *tota* sua natura assequi oportet, natura autem in eo posita est, ut homo constet ex *anima et corpore*; et cum animali composito ex anima et corpore *unus et idem* sit finis, necessaria est perpetuitas ac proinde et resurrectio. Nam si resurrectio nulla sit, nequaquam hominis natura qua talis permanserit; hominis autem natura non permanente, frustra anima corporis indigentiae et passionibus sociata, frustra corpus animae habenis obsequens et freno subjectum, inutilis mens, inutilis prudentia, inutilis virtutis exercitatio, imo inutilis ipsa hominis creatio et natura (c. 11—18.). Denique *judicium Dei*, cum justum sit, in *animam* et *corpus*, i. e. in *totum* hominem ex utroque compositum dirigi debet; multa enim esse peccata, quae anima non nisi cooperante corpore possit perpetrare, unde etiam corpus puniendum. Itaque aut nullam esse providentiam ostendit, aut bene et male factorum retributio dari debet, quam quidem neque in hac vita evenire, neque post mortem fieri omnino posse manifestum est, si aut anima, aut corpus, aut utrumque pereat. Iniquum enim esset, solam animam remunerari aut puniri, cum et corpus eorum, quae anima commisit, particeps fieret; nec leges soli animae, sed toti homini impositae sint. Necesse est igitur, ut *idem* iterum fiat

homo, qui propter facta non solum animae sed etiam corpori propria aut aeternas poenas luat, aut praemia consequatur sempiterna (c. 18—25.).

2. Editiones.

§. 181. *Seorsim* prodiit *primum Liber de resurrectione mortuorum* in *latina* versione *Ge. Vallae*, Venet. 1498. f.; idem *graece et lat.* per *Petrum Nannium*, Paris. et Lovan. 1541. 4., inde in *Micropresbytero* et *Heroldi Orthodoxographis* (Patrol. T. I. §. 80.). *Apologia* vero s. *Legatio pro Christianis* primum *latine* tantum edita est a *Conr. Gesnero* Medico Turicensi, Tiguri 1557. 8., et Basil. 1558. 8.; deinde ab *Jo. Langio* in editione Opp. *Justini* etc. (§. 140.), et a *Suffrido Petro* c. notis, Colon. 1567. 8. Eadem novissime c. multis annotatt. evulgata est ab *Jo. Gottl. Lindner*, Scholae Anstadiensis Rectore, Longosalissae 1774. 8. — *Utrumque* vero opusculum tam *Apologia* quam *Liber de resurrectione* in Bibliothecis SS. PP. *Parisiensi*, *Coloniensi et Lugdunensi*, sed *latine* tantum ex versione *Gesneriana*, receptum est. *Graecolatina* utriusque libri princeps editio est *Henr. Stephani*, Paris. 1557. 8. et Tiguri 1559. f. Sequebantur postmodo editiones *Jo. Felli*, Oxon. 1682. 12.; *Adami Rechenbergii*, Lips. 1685. 8.; *Ed. Dechair*, Oxon. 1706. 8.; atque omnes deinceps Justini quoque et Tatiani et Theophili et Hermiae simul opera continentes (§. 140.), atque in his maxime commendata *Maurina*, labore ac studio *Prud. Marani*, Paris. 1742. Venet. 1747. f. (p. 296—359.). Hanc Marani recensionem omissis tamen notis recepit *Andr. Gallandius* in Biblioth. PP. T. II. p. 1. *Germanica versio* extat in *Chr. Frid. Roesleri* Diaconi Vayhingae Bibliothek der Kirchenväter (Lips. 1776—1786. X. 8.) P. I.

C. Doctrina.

1. Observationes dogmaticae.

a. *De Deo uno et fontibus verae cognitionis.*

§. 182. *Unum*, ait, *esse Deum, vel inviti omnes confitentur; nos eum, a quo haec universitas ornata est, Deum esse confirmamus, et .... quod intelligimus et recte credimus, unum esse Deum, id veritatis signis et rationibus demonstrare possumus. Nam Poëtae et Philosophi, ut res alias, ita hanc quoque conjiciendo attigerunt, ex quadam divini flatus cognatione, a sua quisque mente impulsi; ... sed tantum in eis facultatis minime inventum est, ut rem investigatione assequerentur, quippe cum de Deo non ab ipso Deo sed a se quisque dicendum sibi esse existimassent, unde etiam alius aliter statuit de Deo etc. ... Nos autem eorum, quae perspicimus et credimus, testes habemus Prophetas, qui de Deo ac rebus divinis pronuntiarunt divino Spiritu afflati, ... qui eorum ora tanquam instrumenta pulsavit.* [1]) Male in hoc loco *Tillemontius* [2]) aliqua vestigia *Montanismi* latere veretur, quasi Athenagoras Cataphrygum partibus implicatus de Pseudo-Prophetica illa Montani et Maximillae *extasi* loquatur, cum praesertim alibi durioribus adeo verbis de Prophetis dicat, quod *mente et animo extra se rapti impellente Spiritu Sancto ea, quae ipsis inspirabantur, locuti sunt, utente illis Spiritu Sancto, velut si tibiam inflet tibicen.* [3]) At facili negotio purgari potest S. noster Philosophus; etenim non ipse quidem necesse esse credidit, ut in spiritu homo constitutus sensu excidat virtute divina obumbratus; sed, quia ecstasis gentilibus necessaria quaedam divinae inspirationis nota in *Oraculis* suis visa est, *Prophetas christianos* vere fuisse divinitus inspiratos, *hoc* argumento

1) Legat. pro Christt. c. 7, ed. laud. p. 302 sq.

2) Memoires de l'histoire eccl. (ed. Bruxell. 1732. X.) T. II. Art. 8. p. 147.

3) Leg. pro Christt. c. 9 med., p. 304.

ad permovendos Gentiles peridoneo probare voluit. Ecquis porro non videt, Athenagoram hoc loco totum in eo esse, ut, quam dissertissime possit, *immediatam* Prophetarum inspirationem opponat opinionibus et figmentis iis, quae Poëtae et Philosophi *sua* mente impulsi et *a se ipsis* de Deo ac divinis rebus statuerint? Sive igitur accomodata illa vox est, sive grandis quaedam et, ut ita dicam, quodammodo excessiva. De alio suspecto loco, ex quo Athenagoram Montanismi arguendum nonnulli putant, paulo infra §. 187.

b. De unius Dei trinitate.

§. **183.** Nullus Patrum huc usque recensitorum clarius expressiusque de Deo uno et trino locutus est, quam Athenagoras. *Nos*, ait, *Deum a materia distinguimus*, .. *Deum increatum et aeternum esse*, .. *materiam autem creatam et corruptioni obnoxiam* demonstramus; ... et *unum* quidem *doctrina nostra agnoscit Deum, qui ingenitus ipse (quod enim est, non fit; sed quod non est) omnia per Verbum suum fecit* [1]) ... *Unum* igitur *ingenitum et aeternum tenemus Deum, invisibilem et impassibilem, qui nec capi aut comprehendi potest, sed sola mente et ratione cognoscitur, et luce ac pulchritudine, et spiritu ac potentia non enarrabili circumdatus est, a quo denique omnia per ipsius Verbum et creata et ornata sunt et conservantur. Agnoscimus enim et Dei Filium ... Est autem Filius Dei Verbum Patris in idea et operatione; ab eo enim et per eum facta sunt omnia, cum Pater et Filius unum sint. Cum autem Pater sit in Filio et Filius in Patre unitate et virtute Spiritus, mens (νοῦς) et Verbum Patris est Filius Patris* ... Hunc dicit *primam Patris progeniem, non quod factus sit (ab aeterno enim Deus habebat in se ipso Verbum, utpote ab aeterno λογικός), sed quod prodierit, ut omnium materialium rerum* ... *idea et actus foret* ... Illum *autem Spiritum Sanctum, qui in Prophetis operatur, effluentiam Dei esse dicimus ema-*

1) Legat. pro Christt. c. 4 med., ed. laud. p. 300.

nantem et redeuntem veluti radium solis [2]) . . . *Quis igitur non miretur, cum atheos vocari audiat eos, qui Deum Patrem et Filium Deum et Spiritum Sanctum asserunt, eorumque et in unione potentiam et in ordine distinctionem demonstrant.* [3]) — Noli vero putare, Athenagoram dicentem, *Verbum primam esse Patris progeniem*, perinde sensisse, etiam Filium Dei *coepisse* aliquando existere. Etenim ille solum *τὸ γεννητόν* coepisse aliquando existere affirmat, Filium Dei vero *γενόμενόν τι* esse diserte negat. Neve putes, verbis illis: *Ab aeterno Deus habebat in se ipso Λόγον, utpote ab aeterno λογικός*, Athenagoram in sensu quodam *Sabelliano* uti voluisse. Idem enim alio loco perspicue Patrem et Filium a se invicem distinguit, ubi per similitudinem ad M. Aurelium et Commodum imperatores: *Licet*, ait, *in vobismet ipsis coeleste regnum spectetis. Quemadmodum enim Vobis, patri et filio, parent omnia; . . ita Deo Patri ejusque Verbo, quem Filium non separabilem esse intelligimus, omnia subjecta sunt.* [4]) *Unum* scilicet regimen est, imperium monarchicum, quamvis *duae* sint personae regnantes; altera enim alteri auctoritatem suam referens utraque unita voluntate et conjunctis in unum animis regnum administrat. Neque illud alterum Athenagorae verbum: *Spiritus Sanctus effluentia est Dei emanans et rediens*, Sabellii errorem sapit, quasi eam *meram δύναμιν* in Patris tantum essentia subsistentem et *impersonalem* quandam emanationem intellexisset. Aperte enim eum a Patre Filioque *ordine* distinctum, et quidem inter divinas Personas *tertio* loco ponit, et per vocem *emanans* seu procedens nonnisi modum, quo prodiit, accuratius significat, scilicet quod non sit *genitus* a Patre, sed *procedens*, neque (quia secundus a Filio prodiit) a *solo* Patre, sed *a Patre Filioque* simul procedens intelligatur. Eandem in unitate trinitatem distinguit alibi apertis hisce

---

2) ibid. c. 10, p. 304 sq.
3) ibid. p. 305; Cf. c. 24, p. 322.
4) ibid. c. 18 med., p. 312.

verbis: *Hac una de re ad futuram vitam perducimur, si Deum ejusque Verbum cognoscamus, tum quae Filii cum Patre unio et Patris cum Filio communicatio, tum quid sit Spiritus, quae trium unio et in unitate distinctio, Spiritus, Filii, Patris.* [5])

c. *De Angelis.*

§. **184.** Ut ostendat, quam inique athei arguantur Christiani, pergit: *Sed et multitudinem Angelorum et ministrorum agnoscimus, quos creator et opifex mundi Deus distribuit et ordinavit.* [1]) Addit praeterea, quem in finem Angelos creaverit Deus; *Hoc nempe consilio . . rebus a se creatis providens, ut ipse quidem Deus universam et generalem omnium procurationem gereret; eam autem, quae partes attingit, instituti ad hoc munus Angeli sustinerent . .* Et *alii* quidem, *liberi scilicet, quales a Deo facti fuerant, in his permanserunt, quorum causa a Deo creati sunt; . . alii vero et naturae substantia et munere sibi commisso abusi sunt, . . alii in virginum cupiditatem lapsi et carnis amore superati.* [2]) *Hi igitur Angeli de coelo lapsi . . motiones excitant, . . cupiditatibus, quas sensere, congruentes, . . . ac hominem alium aliter . . intus et exterius movent,* et ad *atheismum,* ad *idololatriam,* variasque *superstitiones* impellunt. [3])

d. *De hominis natura et peccato originali.*

§. **185.** De hominis opificio et ejus creationis fine praeclare Athenagoras: *Deus,* ait, *nec frustra fecit hominem; est enim sapiens, nullum autem sapientiae opus inutile. Nec ad proprium suum usum fecit* eum; *nulla enim re indiget; qui autem nihil omnino indiget, nihil eorum, quae fecit, ad suos usus contulerit. Sed nec ob aliquam rerum a se creatarum hominem condidit; ex iis enim,*

---

5) ibid. c. 12 med., p. 307.
1) ibid. c. 10 fin., p. 305 sq.
2) ibid. c 24 med., p. 322.
3) ibid. c. 25—29, p. 323 sqq.

quae ratione et judicio utuntur, nihil ad alterius sive superioris sive inferioris usum creatum est, sed ad propriam eorum, quae creantur, vitam et perpetuitatem . . . Quae quum ita sint, *liquet, Deum (si prima et latius patens consideretur ratio) propter seipsum et elucentem in omnibus ipsius operibus bonitatem et sapientiam adductum fuisse, ut hominem faceret; si vero propior et ipsis hominibus creatis interior ratio spectetur, propter ipsorum vitam* perpetuam . . . *Qui enim ipsius Creatoris simulacrum in se ferunt, ac mente praediti et rationis judicium sortiti sunt, iis perpetuitatem despondit et destinavit creator, ut auctorem suum ejusque potentiam et sapientiam cognoscentes, ac legi et justitiae obsequentes, perpetuo . . permaneant.* [1]) De statu autem hominis post peccatum ita vir sanctus sentit: *Anima, cum materiae spiritum sibi adsciscit, eique commiscetur, non coelestia et eorum opificem considerat, sed deorsum ad terrestria atque ad terram, ut sanguis tantum et caro, non jam purus spiritus, depressa est . . . Cum autem tenera et flexilis anima, ac robustioris doctrinae jejuna et inexperta, et veritatis contemplandae ac Patris et opificis universorum considerandi insolens impressa et inusta sit falsis de se opinionibus; daemones, qui circa materiam versantur, . . homineaque in fraudem inducunt, adhibitis in auxilium hisce motibus, qui vulgi animos ad falsas opiniones inclinant, eorum mentes invadunt . . .* Quod tamen non impedit, quominus *per se ipsa, utpote immortalis, accommodate ad rationem moveatur*, vel etiam *futura praedicat.* [2])

e. De immortalitate animae et corporis resurrectione.

§. **186.** Est singularis Athenagorae *De resurrectione mortuorum* liber in manibus nostris, in quo refutatis primum objectionibus adversariorum triplici argumento futuram hominis resurrectionem probat, primo qui-

1) De resurrect. mortuorum c. 12 med., p. 345 sq.

2) Legat. pro Christt. c. 27, p. 325.

dem ex *Dei in homine creando consilio. Immunem*, inquit, *a corruptione perpetuitatem constanter speramus, quam non ex hominum commentis somniamus, falsa spe nobismet ipsis illudentes, sed certissimo fideijussori credimus, Dei consilio, quod ille intendit, cum hominem ex anima immortali et corpore constituit, ac mente et insita lege eum instruxit ad conservationem et custodiam eorum, quae ab ipso vitae sapienti et rationis participi congruentia sunt data; probe intelligentes futurum non fuisse, ut ejusmodi animal fingeret, ac omnibus ad perpetuitatem rebus ornaret, nisi hoc opus permanere voluisset. Igitur si universorum opifex hominem condidit, ut sapientis vitae particeps esset, ac ipsius magnificentiae et elucentis in omnibus sapientiae speculator factus, in his semper contemplandis permaneret secundum auctoris consilium et acceptam ab eo naturam; nascendi causa fidem facit perpetuitatis, perpetuitas autem resurrectionis, sine qua homo permanere non possit.* [1]) Secundum resurrectionis argumentum e *natura hominis* petens: *Si omnis*, ait, *communiter hominum natura ex anima immortali constat et corpore cum anima in creatione conjuncto, ac neque naturae animae per se ipsam neque corporis naturae separatim Deus ejusmodi creationem ac vitam et totius vitae decursum despondit et destinavit, sed compositis ex utroque hominibus, ut, quibus ex rebus constant cum gignuntur et vivunt, cum iisdem ad unum aliquem et communem finem vita peracta perveniant; necesse est omnino, ut, cum unum sit ex utrisque animal, quod patitur quaecunque sive anima sive corpus patitur, quodque operatur et perficit quaecunque aut sensuum aut rationis judicio continentur; necesse est, inquam, ut tota ejusmodi rerum series et continuatio ad unum aliquem finem referatur, ut omnia in omnibus ad unum hominis concentum et eandem omnium affectionum societatem concurrant, generatio hominis, natura hominis, vita hominis, actiones et perpessiones, vita et vitae conveniens finis. Quodsi unus est aliquis totius animalis concentus et rerum omnium societas,*

1) De resurr. mortt. c. 13, p. 347.

sive ab anima proficiscantur sive corpore efficiantur; unum esse oportet his omnibus finem. Finis autem unus erit, si animal, cujus est ille finis, in sua idem extet constitutione. Idem autem animal extabit, si omnia, ex quibus tanquam partibus animal componitur, eadem extent. Eadem secundum propriam conjunctionem extabunt, si, quae dissoluta sunt, iterum ad animalis constitutionem coalescant. Eorundem autem constitutio hominum necessario consequentem mortuorum et dissolutorum corporum resurrectionem demonstrat. [2]) Tertio resurrectionem probat ex *judicio*. Sed cum longum sit, singulas per plura capita diductas verbotenus exponere sententias, sufficiat, quae sit idearum nexus, indicare paucis. Vitam hominis deteriorem esse belluis demonstrat, nisi merces, quae in hac vita tribui non potest, in altera tribuatur. Justam autem unquam neque boni mercedem neque mali poenam esse, si aut anima cum corpore aut solum corpus pereat. Iniquum enim esse, solam animam remunerari aut puniri, quae non sola peccavit aut bene egit. Leges non solum animae dari, ergo nec praemia aut poenas. Neque virtus enim neque vitium solius animae sunt, ergo nec merces nec poena soli proponitur animae. [3])

3. Observationes morales.

§. 187. Haud indignum est commemoratu testimonium, quod Athenagoras Christianis ob morum integritatem exhibet. Nos, inquit, *non modo non repercutere, nec percussoribus aut raptoribus diem dicere, sed istis, etiam si colaphum inflixerint, alteram capitis partem percutiendam praebere, his autem, si tunicam abstulerint, pallium superaddere didicimus.* [1]) Et alibi: *Apud nos*, ait, *reperietis imperitos homines, et opifices et anus, si minus verbis praestare possint eam, quae ex doctrina nostra perci-*

---

2) ibid. c. 15 med., p. 348 sq.
3) ibid. c. 19—24, p. 352 sqq.
1) Legatio pro Christt. c. 1 fin., p. 298.

pitur, utilitatem, at factis eam, quae ex animi inductione proficiscitur, demonstrare. Neque enim verba declamitant, sed recte facta exhibent: percutientem non repercutere, rapienti litem non scribere, petentibus dare, proximum ut se ipsum diligere. 2) Longe autem pulcherrimus locus is est, in quo de virginitate et matrimonio disserit. *Multos,* inquit, *apud nos est reperire tum viros tum mulieres, qui coelibes consenescant, sperantes fore ut arctius cum Deo conjungantur. Quodsi in virginitate et eunuchi statu manere, magis Deo conjungit, ab eo autem vel sola cogitatio et cupiditas abducit; jam quorum cogitationes fugimus, eorum actiones multo magis aversamur . . · Quisque vel qualis natus est, vel unicis in nuptiis manet. Secundae enim decorum adulterium. „Quicunque enim dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, moechatur" dicit* (Dominus), *nec eam dimitti sinens, cujus virginitati finem quis imposuit, nec aliam insuper duci. Nam qui se ipse prima uxore spoliat, etiamsi mortua sit, occulta quadam ratione est adulter, tum quia manum Dei transgreditur, . . . tum quia carnis cum carne conjunctionem quodam veluti vinculo ad commiscendum genus colligatam dissolvit.* 3) Miror, quod verbis istis Athenagorae „*Secundae nuptiae decorum adulterium*" Tillemontius vir cetera aequissimus adductus sit, ut eum e *Montanistis* unum fuisse suspicaretur; alii vero ab *Encratitis* et *Tatiano* eum deceptum esse dicant. Neminem enim nostrum fugit, monogamiam semper maximo fuisse in pretio, secundas autem nuptias minus ab Ecclesia probatas, imo Digamos primis seculis adeo publicae poenitentiae addictos et a sacra communione ad tempus segregatos esse (cf. Concil. *Neocaesar.* ao. 314 can. 1; Concil. *Laodic.* ao. c. 372 cap. 3. 7; *S. Basilii* Epist. ad Amphiloch. c. 4.). Et asperior adulterii criminatio admodum lenita est, dum *decorum* et *occultum* adulterium vocat, et secundas nuptias *nulla lege vetitas* fatetur, siquidem alias *manifesto* vitio laborarent. Disce-

2) ibid. c. 11 sub fin., p. 306 sq.
3) ibid. c. 33, p. 330 sq.

dit autem bigamus, ut addit Athenagoras, ab ea matrimonii ratione, quam Deus ab initio instituerat, unica uxore Adamo concessa. Montanistae porro unicas nuptias neque a Christo neque ab Apostolis praescriptas fatebantur, sed a *paracleto* illo satis noto; at vir sanctus noster solis *Christi* verbis nititur. Quid denique, quod *chiliasmum*, cui omnes Montani asseclas addictos novimus, aperte rejicit? (cf. Legat. pro Christt. c. 31, p. 329.). Excessive fortasse locutum eum dixerit quispiam, erroris arguere non potest.

VII.

S. Theophilus, Episcopus Antiochenus.

A. Vita.

§. 188. *S. Theophilus* natus fuit et institutus in superstitionum ethnicarum tenebris [1]), idemque illi contigit, quod de se ipso Justinus et Tatianus testantur, ut scilicet in omni secularis eruditionis genere versatissimus tandem *legendis ss. Scripturis* ad christianam religionem converteretur. [2]) Ex quo tempore tanto studio ac successu in vinea Domini laboravit, ut mortuo Erote *sextum* ab Apostolis *Antiochenae sedis episcopatum* adipisceretur. [3]) *Cumque ea tempestate haeretici zizaniorum instar sinceram*

1) Tacent id quidem Veteres; sed *Gentilem*, non *Judaeum* fuisse Theophilum ex ipsis ejus scriptis VV. DD. *Grabius* (Specileg. PP. T. II. p. 218 sq.), *Prud. Maranus* (Opp. S. Justini etc. ed. Venet. 1747. in Prolegg. P. III. Cap. XV. p. CXI.) et *Jac. Bruckerus* (Hist. philos. crit. T. III. p. 399.) colligunt.

2) *S. Theophilus* in Lib. I ad Autolyc. c. 14 init., ed. *Marani* p. 369.

3) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. IV c. 20, ed. *Zimmermann*. T. I. p. 270; *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 25, in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 110. Nec obstat ejusdem Hieronymi alius locus (Epist. ad Algasiam, Quaest. VI., Opp. omn. ed. laud. T. IV. P. I. col. 197.), ubi Theophilum *septimum* a Petro Antiochenum episcopum fuisse dicit; scilicet *inclusivo* ipso D. Petro.

apostolicae doctrinae sementem labefactarent, et *ecclesiarum toto orbe pastores eos tanquam feras atque immanes belluas ab ovili Christi fugare et arcere properarent; Theophilus* quoque unacum ceteris *adversus illos haereticos depugnavit* etc. [4]) *Quot* annos episcopatum tenuerit, non satis liquet. Si *Maurinorum* sententiam [5]) sequi lubet, evectus fuerat ad sedem Antiochenam ao. 176, mortuus autem ao. 186.

B. Scripta.

1. Deperdita.

§. 189. Nonnulla, quae ab ipso Theophilo scripta recensentur, *deperdita* sunt, velut *Libri Historiarum*, in quibus inter alia *De genealogia* (Patriarcharum) et praecipue *De rebus Noë* disputavit [1]); item *De daemone primorum parentum seductore* [2]); nisi forte et haec elucubratio pars quaedam illarum Historiarum fuit. Eos ipsos autem, quos Theophilus commemorat, Historiarum libros Maranus eosdem esse autumat ac illum, ad quem idem Theophilus alibi lectores discendi cupidos dimittit, nimirum librum, qui *Mundi genesis* [3]) inscriptus fuit. Nec inepte vir doctus opinatur, posse fieri, ut Mundi Genesis seu Libri Historiarum in iis, pertractationibus numerandi sint, quas Eusebius *Βιβλία κατηχητικά* s. *libros elementa fidei exponentes*, Hieronymus autem *Breves elegantesque tractatus ad aedificationem ecclesiae pertinentes* appellat, Theophiloque nostro tribuit. [4]) Alius ejusdem ab Eusebio Hieronymoque laudatur liber, quem contra

---

4) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. IV. c. 24, ed. laud. T. I. p. 278 sq.

5) L'art de verifier les dates (Paris. 1783. III. f.) p. 240.

1) Lib. II ad Autolyc. c. 30 med. et fin., in Prud. *Marani* Opp. SS. Justini etc. (ed. *Venet.*) p. 395.

2) ibid. c. 28 fin., p. 394.

3) ibid. c. 29 init., p. 394.

4) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. IV. c. 24, p. 278; *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. c. 25, p. 111.

Hermogenis haeresin inscripsit, in quo testimoniis utitur e S. Joannis revelatione desumtis; porro alius *Contra Marcionem*.[5]) Praeterea Hieronymus in Catalogo Scriptt. eccl. l. l. sub ejus nomine circumferri tradit *Commentarios in Evangelium et in Proverbia Salomonis*, eosque a se lectos esse alibi [6]) testatur. Commemorat idem Hieronymus alium denique librum, qui *Evangelistarum dicta in unum congesta* exhibuit [7]), et Harmoniae Evangeliorum speciem prae se tulisse videtur. Verum omnia haec Theophili cum tempore interciderunt. Exstant quidem hodie sed latine tantum sub Theophili Antiocheni nomine *Libri IV Commentariorum in Evangelia*, imo potius Scholia in varia Evangelistarum loca.[8]) At multa sunt, quae hunc ab initio *latine* scriptum, non e graeca demum lingua in latinam postmodo translatum esse librum indicant, nec pauci *anachronismi* reperiuntur. Etenim in his, uti nunc extant, Commentariis de *Monachis* eorumque vivendi ratione mentionem facit auctor, et de *Filii Dei consubstantialitate*, deque *duabus ejus in una persona naturis* ita loquitur, ut demum post Arii, Nestorii et Eutychetis obortas haereses exaratum esse librum manifestum sit. Permulta etiam occurrunt loca, ex *latinis* Patribus aliquanto post viventibus velut e *Cypriano*, *Hieronymo*, desumta. Unde merito conjicimus, antiquissima illa et vera S. Theophili commentaria intercidisse [9]); haec vero nobis nunc cognita a longe *juniore* aliquo scriptore et *latine* quidem composita, et, adhibitis fortasse etiam Theophili commentariis, e recentiorum Patrum scriptis potissimum compilata esse.

---

5) *Euseb.* et *Hieron.* ll. ll.

6) Prolog. in Comment. super Matth., Opp. *Hieronym.* T. IV. P. I. p. 3.

7) Epist. ad Algasiam l. supra §. 188 not. 3. laud.

8) in Biblioth. PP. max. Lugdun. T. II. p. 166—174.

1) Quin adeo dubium est, an ii ipsi, quos *Hieronymus* ad manus habuit, Commentarii *genuini* fuerint, cum ipse D. Doctor in Catal. de Scriptt. eccl. c. 25 observet, eos *a styli elegantia et phrasi cum libris ad Autolycum non congruere.*

2. Libri ad Autolycum superstites.

a. Eorum genuinitas.

§. **190.** Inter S. Theophili scripta primo loco ab *Eusebio* et *Hieronymo* [1]) laudantur *Libri III ad Autolycum* amicum, hominem *gentilem* quidem sed inprimis *eruditum* veritatisque cupidissimum. De eorum *genuinitate* nihil dubitatur [2]), a praestantia vero dictionis maximopere commendantur. Natalis Alexander eosdem *profanae et sacrae eruditionis promptuarium jure merito appellari posse* contendit. [3]) *Stylus enim elegans*, ut ait Dupinus [4]), *et cogitationum gratus lepor, ita ut eas legendo dubitari nequeat, quin eloquentissimus auctor fuerit.* Scripti sunt isti libri intra annos c. 181—185. Theophilus enim temporum descriptionem ad suam usque aetatem pollicitus *Marcum Aurelium* imperatorem undeviginti annos ac dies decem regnasse testatur, scripsit igitur post Aurelii mortem i. e. *non ante* 181; ipse autem Theophilus probabilius jam ao. c. 186 diem obiit supremam.

b. Analysis.

aa. Libri I.

§. **191.** Obtuderat Theophilum Autolycus inanibus sermonibus, fictos suos ac pictos deos venditans; Christiani nomen instar probri objecerat, ac tandem irridens quaesierat, ut *Deum suum sibi ostenderet* (c. 1.). Huic petitioni respondens Theophilus demonstrat, *Deum cerni non*

---

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. IV. c. 24; *Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 25.

2) *Henr. Dodwellus* et post eum *Theoph. Schelwigius*, Profess. Gedanensis, qui non a nostro Theophilo sed ab alio quodam sub *Severo* imperatore c. a. 203 hos exaratos esse libros somniarunt, a *Tillemontio* (Memoires de l'histoire eccl. T. III. p. 274.) et *Lumpero* (Historia theol. crit. T. III. p. 136. sqq.) satis refutati sunt.

3) in Historia eccl. Secul. II. Cap. IV. art. 5. (ed. Paris. 1741. 4.) T. V. p. 47.

4) in Museo sacro s. Biblioth. Scriptt. eccl. (Col. Agripp. 1703. III. 4.) T. I. p. 101.

posse, nisi cordis oculi expurgati fuerint (c. 2.). Si quis postulet, ut Dei *forma* exprimatur, id prorsus fieri non posse, quia, inquit, nihil de Deo dicere possumus, quod non longe illius infinita virtute superetur (c. 3.). Deum esse *ingenitum, immutabilem, omnium opificem ac Dominum* (c. 4.); qui, licet ipse sit invisibilis, tamen *ex providentia* ejus et *operibus* cognosci potest (c. 5. 6.). Tunc demum videbimus eum, cum *immortalitatem* induerimus (c. 7.). Deinde incredulum Autolyci de resurrectione mortuorum inflectere conatur animum, eoquod *Deus ipse illam promiserit*. Credis, ait, efficta ab hominibus simulacra deos esse et mira facere, Deo autem conditori tuo non credis, quod te possit ad vitam revocare? (c. 8.) Et data hac occasione scelera ac flagitia deorum persequitur (c. 9. 10.). *Caesarem* multo magis quam *hujusmodi deos* honorandum; sed nec Caesarem, nedum istos deos esse *adorandos*. Deos potius risu dignos esse, non christianum nomen, ut quae vox rem maxime suavem ac pretiosam significet (c. 11. 12.). Autolyco postulanti, ut ostenderet ei unum ex mortuis excitatum: *Quid magni*, inquit, *tu praestabis, si tunc credes, cum rem factam videris.* Credis *Herculem*, qui se ipse combussit, vivere; *Aesculapium* fulmine percussum in vitam revocatum; *Deo* vero non credis? Jamque ei objicit in rebus ante oculos positis *imagines quasdam resurrectionis*, velut in dierum ac noctium vicissitudine, in mirabili frugum et plantarum origine etc. (c. 13.); *suum* denique proponit exemplum, ut qui ante incredulus, nunc fidelis factus sit; idem nunc Autolyco faciendum censet, ne aliquando frustra credat ad aeterna supplicia damnatus (c. 14.).

bb. Libri II.

§. 192. Hortante Autolyco, ut de religione christiana fusius dissereret, morem illi gerit Theophilus, et in hoc secundo libro demonstrare instituit *stultitiam superstitionis*, cui ille addictus erat (c. 1.). Observat primum, deos sperni, cum fiunt; in pretio esse et adorari, ubi veniere (c. 2.). Quaerit, cur Dii gignere desierint.

Nam si Di gignunt, immortalesque manebunt,
Di geniti plures multo mortalibus essent,
Nec locus esset, ubi jam homines consistere possent?

Cur Olympus olim a Diis repletus, nunc autem desertus est? Cur Idam Jupiter reliquit? Estne mortuus, an quonam profectus? Dices forte in Cretam. Optime! ibi enim hactenus ejus *sepulcrum* visitur (c. 3.). Tum *Poëtarum*, *Philosophorum*, *Historicorum* de Deo et mundi origine sententias et fabulas perstringit (c. 4—8.). Longe dissimilem *Prophetarum* esse doctrinam, qui mundum *a Deo per Verbum ex nihilo* creatum docent (c. 9. 10.). Jamque sequitur operis sex dierum descriptio ex libro Genesis, deinde expositio eorum, quae ibidem leguntur de paradiso, de Evae formatione, de hominis lapsu; et vera esse, quae in libro illo narrantur, demonstrat (c. 11—24.). Postquam autem ornatum ac pulchritudinem Paradisi descripsit Theophilus, probat adversus haereticos, Deum non esse accusandum, quod ligno scientiae Adamum prohibuerit, et praevaricatori mortem inflixerit. *Nec mortalem* Adamum *nec immortalem* creari par erat, *sed utriusque capacem* (c. 25—27.). Prosequitur narrationem secundum ss. Scripturas de primorum hominum propagatione, artibus ab iis inventis, de diluvio, de origine linguarum, urbium, et quommodo genus humanum dispersum sit (c. 28—32.). Horum omnium cognitionem frustra quaeri apud gentiles scriptores; *Prophetae* Dei de his rebus Christianos instituerunt, iidemque eos Dei cultum et vitae sanctioris leges docuerunt, id quod per *exempla* illustrat multis additis *Sibyllae* versibus, quin etiam *Poëtarum* de poenis sceleri infligendis aliisque rebus sententiis, quae mire cum Prophetis consentiunt (c. 33—38.).

cc. *Libri III.*

§. **193.** In tertio libro *duplicem* calumniam Gentilium eversum it, qui nempe Christianis promiscuos concubitus et humanae carnis epulas affingebant, eorumque doctrinam novam esse et argumentis destitutam dictitabant

(c. 1—4.). *Primo* igitur demonstrat, criminum a Gentilibus falso Christianis objectorum gravissima esse *in Scriptoribus graecis* indicia, in *Christianis* autem nullam prorsus haerere ejusmodi suspicionem. Philosophi de morum honestate praecipientes humanas carnes vorare et stupra et adulteria docent; imo de iis quoque, quos *Deos* appellant, similia praedicant, alii deos divinamque providentiam omnino negant, alii deos quidem confitentur, sed scelestas iisdem coenas et horrenda flagitia attribuunt (c. 5—8.); *Christianorum* econtra doctrinam longe esse *sanctiorem*. Ad quod demonstrandum nonnulla hujus doctrinae capita ex *Decalogo*, *Prophetarum* effatis et *Evangeliis* adstruit, e. gr. de Deo, de decem ejus praeceptis, de humanitate in advenas, de poenitentia, de justitia, de castitate, de inimicorum dilectione aliisque virtutibus. Concludit, non posse fieri, ut, qui talia edocentur, male vivant, et in nefariis flagitiis volutentur, aut carnes adeo humanas attingant (c. 9—15.). *Secundo* dein Antolyco ostendit, Scripturae sacrae doctrinam esse *antiquiorem* et *veriorem* omnium Ethnicorum scriptis, docens, in quantas nugas hi de mundo disserentes aberraverint, dum Christiani a *Prophetis Spiritu Sancto plenis* antiquarum rerum cognitionem acceperunt. Sic et *diluvii* enarrationem longe accuratiorem esse apud Mosen, quam quae a Graecis ea de re perhibentur (16—19.). Ut autem *Mosen* et *Prophetas* Graecis scriptoribus ac legislatoribus *longe antiquiores* esse doceat, *Chronologiam quandam historicam* subjungit, incipiens ab *Adamo* usque ad captivitatem Babylonicum et tempora Cyri, et continuans annos a Roma urbe condita deinceps usque ad *M. Aurelii Antonini obitum* (c. 20—27.). Ex his concludit, quam immerito christianam doctrinam nonnulli tamquam fabulosam ac recentem vellicent, addens causam, cur Scriptores graeci *Hebraeos* raro commemorent, scilicet quod recens sit apud eos literarum cognitio, et quod fabulas amare et veritatem odio habere atque insectari nondum desinant (c. 28. 29.).

c. *Editiones.*

§. **194.** *Libros tres ad Autolycum* unacum *Tatiani Oratione* et *Antonii Melissae* ac *Maximi sententiis* (ut supra diximus §. 169.) primus *graece* ex Arlenii codice msspto, quem Venetiis *Joannes Frisius* descripserat, edidit *Conr. Gesnerus*, Tiguri 1546. f. Ibidem atque eodem anno prodiit *latina* hujus operis interpretatio *Conr. Clauseri*, quae et in varias deinde bibliothecas Patrum *Parisiis*, *Coloniae*, *Lugduni* editas recepta est. *Graece et latine* editi sunt in *Jo. Heroldi* Orthodoxographis (Basil. 1555. f.) p. 285 sqq., nec non additi Operibus Justini, Tatiani etc., quae Paris. 1615. f., ibid. 1636. f., Colon. (imo Vitemberg.) 1686. f. evulgata sunt (cf. §. 140.). His usque adhuc recensitis multo emendatior editio ea est, quam *Jo. Fellus* gr. et lat. *Oxonii* 1684. 12. typis imprimendam curavit. Sed hanc ipsam postmodo longe superavit alia, quae studio *Jo. Chph. Wolfii*, additis suis variisque DD. VV. *Ducaei*, *Felli*, *Kortholdi*, *Grabii*, *Hudsonii*, *Davisii*, *Kusteri etc.* observationibus prodiit *Hamburgi* 1724. 8. Novam hujus operis latinam versionem confecit, fragmenta operum ejusdem Theophili deperditorum subjunxit et sic opus suis et aliorum passim notis instructum unacum *Justini*, *Tatiani*, *Athenagorae et Hermiae* libris uno tomo emisit *Prud. Maranus*, *Paris.* 1742. f., minus castigaté recusum *Venetiis* 1747. f. Ad exemplar hujus editionis *Maurinae* omissis tamen notis impressi sunt Theophili libri gr. et lat. *Wirceburgi* 1777. 8. Eandem *Maurinam* editionem adhibitis et comparatis etiam *Felliana* et *Wolfiana* editionibus secutus est *Andr. Gallandius* in sua Bibliotheca Patrum, T. II.

C. Doctrina.

1. Dogmatica.

a. *De vera Dei cognitione.*

§. **195.** S. Theophilus de *sacra Scriptura* longa

oratione disserens et ejus vetustatem supra profanos Scriptores ostendens: *Credo nunc*, inquit, *quod in sacra Scripturas incidi sanctorum Prophetarum, qui per Spiritum Sanctum .. praedixerunt etc. ... Tu quoque ... lege studiose propheticas Scripturas; ac lucem illarum tutiorem habebis ducem, ut ... perpetua Dei bona consequaris* [1]) ... *Ac proinde da operam, ut saepius accedas* ad Scripturas, *ut vivam quoque vocem audiens verum accurate discas.* [2]) Roganti autem Autolyco: *Ostende mihi Deum tuum!* praeclare Theophilus: *Tu mihi*, ait, *ostende hominem tuum, et ego tibi ostendam Deum meum. Proinde ostende, an oculi mentis tuae videant, et aures cordis tui audiant ... Cernitur enim Deus ab his, qui eum videre possunt, si quidem oculos mentis apertos habent. Omnes enim habent oculos, sed quidam caligine suffusos, ac solis lucem non videntes. Neque ex eo, quod coeci non videant, idcirco lux solis non lucet; sed sibi ipsis adsignent coeci et suis oculis. Sic et tu mentis tuae oculos caligine suffusos habes ob peccata et malas actiones tuas. Ut speculum renidens ita animam hominis puram esse decet. Cum igitur aerugo in speculo extiterit, non potest hominis vultus in speculo conspici; ita cum peccatum in homine fuerit, non potest quisquam hujusmodi Deum videre.* [3]) Autolyco autem opponenti: *Tu, qui vides, narra mihi formam Dei, qualis sit!* respondens dixit: *Audi, homo, forma Dei nec dici nec narrari potest, nec cerni oculis corporeis. Nam nec ejus gloria animo capi, nec magnitudo comprehendi potest, nec altitudo cogitari; nec ejus robur in comparationem vocari, nec sapientia assimilari, nec ejus benignitas imitabilis, nec ejus beneficentia enarrabilis.* [4]) Sed *quemadmodum anima in homine non videtur, sed, cum fugiat humanos visus, ex motu corporis intelligitur; ita et Deus oculis humanis cerni non potest, sed ex providentia*

1) Lib. I ad Autolyc. c. 14 pr. et med., p. 369.
2) Lib. II c. 38 fin. p. 405.
3) Lib. I. c. 2, p. 361.
4) ibid. c. 3. init. p. 361.

et operibus cernitur et intelligitur . . . Et *rex terrenus existere creditur, quamvis ab omnibus non videatur, sed ex legibus suis et edictis et potestatibus et copiis et imaginibus cognoscitur; Deum autem non vis intelligere ex ejus operibus et potestatibus?* [5]) . . *Hic Deus meus est, universorum Dominus, qui coelum extendit solus, et statuit orbis terrae latitudinem . . . Hujus spiritu, o homo, loqueris; hujus spiritum ducis; atque hunc ignoras. Hoc autem tibi accidit ob mentis obcoecationem et cordis duritiem. Sed si vis, potes sanari. Da te medico, et punget oculos mentis et cordis tui. Quis est iste medicus? Deus, qui per Verbum et Sapientiam sanat et vivificat . . . Cum mortalitatem depositeris et indueris immortalitatem, tunc Deum pro meritis videbis. Excitabit enim tuam carnem cum anima immortalem Deus, et tunc factus immortalis immortalem videbis, si nunc ei credideris.* [6]) Cum autem haec resurrectionis fides maxime abhorreret ab Autolyci ingenio, Theophilus incredulum animum flectere conatur probans, in omnibus fere artibus et variis in rebus *nihil sine fide* ad exitum perduci. *Quis enim*, ait, *agricola metere potest, nisi prius semen terrae crediderit? aut quis mare transmittere, nisi prius se ipse rati credat et gubernatori? Quis aegrotans potest sanari, nisi prius se ipse medico crediderit? Aut quam artem quis aut disciplinam ediscere potest, nisi se prius tradiderit magistro? Igitur si terrae credit agricola, si navigaturus rati, si argrotus medico; non vis tu credere te Deo, tot ac tantis ab eo pignoribus acceptis?* [7])

b. *De Deo Patre et ejus Filio Verbo.*

§. 196. *Deum unum esse* [1]), Theophilus docet, *Deumque ex nihilo omnia creasse. Nihil enim Deo coae-*

---

5) ibid. c. 5 pr. et fin., p. 363.
6) ibid. c. 7. p. 364 sq.
7) ibid. c. 8. p. 365.)
1) Lib. II. c. 34 med., p. 399.

cum, sed cum sibi ipse locus sit, nec ulla re egeat, ac seculis antiquior sit, hominem facere voluit, cui innotesceret: huic homini mundum praeparavit ... Habens igitur Deus suum ipsius Verbum in propriis visceribus insitum (ἐνδιάθετον), genuit illud cum sua Sapientia, proferens eum ante omnia. Hoc Verbo usus est administro operum suorum, et per illud omnia condidit. Vocatur Principium, eoquod principatum habeat et dominatum omnium eorum, quae per ipsum creata sunt. Hic igitur, cum sit spiritus Dei et principium et sapientia et virtus Altissimi, descendebat in Prophetas, ac per eos de mundi creatione et ceteris rebus loquebatur; nondum enim erant prophetae, cum mundus crearetur, sed tantum Sapientia Dei, quae est in eo, ac sanctum Verbum ejus, quod ei semper adest [2]) ... *Ante enim quam quidquam fieret, eo utebatur consiliario, quippe cum ejus mens et prudentia sit. Cum autem voluit Deus ea facere, quae statuerat, hoc Verbum genuit, prolatitium (προφορικόν), primogenitum omnis creaturae; non ita tamen, ut Verbo vacuus fieret, sed ut Verbum gigneret, et cum suo Verbo semper versaretur.* [3]) His igitur verbis S. Pontifex substantialem *Verbi ab omni creatura diversitatem* et *cum Deo Patre unitatem ac distinctionem* significat. *Λόγος* enim *ἐνδιάθετος* minime (ut quidam volunt) sic recte accipitur, quasi auctor Verbum unquam non *realiter* ac *personaliter* in Deo exstitisse cogitaverit, neque voce *προφορικός* idem dicit, ac si Verbum ante *creationem universi* demum personam factum esset, et ad condendum mundum hypostaticam naturam accepisset. Verba *ἐνδιάθετος* et *προφορικός* nihil aliud significant, quam quod Verbum *principium* suum et *originem* (ut enim homo loquor) in Deo Patre habet, et ex hac substantiali, quam *ab aeterno* in Patre habet, unione unacum Deo Patre *ad extra* operatur. Quantum abfuit, ut Verbum personam *factum* esse intelligeret Theophilus, alio loco satis aperte

---

2) ibid. c. 10 princ., p. 378 sq.
3) ibid. c. 22 med., p. 389 sq.

innuit. Quaerenti enim Autolyco: Quomodo Deum, cum nullo comprehendi loco possit, in paradiso ambulare dixerit, respondet: *Deus et pater universorum non potest ille quidem comprehendi, nec invenitur in loco; . . sed ejus Verbum, per quod fecit omnia, cum sit ejus virtus et sapientia, assumens Patris et Domini universorum personam, veniebat in paradisum sub persona Dei, et cum Adamo colloquebatur.* 4) Fieri nequit, ut *impersonalem* putaverit Verbi in Patre existentiam, quippe cum Deus, antequam quidquam factus est, jam Verbo suo ceu *Consiliario (σύμβουλος)* uteretur. Bene in hunc locum *Moeklerus* habet: Das Alleinseyn Gottes außer und vor der Weltschöpfung können wir nur als einen Moment in Gedanken fixiren, in welchen einmal das Ineinanderseyn des Logos mit Gott hineinfällt, um die Einheit des Wesens, — und zweitens dessen Zeugung aus Gott, um den Unterschied in dem Auseinanderseyn der Personen festzuhalten. In der menschlichen Vorstellung, welche diese göttlichen Acte nicht auf einmal zu fassen und auszusprechen vermag, muß jenes diesem letztern immer vorangehen; und so rechtfertiget sich diese Darstellung um so mehr, als erst in der Weltschöpfung die Persönlichkeit des Logos als des ad extra wirkenden Gottes, so zu sagen, in unser menschliches Bewußtseyn eintritt, während wir jenes Zusammenseyn mit Gott vor dem Anfang der Dinge kaum als einen Punkt zu setzen vermögen, um sogleich darüber hinweg zur Weltwerdung fortzueilen. (Patrologie, T. I. p. 297.)

c. De Spiritu Sancto Deo.

§. 197. *Spiritus sanctus* a Theophilo appellari *Sapientia* solet. Idem quidem vocabulum nonnunquam et *Filio Dei* attributum reperies, e. gr. *Hic (Λόγος), cum sit spiritus Dei et principium et sapientia et virtus Altissimi, descendebat in prophetas etc.* Verum haec non nisi *generalia* Deitatis praedicata sunt, non *propria* et ad *personam* Verbi designandam stricte dicta. Quam scite enim Theophilus, ubi de *Personis* divinis loquitur,

4) ibid. c. 22 init., p. 389.

Verbum et Sapientiam (Spiritum Sanctum) distinguat, multa loca demonstrant, e. gr. *Deus suum ipsius Verbum . . . genuit cum sua Sapientia . . . Nondum erant prophetae; cum mundus crearetur, sed tantum Sapientia Dei, quae est in eo, et sanctum Verbum ejus, quod ei semper adest* [1]) . . . *Deus per Verbum et Sapientiam sanat et vivificat; Deus per Verbum et Sapientiam condidit universa* [2]) . . . *Nemini* (Deus) *dixit „Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram", nisi Verbo suo et Sapientiae suae.* [3]) Jamque ipsa vox Τριάς, quam omnium SS. Patrum Theophilus primus usurpat, statis aperte *propriam* S. Spiritus personam indicat, cum dicit: *Tres illi dies, qui ante luminaria fuerunt, imago sunt Trinitatis, Dei* (Patris), *ejus Verbi, ejusque Sapientiae.* [4])

d. *De hominis creatione et peccato originali.*

§. 198. *Creationem hominis majorem* esse dicit, *quam ut ab hominibus enarrari possit. Cum enim Deus verbo omnia fecisset, quasi cetera parvi duceret, hoc unum opus propriis manibus dignum existimavit, hominis creationem* [1]) . . *Medius autem homo factus fuerat, nec omnino mortalis, nec prorsus immortalis, sed utriusque capax* [2]) . . . *Nam si immortalem ab initio fecisset Deus, Deum eum fecisset; rursus si mortalem, videretur Deus causa illius mortis esse. Liberum autem et sui juris hominem Deus fecit, ut, si ad ea ferretur, quae ducunt ad immortalitatem, observandis Dei mandatis, mercedem ab eo acciperet immortalitatem et deus fieret; si vero deflecteret ad ea, quae ducunt in mortem, non obediens Deo, ipse sibi mortis auctor esset* [3]) . . *Non accusandum esse Deum* monet auctor, quod de

---

1) Lib. II. c. 10 med., p. 378 sq.
2) Lib. I. c. 7 med., p. 365.
3) Lib. II. c. 18 med., p. 387.
4) ibid. c. 15 med., p. 385.
1) Lib. II. c. 18 init., p. 386.
2) ibid. c. 24 sub fin., p. 391.
3) ibid. c. 27, p. 393.

ligno scientiae edere vetuerit. *Neque enim, ut quidam existimant, mortiferum erat lignum, sed mandati praetergressio; . . neque invidens ei Deus, ut nonnulli putant, interdixit, ne de ligno scientiae comederet. Adhuc enim volebat eum experiri et periclitari, utrum sibi dicto auditurus esset. Simul diutius volebat simplicem et sincerum permanere hominem puerascentem; . . qua enim aetate erat Adam, adhuc infans erat, necdum idoneus esse poterat, qui scientiam perciperet . . . Denique cum lex praescribit, ut ab aliqua re abstineatur, si quis non pareat, perspicuum est, non legem causam esse supplicii sed inobedientiam . . . Sic primo homini mandati praetergressio id attulit, ut e paradiso ejiceretur, non quod mali quidquam inesset ligno scientiae, sed e peccato tanquam e fonte in hominem fluxerunt labores, dolores, molestiae, ac denique mors ipsa.*[4] *Atque id quidem ei Deus in magni beneficii loco praestitit, ne in aevum omne permaneret obstrictus peccatis, sed quodam veluti exilio damnatum ejecit e paradiso, ut, cum hac poena peccatum intra certum tempus expiasset ac castigatus fuisset, postea revocaretur . . . Quemadmodum etiam vas, si, postquam confectum fuerit, vitii aliquid habeat, refunditur ac refingitur, ut novum et integrum fiat; idem homini mors affert. Quodam enim modo confringitur, ut sanus in resurrectione inveniatur, i. e. mundus, justus et immortalis.*[5] Illud quoque notatu dignum est, *immanitatem ferarum* et omnino deteriorem nunc naturae statum a Theophilo ex *peccato* primorum hominum derivari. *Ferae dicuntur*, inquit, *eoquod efferatae sunt; non quod noxiae et venenatae ab initio fuerint; nihil enim mali a Deo factum, sed bona omnia et valde bona; at peccatum hominis eas in vitium abduxit. Homine enim de via deflectente ipsae quoque simul deflexerunt . . . Cum autem redierit homo ad id, quod secundum naturam est, belluae quoque in pristinam mansuetudinem restituentur.*[6]

---

4) ibid. c. 25, p. 391 sq.
5) ibid. c. 26, p. 392.
6) ibid. c. 17 med., p. 386.

e. *De Ecclesia christiana.*

§. 199. Dignum inter cetera id quoque, ut audiamus, qua mente S. Pater de *Ecclesia* Dei disseruerit. Dicit enim: *In mari autem similitudo nobis quaedam cum mundo exhibetur. Nam quemadmodum mare, nisi fluminum ac fontium appulsu aleretur, jam dudum exsiccatum ob salsuginem et adustum esset; ita mundus, nisi habuisset Dei legem et prophetas, ex quibus fluunt et scaturiunt mansuetudo, misericordia, justitia et sanctorum Dei mandatorum doctrina, jam dudum ob nequitiam et multiplicata in eo peccata defecisset. Et quemadmodum in mari sunt quaedam insulae habitabiles, aquis salubres, frugiferae, stationibus et portubus munitae, ut iis, qui tempestate jactati fuerunt, perfugio esse possint; sic Deus mundo sub peccatis fluctuanti et aestuanti synagogas dedit i. e. sanctas Ecclesias, in quibus doctrina veritatis velut in insularum portuosarum stationibus asservatur . . . Quemadmodum autem aliae sunt insulae saxosae, inaquosae, infrugiferae, ferarum plenae, inhabitatae, . . in quibus naves conteruntur, et qui appellunt penitus pereunt; ita se habent erroris doctrinae, haereses dico, ad quas qui accedunt, omnino pereunt. Neque enim verbum veritatis sequuntur ducem; sed, quemadmodum piratae, cum naves impleverint, eas in praedicta loca impellunt, ut ibi eas perdant; idem contingit iis, qui a veritate aberrant, ut ab errore persuadentur.* [7])

2. Observationes morales.

§. 200. Praeclara est descriptio, quanta **morum integritate** Christiani tunc temporis excelluerint. Postquam enim auctor doctrinae christianae summa quaedam capita exposuit, concludit: *Vide igitur, an possint, qui talia edocentur, indifferenter vivere, et in nefariis flagitiis volutari . . . Procul absit a Christianis, ut iis quidquam hujusmodi facere in mentem veniat; apud quos est tempe-*

7) Lib. II. c. 14, p. 384.

rantia, continentia colitur, unicum matrimonium servatur, castimonia custoditur, injustitia exterminantur, peccatum radicitus evellitur, justitia exercetur, lex observatur, cultus Dei peragitur, Deus confitendo celebratur, veritas dominatur, gratia custodit, pax communit, sanctum verbum manu ducit, sapientia docet, vita dirigit, Deus regnat. [1]) De *Principum* autem potestate, et eorum aeque ac *subditorum* suorum obligationibus docet: *Rex non ideo est factus, . . ut adoretur, sed ut legitimo honore observetur. Neque enim Deus est, sed homo a Deo constitutus . . ut juste judicet; est enim quodammodo administratio ei a Deo commissa . . . Regem igitur cole, sed eum diligendo cole eique parendo et orando pro eo. Hoc enim si feceris, voluntatem Dei exsequeris.* [2])

VIII.

Hermias Philosophus.

A. Vita.

201. Sub *Hermiae* cujusdam nomine memoriae nostrae proditus est libellus, qui inscribitur „*Irrisio gentilium (τῶν ἔξω) philosophorum*". Sed ubi natus fuerit, aut quo tempore vixerit, neque ex Antiquorum testimoniis neque ex ipsius libro erudimur. In hoc uno omnes conveniunt codd. mss., ut *Philosophum* eum fuisse exhibeant, quod satis etiam ex ipso ejus opusculo elucet. *Recentiorem* eum *Justino* fuisse et *Tatiano* siquis contendat, a vero vix aberraverit. Etenim Justini sententias et inprimis Tatiani sales omnino videtur imitari. Ceterum multa sunt in isto libro occurrentia, quae *antiquissimam* aetatem redolent, e. gr. quod cum vetustissimis, quos hucusque commemoravimus, Scriptoribus daemones e coelo in terram

---

1) Lib. III. c. 15, p. 416.
2) Lib. I. c. 11, p. 367.

delapsos, et stupra mulieribus intulisse, et philosophos ab his daemonibus in superstitione sua institutos esse opinatur; et totum genus refellendi adversarios probabilius seculo *secundo* multo magis quam *tertio* congruit. *Stylus* candidus est et pellucidus, gratiisque ac leporibus scatens, ut jam inde facile quivis sentiat, quam longe erraverit *Tentzelius*, qui *nostrum Hermiam* eundem ac *Hermiam Sozomenum*, historiae ecclesiasticae Scriptorem esse existimavit. [1])

B. Opusculi analysis et variae ejus editiones.

§. **202.** Thesis, quam sibi ipse quasi ampliandum proponit, haec est: *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum* (I Cor. III, 19.). Quae quam sit vera, in *historia philosophiae* demonstrat, nimirum ex variis et inter se pugnantibus philosophorum sententiis. Neque enim de *animae natura*, nec de ejus *immortalitate* et post hanc vitam statu consentiunt, sed alii in alias et eas quidem absurdissimas sententias abierunt (Jrris. gentt. phil. c. 1. 2.). De principiis cum *Anaxagora Parmenides* et cum Parmenide *Anaximenes* pugnat (c. 3.). Si quis *Empedoclem* sequitur, ab eo abducet *Protagoras*, et a Protagora *Thales*, et a Thalete *Anaximander* (c. 4.). Magna *Archelai* fama est, sed nec ei *Plato* assentitur, nec Platoni *Aristoteles* (c. 6.). *Pherecydis* doctrinam nugas esse clamat *Leucippus*, *Democrito* ridenti refragatur plorans *Heraclitus* (c. 6.). *Epicurum* ridet *Cleanthes* capite e puteo elato. *Carneades* et *Clitomachus* nihil comprehendi posse contendunt (c. 7.). *Pythagoras* ex numeris elementa componit (c. 8.). Qui si in metiendo hoc universo mundo tempus triverit, *Epicurus* petet, ut alios mundos ac innumeros dimetiatur. Concludit ergo, *philosophis nihil certi constare* (c. 9. 10.).

§. **203.** Hermiae Liber primum unacum *Demetrii*

1) in Exercitatt. selectt. T. V. §. 44, p. 227. 456.

Cydonii Oratione de morte contemnenda e codice *Jo. Jac. Fuggeri* et latina versione *Raph. Seileri Augustani* in lucem prodiit *Basil.* 1553. 8; deinde unacum aliis graecis Scriptoribus gr. et lat. curante *Gesnero* Tiguri 1560. f.; et castigatius c. notis *Front. Ducaei* in Ej. Biblioth. PP. (Paris. 1624. II. f.) T. I. Meliorem posthac curavit editionem *Guil. Worthius* cum suis et *Galei* notis, Oxon. 1700. 8. Denique, ut latinas editiones (cf. §. 140.) taceam, Hermiae opusculum unacum Justini, Tatiani, Athenagorae et Theophili libris gr. et lat. evulgatum est a *Prud. Márano*, Paris. 1742. f. et Venet. 1747. f., quae editio item (sed omissis annotationibus) recusa est *Wirceburgi* 1777. 8., et in *Andr. Gallandii* Biblioth. PP. T. II.

IX.

S. Apollonius Martyr. Miltiades.

1. S. Apollonius.

§. 204. *Apollonius, Senator Romanus* 1), non solum generis nobilitate sed etiam *humanioribus literis et philosophia eximius* 2), *sub Commodo principe a servo (Severo) proditus, quod Christianus esset*, in judicium protractus est. 3) Et *miser* quidem *intempestive suscepta accusatione, cum ex imperatoris edicto capitalis poena in eos, qui talia detulissent, esset constituta, confestum fractis cruribus occiditur . . . Martyr vero Deo acceptissimus, cum Judex Perennius multis eum precibus obsecrasset, uti*

---

1) *S. Hieronym.* in Epist. (LXXXIII.) ad Magnum, in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 656.

2) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. V. c. 21 nr. 1, ed. *Zimmerm.* T. I. p. 362.

3) *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 42, in Ej. Opp. T. IV. P. II. col. 114. Sed *Vallarsius* merito suspicatur, proprium illud nomen „*Severo*" ex prava lectione ortum, cum Mss. Codd. alii mendose *sub Commodo principe ac Severo proditus*, alii contra omisso *Severi* nomine *sub Commodo principe a servo proditus* exhibeant. *S. Hieron.* Opp. (ed. *Vallarsi*) T. II. P. II. p. 884.

coram Senatu rationem fidei suae redderet, elegantissima oratione pro defensione fidei suae coram omnibus pronuntiata capitali supplicio a Senatu damnatus est. Quippe veteri apud eos lege sancitum erat, ut Christiani, qui semel in jus vocati fuerant, nequaquam dimitterentur, nisi a proposito suo discederent. 4) Apollonium *martyrio* coronatum ao. c. 186, Pagius probat eoquod *Aelius Lampridius* in *Vita Commodi* c. 7 narrat, *Perennem s. Perennium* illum, apud quem causa agebatur, eo jam anno occisum esse. — *S. Hieronymus scriptam* fuisse dicit illam orationem, quam Apollonius senatui obtulerat; *Eusebius* contra *viva voce* eandem esse a S. Martyre recitatam testatur. 5) Potuit etiam fieri, ut ex ore dicentis *ab actuariis* exciperetur. Utut res se habet, certe Eusebius eam unacum actis martyrii ejus in suam *Martyrum collectionem* inseruit, prout ipse diserte monet. 6) Verum hoc *Eusebianum Martyrologium* dudum jam periisse notum est.

2. Miltiades.

§. **205.** *Miltiades* cujus fuerit, aut quam profiteretur artem, ignoratur. Tertullianus eum sive a philosophia christiana, sive a studio, quo Christianorum causam veluti in foro egit, *Sophistam ecclesiarum* vocat, et inter eos *sanctitate ac praestantia insignes viros* refert, *qui Valentini contemporanei errores instructissimis voluminibus et prodiderunt et retuderunt.* 1) Idem apud Eusebium inter eos recensetur, qui *scriptis libris Christi divinitatem adstruxerunt jam ante Victoris pontificatum* i. e. 192. 2) Inde conjectari licet, Miltiadem intra annos 180—190 potissimum claruisse. — Inter ejus autem scripta primo

---

4) *Euseb.* l. l. nr. 2.

5) *Hieron.* et Euseb. ll. ll.

6) *Euseb.* l. l. sub fin., p. 363.

1) *Tertull.* Lib. adv. Valentin. c. 5, in Ej. Opp. omn. ed. *Girardi* (Venet. 1744. f.) p. 252.

2) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. V. c. 28. nr. 2, ed. laud. T. I. p. 376.

loco commemoratur *Liber adversus Montanistas*, in quo auctor docet, *non decere prophetam in ecstasi loqui*, imo hanc verae et spiritalis prophetiae certissimum esse notam, et mentis suae compotes sint, qui futura praedicunt. [3]) Laudantur etiam Ejusdem Libri tam quos *adversus Gentes*, tum quos *contra Judaeos* composuit, utrumque argumentum binis voluminibus exsecutus est [4]); et libros quidem contra Gentes Hieronymus prae ceteris commendans volumen appellat *egregium* ... *ut nescias, quid in illo primum mirari debeas, eruditionem seculi an scientiam Scripturarum.* [5]) Praeterea iisdem Eusebio Hieronymoque testantibus *Apologeticum pro christiana, quam ipse profitebatur, philosophia ad hujus seculi Principes* (i. e. Rectores provinciarum) *conscripsit.* [6]) Sed horum omnium nihil omnino ad nos pervenit.

X.

Modestus. Musanus. Sextus. Arabianus.

1. Modestus.

§. 206. Eodem, quo Miltiades, tempore (Marco nempe Aurelio et Commodo imperantibus), vixit *Modestus*, qui Eusebio testante *contra Marcionis haeresin insigne scripsit volumen, prae ceteris egregie illius errores ac dolos detegens.* [1]) Hunc usque ad suam aetatem perseverasse librum Hieronymus testatur, monetque *alia* quoque sub Modesti nomine *circumferri opuscula, sed ab eruditis quasi pseudepigrapha repudiari.* [2]) Atvero nihil omnino de hisce operibus ad nos pervenit.

---

3) *Euseb.* ll. c. 17. nr. 1, p. 351.

4) *Euseb.* l. l. c. 17 nr. 3, p. 352; *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 39, in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 113.

5) *Hieron.* in Epist. ad Magnum, Opp. omn. ed. laud. T. IV. P. II. col. 656.

6) *Euseb.* l. l.; *Hieronym.* Catal. Scriptt. l. l.

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. IV. c. 25, ed. cit. T. I. p. 190.

2) *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 32, in Ej. Opp. l. l. col. 111.

2. Musanus.

§. 207. Cum Modesto iisdem fere temporibus floruit alius quidam, *Musanus* nomine, quem Eusebius iis accenset Scriptoribus ecclesiasticis, *quorum libri sinceram Apostolicae traditionis et verae fidei doctrinam continentes ad nos usque pervenerunt.* [3]) Scripsit autem Musanus teste Eusebio et Hieronymo *Librum ad fratres quosdam* (Catholicos), *qui ad Encratitarum haeresin desciverant, quae tunc primum exorta novum quendam et perniciosum errorem orbi invexit.* [4]) Idem a Theodoreto inter *Severianorum oppugnatores* laudatus titulo *Defensoris fidei* ornatur. [5]) Verum nihil hodie de illo egregio libro extat.

3. Sextus et Arabianus.

§. 208. *Sextus* item et *Arabianus*, viri veteres ecclesiastici, quorum patria et vitae fata hodie penitus ignorantur, eodem fere tempore scripserunt; et *ille* quidem *Librum de resurrectione*, *hic* vero *aliud quoddam opusculum* sive (ut Hieronymus habet) *opuscula quaedam ad christianum dogma pertinentia.* [6]) Cujus autem argumenti fuerint haec nunc deperdita, neque Eusebius neque Hieronymus declarat.

XI.

Heraclitus. Candidus. Apion. Judas.

1. Heraclitus.

§. 209. *Heraclitus* [1]) sive *Heraclius* [2]) *sub Com-*

3) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. IV. c. 21 fin., ed. laud. T. I. p. 271.
4) *Idem* ibid. c. 28, p. 286; *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. c. 31, in Ej. Opp. l. l. col. 111.
5) *Theodoret.* Fabul. Haerett. Lib. I. c. 20.
6) *Euseb.* l. l.; *S. Hieron.* c. 50, 51.
1) *Euseb.* H. E. Lib. V. c. 27, ed. laud. T. I. p. 374.
2) S. *Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 46, Opp. omn. T. IV. P. II. col. 115.

modo Severique imperio ***Commentarios*** *composuit* ***in Apostolum*** i. e. in B. Pauli Epistolas. [3]) Sed opus isthoc dudum periisse credibile est, cum praesertim Oecumenius, Theophylactus, alii, qui Catenas in Epistolas Paulinas adornarunt, nullibi ejus mentionem faciant.

2. Candidus et Apion.

§. 210. *Candidus*, vir cetera nobis nihil notus, eodem cum Heraclito vivens tempore, *in Hexaëmeron Commentarios* conscripserat [4]), et eos quidem, ut ait D. Hieronymus, *pulcherrimos tractatus* [5]); quorum tamen nihil ad nos pervenit. — *Apion*, priori coaevus, similiter *in Hexaëmeron tractatus* fecit sive *Commentarios* [6]), qui pariter interierunt.

3. Judas.

§. 211. Eadem tempestate alius quoque scriptor, *Judas*, *de septuaginta apud Danielem septimanis disserens*, ad decimum usque annum imperii Severi supputationem temporum perduxit. Quin etiam *decantatum illum Antichristi adventum jam tum imminere* existimabat. *Adeo commota tunc adversus nostros persecutio multorum animos vehementer conturbaverat.* [7]) Nec hujus operis hodiedum quidquam extat.

---

3) *Euseb.* et *Hieron.* ll. ll.
4) *Euseb.* H. E. Lib. V. c. 27, p. 374.
5) *Hieron.* Catal. c. 48, p. 115.
6) *Euseb.* l. l., Hieron. l. l. c. 49.
7) *Euseb.* H. E. Lib. VI. c. 7, p. 399; cf. *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. c. 52, Opp. omn. T. cit. col. 115.

XII.

Rhodon. Maximus.

1. Rhodon.

§. 212. *Rhodon ex Asia oriundus Romam profectus* ibique a *Tatiano*, S. Justini discipulo (§. 166.) fidei catholicae tunc adhaerente *eruditus est*. Ubi vero is in haeresin prolapsus est, Rhodon praeceptoris errores adeo non sequebatur, ut potius Tatiani librum *Problematum* sive *Quaestionum* in diversos S. Scripturae locos, quos ille *obscuros atque involutos* dixerat (§. 170.) refutare, et *solutiones illarum quaestionum peculiari opere evulgari constitueret*, prout ipse narrat in Libro, quem Callistioni cuidam nuncupavit. [1]) Idem magis etiam in eodem libro *adversus Marcionis haeresin decertavit*, *quam quidem sua aetate in diversas scissam esse sententias* narrat: „*Nam ex illorum grege*, inquit, *Apelles quidem sanctioris vitae cultum et senectutem praeseferens unum fatetur esse principium, prophetarum autem oracula ex adversario spiritu profecta esse dicit; . . . alii vero, perinde ac Marcion nauta ipse, duo inducunt principia, inter quos est Potitus et Basilicus; . . . alii rursus non duas solum sed tres naturas posuerunt, quorum, ut disciplinae illius sectatores memorant, princeps et antesignanus fuit Synerus.* [2]) De *colloquio* vero seu *disputatione*, quam Rhodon cum ipso Apelle Marcionita habuisse profitetur, inter alia refert, haereticum istum a se *convictum*, *cum multa perperam dixisset*, postremo *asseruisse*, *non esse omnino examinandam fidem*, *sed unumquemque in eo*, *quod semel imbibisset*, *perstare oportere. Quippe eos*, *qui in Crucifixo spem suam collocassent*, *salvos fore affirmabat*, *dummodo bona opera*

---

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. V. c. 13. nr. 1. 4, ed. laud. T. I. p. 338. 341.; *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 37, in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 112.

2) *Euseb.* l. l. nr. 1. 2., p. 339. sq.

agerent. [3]) Et Rhodone interrogante, qua ratione hanc suam sententiam possit affirmare, illum ingenue professum esse, *se quidem hoc nescire, . . . se tamen ita censere.* [4]) Praeclara sane et philosopho digna argumentatio! Extabant porro Rhodonis *Commentarii in Hexaëmeron* [5]), et *Opus insigne adversus Phrygas* (i. e. Montanistas) [6]). Verum haec omnia perierunt, exceptis, quae Eusebius ab interitu vindicavit, fragmentis supra allatis. Floruisse eum *temporibus Commodi et Severi,* Hieronymus l. l. refert.

2. Maximus.

§. 213. Eodem circiter tempore, sc. sub *Commodo* atque *Severo,* floruit etiam *S. Maximus* [1]), quem Lumperus in Eusebii Chronico innixus aliique VV. DD. *Hierosolymorum episcopum* hujus nominis secundum et continuo quidem successionis ordine *vigesimum sextum* ejus ecclesiae praesulem fuisse, non immerito arbitrantur. [2]) Certe Eusebius eundem inter veteres *ecclesiasticos viros* recenset, *quorum plurima tunc apud multos laudabilis diligentiae monumenta servabantur* [3]); et alio loco *virum inter Christianos illustrem* appellat. [4]) Et primo quidem Maximus *famosam* illam et *vulgatissimam* „*Unde malum*“ et „*Quod materia a Deo facta sit*“ *quaestionem insigni volumine ventilavit.* [5]) Hujus libri fragmentum excerptum legitur etiam in *Origenis Philocalia* c. 24, et in

---

3) *Idem* ibid. nr. 2, p. 340.

4) *Idem* ibid. nr. 3, p. 340 sq.

5) *Idem* ibid. nr. 4, p. 341.

6) *S. Hieronym.* l. l. col. 113.

1) *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. c. 47, in Opp. omn. ed. *Maur.* T. IV. P. II. col. 115.

2) *Lumper* Hist. theol. crit. T. IV. p. 13 sq.

3) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. V. c. 27, ed. cit. T. I. p. 374.

4) *Idem* in Praeparat. Evangel. Lib. VII. c. 21 sub fin., ed. *Vigeri* p. 337.

5) *Euseb.* Hist. eccl. l. l., *S. Hieronym.* l. l.

Pseudo-Adamantii Dialogo de recta in Deum fide contra Marcionitas. [6])

XIII.

Polycrates. Palmas. Bacchyllus. Theophilus. Victor.

1. Polycrates Episcopus Ephesinus.

§. 214. *Polycrates octavus Ephesiorum episcopus*, qui, prout de se ipse commemorat, *cum fratribus toto orbe dispersis sermones saepe contulit, et Scripturam sacram omnem perlegit* [1]), *princeps erat inter episcopos Asiae, qui morem sibi a majoribus traditum retinendum esse acriter contendentes* [2]) de paschali solemnitate celebranda a Romana ceterisque ecclesiis diversam sententiam propugnabant. Is in hac controversia ad *Victorem* (§. 218.) scripsit epistolam, cujus *duo* nobis Eusebius *fragmenta* reliquit. [3]) Eadem et Hieronymus in compendium redacta exhibet, *ut ingenium et auctoritatem viri ex parvo opusculo demonstraret.* [4]) Aliud, quod sub ejusdem nomine passim evulgabatur, opusculum cum inscriptione *Passio S. Timothei martyris* [5]) perperam Polycrati Ephesino tribui nunc nobis satis explorata res est. Jam enim vox *Magna Metropolis* et tituli *Archiepiscopi* et *Patriarchae*, quibus Ephesina ecclesia et ejus Episcopi in his actis ornantur, tunc temporis nondum usu venerunt. Quod porro auctor illius passionis Evangelium S. Joannis jam *ante*

---

6) *Origenis* Opp. omn. ed. *De la Rue* T. I. p. 843. sqq.

1) apud. *Euseb.* Hist. eccl. Lib. V. c. 24. nr. 2., ed. laud. T. I. p. 368.

2) *Euseb.* l. l. init., p. 366.

3) Extant ap. *Euseb.* l. l. nr. 1—3, p. 366—369; item gr. et lat. in *Coustantii* Epistt. RR. Pontiff. ed. *Schoenemanni* (Goetting. 1796. 8.) p. 84.

4) *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 45, Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 115.

5) ed. graec. et lat. in Bollandi Actt. SS. m. Januar. T. II. p. 566.

hujus Apostoli in insulam Pathmos relegationem exaratum fuisse dicit, id omnibus antiquis Scriptoribus ecclesiasticis adversatur. Praeterea nemo antiquorum hujus monumenti mentionem facit, et Photius fragmentum quidem ex eo excripsit, sed nullo laudato *auctoris nomine.* Ipse quoque Bollandus ingenue fatetur, nullum auctoris nomen in graecis Codicibus hisce actis fuisse praefixum. Sigebertus demum Gemblacensis primus fuit, qui Polycratem auctorem esse ex *latino* exemplari desumsit. His aliisque rationibus permoti Tillemontius, Ceillierus, alii VV. DD. seculo demum quinto aut sexto haec acta conscripta esse arbitrantur. — Obiit autem Polycrates aetate grandaevus ao. c. 200.

2. Palmas Amastridis Episcopus.

§. 215. *S. Palmas Amastridis in Ponto Episcopus,* a S. Dionysio Corinthio in epistola ad Amastrianam ecclesiam (§. 159.) diserte commemoratus [1]) videtur auctor fuisse *Epistolae de tempore Paschatis celebrandi, quae nomine Episcoporum Ponti ad S. Victorem Pontificem Romanum scripta est.* [2]) Etenim inter multas, quae tunc temporis ob eandem controversiam habitae sunt, synodos Eusebius etiam ecclesiae, quae fuit in Ponto, mentionem facit, et in Episcoporum consessu Palmam fuisse *praesidem* testatur, *non quia metropolitanus* (is enim tum Heracleensis episcopus fuit), *sed quia antiquissimus ejus provinciae episcoporum erat.* [3]) Ipsa vero epistola, quae tempore Eusebii exstitit, nunc desideratur.

3. Bachyllus Episcopus Corinthiorum.

§. 216. *S. Bacchyllus, Corinthi in Achaja Epis-*

1) *Euseb.* Hist. eccl. IV. 23. nr. 3, ed. laud. p. 275.
2) Cf. *Rem. Ceillier* Histoire générale des auteurs eccl. T. II. p. 202 sq.
3) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. V. c. 23. nr. 2 med., p. 366.

copus [1]), S. Dionysii in hac sede successor, eadem, qua supra memorati vixerunt, aetate floruit, et ab Eusebio iis adcensetur episcopis, *qui rectae fidei doctrinam scriptis suis proditam nobis reliquerunt.* [2]) Is *nomine omnium, qui in Achaja erant, Episcoporum elegantem Librum de Paschate scripsit.* [3]) Qui liber non alios videtur esse ac epistola, cujus Eusebius mentionem fecit dicens: *Seorsim vero Bacchylli Corinthiorum episcopi aliorumque complurium epistolae extant.* [4]) Num synodica haec fuerit, an epistola privato nomine scripta, parum refert. Utut enim res se habet, nobis de ea nihil omnino conservatum est.

4. S. Theophilus Episcopus Caesareensis.

§. 217. Eodem fere tempore *Caesareae Palaestinensis* Ecclesiae episcopatum tenuit *Theophilus.* Is *adversum eos, qui 14 Luna cum Judaeis Pascha faciebant, cum ceteris episcopis synodicam et valde utilem composuit epistolam.* [1]) Eandem Eusebius commemorat his verbis: „*Cum reliquae totius orbis Ecclesiae alio* (quam Asianae ecclesiae) *more uterentur, qui ex Apostolorum traditione profectus etiamnum servatur, ut scilicet non alio quam resurrectionis Dominicae die jejunia solvi liceat, synodi ob id coetusque Episcoporum convenere. Atque omnes uno consensu ecclesiasticam regulam universis fidelibus per epistolas tradiderunt, ne videlicet ullo alio quam Dominico die mysterium resurrectionis Domini unquam celebretur ... Extat etiamnum epistola Sacerdotum, qui tunc in Palaestina congregati sunt, quibus praesidebant Theophilus Caesareae Palaestinensis et Narcissus* (§. 250.) *Hierosolymo-*

1) *Euseb.* Hist. eccl. V. 22, p. 364.

2) *Idem* ibid. in fin.

3) *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 44, in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 114.

4) *Euseb.* l. l. c. 23 sub fin., p. 366.

1) *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. c. 43, Opp. omn. l. l.

rum Episcopus." [2]) Hanc Theophili epistolam s. *acta synodalia de Paschate* sunt quidem, qui *suspecta* censeant; at Baronius, Caveus, Bucherus, Gallandius, Lumperus, alii eadem genuina esse arbitrantur. Extat insigne eorum fragmentum in *S. Bedae* opusculo *De aequinoctio vernali* [3]); idem typis evulgare non dubitabant *Andr. Gallandius* in sua Biblioth. PP. T. II., *Buckerus* in libro De doctrina temporum (Antv. 1634. f.), et secundum hanc editionem *Gottfr. Lumperus* in sua Hist. crit. theol. T. IV. p. 33—37. Diligentius siquis haec acta scrutatus fuerit, vereor, ne *Dodwelli, Tillemontii, Santebeuvii, Bosqueti, Constantii*, aliorum sententiae accedat, qui *spuria* ea arbitrantur; atque hanc opinionem tuitus est etiam *Moehlerus* (Patrologie, Bd. I. S. 405.), cum nimirum, ut recte observat, illi aetati minime congruant, sive *formam* eorum respicias sive *materiam*.

5. S. Victor Pontifex Romanus.

§. 218. *S. Victor, natione Afer, Eleutheri Papae successor et decimus tertius a D. Petro Romanae sedis Episcopus.* [1]) Hujus in eo potissimum enituit pietas, quod *serpentes Romae haereses unacum earum auctoribus profligavit, Praxeam* scilicet *et Montanistas et Theodotum.* [2]) Disciplinae autem ecclesiasticae et unitatis tuendae studium imprimis emicuit in gravi orta de die celebrandi *Paschatis* controversia. Extabat Eusebii tempore de eadem quaestione *Epistola synodi Romanae, cui Victoris*

---

2) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. V. c. 23. nr. 1. 2, ed. laud. p. 365; cf. ibid. c. 25, p. 372.

3) in Ej. Opp. omn. (ed. *Colon.* 1688. VIII. f.) T. II. p. 232.

1) *Euseb.* H. E. Lib. V. c. 28. nr. 1, ed. laud. T. I. p. 276; *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 34, in Ej. Opp. ed. *Maur.* T. IV. P. II. col. 112.

2) *Tertullian.* Adv. Praxeam c. 1, in Ej. Opp. ed. *Girardi* (Venet. 1744. f.) p. 500.

Episcopi nomen praefixum est. [3]) Acceptis autem literis a Polycrate aliisque per Asiam episcopis, qui vetusta quadam traditione nixi contradixerunt, Victor eosdem *tanquam contraria rectae fidei sentientes a communione abscindere conatur.* [4]) An comminationem suam reapse fuerit exsecutus, ambigitur. Praeter epistolas in hac causa ab eo emissas scripserat S. Victor *alia quaedam opuscula,* prout Hieronymus l. l. refert, et *mediocria quidem de religione volumina* testante Eusebio. [5]) Mortuus est S. Pontifex, postquam decem annis Primatum tenuit, ao. Domini 202. Ex ejus autem scriptis nihil omnino ad nos pervenit. *Quatuor* enim, quae hodie sub ejus nomine circumferuntur *Epistolae*, et una quidem ad Theophilum, altera ad Afros, tertia ad Desiderium Viennensem, et quarta ad Parrocodem Galliae episcopum, unanimi nunc omnium Eruditorum consensu tanquam *spuriae* rejiciuntur. Obviant enim in iis loca S. Scripturae secundum *Hieronymianam* versionem allegata, nonnulla etiam ex epistolis *S. Leonis M.* exscripta, alia porro a moribus et institutis illorum temporum plane aliena.

XIV.

S. Irenaeus, Lugdunensis Episcopus, Martyr.

A. Vita.

§. 219. *S. Irenaeum* fuisse *Graecum* vel ipsum nomen plane graecum monet. Patria, etsi ab Antiquis nullibi illius mentio facta sit, tamen verisimilius *Jonia* fuit, ut patet ex epistola ejus ad Florinum, cujus aliquod

---

3) *Euseb.* H. E. l. l. c. 23. nr. 2, p. 365.

4) *Idem* ibid. c. 24. nr. 3. p. 369.

5) *Euseb.* Chronic. ad a. 193, ed. Jos. Just. Scaliger. in suo Thesauro Temporum (Lugd. Batav. 1606. f.) p. 171.

fragmentum Eusebius conservavit.[1]) Dicit enim Irenaeus, se, cum adhuc puer esset, in inferiore Asia cum *Polycarpo* frequenter convenisse eumque studiosissime audivisse. Ex quo licet conjicere, eum si non in ipsa urbe Smyrna, ubi Polycarpus episcopus erat, tamen haud procul ab ea natum educatumque esse. Post Polycarpum *Papiam*, alterum S. Joannis[2]) discipulum, praeceptorem habuit, ut auctor est Hieronymus. Imo alios quoque Apostolorum discipulos audisse se non semel ipse affirmat. Ab his tantis viris *sanctioris doctrinae* purissimum fontem et sacrarum literarum intelligentiam aeque ac vitae sanctimoniam et ardentissimum fidei tuendae studium hausit, atque in scriptis suis deinde uberrime effudit. Neque tamen *humaniores* idcirca literas neglexit, quas iis inprimis necessarias esse putavit, qui Ethnicos Haereticosque confutaturi sunt, ut *aemuli persecutoresque christianae veritatis de suo proprio instrumento et erroris in se et iniquitatis in nos rei*

1) Euseb. Hist. eccl. Lib. V. c. 20. nr. 2—4, ed. Zimmerm. T. I. p. 360.: „Vidi te, cum adhuc puer essem, *in inferiore Asia apud Polycarpum* splendide agentem in palatio et magnopere laborantem, ut te illi approbares. Etenim ea, quae tunc temporis gesta sunt, melius memoria teneo, quam illa quae nuper acciderunt. Quippe ea, quae pueri didicimus simul cum animo ipso coalescunt, eique penitus inhaerent; adeo ut et locum ipsum possim dicere, in quo beatissimus Polycarpus sedens disserebat; processus quoque ejus et ingressus, vitaeque totius formam et corporis speciem; sermones denique, quos ad populum habebat, et familiarem consuetudinem, quae illi cum Joanne, ut narrabat, et cum reliquis, qui Dominum ipsum vidissent, intercesserat; et qualiter dicta illorum commemorabat, et quaecunque de Domino ab iisdem audierat. De miraculis quoque illius ac de doctrina, prout ab iis, qui verbum vitae ipsi conspexerant, Polycarpus acceperat, eodem prorsus modo referebat, in omnibus cum Scriptura sacra consentiens. Haec ego divina mihi largiente clementia tunc studiosus audiebam, non in charta sed in corde meo audita describens, eademque per Dei gratiam assidue repeto ac revolvo etc."

2) Is Joannes, quo S. Papias usus est magistro, num fuerit *Apostolus* Joannes an *Presbyter*, vd. §. 74.

revincantur. [3]) Hinc in evolvendis etiam profanorum auctorum libris indefessus incubuit, quod ex ipsis, quae passim citat, Poëtarum et Philosophorum veterum, Platonis potissimum et Homeri, testimoniis luculenter patet, ut non immerito eum Tertullianus *omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem* appellaverit [4]), et D. Hieronymus ejusdem Libros adversos omnes haereses *doctissimo esse et eloquentissimo sermone compositos* jure merito asseruerit. [5]) Modestissime sane, ne dicam iniquius, Vir sanctissimus de se ipse judicat dicens, se nec verborum artificium didicisse nec in comparanda vi conscriptoris elaborasse, ac dictionum ornamenti persuadendique facultatis expertem se ac ignarum esse. [6]) Imo vero stylus ejus, licet parum sublimis, tamen strictus est et tersus et nervosus.

§. **220.** Quamdiu in Oriente versatus fuerit, postquam ex ephebis excessit, deficientibus Veterum testimoniis ignoratur. Tanto autem rei christianae studio flagravit, ut et exteras gentes Evangelii luce collustrandi consilium caperet, et in *Galliam* perveniret, ubi a S. *Pothino* Episcopo Lugdunensi ad ordinem *Presbyteratus* promotus [1]) adeo praeclare se gessit, ut quum persecutione Christianorum ibi grassante S. Pothinus cum multis aliis occisus esset, Irenaeus communibus tum cleri tum martyrum votis *Episcopus* deligeretur. Egregia laus est, qua illum ornant Martyres Lugdunenses missis ad *Eleutherum Papam* literis, quibus eum de Montanistarum turbis in Gallia excitatis certiorem facerent, simulque (pro confir-

---

3) Ut ait *Tertullianus* De testim. animae c. 1, in Ej. Opp. omn. (ed. typis *Girardi* Venet. 1744. f.) p. 64.

4) *Tertull.* Adv. Valentinian. c. 5, ed. laud. p. 252.

5) *S. Hieron.* Epist. (LXXXIII) ad Magnum, in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 656.

6) *S. Irenaeus* Adv. Haeres. Lib. I. Praef., ed. *Massueti* (Venet. 1734. f.) p. 4.

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. V. c. 4 init., ed. cit. T. I. p. 321; *S. Hieron.* Cat. Scriptt. eccl. c. 35, in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 112.

Is enim Presbyter Romanus teste Eusebio [1]) unacum Florino quodam *quam plurimos ab Ecclesiae gremio abstrahens in suam sententiam perduxit, cum uterque seorsim novam doctrinam adversus fidei veritatem invehere laboraret.* In appendice autem apocrypha ad Tertulliani *Librum de praescriptione Haereticorum* c. 53 scribitur, quod Blastus *latenter Judaismum vellet introducere, cum nimirum diceret, non aliter custodiendum esse Pascha nisi secundum legem Moysis decima quarta mensis.* Verum haec ipsa epistola S. Patris nostri penitus interiit. — Scripsit idem alias *duas Epistolas ad Florinum* supra dictum. Hic enim sedulus antea S. Polycarpi discipulus, Romanae deinde Ecclesiae presbyter, in errorem lapsus aliorumque fidem sollicitans, gradu suo dejectus est. [2]) Cujus casum dolens Irenaeus literas ad eum dedit *De Monarchia* (Dei) sive *Quod Deus non sit auctor malorum.* Eam enim Gnosticorum blasphemiam, quae Deum ipsum mali auctorem facit, Florinus defendere videbatur. Hujus Epistolae insigne fragmentum exhibet *Eusebius* (H. E. Lib. V. c. 20, ed. laud. T. I. p. 360—362), quod et *Massuetus* in *Opp. S. Irenaei* inter Fragmm. inseruit P. I. p. 339. Altera ad eundem Florinum Epistola *De Ogdoade* inscribitur, in qua illum Valentinianorum de primigeno Aeonum octonario errorem, in quem Florinus Eusebio teste abreptus fuit, breviter ut videtur et selectis tantum rationibus refutavit, cum eosdem Valentini Gnostici errores alibi nempe in *Libris V adversus Haereses* (§. 225.) fusiori stylo exagitaret. Illius quoque posterioris Epistolae ad Florinum particula postrema sive clausula ab *Eusebio* (H. E. Lib. V. c. 20, p. 359.) tradita in *Irenaei Opp.* ex ed. Massuet. p. 339 init. exhibetur. — Alia porro Irenaei ab Eusebio Hieronymoque laudatur *brevissima et inprimis necessaria Oratio adversus Graecos,* quae *De scientia*

---

1) *Euseb.* H. E. Lib. V. c. 15, ed. laud. p. 342; et Lib. eod. c. 20. p. 359.

2) *Euseb.* H. E. l. l.

(περὶ ἐπιστήμης) inscribitur. [3]) Sed, hujus opusculi nihil omnino extat. — Alius praeterea *Liber Marciano fratri nuncupatus*, qui demonstrationem continet apostolicae praedicationis; et alius *Libellus variarum disputationum.* [4]) Neque de his quidquam hodiedum superest. — Eusebius S. Irenaeum inter eos quoque recenset Scriptores, qui Marcionitas egregiis operibus confutarunt. An singulari quopiam opusculo id fecerit nescimus; sed verisimile videtur esse, cum ipse Irenaeus saepius (Adv. Haeres. Lib. I. c. 27. nr. 4; Lib. III. c. 12. nr. 12.) promiserit, Marcioni seorsim contradicere et ex scriptis ejus eum refutare. — Praeter Eusebium et Hieronymum sunt et alii Scriptores ecclesiastici, qui varia sub Irenaei nomine scripta laudant. Sic *S. Maximus Confessor* [5]) quosdam *Sermones de fide* ad Demetrium Viennensem Diaconum recenset, quorum etiam initium et sententias aliquas in medium profert. Extant fragmenta *duo* in *Opp. S. Irenaei* ed. Massuet. T. I. p. 342. An genuina sint, nos quidem, utpote aliis testimoniis et argumentis destituti, in medio relinquimus. — Aliud fragmentum ab *Oecumenio* [6]) allegatum et exscriptum in *Irenaei Opp.* ed. laud. p. 343. magis ex *Epistola Lugdunensis et Viennensis Ecclesiae de Martyrio S. Pothini* etc. (§. 263.) depromtum, quam ab ipso Irenaeo scriptum fuisse, Massuetus docet. Aliud porro, quod *Anastasius Sinaita* vel alius, quisquis auctor est *Anagogicarum contemplationum in Hexaëmeron*, sub

3) *Euseb.* H. E. Lib. V. c. 26, p. 378; *S. Hieron.* Catalog. Scriptt. eccl. c. 35, col. 112: *Et contra Gentes volumen breve; et De disciplina aliud; et ad Martianum fratrem* etc. His verbis Hieronymus Eusebii mentem perperam accepit, quasi opusculum *Contra gentes* ab illo *De disciplina* s. *Scientia* diversum fuisset. Imo vertere debebat: *Et contra Gentes volumen breve „De disciplina"; et aliud ad fratrem etc.* Sic enim Eusebius habet.

4) *Euseb.* et *Hieron.* ll. ll.

5) in Ej. Opp. ed. *Combefis.* (Paris. 1675. II. f.) T. II. p. 152.

6) in Comment. ad I Petr. III.

Irenaei nomine profert, fragmentum [7]) *de Ophitis* agit. Cf. *Irenaei Opp.* l. l. p. 343 sq. Ubi vero adversus hujus sectae haeresin *specialiter* decertaverit Irenaeus, ignoramus; in Ejus enim *libris adversus haereses* nihil tale occurrit. — Denique *Liber de Universo s. de substantia mundi*, quem teste *Photio* [8]) nonnulli S. Irenaeo tribuunt, verisimilius *Cajum presbyterum Romanum* auctorem habet. — In recensendis *aliis fragmentis*, quae ex variis tum Catenis tum Mss. Codd. excerpta sunt, nihil nos immoremur, cum minus sibi fidei auctoritatisque facere videantur. Collecta in unum extant omnia in *Irenaei editione* saepius laudata P. I. p. 345—349.

§. 222. Postremo operae pretium mihi visum est commemorare *quatuor fragmenta anecdota*, quae primum *Chph. Matthaeus Pfaffius Professor Tubingensis* ex Bibliotheca *Taurinensi* eruit, et notis suis observationibusque instructa *Hagae Comitum* 1715 evulgavit, quamvis multa sint, quae de horum fragmentorum auctore jure nos cogant dubitare. Habes ea, si rem lubet altius indagare, ad calcem editionis *Opp. S. Irenaei*, quae prodiit Venetiis 1734. f., et quidem p. 5. 10. 35. 36. Eadem fragmenta gr. et lat. exhibet *Gottf. Lumper* in sua Historia theol. crit. T. III. p. 239—244. Diu jam de genuinitate istorum inter ipsum *Pfaffium* et *Scipionem Maffeium Marchionem Veronensem* concertatum est. Dubia autem, quae *Maffeius* in *Lettera al Padre Abbate Benedetto Bacchini* (Opp. Irenaei ed. laud., Append. p. 29 sq.) movet, potissimum haec sunt: Hausta sunt fragmenta illa, ut apparet, a catenis graecis, quibus parum vel nihil fidei in hac re habendum esse, omnes norunt. Ipse Codex Mss. ex quo mutuata sunt, purum Irenaei nomen inscriptum habent, nullo neque *Episcopi* neque *Lugdunensis* addito cognomine. Primum fragmentum coag-

---

7) in Biblioth. SS. PP. max. *Lugdun.* T. IX.; et in Opp. S. Irenaei ed. Massuet. (Venet. 1734. f.) p. 343.

8) Biblioth. Cod. XLVIII.

mentatio quaedam est sententiarum Novi Testamenti, qui mos in antiquis Patribus nusquam cernitur. Alterum fragmentum statim Constitutiones Apostolorum allegat, quae perperam Apostolis tribuuntur, et post Irenaeum demum compilatae sunt. In tertio fragmento notanda est licentia quaedam in celebratione festorum et jejuniorum, quae magis Novatianis schismaticis, quam S. Irenaeo aut cuipiam catholico scriptori videtur convenire. Adde, quod nonnullae voces obvient, quarum usus longe a seculo secundo distat. Denique frustula sunt ista fragmenta adeo parva et textus ipse submotis citationibus e S. Scriptura adeo brevis, ut difficile videatur dijudicare, an auctoris stylus animusque cum Irenaei nostri mente ac dictione revera consonet. His objectionibus respondet quidem *Pfaffius* (ibid. p. 41—44.); at *Maffeius* mox alteram epistolam ad Bacchinum dedit, qua refelleret adversarium (ibid. p. 45—53.). Hac provocatus *Pfaffius* iterum emisit *dissertationem apologeticam* adversus eum (ibid. p. 61—78.). Scipione vero amplius contendere detrectante *Fr. Maria Leoni Minorita Conventualis Veronensis* hanc sibi provinciam sumsit in *Epistola ad Sylvestrum Ruzinum S. J. Presbyterum* (ibid. p. 79—84.). Idem binas alias emisit literas ejusdem argumenti, unas ad *Fr. Rottam* O. S. B. Monachum (ibid. p. 85—94.), alteras ad *Ant. Lucium* Boviensem Episcopum (ibid. p. 95—101.). Ad haec Pfaffius in literis privatis ad amicum quempiam id unum scripsit, *se non admodum esse studiosum refutandi auctorem, qui nonnisi recoctam crabem opposuerit.*

2. Adversus Haereses Libri V superstites.

a. Disquisitio.

aa. De idiomate et tempore, quo scripti sint.

§. 223. Praeclarissimum a S. Irenaeo literis consignatum et integre ad nos usque translatum opus est *Refutatio et eversio false dictae cognitionis (ψευδωνύμου γνώσεως.)*. Haec enim inscriptio ab Eusebio, Andrea

Caesareensi, Joanne Damasceno, Photio, quin ab ipso Irenaeo [1]) et vetustioribus Codicibus Msptis usurpatur, quamquam Eusebius, dum opus illud Irenaei passim allegat, breviore titulo *Libros adversus Haereses* usus est, et hoc exemplum Hieronymus, Cyrillus Hiorosolymitanus, aliique multi PP. et posteriores codices fere omnes imitantur. Scripti sunt isti libri intra annos 172—192. Primum enim librum ante annum 172 non potuisse exarari, quoniam ibi *Tatiani*, *Encratitarum* et *Montanistarum* fit mentio, satis nobis probata res est. Librum autem tertium sub *Eleuthero Papa* (177—192) confectum esse jam ex eo liquet, quod Irenaeus Pontificum Romanorum seriem ad Eleutherum usque texens, hunc ipsum tunc Romae jam sedentem apertis verbis inducit [2]); imo illum non multo ante a. 190 prodiisse verisimile est, quod ibidem *Theodotionis* versio commemoratur, quae teste Epiphanio demum ao. 184 emissa est. Totum igitur opus *non ita multo ante obitum Eleutheri* (192) lucem videtur adspexisse. — Scripti sunt libri *graeco* primum idiomate, quod quidem argumentis stat adeo certis, ut mirum sit, aliquam unquam ea de re dubitationem *Erasmi Roterodamensis* mentem subire potuisse. [3]) At incredibili prope modo factum est, ut hujus tantopere celebrati monumenti textus *originalis* prorsus paene interierit, et *latina tantum versio*, licet perantiqua et accuratissima (ut cuivis lecturo facile apparebit) ad nos pervenerit, qua Tertullianus jam et Cyprianus in scriptis suis passim usi sunt. [4]) Verum tamen multa etiam *graeca* ab Eusebio, Epiphanio, Theodoreto, Joanne Damasceno aliisque hodiedum conservata sunt fragmenta et ea passim valde magna.

1) e. gr. in Praefat. Lib. II; Praef. Lib. IV; Praefat. Lib. V.

2) *S. Irenaei* Adv. Haeres. Lib. III. c. 3. nr. 4., ed. *Massuet.* Venet. P. I. p. 176.

3) Cf. *Lumper* Hist. theol. crit. T. III. p. 214. sq.

4) *Idem* ibid. p. 216 sq.; *Massueti* Dissert. in Irenaei Opp., Diss. II. Art. II. ed. Venet. P. II. p. 89. sq.

bb. De genuinitate librorum.

§. 224. Primo si de fide *historica* quaeritur, S. Irenaeum Episcopum Lugdunensem seculo secundo haereticos scriptis suis impugnasse, generatim testantur *Tertullianus* c. 5 Contra Valentinianos [1]), *Eusebius* in Historia eccl. Lib. III. c. 23, Lib. IV. c. 11 ac saepius [2]), *S. Cyrillus Hierosolym.* c. 6 Cateches. XVI [3]), *S. Epiphanius* c. 33 Haeres. XXXI [4]), *S. Hieronymus* in Epist. LIII ad Theodoram viduam [5]), *Theodoretus* in c. 5 Lib. I haerett. fabularum ac saepius; ut recentiores inde omnes taceam. Multi praeterea ex istis libris loci a Veteribus allegantur ita, ut non solum expressa Irenaei mentio facta sit, sed etiam ipsa verba excerpta plane cum nostris codicibus conveniant. Sic *Basilius* locum unum (Lib. de Spirit. Sancto c. 29), *Cyprianus* item unum (Epist. LIV ad Pomp.), *Augustinus* duo (Adv. Julian. Lib. I. c. 3. 7.), *Tertullianus* plus quinque (adv. Valentin. c. 5. 25. 36. 37 etc.), *Theodoretus* septem (Dial. I, Lib. I. c. 5. Haerett. fabb. etc.), *Eusebius* tredecim (praesert. Hist. eccl. Lib. V. c. 5. 6 etc.), *Epiphanius* totum fere librum I (Haeres. XXXI c. 9—33.); et omnes hi apposito diserte auctoris nomine exscripserunt. Denique si notas genuitatis *internas* requisieris, nihil est, quod non *ingenio* et *aetati* S. Martyris nostri plane congruat. Videbis sane eam, quam Veteres in eo laudant, eximiam *philosophiae eruditionem*, et tantam *haeresum* tunc temporis grassantium cognitionem, ut nemo alius ne sub tertii quidem seculi finem tam dilucide tamque accurate varias istarum sectas, mores, placita potuisset describere. Postremo operis *institutio*, librorumque *inscriptio* et *argumenta* in nostris quoque exemplaribus reperies prorsus eadem, quam sunt

---

1) in Ej. Opp. omn. ed. *Venet.* (typis Girardi) p. 252.
2) ed. *Zimmermann.* T. I. p. 172. 236.
3) in Ej. Opp. ed. *Touttée,* p. 246.
4) in Ej. Opp. ed. *Petavii* T. I. p. 204.
5) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. II., col. 581.

a SS. Patribus post Irenaeum proxime viventibus memoriae nostrae tradita. His igitur aliisque rationibus cedentes *omnes omnium aetatum Scriptores* libros illos praestantissimos tanquam *genuinum* S. Irenaei opus venerabantur. Nec operae pretium est, diligentius refutare objectiones, quas priori demum seculo *Josue Salom. Semlerus* movere sibi praesumsit. [6]) Jam enim *C. Guil. Fr. Walch Theologus Goetting.* defensionem egregie suscepit. [7]) Recentissime de Irenaeo fusius disseruit *Adolph Stieren* De Irenaei adv. haereses operis fontibus, indole, doctrina et dignitate, Commentatio hist. crit., Goetting. 1836. 4.

b. Analysis.

aa. Libri I.

§. 225. In *primo* hujus operis libro Irenaeus *Valentini* potissimum ejusque sectatorum haeresin impugnaturus, una eademque opera in eo laborat, ut falsas omnium, *qui Valentinum praecesserunt*, Haereticorum prava et perversa dogmata sigillatim recenseat ac refellat. Et primo quidem quod operis sui sit argumentum, et a quo impulsus et qua de cáusa illud scripserit, paucis exponit (Praefat.). Deinde Valentinianorum errores et inprimis assertam ab iis triginta *Aeonum* s. Deorum fabulam, eorumque conjugia, ordinem ac divisionem, et quae de rebus creatis, de humana anima, de Christo ejusque opere redemtionis traderent, quam potuit accuratissime demonstrat (c. 1—10.). Tum quae vera sit *Ecclesiae catholicae doctrina* declarat, eamque in omnibus per orbem dispersis ecclesiis unam esse et unam et eandem etiam illius fidem docet, dum Haereticorum opiniones valde variae et infi-

6) *J. S. Semler* Histor. Einleit. in die dogm. Gottesgelehrs. ad *Sgm. Jac. Baumgartenii* Evangelische Glaubenslehre (Halae 1759. sq. III. 4.) II. p. 131.; et in Prolog. ad Librum *De cavenda molesta sedulitate sacra ad corrigendas quasdam Irenaei et Tertulliani sententias*, Halae 1772. 4.

7) *C. G. Fr. Walch* Diss. de authentia librorum Irenaei, in Nov. Commentt. soc. reg. Goetting. 1775. 4.) T. V. 2. p. 3. sqq.

nitae propemodo et discrepantes sunt, quod quidem in Valentini sectatoribus fautoribusque et per exempla Secundi, Epiphanis, Ptolemaei, Colorbasi aliorumque probat, praesertim de Marci et Marcosiorum praestigiis et figmentis edisserens (c. 10—22.). Porro ut hanc Valentinianam haeresin ex corruptis superiorum haereticorum fontibus profluxisse ostendat, primum explicata *regula veritatis* breviter quidem sed dilucide, quae sint *Simonis Magi*, *Menandri*, *Saturnini*, *Basilidis*, *Carpocratis*, *Cerinthi*, *Ebionitarum*, *Nicolaitarum*, *Cerdonis*, *Marcionis*, *Tatiani*, *Gnosticorum item Barbeliotarum*, *Sethianorum*, *Ophitarum*, *Cainitarum* haereses et impia commenta exponit (c. 22—31.).

bb. Libri II.

§. 226. In *secundo* libro *singula Gnosticorum dogmata*, et initio quidem argumentis *a ratione* petitis evertere conatur. Docet primo, a conceptu Dei prorsus abhorrere ac proinde falsa esse, quae Gnostici de Pleromate, de creatione mundi per Demiurgum sive Angelos, de umbra et vacuo etc. fabulantur. Mundum atque materiam esse verum unius ac solius Dei opus (c. 1—12.). Deinde *Valentinianorum* hypotheses de Aeonibus et fictitia eorum emanatione et conjugatione, quam vanae sint, ostendit. Omnia haec ab aliis Scriptoribus etiam ethnicis mutuata, et mera vigilantium hominum somnia esse (c. 12—20.) Tum ad diluenda eorum argumenta transit, quibus suum *numerorum* systema e S. Scriptura confirmare conarentur, e. gr. Apostolos duodecim praesignificatos esse duodecim aeonibus; passione duodecimi aeonis praefigurari proditionem Judae, duodecimi scilicet Apostoli; Christum, cum annos natus triginta baptizatus est, totidem aeonum fuisse typum et imaginem etc. Contra perversas hujusmodi S. Scripturae interpretationes Irenaeus eam legem statuit hermeneuticam, ut *non ex obscuris et ambiguis figuris et similitudinibus, sed e claris SS. Literarum verbis dogmata debeant defendi*. Plura hominibus de Deo curiosius inquirenda non esse, quam quae in Scripturis

aperta sunt, quaeque ipsis scire et intelligere concessum est. Repugnare, quod asserunt haeretici, animas quasdam in pleroma, alias in medietatem abituras, negata corporum resurrectione. Vesanam inde eorum impietatem castigat, qui se spirituales, demiurgum vero animalem esse dicebant (c. 20—32.). Tunc flagitiosas eorum sententias confutat, qui actiones sola *humana* opinione justas esse aut injustas asserebant; subinde *metempsychosin* impugnat, et de corporis unacum anima resurrectione disserit; postremo Basilidem perstringit, qui *plures coelos* esse somniavit; alios Gnosticos, qui *Prophetarum oracula* ex variis emanasse diis dictitabant; rursus alios, qui ob diversa Dei nomina *plures esse Deos* praepostere credebant (c. 32—35.).

cc. *Libri III.*

§. 227. Jam vero in eo est auctor, ut non e sola ratione, sed *divinae Scripturae ac Traditionis auctoritate* adversarios refellere conetur. Primum igitur *quatuor* docet tradita nobis esse *Evangelia;* sed Haereticos his apertis Scripturae testimoniis revictos auctoritatem earum perfracte rejicere, et ad traditionem potius provocare. Verum hac ipsa *Traditione Apostolorum* continua Episcoporum successione in Ecclesia servata haereticos invicte refutari. A sola *Ecclesia catholica*, traditionis et doctrinae Apostolicae intemerata custode, petendam esse omnem veritatem; haereses econtra *novas* esse et Apostolis *recentiores* (c. 1—5.). Tum catholica *doctrina* de uno Deo, eoque coeli et terrae conditore, e quatuor Evangelis probatur, et S. Pauli aliorumque Apostolorum auctoritas adversus haereticorum objectiones fusius defenditur (c. 5—16.). Pergit deinde auctor ex Apostolorum scriptis demonstrare, unum et eundem esse Jesum Christum, unigenitum Dei Filium, verum *Deum* ac verum *Hominem*. Non Christum sed *Spiritum Sanctum* in Jesum descendisse; mendaces esse haereticos, qui Christum alium, alium Jesum esse fingunt. Hunc Christum, Filium Dei, non Dei *specie tenus*, sed *vere* hominem factum, ideoque verum

Deum esse a Deo Patre genitum, et verum Hominem ex Virgine natum. A Christo Deo, non a nobis, esse bonum salutis nostrae; et divinae misericordiae consentaneum fuisse, ut Adam *primus omnium* salutem a Christo consequeretur. Regi hunc mundum *providentia* unius Dei, infinita et justitia et bonitate praediti, ut malos plectat, piis vero salutem impertiatur (c. 16—25.). Sic igitur S. Pater adversus *Gnosticos* hypostaticam humanae et divinae naturae in Christo unionem, adversus *Ebionitas* veram ejus deitatem, adversus *Docetas* veram ejusdem humanitatem, adversus *Tatianum* communem omnium redemtionem, adversus *Marcionem* Dei providentiam et justam remunerationem defendit.

dd. Libri IV.

§. 228. Pleraque in superiore libro exposita in hoc *quarto* rursus sed *aliter* tractantur, e. gr. Christum cognovisse atque docuisse, unum solum esse Deum Patrem suum; Deum verum idcirco non desinere aut mutari, si Hierosolyma eversa sit, aut coelum, sedes ejus, et terra, suppedaneum pedum ejus, praetereant; Deum, qui in V. T. per prophetas locutus est, non alium esse ac conditorem Novi foederis et Patrem Jesu Christi, qui notum in utroque testamento hominibus se fecit. Nunquam Filium, nisi revelante Patre, nec Patrem unquam, nisi Filio revelante, cognitum fuisse probat. Sic Abraham revelante Verbo cognovisse Patrem et adventum Filii Dei. Nec Abrahae solum, sed et seminis ejus (fidelium scilicet) Christum fuisse vindicem ac salvatorem (c. 1—9.). Eundem esse *utriusque legis* auctorem, eundem finem et scopum praecipuum; id inde liquido patere, quod Christus summa Veteris Testamenta praecepta confirmaverit, ac se ipsum Mosaicae legis finem esse docuerit, non dissolvens naturalem legem, sed jugo veteris legis atque vinculis dissolutis id efficiens, ut homines ceu filii libere parerent Deo. Cum autem Haeretici plura in veteri testamento contraria novo esse objicerent, huic argumento fuse respondet, osten-

ditque, cur Deus Israelitis Mosaicam imposuerit legem, atque ab illis voluerit *victimas* offerri, sicuti a Christianis *Eucharisticum* corporis et sanguinis Christi sacrificium (c. 9—20.). Variis post haec Scripturae locis *universalitatem religionis christianae* tam ad Judaeos quam ad Ethnicos pertinentis demonstrat, atque monet, ut poenis, quas Deus in veteri testamento sumserit, erudiamur, minime vero Christi misericordiam exaggerantes judicium taceamus, cum major novi testamenti gratia majorem etiam a nobis perfectionem exigat (c. 20—28.). Deinde alias *Marcionis* objectiones resolvit refutatque, probans potissimum, quam accurate vaticinia V. T. Prophetarum in novo foedere adimpleta sint. Pro certa autem regula ad cognoscendam harum rerum veritatem iterum auctoritatem *Ecclesiae* et infallibile ejus *magisterium* commendat. Denique *liberum hominis arbitrium* adversus Gnosticos defenditur, et eorum nonnullae quaestiones resolvuntur, e. gr. Cur non ab initio perfectus homo factus; cur demum facultate praeditus sit libere eligendi sive bonum sive malum; an unus idemque possit esse Deus, qui reprobis infligat poenas, et praemia electis tribuat (c. 29—41.).

ee. Libri V.

§. **229.** Ab hujus libri exordio Irenaeus pro certo ponit, Christum solum potuisse ea, quae sui Patris sunt, docere, ut qui solus sanguine suo nos redemit. Praesertim dogma futurae *resurrectionis* adversus Valentinianos probat validissimis argumentis, petitis nimirum eo, quod vera ac substantiali Christi carne atque sanguine in Eucharistia fruamur; quod Deus aeque potens sit ac bonus; quod veteris testamenti signa et ejus rei quasi testes (Enoch, Eliam, Jonam) habeamus; quod integer ac totus christianus homo ideoque corpus etiam cum anima simul gratiae sanctificantis particeps et templum Dei fiat, quod denique corporalis Christi resurrectio nostram nobis praesignaverit, et sacra Spiritus sancti dona, quae accipimus, certum sint

futurae haereditatis et immortalitatis nostrae pignus. Utitur deinde similitudine quadam ducta ab *oleastro*, cujus qualitas tantum, non natura, per insitionem mutatur (c. 1—11.). Quia vero praecipua erroris fundamenta in his posita erant Christi verbis: „*Caro et sanguis regnum Dei haereditare non possunt*,“ iis nihil nisi prava *carnis opera* ab Apostolo describi, apertissime demonstrat, et aliis rationum momentis ac praecipue mortuorum a Christo resuscitatorum exemplo et Isaiae atque Apostoli auctoritate et testimoniis defendit (c. 11—17.). Transit ad refellenda deinde alia Valentini dogmata; postremo de *Christo* fidelium capite; de principe tenebrarum *Diabolo;* de *Antichristi* nomine, origine et regnò; deque iis, quae Antichristo extincto eventura sunt, et de *millenario* Christi post consummationem mundi in terra regnantis *imperio* fuse disserit (c. 18—36.).

c. *Editiones.*

§. 230. Operum Irenaei editio *princeps* curante *Desiderio Erasmo Roterodamensi* prodiit *Basil.* 1526. *f.* ac saepius deinde ex officina *Frobeniana* emissa; item Parisiis 1528. 1545. f., et ibid. 1563. 8.; quae tamen omnes editiones multis mendis, lacunis, et depravatis lectionibus scatent. Nec multo melioris conditionis sunt duae proxime evulgatae editiones a *Nicol. Gallasio theologo Calvinista*, Genev. 1570.; et a *Jo. Jac. Grynaeo*, Basil. 1571. Locupletior deinde ac multo emendatior editio cura *Fr. Fevardentii Ordinis Fratrum minorum Monachi et Professoris Parisiensis*, adjectis *Jac. Bilii* et *Frontonis Ducaei* annotationibus in lucem prodiit *Colon.* 1596. *f.* ac saepius cum ibidem tum etiam Parisiis recusa. Hanc secuta est alia et ea accuratior et elegantior studio *Jo. Ernest. Grabii*, ipsius et aliorum DD. VV. notis instructa novisque fragmentis graecis locupletata, *Oxonii* 1708. *f.* Omnium vero praestantissima prodiit per *Renatum Massuetum O. S. B. ex congregatione S. Mauri Monachum*, *Parisiis* 1710. *f.*, et cum fragmentis Ireneai

anecdotis a Christoph. Matth. Pfaffio evulgatis recusa *Venet.* 1734. *f.* Is Irenaei Libros V ad Mss. Codd. Romanos, Gallicanos et Anglicanos necnon ad antiquiores editiones denuo castigavit, novis fragmentis graecis auxit, et observationibus ac notis, copiosissimisque glossariis et indicibus illustravit. Additae sunt tres Dissertationes; prima de Haereticis, quos recensuit Irenaeus, de eorum nempe actibus, scriptis ac doctrina; secunda de Irenaei vita, gestis et scriptis; tertia de ejus doctrina exponit. Hujus Maurinae editionis textus recusus est *Wirceburgi et Bamberg.* 1783. 8.

C. Doctrina.

1. Observationes dogmaticae.

a. De S. Scripturae canone.

§. 231. SS. Scripturas *Deum* ipsum auctorem habere, et ejus spiritu afflante exaratas esse, iterum atque iterum profitetur Irenaéus. *Scripturae perfectae sunt*, inquit, *quippe a Verbo Dei et Spiritu ejus dictae.* [1]) — Ad sacrae autem Scripturae *canonem* quod attinet, certum est, ab eo Moysis Pentateuchum, libros Josuae et Judicum, quatuor libros Regum, Psalmos, Proverbia Salomonis, Prophetias Isaiae, Jeremiae, Ezechielis, Danielis, Oseae, Joëlis, Amos, Jonae, Michaeae, Habacuc, Zachariae et Malachiae inter *veteris* testamenti libros velut sacros et canonicos laudari. Ad *novi* autem testamenti codices quod spectat, omnes omnino recenset, exceptis Pauli ad Philomonem, Jacobi, Judae, II Petri et III Joannis Epistolis. Quaenam ex his libris testimonia adferat, index a Massueto concinnatus exhibet. [2]) Inprimis vero notatu digna sunt, quae S. Pater *de quatuor Evangeliis* dicit. *Non*, inquit, *per alios dispositionem salutis nostrae cognovimus*,

1) Adv. Haeres. Lib. II. c. 28. nr. 2, in Ej. Opp. omn. ed. Massueti (Venet. 1734. f.) P. I. p. 156.

2) in Irenaei Opp. edit. supra laud. P. I. p. 391—404.

quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc praeconaverunt, postea vero per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei nostrae futurum . . . Ita *Matthaeus in Hebraeis ipsorum lingua* (Syrochaldaica) *scripturam edidit evangelii* . . *Marcus vero, discipulus et interpres Petri, et ipse quae a Petro annuntiata erant, per scripta nobis tradidit. Lucas autem, sectator Pauli, quod ab illo praedicabatur evangelium, in libro condidit. Postea et Joannes, discipulus Domini, qui et supra pectus ejus recumbebat, et ipse edidit evangelium, Ephesi Asiae commorans* [3]) . . *Neque autem plura numero quam haec sunt, neque rursus pauciora Evangelia* . . *quadriforme Evangelium quod uno spiritu continetur.* Jamque mystico-allegorica imagine a quatuor *Cherubim* desumta utens unum (*Joannis* evangelium) dicit esse simile *leoni*, efficabile (Filii Dei) et regale et principale significans; alterum (*Lucae*) simile *vitulo*, sacrificalem et sacerdotalem ordinationem significans; tertium *(Matthaei)* habens faciem quasi *humanam*, adventum ejus, qui est secundum hominem, manifeste describens; quartum vero *(Marci)* simile *aquilae* volantis, Spiritus in Ecclesiam advolantis gratiam manifestans. [4]) De horum quatuor Evangeliorum indubitata auctoritate dicit: *Tanta est circa Evangelia haec firmitas, ut ipsi Haeretici testimonium reddant eis, et ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam confirmare doctrinam* . . . *Quum ergo hi, qui contradicunt, nobis testimonium perhibeant, et utantur his, firma et vera est nostra de illis ostensio.* [5])

b. De Traditionis auctoritate.

§. **232.** Scripturas quidem sacras Dei esse revelationem et regulam veritatis certam et immutabilem, recte

3) Adv. Haeres. Lib. III. c. 1. nr. 1, p. 173. sq.
4) Ibid. c. 11. nr. 8., p. 190.
5) ibid. c. 11. nr 7. init. et fin., p. 189 sq.

docet Irenaeus; at non minus aperte idem praedicat, dari alterum divinae veritatis fontem, *traditionem;* nec satis esse ad catholicam fidem, ut quis Scripturis consentiat, nisi etiam consenserit Traditioni, quae est ab Apostolis, et per successionem Episcoporum in Ecclesia custoditur. Haereticos neutri, neque Scripturae neque Traditioni consentire, more serpentum lubricos undique effugere conantes. *Quum enim*, ait, *ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex auctoritate, et quia varie sint dictae, et quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant traditionem . . . Quum autem ad eam iterum Traditionem, quae est ab Apostolis et quae per successionem Presbyterorum* (i. e. Episcoporum) *in Ecclesia custoditur, provocamus eos; adversantur Traditioni, dicentes, se non solum Presbyteris sed etiam Apostolis sapientiores sinceram invenisse veritatem . . . Evenit itaque, neque Scripturis jam, neque Traditioni consentire eos.* [1]) Ut igitur his Haereticorum cavillationibus anteverteret, ex utraque adversus eos disputavit, ex apostolica primum Traditione, deinde ex S. Scriptura. Et Haereticis quidem traditionem nihil proficere, atvero Catholicis; hi enim soli possunt ostendere, quid docuerint ac tradiderint Apostoli, cum soli Catholici, non item Haeretici, possint enumerare Episcopos, qui ab Apostolis inde continua successione eandem doctrinam apostolicam praedicarunt et ad nos usque propagarunt. *Traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre; et habemus enumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his* (haereticis) *deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quae seorsim et latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea, quibus etiam ipsas ecclesias committebant.* [2]) Medium au-

1) Adv. Haeres. Lib. III. c. 2. nr. 1. 2, p. 174 sq.
2) ibid. c. 3. nr. 1, p. 175.

tem ac veluti canalis, quo traditio apostolica ad nos usque fluxit intemerata, successio Episcoporum est legitime in Ecclesia catholica ordinatorum. Neque enim quemquam ecclesiis praefecerunt praeficique permiserunt Apostoli, nisi prius ea omnia, quae ad fidem atque mores necessario pertinent, probe fuisset doctus, ut nimirum eandem doctrinam posteris transmitteret. *Valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii iis tradentes, quibus munere suo probe fungentibus fieret* Ecclesiae *magna utilitas, lapsis autem summa calamitas.* [3]) Et hinc eam Episcoporum successionem tam acriter tamque frequenter urget adversus haereticos Irenaeus. *Non enim oportet*, ait, *adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, quum Apostoli quasi in depositorium dives plenissime in eam contulerint omnia, quae sint veritatis, ut omnis, quicunque velit, sumat ex ea potum vitae . . . Quid enim? Et si de aliqua modica quaestione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de praesenti quaestione sumere, quod certum et re liquidum est? Quid autem, si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis? nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum eorum, quae in Christum credunt, sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterem Traditionem diligenter custodientes etc.* [4]) Merito igitur ad Episcoporum successionem haereticos provocat, quia illa successio certissimum est omnibusque manifestum Apostolicae traditionis et doctrinae argumentum. *Sed quoniam valde longum est, . . omnium ecclesiarum successiones enumerare; maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo* R o m a e *fundatae et constitutae ecclesiae*

3) l. l. in fin.

4) ibid. c. 4. nr. 1 et 2 init., p. 178.

eam, quam habet ab Apostolis, Traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos, indicamus. [5]) Jamque ordine continuo deinceps post beatissimos Petrum et Paulum apostolos laudat *Linum*, *Anencletum*, *Clementem*, *Evaristum*, *Alexandrum*, *Sixtum*, *Telesphorum*, *Hyginum*, *Pium*, *Anicetum*, *Soterum* et *Eleutherum*. *Hac*, inquit, *ordinatione et successione ea, quae est ab Apostolis in Ecclesia, Traditio et veritatis praeconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima haec ostensio, unam et eandem vivificatricem fidem esse, quae in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate.* [6]) Romanae ecclesiae traditioni subjungit traditionem ecclesiarum Asiae, Smyrnensis imprimis et Ephesinae, quam pariter probat ex successione Episcoporum. [7]) Hinc jure merito concludit: *Agnitio vera est Apostolorum doctrina . . secundum successiones episcoporum, quibus illi eam, quae in unoquoque loco est, ecclesiam tradiderunt, quae pervenit usque ad nos custoditione sine fictione Scripturarum tractatio plenissima, neque additamentum neque ablationem recipiens, et lectio sine falsatione, et secundum Scripturas expositio legitima et diligens et sine periculo et sine blasphemia etc.* [8])

c. *De Ecclesia.*

aa. *Verae Ecclesiae characteres.*

§. 233. Vera Christi Ecclesia *una est*, et *sancta* et *infallibilis*, *catholica* et *apostolica*. Et *unitatis* quidem notam soli Ecclesiae Catholicae competere S. Irenaeo adeo constabat, ut in ea tutissimum defensionis fidei praesidium constitueret adversus haereticos. *Ab his* enim (haereticis) *jam multae propagines multarum haeresum factae sunt, eo quod multi ex ipsis, imo omnes, velint doctores*

5) ibid. c. 3. nr., p. 175.
6) ibid. c. 3. nr. 3, p. 176.
7) ibid. c. 3. nr. 4, p. 177.
8) Lib. IV. c. 33. nr. 8, p. 272.

esse, et abscedere quidem ab haeresi, in qua fuerunt; aliud autem dogma ab alia sententia, et deinceps alteram ab altera componentes nove docere insistunt, semetipsos adinventores sententiae, quamcunque compegerint, enarrantes 1).. *Alienati a veritate digne in omni volutantur errore, fluctuati ab eo, aliter atque aliter per tempora de eisdem sentientes et nunquam sententiam stabilitam habentes .. Non enim sunt fundati super unam petram, sed super arenam, habentem in se ipsa lapides multos* 2) ... *Eorum autem, qui ab Ecclesia sunt* (Catholicorum), *semita circumit mundum universum, quippe firmam habens ab Apostolis traditionem, et videre nobis donans omnium unam et eandem esse fidem, omnibus unum et eundem esse Dominum Deum Patrem praecipientibus, et eandem dispositionem incarnationis Filii Dei credentibus, et eandem donationem Spiritus scientibus, et eadem meditantibus praecepta, et eandem figuram ejus, quae est erga Ecclesiam ordinationis* (i. e. eandem regiminis ecclesiastici formam) *custodientibus, et eundem exspectantibus adventum Domini, et eandem salutem totius hominis i. e. animae et corporis sustinentibus. Et Ecclesiae quidem praedicatio vera et firma, apud quam una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur. Huic enim creditum est lumen Dei.* 3) Hoc idem explanans alibi: *Acceptam*, inquit, *hanc praedicationem .. et hanc fidem Ecclesia etiamsi in universum mundum disseminata diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, et similiter credit iis, quasi unam animam habens et unum cor, et consonanter haec praedicat, et docet et tradit, quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, vis tamen traditionis una et eadem est ... Et sicut sol, creatura Dei, in universo mundo unus et idem est, sic et lumen, praedicatio veritatis, ubique lucet et omnes homines illustrat, qui volunt ad*

---

1) Adv. Haeres. Lib. I. c. 28. nr. 1. init., p. 106.
2) Lib. III. c. 24. nr. 2. init., p. 223.
3) Lib. V. c. 20. nr. 1. med., p. 317,

cognitionem veritatis venire. [4]) Ecclesia porro catholica, utpote in caritate radicata, et ab ipso Spiritu sancto edocta, non potest non esse *sancta* et *incorruptibilis*. Fidem enim nostram, inquit, *perceptam ab Ecclesia custodimus, quae semper a Spiritu Dei quasi in vase bono eximium quoddam depositum juvenescit et juvenescere facit ipsum vas, in quo est. Hoc enim Ecclesiae creditum est Dei munus, quemadmodum ad inspirationem plasmationi* (i. e. ad animandum Dei opificium) *ad hoc ut omnia membra percipientia vivificentur; et in eo disposita est communicatio Christi i. e. Spiritus sanctus, arrha incorruptelae et confirmatio fidei nostrae et scala ascensionis ad Deum.* „In Ecclesia enim, *inquit*, posuit Deus Apostolos, Prophetas, Doctores“ (I Cor. XII, 28.) *et universam reliquam operationem Spiritus, cujus non sunt participes omnes, qui non currunt ad Ecclesiam, sed semet ipsos fraudant a vita per sententiam malam et operationem pessimam. Ubi enim Ecclesia, ibi est Spiritus Dei, et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia; Spiritus autem veritas. Quapropter qui non participant eum, ii neque a mammillis matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem; sed effodiunt sibi lacus detritos de fossis terrenis, et de coeno putidam bibunt aquam, effugientes fidem Ecclesiae, ne traducantur; rejicientes vero Spiritum, ut non erudiantur.* [5]) Eandem Ecclesiam *catholicam per universum orbem usque ad fines terrae seminatam* praedicat [6]), nec quidquam validius esse ad confutandos haereticos existimavit Irenaeus, quam si ostenderit, veram Christi Ecclesiam esse *apostolicam* ejusque ab ipsis Apostolis constitutos fuisse Episcopos, a quibus per continuam usque successionem una eademque et pura atque intemerata Apostolorum fides ad nos usque manat ac traditio. *Omnes enim haeretici valde posteriores sunt, quam Episcopi, quibus Apostoli tradiderunt eccle-*

4) Lib. I. c. 10. nr. 2., p. 49.
5) Lib. III. c. 24. nr. 1. med., p. 222. sq.
6) Lib. I. c. 10. nr. 1. init., p. 48.

nias.. Necessitatem ergo habent.., quoniam sunt coeci ad veritatem, alteram et alteram ambulare exorbitantes viam; et propter hoc inconsonanter et inconsequenter dispersa sunt vestigia doctrinae ipsorum 7) .. *Ante Valentinum enim non fuerunt, qui sunt a Valentino; neque ante Marcionem erant, qui sunt a Marcione; neque omnino erant reliqui sensus maligni, quos supra enumeravimus, antequam initiatores et inventores perversitatis eorum fierent. Valentinus enim venit Romam sub Hygino, increvit vero sub Pio, et porogavit tempus usque ad Anicetum etc.* 8) ... *Quapropter eis, qui in Ecclesia sunt, Presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt; reliquos vero, qui absistunt a principali successione et quocunque loco se colligunt, suspectos habere vel quasi haereticos et malae sententiae, vel quasi scindentes et elatos et sibi placentes, aut rursus ut hypocritas quaestus gratia et vanae gloriae hoc operantes. Omnes autem hi deciderunt a veritate* 9) ... *Ab omnibus igitur talibus absistere oportet; adhaerere vero his, qui et Apostolorum doctrinam custodiunt, et cum presbyterii ordine sermonem sanum et conversationem sine offensa praestant ad confirmationem et correptionem reliquorum* 10) ... *Ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quae est ab Apostolis, Ecclesiae successio, et id, quod est sanum et irreprobabile conversationis et inadulteratum et incorruptibile sermonis, constat. Hi enim et .. fidem nostram custodiunt, et .. dilectionem adaugent, .. et Scripturas sine periculo nobis exponunt, neque Deum blasphemantes, neque Patriarchas exhonorantes, neque Prophetas contemnentes.* 11)

7) Lib. V. c. 20. nr. 1. init., p. 317.

8) Lib. III. c. 4. nr. 3 init., p. 178.

9) Lib. IV. c. 26. nr. 2., p. 262.

10) ibid. nr. 4 init., p. 262 sq.

11) ibid. nr. 5 med., p. 263.

bb. Ecclesiae Romanae Primatus.

§. 234. Traditionem apostolicam unam et eandem, puram et illibatam in omnibus ecclesiis fuisse conservatam, ex eo probat S. Irenaeus, quod in singulis ecclesiis apostolicis continua semper perseveraverit Episcoporum ab Apostolis successio, et omnes in eandem conspiraverint sententiam. Praetermissis autem totius orbis Ecclesiarum et Episcoporum catalogis probationem suam expeditiori ac breviori via suscepit. Unius nempe *Romanae* utpote *omnium principis Ecclesiae* traditionem per continuam Episcoporum successionem in ea conservatam consulere satis habuit ad confutandos haereticos, optimo jure ratus, ea semel cognita illico aliarum omnium ecclesiarum traditionem atque doctrinam cognosci. Itaque dicit: *Sed quoniam valde longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae et omnibus cognitae a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae eam, quam habet ab Apostolis, traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, quoquo modo vel per sibi placentia vel vanam gloriam vel per coecitatem et malam sententiam, praeterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis, traditio.* 1) Ergo *maximam* jam suo tempore fuisse Ecclesiam Romanam testatur Irenaeus, maximam scilicet non tam numero fidelium quam auctoritatis amplitudine. Eandem omnium *antiquissimam* 2) appellat, non fundationis quidem tempore sed dignitatis praecellentia. Tertio *omnibus cognitam* asserit; quae notorietas unde

---

1) Adv. Haeres. Lib. III. c. 3. nr. 2., p. 175. sq.

2) Sic latinus interpres. At verisimile est, scripsisse Irenaeum graece Ἀρχαιοτάτην i. e. *omnium principem.*

venerat, nisi rursus, quia sublimior ceteris et excellentior habita est? Ad hanc *convenire omnes ecclesias*, omnes undique fideles oportere dicit, addens causam: *ob potiorem illius principalitatem;* quibus verbis Romanae Ecclesiae aperte aliquid tribuit, quod nulli alteri concessum fuisse innuit, nimirum quod Romana felix ecclesia fuit et est hodiedum, quae *a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo fundata et constituta est*, ubi (ut cum Tertulliano loquar) Petrus passioni Dominicae adaequatus, Paulus autem Joannis Baptistae exitu coronatus est. In hac igitur Ecclesia *semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis, traditio;* i. e. Roma non solum *repraesentat* universae Ecclesiae fidem, tenens quod ubique creditur et docetur; sed etiam singulas omnes *conservat* ecclesias, ut omnes id unum credant doceantque, quod Apostoli tradiderunt.

d. De SS. Trinitate.

§. 235. Catholicae fidei *summam* S. Irenaeus hisce verbis profitetur: *Ecclesia, tametsi per universum orbem usque ad fines terrae dispersa, et ab Apostolis et a discipulis eorum accepit eam fidem, quae est in unum Deum, Patrem omnipotentem, qui fecit coelum et terram et mare, et omnia quae sunt in eis; et in unum Jesum Christum Filium Dei incarnatum pro nostra salute; et in Spiritum Sanctum, qui per Prophetas praedicavit dispositiones Dei, et adventum, et eam quae est ex virgine nativitatem, et passionem, et resurrectionem a mortuis, et in carne in coelos ascensionem dilecti Jesu Christi Domini nostri, et de coelis in gloria Patris adventum ejus ad recapitulanda universa et resuscitandam omnem carnem humani generis, ut . . . judicium justum in omnibus faciat, . . . impios et injustos . . . in ignem aeternum mittat, justis autem et piis . . vitam donans incorruptelam loco muneris conferat, et gloriam aeternam circumdet.* [1]) Haec igitur apud Irenaeum certa ac demonstrata, *unum Deum* omnia prorsus

1) Adv. Haeres. Lib. I. c. 10. nr. 1. p. 48.

condidisse, non per organa et instrumenta a se diversa et alterius a se naturae, sed per semet ipsum h. e. per *Verbum* Filium suum et *Sapientiam* suam, Spiritum Sanctum, ut ipse explicat dicens: *Non ergo Angeli fecerunt nos, nec nos plasmaverunt; nec Angeli potuerunt imaginem facere Dei, nec alius quis praeter Verbum Domini, nec virtus aliqua longe absistens a Patre Universorum. Nec enim indigebat horum Deus ad faciendum, quae ipse apud se praedefinierat fieri, quasi ipse suas non haberet manus. Adest enim ei semper Verbum et Sapientia, Filius et Spiritus, per quos et in quibus omnia libere et sponte fecit, ad quos et loquitur dicens:* „Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram"; *ipse a semetipso substantiam creaturarum et exemplum factorum et figuram in mundo ornamentorum accipiens.* [2]) Verbum et Spiritum Sanctum vocat quasi *Dei manus*, opponens eas aliis organis et virtuti inferiori, quemadmodum Gnostici ab aeonibus aut demiurgo vel inscio vel adeo invito supremo Deo mundum conditum fuisse dicunt. Hinc manifeste sequitur, Verbum et Spiritum Sanctum *distingui* quidem a Patre, utpote quibuscum consilium habeat, dum ait: *Faciamus hominem;* non tamen inferioris et alterius ab eo naturae esse, sicuti servata similitudine manus hominis a corpore, cujus sunt manus, natura et substantia non differunt. Verbum igitur et Spiritus Sanctus *duo* sunt a Patre *distincti*, ambo vero *unus et idem* cum Patre *Deus*, *una* et eadem utriusque cum Patre *natura*, *una* item *trini* Dei *operatio ad extra.* Et duas quidem ab aeterno esse Filium et Spiritum *personas*, alibi declarat hisce verbis: *Et quoniam Verbum i. e. Filius semper cum Patre erat, per multa demonstravimus. Quoniam autem et Sapientia, quae est Spiritus, erat apud eum ante omnem constitutionem, per Salomonem ait etc. . . . Unus igitur Deus, qui Verbo et Sapientia fecit et aptavit omnia; . . qui secundum magnitudinem quidem ignotus est omnibus his, qui ab eo facti sunt, . . . secundum autem dilectionem*

2) Lib. IV. c. 20. nr. 1. med., p. 253.

cognoscitur semper per eum, per quem constituit omnia. Est autem hic Verbum ejus, Dominus noster J. Chr. [3]) .. Et rursus alibi: *Propter hoc in omnibus et per omnia unus Deus Pater; et unum Verbum, Filius; et unus Spiritus, et una salus omnibus credentibus in eum.* [4])

e. De Christo Deo-Homine.

§. 236. Jesum Christum esse et verum *Deum* et verum *Hominem* Irenaeus luculentissime profitetur, verum Deum propter aeternam ab altissimo Patre genituram, verum hominem propter temporalem sed praeclaram ex Virgine nativitatem. *Una* tamen *persona* hanc duplicem naturam in se copulavit, ut unus idemque sit Filius Dei et Filius hominis, unum Verbum incarnatum. *Ostenso manifeste, quod in principio Verbum existens apud Deum, per quem omnia facta sunt, qui et semper aderat generi humano, hunc in novissimis temporibus, secundum praefinitum tempus a Patre, unitum suo plasmati passibilem hominem factum; exclusa sit omnis contradictio dicentium: Si ergo tunc natus est, non erat ergo ante Christus. Non enim tunc coepit Filius Dei, existens semper apud Patrem; sed quando incarnatus est et homo factus, longam hominum expositionem in se ipso recapitulavit, in compendio nobis salutem praestans, ut quod perdideramus in Adam, i. e. secundum imaginem et similitudinem Dei esse, hoc in Christo Jesu reciperemus.* [1]) Verum Deum Christum, Filium Dei vivi, eundem esse et Filium hominis. *Quoniam enim nemo in totum ex filiis Adae Deus appellatur secundum eum, aut Dominus nominatur, ex Scripturis demonstravimus. Quoniam autem ipse proprie praeter omnes, qui fuerunt tunc, homines Deus et Dominus et Rex aeternus et Unigenitus et Verbum incarnatum praedicatur et a Prophetis et Apostolis et ab ipso Spiritu, adest videre omni-*

---

3) ibid. c. 20. nr. 3. 4. init., p. 253 sq.

4) Lib. IV. c. 6. nr. 7 fin., p. 235.

1) Adv. Haeres. Lib. III. c. 18. nr. 1., p. 209.

bus, qui vel modicum de veritate attigerint. Haec autem non testificarentur Scripturae de eo, si, similiter ut omnes, homo tantum fuisset. Sed quoniam praeclaram praeter omnes habuit in se eam, quae est ab altissimo Patre, genituram, praeclara autem factus est ea, quae est de Virgine, generatione; utraque Scripturae divinae de eo testificantur [2]) . . . *Hic igitur Filius Dei, Dominus noster, existens Verbum Patris et Filius hominis, quoniam ex Maria, quae ex hominibus habebat genus, quae et ipsa erat homo, habuit secundum hominem generationem, factus est Filius hominis.* [3])

f. De creatione

aa. Angelorum.

§. 237. De Angelorum natura S. Irenaeus ulterius nihil habet, nisi quod sint *rationales* [1]) et *sine carne.* [2]) De nonnullorum autem ex iis lapsu haec pauca scribit: *Qui quidem ab initio omnes ab uno et eodem Deo facti sunt . . Quum autem abscesserint et transgressi fuerint, diabolo adscribuntur principi, ei, qui primo sibi tum et reliquis causa abscessionis sit factus* [3]); et alibi: *Angeli transgressi ceciderunt in terram in judicium* [4]), i. e. in peccati poenam praecipites de coelo in terram acti ibique *cum hominibus commixti* [5]) mulieribus stupra intulerunt. Hanc igitur cum Justino, Athenagora, Clemento Alexandrino aliisque antiquis eandem habuit opinionem Irenaeus, quibus omnibus (ut observat Massuetus) talis erroris ansam dedit apocryphus quidam liber *Henoch* et verbum illud in *Genesi* c. VI de *filiorum Dei congressu cum filiabus hominum.* His angelis transgressoribus ignem aeternum praeparatum

---

2) Lib. III. c. 19. nr. 2., p. 212.
3) ibid. nr. 3., p. 213.
1) Adv. Haeres. Lib. IV. c. 37. nr. 1. init., p. 281.
2) Lib. III. c. 20. nr. 4. init., p. 214.
3) Lib. IV. c. 41. nr. 3. fin., p. 288.
4) Ibid. c. 16. nr. 2. med., p. 246.
5) ibid. c. 36. nr. 4. med., p. 279.

esse contendit. *Dicit enim*, ait, *Dominus his qui a sinistris inveniuntur:* „Abite maledicti in ignem aeternum, quem praeparavit Pater meus diabolo et angelis ejus“ .. *significans, quoniam non homini* *principaliter* *praeparatus est ignis aeternus, sed ei, qui seduxit et offendere fecit hominem, principi abscessionis et his angelis, qui apostatae facti sunt cum eo* [6]) ... Alia Irenaei cum Justino aliisque Patribus communis sententia haec est, *Satanam ante Domini adventum nunquam ausum esse blasphemare Deum*, quia nondum scisset damnationem suam ... *Post autem adventum Domini ex sermonibus Christi et Apostolorum ejus discens manifeste, quoniam ignis aeternus ei praeparatus est, ... blasphemat eum Deum, qui judicium importat, quasi jam condemnatus, et peccatum suae apostasiae conditori suo imputat et non suae voluntati ac sententiae.* [7]) Fuit autem haec non solum Justino, a quo hunc locum Irenaeus mutuatum dicit, sed et aliis SS. Patribus communis sententia, daemones ignis poenas nondum experiri, sed in exspectatione adhuc esse, dum judicii dies adveniat.

bb. Hominum.

a) De hominis natura.

§. 238. Mera Dei dilectio in causa est, cur homo crearetur, et hominis finis gloria Dei, in qua et ipse utpote filius Dei conglorificatur homo. Etenim *initio non quasi indigens Deus hominis plasmavit Adam, sed ut haberet, in quem collocaret sua beneficia. Non enim solum ante Adam, sed et ante omnem conditionem glorificabat Verbum Patrem suum, manens in eo ... In quantum* autem *Deus nullius indigens, in tantum homo indiget Dei communione. Haec enim gloria hominis, perseverare et permanere in Dei servitute.* [1]) De hominis autem perfectione fuse disserens ostendit, tria ad supernaturalem hominis perfectio-

6) Lib. III. c. 23. nr. 3 in fin., p. 221.
7) Lib. V. c. 26. nr. 2 med., p. 324.
1) Adv. Haeres. Lib. IV. c. 14. nr. 1. init., p 243 sq.

nem requiri, ita ut, si unum desit, perfectus homo esse nequeat, nempe carnem, animam, et spiritum. *Per manus Patris*, inquit, *id est per Filium et Spiritum fit homo secundum similitudinem Dei, sed non pars hominis; anima autem et spiritus pars* quidem *hominis esse possunt, homo autem nequaquam. Perfectus autem homo commixtio et adunatio est animae assumentis spiritum Patris, et admixta ei carni, quae est plasmata secundum imaginem Dei.* [2]) Carnem igitur et animam Irenaeus partes hominis vocat. Sic constitutus homo ad *imaginem* quidem Dei est, at nondum Dei habet *similitudinem*. Hanc communicato et inhabitante Spiritu sancto accipit, quo demum eum, ad quem creatus est, finem assequi possit. *Si enim substantiam tollat aliquis carnis i. e. plasmatis, et nude ipsum solum spiritum intelligat, jam non spiritualis homo est quod est tale, sed spiritus hominis aut spiritus Dei. Quum autem Spiritus hic commixtus animae unitur plasmati, propter effusionem Spiritus spiritualis et perfectus homo factus est, et hic est, qui secundum imaginem et similitudinem factus est Dei. Si autem defuerit animae Spiritus, animalis est vere qui est talis, et carnalis derelictus imperfectus est, imaginem quidem habens in plasmate, similitudinem vero non assumens per Spiritum.* [2]) Inde, ut paulo infra pergit, *neque plasmatio carnis ipsa secundum se homo perfectus est; sed corpus hominis et pars hominis. Neque enim et anima ipsa secundum se homo; sed anima hominis et pars hominis. Neque Spiritus homo; spiritus enim, non homo vocatur. Commixtio autem et unitio horum omnium perfectum hominem efficit ... Perfecti igitur sunt, qui et Spiritum in se perseverantem habuerint Dei, et animas et corpora sine querela servaverint, Dei (i. e. illam, quae est ad Deum) fidem servantes et eam, quae est ad proximum, justitiam custodientes.* [2]) Et totum sermonem quasi recapitulans alibi: *Tria sunt*, inquit, *ex quibus, quemadmodum ostendimus, perfectus homo constat, carne, anima et Spiritu; et altero qui-*

2) Lib. V. c. 6. nr. 1., p. 299 sq.

dem salvante et figurante, qui est Spiritus; altero, quod unitur et formatur, quod est caro; id vero quod inter haec est duo, quod est anima, quae aliquando quidem subsequens Spiritum elevatur ab eo, aliquando autem consentiens carni decidit in terrenas concupiscentias. Quodquot ergo id, quod salvat et format, et unitatem non habent, hi consequenter erunt et vocabuntur caro et sanguis, quippe qui non habent Spiritum Dei in se . . . Quotquot autem timent Deum, et credunt in adventum Filii ejus, et per fidem constituunt in cordibus suis Spiritum Dei, hi tales juste homines dicentur, et mundi et spirituales, quia habent spiritum Patris, qui emundat hominem et sublevat in vitam Dei. [3]) Ecce quam praeclare distinguat S. Pater *imaginem* inter et *similitudinem.* Homo ad imaginem Dei creatus jam *aptus* erat, ut similis quoque Dei fieret; ipsa autem haec *similitudo* per infusionem et inhabitationem Spiritus sancti operatur, quo scilicet homo justus est. Primus homo ad *imaginem et similitudinem* Dei factus est. Et similitudinem quidem et justitiam per peccatum perdidit, non autem imaginem Dei, quae est qualitas et quasi possibilitas similitudinem Dei consequendi. Perdito igitur Spiritu Sancto et justitia amissa, in qua primum constitutus erat, non item hominis essentia seu *substantia* perierat, sed *qualitas* duntaxat per peccatum immutata est, alioquin enim homo Dei similis nullo unquam pacto fieri posset. Unde scite Irenaeus: *Aliud est*, inquit, *afflatus vitae, qui animalem efficit hominem, et aliud spiritus vivificans, qui et spiritalem efficit eum . . . Spiritum proprie in Deo deputans, quem in novissimis temporibus effudit per adoptionem filiorum in genus humanum; afflatum autem* (= animam) *communiter in creationem effudit, creaturam ostendens illam. Aliud autem est, quod factum est, ab eo qui fecit. Afflatus igitur temporalis, spiritus autem sempiternus. Et afflatus quidem auctus ad modicum et tempore aliquo manens deinde abit, sine spiramento relinquens illud, in quo fuit ante. Spiritus autem*

3) ibid. c. 9. nr. 1 med. et nr. 2 init., p. 302.

circumdans intus et foris hominem, quippe semper perseverans, nunquam relinquit eum . . . Oportuerat enim primum plasmari hominem, et plasmatum accipere animam, deinde sic communionem Spiritus recipere. [4]) Ne quis vero haec dicta obiter attendens in animum sibi inducat, S. Irenaeum sensisse, hominis animam non aliam esse ac „*afflatum communiter in creationem effusum . . . temporalem . . qui animalem efficit*“, qualis etiam *brutorum* est; ac proinde hominem solo *Spiritu* a brutis distinctum praetulisse imaginem et similitudinem Dei: probe meminerit, quaeso, eundem supra dixisse, hominem ea praeditum fuisse anima, „*quae aliquando sequens Spiritum, aliquando vero consentiens carni*“ i. e. *libero arbitrio* utitur. Hac *tali* anima Adam jam vere *ad Dei imaginem* praeditus, incorruptibilis et *capax similitudinis Dei* (sanctitatis et beatitudinis); neque capax solum, sed insuper reapse *similis Dei* per *Dei spiritum* factus est. Sublato autem per peccatum Spiritu sancto, anima cum corpore, sibi soli relicta carni quidem consentire nunquam desiisset, nisi Deus misertus statim homini subvenisset auxilio; *mansit* tamen in lapso quoque homine *residua quaedam Dei imago* i. e. illa pristina, licet debilitata, capacitas rursus ad *similitudinem Dei* revertendi *recuperato per Christi merita Spiritu Sancto.*

b. De libero ejus arbitrio.

§. 239. Exitiosam illam Gnosticorum doctrinam, homines quosdam natura bonos, quosdam natura malos fuisse conditos, fuse ac diserte refellit Irenaeus docens, *libero cum arbitrio* hominem creatum. *Illud autem*, inquit, *quod ait Dominus: „Quoties volui colligere filios tuos, et noluisti“ veterem legem libertatis hominis manifestavit, quia liberum eum fecit Deus ab initio, habentem suam potestatem sicut et animam suam ad utendum sententia Dei voluntarie et non coactum a Deo . . . Posuit autem in homine potestatem electionis, quemadmodum et in Angelis, . . ut hi, qui obedissent, juste bonum sint possidentes, datum*

4) ibid. c. 12. nr. 2 init., p. 306.

quidem a Deo, servatum vero ab ipsis . . . Qui autem non obedierunt, juste non invenientur cum bono, et meritam poenam percipient; quoniam Deus quidem dedit benigne bonum, ipsi vero non custodierunt diligenter illud, neque pretiosum arbitrati sunt, sed supereminentiam bonitatis contemserunt. Abjicientes igitur bonum et quasi respuentes merito omnes justum judicium incident Dei. 1) Vides, ut *omnem* prorsus a voluntate hominis necessitatem excludat Irenaeus, non solum vim, quae *extrinsecus* adhibetur, sed eam quoque, quae *simplex* dicitur, necessitatem. Hanc libere eligendi potestatem *ne post peccatum quidem* homo perdiderat. *Etenim ipsum Evangelium si noluerit quis sequi, licet quidem ei, non tamen expedit. Inobedientia enim Dei et omissio boni est quidem in hominis potestate, laesionem autem et damnum non modicum infert.* 2) Ipsa adeo *fides* quandamtenus a libera hominis voluntate pendet. *Et non tantum in operibus, sed etiam in fide liberum et suae potestatis arbitrium hominis servavit Dominus dicens: „Secundum fidem tuam fiat tibi", propriam fidem hominis ostendens, quoniam propriam suam habet sententiam.* 3) Ad vulgatam autem quaestionem, annon satius fuisset, si homines tales ab initio fecisset Deus, *qui peccare nullo modo possent;* Irenaeus respondet, si *homines cum necessitate et vi traherentur ad bonum, . . nec suave esset eis quod est bonum, neque pretiosa communicatio, neque magnopere appetendum bonum, quod sine suo proprio motu et cura et studio provenisset, sed ultro et otiose insitum, ita ut essent nullius momenti boni, eoquod natura magis quam voluntate tales existerent, et ultroneum haberent bonum, sed non secundum electionem* 4) . . . Satius igitur fuisse et divinam providentiam magis decuisse, ut tales crearentur homines, qui bonum libera electione pro-

---

1) Adv. Haeres. Lib. IV. c. 37. nr. 1, p. 281.
2) ibid. c. 4 init., p. 282.
3) ibid. nr. 5. init., p. 282.
4) ibid. nr. 6 med., p. 282 sq.

opera Dei es, manum artificis tu exspecta opportune omsequerentur, scilicet *ut et pretiosam arbitremur coronam, quae per agonem nobis acquiritur, sed non ultro coalitam; et quanto per agonem nobis advenit, tanto sit pretiosior; quanto autem pretiosior, tanto eam semper diligamus.* [5]) Ad aliam ejusdem generis quaestionem: *Cur non ab initio perfectus homo factus sit: Sciat*, inquit, *quoniam Deo quidem, cum semper sit idem et ingenitus, quantum ad se ipsum est, omnia possibilia. Quae autem facta sunt ab eo, secundum quod postea facturae initium habuerunt, secundum hoc et minora esse oportuit eo, qui se fecerit. Nec enim poterant infecta esse, quae nuper facta sunt; propter quod autem non sunt infecta, propter hoc et deficiunt a perfecto.... Quemadmodum enim mater potest quidem praestare perfectam escam infanti, ille autem nondum potest robustiorem se percipere escam: sic et Deus ipse quidem potens fuit homini praestare perfectionem ab initio, homo autem impotens percipere illam; infans enim fuit* [6]) .. *Per hanc igitur ordinationem .. factus et plasmatus homo secundum imaginem et similitudinem constituitur infecti Dei: Patre quidem bene sentiente et jubente, Filio vero ministrante et formante, Spiritu vero nutriente et augente, homine vero paullatim proficiente et perveniente ad perfectum*, i. e. *proximum infecto fieri. Perfectus enim est infectus; hic autem est Deus. Oportuerat autem hominem primum fieri, et factum augeri, et auctum corroborari, et corroboratum multiplicari, et multiplicatum convalescere, convalescentem vero glorificari et glorificatum videre suum Dominum* [7]) ... *Irrationabiles igitur omni modo, qui non exspectant tempus augmenti, et suae naturae infirmitatem adscribunt Deo* [8]) ... *Oportet te primo quidem ordinem hominis custodire, tunc deinde participari gloriae Dei. Non enim tu Deum facis, sed Deus te facit. Si ergo*

5) ibid. nr. 7 med., p. 283.
6) ibid. c. 38. nr. 1 init., p. 283 sq.
7) ibid. nr. 3 med., p. 285.
8) ibid. nr. 4 init., p. 285.

nia facientem . . . Si tradideris ei, quod est tuum, i. e. fidem in eum et subjectionem; recipies ejus artem, et eris perfectum opus Dei. 9)

g. *De peccato originali et redemtione.*

§. **240.** Inprimis clare divus Irenaeus de *peccati originalis* reatu ac poena et de humani generis per Christum *redemtione* loquitur. *Filius Dei*, inquit, *incarnatus et homo factus longam hominum expositionem in se ipso recapitulavit, in compendio nobis salutem praestans, ut, quod perdideramus in Adam, i. e. secundum imaginem et similitudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus* 1) . . . *Propter hoc enim Verbum Dei homo et, qui Filius Dei est, filius hominis factus est commixtus Verbo Dei, ut adoptionem recipiens fiat filius Dei. Non enim poteramus aliter incorruptelam et immortalitatem percipere, nisi adunati fuissemus incorruptelae et immortalitati.* 2) Quod autem a Deo hominem abalienavit, peccatum fuit; a quo ut liberaret nos, Filius Dei homo factus est. *Quia enim non erat possibile, eum hominem, qui semel victus erat, et elisus per inobedientiam, replasmare et obtinere bravium victoriae; iterum autem impossibile erat, ut salutem perciperet, qui sub peccatum ceciderat: utraque operatus est Filius Verbum Dei existens, a Patre descendens, et incarnatus, et usque ad mortem descendens et dispensationem consummans salutis nostrae* 3) . . . *Si enim homo non vicisset inimicum hominis, non juste victus esset inimicus. Rursus autem, nisi Deus donasset salutem, non firmiter haberemus eum. Et nisi homo conjunctus fuisset Deo, non potuisset particeps fieri incorruptibilitatis. Oportuerat enim Mediatorem Dei et hominum, per suam ad utrosque domesticitatem, in amicitiam et concordiam utrosque reducere et facere, ut et Deus assumeret hominem, et homo*

---

9) ibid. c. 39, nr. 2, p. 286.
1) Adv. Haeres. Lib. III. c. 18. nr. 1 fin., p. 209.
2) ibid. c. 19. nr. 1 sub fin., p. 212.
3) ibid. c. 18. nr. 2 init., p. 209.

se dederet Deo [4]) . . . *Propter hoc et Dominus semetipsum Filium hominis confitetur, principalem hominem illum, ex quo ea, quae secundum mulierem est plasmatio, facta est, in semetipsum recapitulans, ut, quemadmodum per hominem victum descendit in mortem genus nostrum, sic iterum per hominem victorem ascendamus in vitam; et quemadmodum accepit palmam mors per hominem adversus nos, sic iterum nos adversus mortem per hominem accipiamus palmam.* [5]) *Dissolvens eam, quae ab initio in ligno facta fuerat, hominis inobedientiam obediens factus est usque ad mortem, mortem autem crucis; eam, quae in ligno facta fuerat, inobedientiam per eam, quae in ligno fuerat, obedientiam sanans . . Deum* igitur *in primo quidem Adam offeadimus non facientes ejus praeceptum; in secundo autem Adam reconcilati sumus obedientes usque ad mortem facti. Neque enim alteri cuidam eramus debitores, sed illi, cujus et praeceptum transgressi fueramus ab initio* [6]) . . . *Primogenitus mortuorum natus Dominus, et in sinum suum recipiens pristinos Patres, regeneravit eos in vitam Dei; ipse initium viventium factus, quoniam Adam initium morientium factus est* [7]) . . . *Non aliter,* inquit, *salvari ab antiqua serpentis plaga* possunt *homines, nisi credant in eum, qui secundum similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatur a terra, et omnia trahit ad se et vivificat mortuos.* [8]) Et sicut Christum cum Adamo, ita Mariam cum Eva comparans: *Quemadmodum*, ait, *Eva inobediens facta et sibi et universo generi humano causa facta est mortis; sic et Maria . . obdiens et sibi et universo generi humano causa facta est salutis* [9]) . . . *Adstrictum*

4) ibid. nr. 7 init.. p. 211.

5) Lib. V. c. 21. nr. 1. fin., p. 318.

6) ibid. c. 16. nr. 3 fin., p. 313.

7) Lib. III. c. 22. nr. 4 med., p. 220.

8) Lib. IV. c. 2. nr. 7. in fin., p. 230.

9) Lib. III. c. 22. nr. 4 med., p. 220. — Cur autem non ex nihilo neque ex *limo,* qualis Adamus formatus fuerat, sed ex Virgine assumta *carne* corpus suum sibi formavit: *Ut non alia plasmatio fieret,*

morti genus humanum per virginem, salvatur per Virginem, aequa lance disposita, virginalis inobedientia per virginalem obedientiam. Adhuc enim Protoplasti peccatum per correptionem Primogeniti emendationem accipiens, et serpentis prudentia devicta est in columbae simplicitate, vinculis autem illis resolutis, per quae alligati eramus morti [10]) . . . *Suo igitur sanguine redimente nos Domino, et dante animam suam pro nostra anima et carnem suam pro nostris carnibus, et effundente Spiritum Patris in adunitionem et communionem Dei et hominis, ad homines quidem deponente Deum per Spiritum, ad Deum autem rursus imponente hominem per suam incarnationem, et firme et vere in adventu suo donante nobis incorruptelam per communionem quae est ad eum*; factum est, ne antiqua plasmatio Dei deperiret [11]) . . *Propterea benigne effudit semetipsum* Christus, *ut nos colligeret in sinum Patris.* [12])

h. De Sacramentis.

aa. De Baptismo.

§. **241.** Redemtio a Christo Jesu humano generi donata in *baptismo* per *S. Spiritus*-infusionem, qua hominis cum Deo adunatio fit, acquiritur. Et de Christi baptismo incipiens: *Spiritus sanctus*, inquit, *in Filium Dei, filium hominis factum, descendit, cum ipso assuescens habitare in genere humano, et requiescere in hominibus, et habitare in*

---

neque alia plasmatio esset quae salvaretur, sed eadem ipsa recapitularetur servata similitudine. Ibid. c. 21. nr. 10 fin., p. 218.

10) Lib. V. c. 19. nr. 1 fin., p. 316. — Ceterum quod peccati sequelas attinet, S. Irenaeus eandem cum Theophilo Antiocheno sententiam tenet, homini pόst lapsum *mortem* immissam fuisse a Deo propterea, *ut non perseveraret semper transgressor, neque immortale esset.. peccatum, et malum interminabile et insanabile. Prohibuit autem ejus transgressionem, interponens mortem et cessare faciens peccatum, finem inferens ei per carnis resolutionem, quae fieret in terra, ut cessans aliquando homo vivere peccato, et moriens ei inciperet vivere Deo.* Lib. III. c. 23. nr. 6, p. 222.

11) ibid. c. 1 nr. 1 fin., p. 292.

12) ibid. c. 2. nr. 1 fin., p. 293.

plasmate Dei, voluntatem Patris operans in ipsis, et renovans eos a vetustate in novitatem Christi. [1]) Haec Spiritus Sancti communicatio quam sit *necessaria* ad regenerationem nostram sub similitudine quadam demonstrat. *Sicut enim de arido tritico massa una fieri non potest, sine humore, neque unus panis; ita nec nos multi unum fieri in Christo Jesu poteramus sine aqua, quae de coelo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat; sic et nos, lignum aridum existentes primum, nunquam fructificaremus vitam sine superna voluntaria pluvia. Corpora enim nostra per lavacrum illam, quae est ad incorruptionem, unitatem acceperunt; animae autem per Spiritum. Unde et utraque*, aqua et Spiritus, *necessaria; cum utraque proficiunt in vitam Dei*, aqua ad incorruptibilitatem corporis, Spiritus ad sanctificationem animae. [2]) Et eam regenerationem per Spiritum Sanctum, quae in homine baptizato intrinsecus operatur ad sanctitatem, rursus sub imagine oleastri insertae ostendens: *Quemadmodum*, inquit, *oleaster inserta substantiam quidem ligni non amittit, qualitatem autem fructus immutat, et aliud percipit vocabulum, jam non oleaster sed fructifera oliva existens edicitur; sic et homo, per fidem insertus et assumens Spiritum Dei, substantiam quidem carnis non amittit, qualitatem autem fructus operum immutat et aliud accipit vocabulum, significans illam quae in melius est transmutationem, jam non caro et sanguis sed homo spiritualis existens dicitur. Quemadmodum autem rursus oleaster, si non percipiat insertionem, perseverat inutilis suo Domino per suam sylvestrem qualitatem, et quasi infructuosum lignum exciditur et in ignem mittitur; sic et homo, non assumens per fidem Spiritus insertionem, perseverat esse quod erat ante, caro et sanguis, et regnum Dei haereditate possidere non potest.* [3]) Justificati igitur opera ab operibus non justificati hominis *intrinsece* ac *substantialiter* distinguun-

1) Adv. Haeres. Lib. III. c. 17. nr. 1. fin., p. 208.
2) ibid. nr. 2 med., p. ead.
3) Lib. V. c. 10. nr. 2 init., p. 304.

tur, et illis solis ob cooperationem Spiritus Sancti *ratio meriti* et congruentia quaedam ac proportio quoad vitam aeternam recte tribuitur. Cum denique *omnes* in Adamo peccatores facti sint; omnes, etiam *infantuli*, lavacro indigent regenerationis. *Omnes enim venit per semetipsum salvare* Dominus; *omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes et parvulos et pueros et juvenes et seniores* 4) . . . *Quoniam in illa plasmatione, quae secundum Adam fuit, in transgressione factus homo, indigebat lavacro regenerationis.* 5)

bb. De sacramento Eucharistiae.

a) Quod sit verum corpus et sanguis Domini.

§. 242. Observandum primo est, S. Irenaeum non id agere, ut *transsubstantiationem* praesentiamque Christi realem in Eucharistia adversus haereticos defenderet. Nam non solum *Marcosianos* sed et *omnes ejus aevi Gnosticos* in hoc consensisse, Eucharistiam verum esse *corpus et sanguinem Domini*, imo etiam *sacrificium* verum, perspicue ex Irenaeo liquet. At cum *Valentinus* Jesum non ex substantia nostra natum nec ex Virgine sumsisse carnem, sed aliud et diversum a nostra carne corpus habuisse diceret, *Marcion* vero cum aliis Docetis contenderet, Christi corpus omnino non fuisse verum, sed fictitium duntaxat et putativum; jam Irenaeus haec haereticorum deliria subvertens docet, tales istorum opiniones prorsus *pugnare cum Eucharistiae fide*, quam et *ipsi* profitebantur. Quodsi enim, ait, Dei filius veram carnem et humanum corpus ex substantia carnis nostrae non suscepit, nec materiale quidquam sibi adscivit, consequenter neque sanguine suo redimere nos potuit, neque ulla corporis sui aut virtus aut figura in Eucharistia potest exhiberi. *Sic autem non salvetur haec (caro), videlicet nec Dominus sanguine suo remedit nos, neque calix Eucharistiae communicatio sanguinis ejus est, neque panis quem*

4) Lib. II. c. 22 nr. 4 med., p. 147.
5) Lib. V. c. 15. nr. 3 med., p. 312.

frangimus, communicatio corporis est. Sanguis enim non est, nisi a venis et carnibus et a reliqua, quae est secundum hominem, substantia, qua vere factum est Verbum Dei. Sanguine suo redemit nos, quemadmodum Apostolus ejus ait: In quo habemus redemtionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum (Col. I. 14.). [1]) Non solum autem redemtionem per Christi sanguinem sed etiam *resurrectionem* credere oportet eum, qui catholicam de Eucharistia sententiam tenet. *Quoniam membra ejus sumus et per creaturam nutrimur, creaturam autem ipse nobis praestat, solem suum oriri faciens et pluens, quemadmodum vult; eum calicem, qui est a creatura, suum sanguinem, qui effusus est, ex quo auget nostrum sanguinem; et eum panem, qui est a creatura, suum corpus confirmavit, ex quo nostra auget corpora.* [2]) Dona igitur, quibus *naturaliter* nos alit, panem et vinum, in *suum corpus* et *suum sanguinem* mutans, corpora nostra, quae sunt membra ejus, proprio suo corpore alit et nostrum sanguinem cum suo sanguine miscet, ac perinde, corporibus nostris *substantiam suam incorruptibilem* communicans, immortalitatem nobis largitur. *Quando ergo*, ait, *et mixtus calix et factus panis percipit verbum Dei et fit Eucharistia corporis et sanguinis Christi, ex quibus augetur et consistit carnis nostrae substantia; quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, quae est vita aeterna, quae sanguine et corpore Christi nutritur, et membrum ejus est? Quemadmodum et beatus Apostolus ait in ea, quae est ad Ephesios, epistola: Quoniam membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus; . . . non de spirituali et de invisibili homine dicens haec (Spiritus enim neque ossa neque carnis habet); sed de ea dispositione, quae est secundum verum hominem, quae ex carnibus et nervis et ossibus consistit, quae de calice, qui est sanguis ejus, nutritur et de pane, quod est corpus*

---

1) Adv. Haeres. Lib. V. c. 2. med., p. 293.

2) ibid. nr. 2 fin., p. 294.

ejus, augetur. Et quemadmodum lignum vitis depositum in terram suo fructificat tempore; et granum tritici, decidens in terram et dissolutum, multiplex surgit per spiritum Dei, qui continet omnia; quae deinde per sapientiam Dei in usum hominis veniunt, et percipientia verbum Dei Eucharistia fiunt, quod est corpus et sanguis Christi: sic et nostra corpora, ex ea nutrita et reposita in terram et resoluta in ea, resurgent suo tempore, Verbo Dei eis resurrectionem donante in gloriam Dei Patris. [3]) Duas igitur S. Irenaeus confitetur transsubstantiationes; unam, quae fit *per verba consecrationis* (cum calix et panis percipiunt verbum Domini), quatenus panis et vinum in corpus et sanguinem Christi mutatur; alteram, quae fit *per sumtionem*, qua mortalia corpora nostra, cum Christi carnis substantia unita, incorruptibilitate donentur. Dicunt quidem Novatores, S. Irenaeum in Eucharistia nihil agnovisse aliud, praeter meram corporis et sanguinis Christi *figuram* aut *efficacem quandam virtutem* e corpore et sanguine Christi manantem. Quod si ita esset, frustra sane et inepte argumentum ab Eucharistia petiisset Irenaeus, ut Haereticos veram Christi incarnationem negantes inde refutaret; imo potius ipse arma adversariis ministrasset, quibus Catholicos confodissent. Posito enim ut dixisset, panem et vinum, quae consecrando corpus et sanguinem suum Christus profitebatur, nihil praeter meram corporis et sanguinis figuram aut virtutem continere et exhibere; nonne Haeretici argumentum invicte retorquentes dixissent: *Ergo Christus verum corpus non assumsit.* Atvero Irenaeus, sicut olim contra Gnosticos veram Filii Dei *incarnatinem*, ita hodie adversus Protestantes catholicam de *Eucharistia* sententiam strenue defendit. Nulla enim, quantum scio, Novatorum secta hodie credit atque docet, materiale corpus nostrum a Christi *corpore* ali, et sanguinem nostrum cum suo sanguine *vere* ac *realiter* misceri; id, quod Irenaeus adeo expresse statuit, ut omnes alias interpretationes strenue rejiciat *„non de spirituali*

3) ibid. nr. 3 princ., p. 294.

et invisibili homine dicens haec, sed de ea dispositione, quae est secundum verum hominem, quae ex carnibus et nervis et ossibus consistit." Unde S. Pater Gnosticos, qui veram quidem transsubstantiationem in Eucharistia credentes nihilominus Christum corpus sibi ex inferiore materia et nostro corpori consubstantiale sumsisse negabant, omni jure potuit *contradictionis* arguere. *Quomodo autem dicunt carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, quae corpore Domini et sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo, quae praedicta sunt. Nostra autem consonans est sententia Eucharistiae, et Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. Offerimus enim ei, quae sunt ejus, congruenter communicationem et unitatem praedicantes carnis et spiritus. Quemadmodum enim qui est a terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena et coelesti; sic et corpora nostra percipientia Eucharistiam jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.* [4]) Ex ea igitur invocatione, quae fit super terrenum panem, recte concludit Irenaeus carnem nostram corpore Domini et sanguine ali, quia qui est a terra panis statim, ex quo percepit invocationem Dei, desinit esse panis *communis* et fit Eucharistia i. e. ipsius *Verbi incarnati* verum corpus et verus sanguis. Hoc ipsum est, quod enucleatius vult explicare verbis statim appositis „*Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena et coelesti;*" et *terrena* quidem, quatenus corpus et sanguis Domini de nostra terrena sunt substantia *(ἐπίγειόν τι)*, *coelesti* autem, quatenus immortale Verbum Dei est, quod suam incorruptibilitatis substantiam nobis communicat. Perspicua haec verba sunt, nec alium in sensum accommodanda, nisi quis apertam illis vim intulerit. De mera enim *consubstantiatione* et *impanatione*, qualem Protestantes hisce Irenaei verbis significari volunt, S. Pater adeo non loquitur, ut potius diserte dicat, *per invocationem (ἔκκλησιν s. ἐπίκλησιν)* ac perinde *ante*

4) Lib. IV. c. 18. nr. 5., p. 251.

sumtionem et *simultanee* cum ipsa consecratione non solum *qualitatem* communis panis transmutari sed etiam aliam fieri et diversam *substantiam*, quae, quando sumitur a nobis, corpori ejus, qui ea vescitur, *incorruptibilitatem* adfert. Quodsi enim panis consecratus *qualitatem* tantum s. *virtutem* corporis Christi haberet, revera autem non esset corpus; quomodo, quaeso, talis panis, quippe qui ipse est corruptibilis, incorruptibilitatem corpori conferre poterit?

b) Quod eadem sit verum sacrificium.

§. 243. S. Eucharistiam etiam verum esse atque unicum ab ipso Domino institutum et ab Apostolis Ecclesiae traditum *Sacrificium*, Irenaeus disertis verbis docet. *Sed et suis discipulis dans consilium, primitias Deo offere ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi sint nec ingrati, eum qui ex creatura panis est accepit, et gratias egit dicens: Hoc est meum corpus. Et similiter calicem, qui est ex creatura quae est secundum nos* (sc. de terra sumtus) *suum sanguinem confessus est, et novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis praestat, primitias suorum munerum in novo testamento, de quo Malachias sic praesignificavit: Non est mihi voluntas* etc. (Malach. I, 10. 11.) . . *manifestissime significans per haec, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo, omni autem loco sacrificium offeretur ei, et hoc purum; nomen autem ejus glorificatur in gentibus* [1]) . . . *Ecclesiae oblatio, quam Dominus docuit offerri in universo mundo, purum sacrificium repulatum est apud Deum, et acceptum est ei, non quod indigeat a nobis sacrificium, sed quoniam is, qui offert, glorificatur ipse in eo quod offert, si acceptetur munus ejus* [2]) . . . *Sicut id ipsum Verbum dedit populo* (Israelitarum) *praeceptum faciendarum oblationem, quamvis*

1) Adv. Haeres. Lib. IV. c. 17. nr. 5, p. 249.
2) ibid. c. 18. nr. 1 init., p. 250.

non indigeret eis, ut discerent Deo servire; sic et ideo nos quoque offerre vult munus ad altare frequenter sine intermissione. [3]) Itaque oblationes non penitus Dominus sustulit, sed cruentis veteris testamenti hostiis sublatis novum incruentum et perfectum, quod est Eucharistia, instituit. Id ab Ecclesia quotidie oblatum sacrificium *Verbum Dei* est, quod Judaei reprobarunt. Et tres sunt hujus sacrificii praecipuae partes: *Oblatio (προσφορα)* primitiarum ex creaturis (panis scilicet et vini); *consecratio (ἐπίκλησις)*; et *communio.* Dicit enim: *Et non genus oblationum reprobatum est, oblationes enim et illic, oblationes autem et hic; sacrificia in populo, sacrificia in Ecclesia; sed species immutata est tantum, quippe quum jam non a servis sed a liberis offeratur. Unus enim et idem Dominus; proprius autem character servilis oblationis, et proprius liberorum, ut et per oblationes ostendatur indicium libertatis* [4]) . . . *Et hanc oblationem Ecclesia sola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura ejus. Judaei autem non offerunt; manus enim eorum sanguine plenae sunt; non enim receperunt Verbum Dei, quod offertur Deo. Sed neque omnes Haereticorum synagogae . . . Quomodo autem constabit eis, eum panem, in quo gratiae actae sunt, corpus esse Domini sui et calicem sanguinis ejus, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant, i. e. Verbum ejus, per quod lignum* (vitis) *fructificat et defluunt fontes, et terra dat primum quidem fenum, post deinde spicam, et deinde plenum triticum in spica?* [5])

2. Observationes morales.

§. 244. Quamquam S. Irenaeo, cum semper fere contra Haereticos dimicaverit, qui *fidei* dogmata potissimum impugnaverant, parcius de *morali* doctrina disserendi

3) ibid. nr. 6 med., p. 251.
4) ibid. nr. 2 init., p. 250.
5) ibid. nr. 4 med., p. 251.

occasio fuit; tamen nonnihil habet hujus quoque argumenti omni consideratione dignissimum. Docet inter alia, Christum naturalia legis praecepta non dissolvisse, imo potius implevisse et ampliasse; qui veteris legis jugum ac vincula ideo abstulit, ut homo jam liber ea fiducia ac pietate, qua filium decet, Deo pareret. *Etenim Lex, quippe servis posita, per ea, quae foris erant corporalia, animam erudiebat, velut per vinculum attrahens eam ad obedientiam praeceptorum, ut disceret homo servire Deo. Verbum autem liberans animam et per ipsam corpus voluntarie emundari docuit. Quo facto necesse fuit auferri quidem vincula servitutis, quibus jam homo assueverat, et sine vinculis sequi Deum; superextendi vero decreta libertatis* oportebat, *et augeri subjectionem quae est ad Regem, ut non retrorsus quis revertens indignus appareat ei, qui se liberavit,* sciens, *eam pietatem et obedientiam, quae est erga patrem familias esse quidem eandem et servis et liberis, majorem autem fiduciam habere liberos, quoniam sit major et gloriosior operatio libertatis, quam ea quae est in servitute obsequentia* [1]) . . . *Non enim propter hoc liberavit nos, ut ab eo abscedamus, nec enim potest quisquam extra dominica constitutus bona sibimit ipsi acquirere salutis alimenta; sed ut plus gratiam ejus adepti plus eum diligamus . . . Quia igitur naturalia omnia praecepta communia sunt nobis et illis* (Judaeis), *in illis quidem initium et ortum habuerunt, in nobis autem augmentum et adimpletionem perceperunt.* [2]) Et alibi rursus: Ea, inquit, *quae in servitutem et in signum data sunt illis,* (puta Legem ceremonialem) *circumsripsit novo libertatis testamento. Quae autem naturalia et liberalia et communia omnium, auxit et dilatavit, sine invidia largiter donans hominibus per adoptionem, Patrem scire Deum et diligere eum ex toto corde et sine adversatione sequi ejus verbum, non tan-*

1) Adv. Haeres. Lib. IV. c. 13. nr. 2, p. 242.

2) ibid. nr. 3 fin. et nr. 4 init., p. 243.

tum abstinentes a malis operationibus sed etiam a concupiscentiis earum. [3])

3. De Erroribus S. Irenaei.

§. 245. Postremo operae pretium est, paucis commemorare nonnullas Irenaei opiniones, quae a veritate et fide catholica plus minus recedunt. Et primo quidem *historicus error* et is gravissimus obviat *de tempore, quo Christus publice docere coepit.* Dicit enim, et Apostolicorum virorum testimoniis aliisque argumentis probare nititur, Christum, dum docebat, *habuisse seniorem jam aetatem quae est intra annos quadragesimum et quinquagesimum.* [1]) Atvèro jam dudum fuere VV. DD. suspicantes, hunc totum locum Irenaei, imo magnam capitis XXII partem, esse vel *suppositam* vel certe *corruptam et depravatam.* Etenim locus iste valde obscurus est et involutus et contrarius multis rebus, quae in eodem capite et libro continentur. Ipse enim Irenaeus l. l. ad Evangelium Luc. III, 23. provocans dicit, Christum venisse ad Baptismum, *cum inciperet esse tanquam triginta annorum.* Ergo si quadraginta plus annis natus coepisset primum docere, inter Christi baptismum et praedicationem plus quam *decem* anni intercessissent; nec verosimile est, eum in tanto temporis spatio non saepius Hierosolymam ascendisse, cum tamen ipse Irenaeus Evangeliis plane consentiens dicit, Christum *ter* duntaxat *post baptismum in Hierusalem ascendisse, primum, ut fecit vinum ex aqua in Canna Galilaeae; . . . secundo, quando paralyticum curavit; . . deinde, quum Lazarum suscitasset* [2]) . . Porro incredibile dictu est, S. Irenaeum Evangelia non didicisse vel supine ignorasse prima historiae elementa, si e. gr. adversus manifestum S. Scripturae testimonium posuerit *mortem Christi* prope *quinquagenarii* multo postquam Pi-

---

3) ibid. c. 16 nr. 5 med., p. 247.

1) Adv. Haeres. Lib. II. c. 22. nr. 5 med., p. 148.

2) ibid. nr. 3 princ., p. 147.

latus a Judaea discesserat (is enim *ao. Chr.* 37 Viennam exulatum abiit). Quis credat Patrem, quem Tertullianus *omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem* jure merito appellavit, turpem adeo errorem in se admisisse? Hisce aliisque adductus non possum, quin cum *Massueto*, *Lumpero*, aliis, locum istum quomodocunque corruptum censeam.

§. 246. Sed et errorum *circa fidem* arguitur Irenaeus. Nec poteris inficiari, nonnulla, quae de Angelorum et humanae animae natura, de regno Christi terreno et statu justorum post mortem sensit, a veritate et Ecclesiae mente quadantenus aberrare. Sed missis ceteris minoribus tria sunt potissimum, quae S. Patri vitio vertuntur; primum, quod statuit, *Angelos apostatas cum mulieribus stupri consuetudinem habuisse*; secundo, quod *negat, justorum animas statim post suum a corpore discessum divinò aspectu frui*; tertio, quod *ad errorem de Christi in terra regno accedit.* Primum igitur quod attinet, error iste, ut pluribus antiquis Patribus communis, eo facilius omnibus condonandus est, quo nondum ea de re Ecclesia judicium suum tunc imposuerat. — Gravius est id, quod de justorum post mortem statu disserit. Etenim: *Animae*, inquit, *abibunt in invisibilem locum, definitum eis a Deo, et ibi usque ad resurrectionem commorabuntur, sustinentes resurrectionem; post recipientes corpora et perfecte resurgentes h. e. corporaliter, quemadmodum et Dominus surrexit, sic venient in conspectum Dei.* Et rationem hujus sententiae praemittens: *Quoniam*, ait, *Dominus in medio umbrae mortis abierit, ubi animae mortuorum erant; post deinde corporaliter resurrexit; et post resurrectionem assumtus est . . . Quomodo ergo magister noster non statim evolans abiit, sed sustinens definitum a Patre resurrectionis suae tempus; sic et nos sustinere debemus definitum a Deo resurrectionis nostrae tempus, . . et sic resurgentes assumi, quotquot Dominus ad hoc dignos habuerit.* [1]) Et magis etiam hoc mirum est, quod S. Pater

1) Adv. Haeres. Lib. V. c. 31. nr. 2 med., p. 331.

eos, qui aliter (et catholice quidem) sentiunt, increpat tanquam *haereticos sensus in se habentes.* [2]) Tres proinde Irenaeus justorum post mortem quasi *stationes* distinguit, primam *in loco quodam invisibili*, in quo detinentur ad resurrectionis usque tempus; alteram *in Paradiso terrestri*, ubi sub imperio Christi in summa quiete ac rerum affluentia degentes, crescentesque ex visione Domini, per ipsum assuescant capere gloriam Dei Patris [3]); tertiam demum *in regno coelorum*, in quo ipsius Patris conspectu fruentur in aeternum. — Ad errorem deniqùe *de terreno Christi regno* quod attinet, Irenaeus fusius quidem disserens [4]), tamen procul a *Cerinthi* impietate recessit, secludens nimirum carnis illecebras et libidinis commercium. Praeterea alias a reliquis Chiliastis opiniones singulares et sibi soli proprias tuetur, nempe quod regni illius terreni *tempus* nuspiam definit, nec mille aut omnino certo aliquo annorum numero circumscribit: quod solos *martyres* post obitum *statim* in coelum ad conspectum Patris, reliquos autem omnes ad invisibilia loca, *ut corporum resurrectionem exspectent*, abituros innuit; denique (et hoc quidem omnium gravissimum est) quod significare videtur, non *omnes* beatos in *coelo* futuros; sed quosdam in coelo, alios in Paradiso et in terra Hierusalem restaurata, omnes tamen, ubicunque fuerint, Dei aspectu fruituros. — Quidquid autem de his erroneis Irenaei opinionibus senserit quispiam, tanti momenti certe non sunt, ut praeclaram ejus, quam in ceteris agnovimus, doctrinam obscurare, aut egregiam eruditionis et sanctitatis gloriam imminuere, aut fidem auctoritatemque S. Patris infringere ullo modo possint.

---

2) ibid. nr. 1 init., p. 330.

3) ibid. c. 35. nr. 1 med., p. 335.

4) ibid. c. 32—36, p. 331 sqq.

XV.

SS. Athenogenes. Serapion. Pantaenus. Narcissus.

1. S. Athenogenes Martyr.

§. 247. De *Athenogene Martyre*, quem perperam cum *Athenagora* (§. 175.) nonnulli confudunt, unus *S. Basilius* mentionem facit his verbis: *Quodsi quis etiam novit Athenogenis hymnum, quem tanquam aliquod amuletum discipulis suis reliquit, festinans jam ad consummationem per ignem; is novit et Martyrum sententiam de Spiritu Sancto.* [1]) E quibus patet, S. Athenogenem *hymnum quendam* scripsisse. Sed is jam dudum videtur periise. Ipsum vero Athenogenem alii sub *Septimio Severo*, alii demum in *Diocletiana* persecutione martyrio coronatum fuisse tradunt.

2. S. Serapion Episcopus Antiochenus.

§. 248. *S. Serapion*, de cujus patria et vitae fatis nihil a Veteribus memoriae nostrae traditum reperimus, ao. c. 190 *Episcopus Antiochiae* ordinatus est. [2]) Is cum *Montanistarum* errores latius spargerentur, *Epistolam ad Caricum et Pontium* scripsit, in qua et *Aurelii Cyrenii Martyris, Aelii Publii Julii in Thracia Episcoporum subscriptiones propriis ipsorum manibus appositae*

---

1) *S. Basilii* Lib. de Spir. S. ad Amphiloch. c. 29., in Ej. Opp. omn. ed. Jul. *Garnerii*, T. III. p. 67.

2) *Euseb.* in Chronic. ad a. 190 (ed. Scaliger.) p. 171.; *S. Hieron.* in Catal. Scriptorum eccl. c. 41, in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 114. Et successisse *Maximino* dicitur ab Euseb. Hist. Eccl. Lib. V. c. 19 init. Sed hoc fieri non potuisse ante annum 199 Vir doctus M. *Le Quien* in opere suo *Oriens christianus* (Paris. 1740. III. f.) T. II. p. 703 demonstrare nititur. Nec a vero longe videntur aberrare, qui *S. Theophilum* (§. 217.) 177—186, *S. Maximum* 186—199, et *S. Serapionem* 199—211 sedem Antiochenam obtinuisse contendunt. Serapioni autem successit deinde *Asclepiades*.

legebantur. [3]) Huic epistolae subjunxit *S. Claudii Apollinaris* Hierapolitani literas eo consilio (prout ipse dicit) „*ut sciant, qualiter universa, quae in terris est, fraternitas operationem illam simulatae factionis, quae nova prophetia nominatur, aversata atque abominata sit.* [4]) Aliud volumen *Ad Domnum* quoque composuit, qui persecutionis tempore ad Judaeos declinaverat; et alium rursus librum de *Evangelio*, quod sub nomine *Petri* fertur, misit ad Rhossensem in Cilicia Ecclesiam, quae in haeresin ejus lectione diverterat. [5]) Hujus libri s. epistolae insigne nobis fragmentum extat ab *Eusebio* in Hist. eccl. VI, 12 conservatum, ex quo erudimur, antiquissimam Ecclesiam ad definiendum S. Scripturae canonem apostolica potissimum *traditione* fuisse usam. *Nos enim, fratres*, inquit, *et Petrum et reliquos Apostolos perinde ac Christum ipsum suscipimus. Sed quae nomen illorum falso praeferunt inscriptum, ea nos, utpote gnari et periti, repudiamus; quippe qui compertum habeamus, ea nos a majoribus minime accepisse.* Porro Serapionis *multa alia* doctrinae monumenta extitisse olim, *Eusebius* l. l. innuit, et *D. Hieronymus* l. l. diserte testatur, breves quasdam ab eodem fuisse exaratas *litteras, quae vitae illius moribus et studiis asceticis congruebant.* Sed earum nihil ad nos pervenit.

3. S. Pantaenus.

§. 249. *S. Pantaenus*, patria verosimilius *Siculus* [1]), *vir doctrinae causa celeberrimus* [2]), et sectae potissimum *Stoicae addictus* [3]), *a viro apostolico* in chri-

3) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. V. c. 19. ed. *Zimmerm.* T. I. p. 358.

4) *Euseb.* et *Hieron.* ll. ll.

5) *Euseb.* H. E. Lib. VI. c. 12. nr. 1, p. 408; *S. Hieron.* l. l.

1) „*Apis Sicula, prophetici et apostolici prati flores decerpens*", *Clem. Alex.* in Strom. Lib. I. c. 1, ed. *Potteri* T. I. p. 322.

2) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. V. c. 10 princ., ed. laud. T. I. p. 334.

3) *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 36, in Ej. Opp. omn. ed. *Maur.* T. IV. P. II. col. 112; *Idem* in Epist. ad Magnum (Ep. LXXXIII) col. 656.

stiana religione institutus est [4]); *tantumque animi ardorem erga verbum Dei ostendisse perhibetur, ut Orientis nationibus Evangelii Christi praedicator extiterit, ad ipsam usque Indiam progressus.* [5]) Hic tantus vir (ut cum Clemente Alexandrino ejus discipulo loquar) *brevi super candelabrum positus est, ut luceat omnibus, qui accepti fuerint convivio.* [6]) Et postquam *multa praeclare fecerat, Alexandrinae praefuit scholae, ubi partim viva voce partim scriptis divinorum dogmatum thesauros exposuit.* [7]) *Tantae* autem *eruditionis ac prudentiae tam in Scripturis divinis quam in seculari literatura fuit, ut*, quod supra diximus, *in Indiam quoque, rogatus ab illius gentis legatis, a Demetrio Alexandrino Episcopo mitteretur, . . . ut Christum apud Brachmannas et illius gentis philosophos praedicaret.* [8]) Deinde Alexaneriam reversus scholae in ea civitate jam inde a priscis temporibus institutae rursus praefuit usque ad annum circiter 212, quando *praeclaram et nobilem vitam beato fine conclusit.* [9]) Hujus viri *multi quidem in Scripturam Commentarii* tempore Hieronymi extabant [10]); sed hi fere penitus perierunt, exceptis paucis *fragmentulis* a *Petr. Halloixio* collectis. [11])

4. S. Narcissus Hierosolymorum Episcopus.

§. **250.** *Eodem tempore*, quo Pantaenus et Serapion, etiam *Narcissus Hierosolymorum Episcopus flo-*

---

4) *Photii* Bibl. Cod. CVIII.

5) *Euseb.* l. l. nr. 1, p. 335. — Hac voce probabilius viciniores Indi i. e. *Aethiopes* innuuntur; Aethiopiam enim Antiqui saepenumero Indiae nomine designant.

6) *Clem. Alex.* Strom. Lib. I, in Ej. Opp. ed. laud. T. I. p. 323.

7) *Euseb.* l. l. nr. 2, p. ead.

8) *S. Hieron.* l. l.

9) *Rufinus* in Hist. Eccl. Lib. V. c. 10.

10) S. *Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. l. l.

11) *Halloixii* Vitae et Documentt. illustrium Ecclesiae Orientt. Scriptt. (Duaci 1633. II. f.) p. 851.

ruit, cujus sedis continuo quidem ab Apostolis ordine *tricesimum*, post obsessionem autem illam Judaeorum, quae Hadriano regnante facta est, *quintumdecimum* locum obtinuerat. Post *Marcum* enim, qui primus e gentibus ibi sedebat, deinceps successerunt *Cassianus*, *Publius*, *Maximus*, *Julianus I.*, *Cajus I.*, *Symmachus*, *Cajus II.*, *Julianus II.*, *Capito*, *Valens*, *Dolichianus*, postremo *Narcissus.* [1]) De hoc Narcisso *multa ac splendida commemorabant civitatis illius incolae, a fidelibus continua successione velut per manus sibi tradita.* [2]) Narrat item Eusebius, Narcissum a nonnullis improbis gravissimo aliquo facinore accusatum, licet nemo fidelium criminationibus fidem praestitisset, tamen sponte episcopatu se abdicasse, et multos annos in solitudine delituisse. Et Dei vindicta quidem confestim secuta est impios et perjuros accusatores. Narcisso autem ultra non apparente *Dius* primum, deinde *Germanio*, tum *Gordius* in sedem episcopalem suffecti sunt. At subito quasi redivivus emersit Narcissus, et rogatus a fratribus, quippe qui multo magis tunc eum mirabantur, ecclesiam denuo recepit, sed ob extremam senectutem (annos enim *centum sedecim* attigerat) *Alexandrum* Episcopum in Cappadocia (§. 404.) sibi *successorem* ex revelatione quadam, quae illi in somnis apparuerat, assumsit. [3]) Hoc *primum* habetur exemplum dati viventi Episcopo *Coadjutoris ac Successoris*, primum item exemplum *translati ex alia in aliam sedem* Episcopi. — Narcissus, siquidem aliud nihil scripserit, tamen communicatorias *de celebrando Paschate literas* dedisse videtur. Testante enim *Eusebio* suis etiamnum temporibus extabat *epistola sacerdotum, qui tunc in Palaestina congregati sunt, quibus praesidebant Theophilus Caesareae Palaestinae et Narcissus Hierosolymorum Episcopus.* [4]) Hodiedum vero nihil omnino reliquum.

---

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. V. c. 12. ed. cit. T. I. p. 337.
2) *Idem* ibid. Lib. VI. c. 9 nr. 1 init., p. 402.
3) *Idem* ibid. c. 9 nr. 2. 3, c. 10, c. 11 princ., p. 403—406.
4) *Idem* ibid. Lib. V. c. 23. nr. 2., p. 365.

XVI.

Acta SS. Martyrum secundo seculo scripta genuina.

A.

Philonis et Agathopodis Acta martyrii S. Ignatii.

1. Eorum genuinitas et editiones.

§. **251.** Extant hodiedum *Acta martyrii S. Ignatii Antiocheni* (§. 44.) in *duplici* recensione, et altera quidem *interpolata*, quam *Simeon Metaphrastes* graece conscripsit, et Gentianus Hervetus postmodo latine reddidit [1]); altera vero *genuina*, quae, utpote ab ipsis *Philone* et *Agathopode* Diaconis S. Ignatium Romam ad supplicium comitantibus exarata, maximam fidem prae se fert. Impugnavit quidem *Cas. Oudinus* [2]) horum quoque Actorum genuinitatem; sed ejus sententiam, quam *Chph. A. Heumannus* et *Sam. Basnagius* levissimis conjecturis ducti instaurarunt, funditus evertit vir eruditissimus *Mamachius.* [3]) Non majoris momenti sunt ea, quae *Grabius* [4]) profert, argumenta, quibus *postremam* partem Actorum ab interpolatore quodam assutam docet. Videsis eorum refutationem, quam *Lumperus* [5]) suscepit. *Genuina* haec Acta martyrii primum *latine tantum* e duabus manuscrip-

1) Exhibetur in Actt. SS. m. Febr. T. I. p. 24 sq; item in *Cotelerii* Opp. PP. apostol. ed. *Clerici* (Antverp. 1698. II. f.) T. II. p. 161. 169. — Alia quoque a *Bollando* (ad 1. Febr.) edita sunt *S. Ignatii Acta martyrii*, quae ipse quidem genuina esse opinatus est. Verum, licet vetusta sint, pluris tamen non sunt facienda.

2) *Diss. de vita et epistt. Ignatii*, in Ej. Comment. de Scriptt. eccl. T. I. p. 103.

3) *Theod. Mar. Mamachii, Ord. Praedicatt. Monachi et Cardinalis*, Origines et antiquitt. eccl. christ. (Rom. 1749—1755. VI.) T. IV. p. 401. 404.

4) in Ej. Specileg. PP. T. II. p. 22.

5) in Ej. Hist. theol. crit. T. II. p. 430—433.

tis versionibus a *Jac. Ussero* descripta prodierunt [6]); deinde etiam a *Theodorico Ruinarto* Maurino graece e Colbertina bibliotheca eruta et unacum versione ista latina in *Ruinarti Actis primorum martyrum sinceris* (Amstelod. 1713. f.) p. 14 sq., et post *Grabium*, *Smithium*, alios deinceps ab *Jo. Clerico* [7]) edita sunt.

2. Martyrii Synopsis.

§. 252. In mediis tempestatibus, quas *Domitianus* in Ecclesiam excitaverat, eam incolumen praestitit, fluctuum impetus modo precibus atque jejunio, modo orationis vi atque doctrinae puritate retundens. Restituta deinde Ecclesiae tranquillitate Ignatius gratias quidem Deo pro pace agebat, simul autem martyrii coronam sibi non contigisse conquerebatur, certum ducens cruenta tantum morte se dignum effici posse consortio Dei. Neque diu voto suo frustratus est. Etenim *Trajanus* victoria de Dacis et Scythis relata intumescens nihil gloriae suae deesse arbitrabatur, nisi ut Christianos quoque ad Deorum suorum cultum compelleret. Tali erga eos animo affectus Roma discessit, celerique cursu, ut Parthis bellum inferret, in Armeniam contendens *Antiochiam* pervenit ao. Chr. 107 Januario mense. Tunc *Ignatius* de populi sui salute sollicitus se coram Trajano sisti minime detrectavit. Imperator autem sic eum allocutus est: *Tune es, qui cacodaemonis instar nostra jussa ludificaris, atque aliis, ut sese perdant, persuades?* Ignatius: *Nullus unquam Theophorum cacodaemonem vocavit. Si autem, quoniam iis gravis sum, malum me adversus daemonem vocas, tantum abest, quin id diffitear, ut gloriae potius mihi ducam.* Trajanus: *Et quis est Theophorus ille?* Ignatius: *Qui Christum habet in pectore.* Trajanus: *An stultum tibi videtur esse, habere Deos, qui nobiscum pugnant adversus hostes?* Ignatius: *Erras,*

---

6) in Ejusd. Append. Ignatiana, Lond. 1647. 4.

7) in *Cotelerii* Opp. SS. PP. apostol. (edit. nov. Amstelod. 1724. II. f.) T. II. p. 157 sqq.

si deos vocas gentilium daemones. Unus enim est Deus, qui coelum fecit et terram et mare, et cuncta, quae sunt in iis; et unus Jesus Christus unigenitus filius ejus, cujus regno utinam fruar. Trajanus: *Eum dicis, qui sub Pontio Pilato crucifixus est?* Ignatius: *Eum, qui peccatum meum unacum inventore crucifixit, et omnem daemonicam seductionem et malitiam subjecit iis, quid in pectore eum gerunt.* Trajanus: *Crucifixum ergo in pectore habes?* Ignatius: *Utique, scriptum est enim: Quoniam inhabitabo in iis, et inambulabo inter illos.* Trajanus accuratis et efficacibus Ignatii responsionibus ictus eum *damnavit, ut* Romam vinctus deduceretur, ibique pro populi spectaculo *bestiis objiceretur.* Qua sententia accepta Ignatius Deo gratias egit et cum gaudio membra sua vinculis objiciens, Ecclesiamque suam Deo commendans preces cum lacrimis ad eum fudit. *Antiochia Seleuciam* venit, ubi navem conscendit. Diu autem noctuque, terra marique a militibus servabatur. Post longam et periculosam navigationem *Smyrnam* pervenit, ubi ex colloquio cum *S. Polycarpo* ingentem voluptatem percepit. Plurium quoque *Asiae ecclesiarum* salutationes ibidem accepit, quae Episcopos, Presbyteros, Diaconos ad eum legaverant. Smyrna *Troadem* venit, atque inde *Neapolim* adductus *Philippos* pertransiens Macedoniam totam peragravit. *Epidamni* vero navem conscendens . . . tandem ad Romanorum portum pervenit . . Ejus autem adventus fama, quacunque iter faciebat, eum praecedebat. At cum cognovisset, fratres, qui Romae erant, martyrium suum velle impedire, eos adjuravit, *ne sibi tantam felicitatem ad Deum migrandi inviderent.* Nimia igitur illorum amoris plus justo humani anxietate sedata, et fidelibus omnibus qui aderant humi procentibus cum ipsis oravit, petiitque a Christo, *ut sublata persecutione et Ecclesiae pace restituta mutuum amorem in fidelium cordibus foveret, quo universos carnis et mundi impetus sustinere valerent.* Tum Ignatius a custodiis cum festinatione in amphitheatrum subductus est, ubi ad Caesaris mandata bestiis objiciendus

erat. Agebatur autem tunc una e sacris gentilium diebus, quos festa *sigillaria* vocabant. Urbs universa ad amphitheatrum convenerat, avideque S. Martyris sanguine saturata est. Is enim *duobus leonibus objectus*, sicut optaverat, *illico devoratus fuit solis durioribus relictis ossibus*, quae collecta *Antiochiam pretiosi instar thesauri deportata* sunt. Factum est hoc 13 *Calend. Januarias* i. e. 20 *Decembris* (anni 107, sive 116, uti supra §. 44. n. 6. 7. observavimus). Sub finem autem Actorum legitur: *Manifestavimus igitur vobis diem et horam, ut tempore ejus martyrii convenientes athletae et generoso Christi martyri communicemus, qui diabolum conculcavit, et pii desiderii sui cursum perfecit in Christo Jesu Domino nostro.*

B.

De S. Symphorosae et septem filiorum ejus martyrio.

1. Actorum sinceritas et editiones.

§. 253. *Acta S. Symphorosae et filiorum martyrum* a *Julio Africano* celeberrimi seculi tertii scriptore exarata esse, Codices quidem Mss. praeseferunt; sed unde hanc sibi sententiam conjecerint, plane ignoratur hodie. Quapropter ego quidem an revera huic sint auctori tribuenda, non ausim dicere. De *veritate* autem historiae et *sinceritate* hujus antiquissimi monumenti nequaquam dubitandum est. Non enim solum in *BB. Adonis, Usuardi, Rabani, Notkeri et Ecclesiae Romanae Martyrologiis* memoria illorum Sanctorum celebratur, sed etiam ipsa acta, ut hodie circumferuntur, a *Baronio, Ruinarto, Claudio Fleurio, Tillemontio*, ceteris doctissimis viris pro sinceris habita, et novissime a *Lumpero, Gallandio, Moehlero* commendata sunt. Neque *interior* eorum conditio ea est, ut interpolationis aut falsitatis suspicionem movere jure possit. Stylus gravis, concinnus, simplex. — Acta haec, jam a *Laur. Surio* Carthusiano et *Bonino Mombri-*

tia in Collectionibus suis edita, *Theod. Ruinartus* deinde cum duobus Mss. Codd. Colbertinis et uno ex Sorbonna collatis in suis *Actt. primorum Martyrum sinceris* evulgavit, et *Bollandistae* adhibitis insuper duobus Mss. Trevirensibus in suis *Actt. SS.* m. Julii, T. IV. p. 358 sq. recudi jusserunt. Habentur illa etiam in *Gallandii Bibliotheca vett. SS. PP.* T. I.

2. Compendium martyrii.

§. 254. Anno 120, ut *Ruinartus* conjicit [1]), aut biennio post *Hadrianus* imperator in villa *Tiburtina* palatium sibi ad delicias struxit, et nescio quibus piacularibus ceremoniis lustrari jussit. Hanc igitur occasionem arripuere sacerdotes Symphorosam incusandi, *nihil omnino diis placiturum* dicentes, *nisi prius Symphorosa aut iis sacrificaret, aut ipsa sacrificaretur.* Jubet itaque Hadrianus matrem cum filiis prehendi, et suavi sermone alloquens eam hortatur, *ut diis sacrificaret.* Ad haec Symphorosa: *Vir meus Getulius cum fratre suo Amantio, tribuni tui cum essent, pro Christi nomine passi sunt diversa supplicia, ne idolis consentirent ad imolandum, et quasi bonae athletae daemones tuos moriendo vicerunt. Elegerunt enim potius decollari, quam vinci; passi mortem, quae pro nomine Christi inter homines terrenos quidem ignominiam eis peperit temporalem, inter Angelos vero decus et gloriam sempiternam, inter quos nunc gradientes et trophaea passionum suarum dantes cum aeterno rege vita aeterna fruuntur in coelis.* Hadrianus: *Aut diis omnipotentibus nunc sacrificabis, aut ipsa sacrificaberis cum filiis tuis.* Symphorosa: *Hoc unde mihi bonum contingit, ut digna inveniar, quae Dei victima cadam cum filiis meis?* Hadrianus: *Atvero meis imolaberis diis.* Symphorosa: *Minime, dii tui me in sacrificium accipere non possunt; sed si pro nomine Christi Dei mei incensa fuero, illos daemones tuos magis exuro . . .* Tunc imperator eam ad templum Herculis abduci et colaphis caedi

1) Ruinart. Actt. primm. Martt. sincc. ex ed. Westenii, p. 23.

jussit, crinibusque suspendi. Haec aliaque sine metu experta, cum a proposito abduci nullo modo potuisset, denique jussu Caesaris ingenti ad collum alligato saxo *in flumen praecipitatur*. *Eugenius* frater ejus, qui in consilio Tiburtinae urbis praesidium tenuit, corpus sustulit et in confinibus ejus urbis sepelivit. Postero autem die Hadrianus simul omnes *septem filios Symphorosae* advocans, cum ad sacrificandum idolis eos incitaret, sed nullo pacto suis minis atque terroribus cedere videret, jussit eos *ad stipites alligari, et alium alia corporis parte perforari.* Altero die Hadrianus mandavit corpora eorum auferri, et projici in foveam altam; et imposuerunt pontifices nomen loco illi „*ad septem* (fratres) *Biothanatos*". [2]) Post haec quievit persecutio anno uno et mensibus sex, in quo spatio omnium martyrum honorata sunt sancta corpora, et constructis tumulis condita cum omni diligentia, quorum nomina descripta sunt in libro vitae. *Natalis* vero SS. Martyrum Symphorosae et filiorum ejus *(Crescentis, Juliani, Nemesii, Primitivi, Justini, Stractei, Eugenii)* celebratur die 15 Calend. Augusti *(*18. *Jul.)*. Eorum corpora requiescunt in *via Tiburtina* milliario ab urbe octavo.

C.

Hegesippi Historiarum fragmenta de martyriis SS. Jacobi Apostoli et Simeonis Hierosolymorum Epp.

§. 255. *Hegesippus*, ut supra (§. 165.) diximus, verissimam Apostolicae praedicationis historiam seu *memorabilia ecclesiastica* a Christi passione usque ad sua tempora quinque libris simplici admodum sermone conscriptis exaravit. Ex hisce libris dudum deperditis *Eusebius* quinque nobis fragmenta servavit, quorum primum

2) i. e. *violenta morte peremtos*, ut Baronius monet. — *Lampridius* in Vita Heliogabli p. 112, et *Tertull.* in Lib. de anima c. 57 hanc vocem eodem sensu accipiunt.

historiam mortis *S. Jacobi fratris Domini*, tertium autem pauca de martyrio *S. Symeonis* exhibet. Quamquam igitur non sunt *peculiares* libri, quibus haec acta continentur, tamen ob rei, quae narratur, gravitatem et eximiam dicendi simplicitatem non praetermittenda putavimus. Et fragmenta haec *vere* Hegesippum habere auctorem, nemo est qui unquam dubitaverit. Neque enim solus *Eusebius* testis est, sed et *Hieronymus*, *Epiphanius*, alii recentiores SS. Patres veritatem rei narratae uno ore confirmant. Ea vero, quam *Jos. Scaliger* in suis annotationibus ad Eusebium adverterat, quod Hegesippus res nonnullas parum certas et sibi invicem contrarias attulisset, dudum jam explosa criminatio est, quam *Petavius*, *Halloixius* aliique viri eruditissimi satis superque refutarunt. — Scripsit autem Hegesippus, cui haec acta debemus, *anno c.* 160.

1. Acta Martyrii S. Jacobi Apostoli, fratris Domini.

§. 256. „Ecclesiae administrationem unacum Apostolis suscepit *Jacobus*, *frater Domini*, qui jam inde a Christi temporibus ad nostram usque aetatem *Justus* cognominatus est. Nam multi quidem eodem nomine Jacobi vocabantur. Sed hic ab ipso matris utero *sanctus* fuit. Nec vinum unquam bibit nec siceram, ab animantium carnibus penitus abstinuit [1]); comam nunquam totondit, neque ungi neque lavare balneo corpus unquam solitus. Unus ex omnibus in *templi sanctuarium* ingrediendi jus habebat. [2]) Neque enim lanicio, sed linea tantum veste

1) Hoc de S. Jacobi *solita vitae ratione* dictum esse ab Hegesippo, quilibet me non monente videt. Frustra igitur Scaliger ad hunc locum observat, Jacobum cum Christo Domino et reliquis Apostolis *paschalem agnum* manducasse. Utique, id enim de praecepto *legis* erat.

2) Rursus male heic advertit Scaligerus, memini nisi *soli Summo Pontifici* Judaeorum licuisse *semel quotannis* intrare Sancta Sanctorum s. *intimum templi sacrarium*. Haegesippus enim ex Eusebii relatione *Ἅγιον* s. simpliciter *Sanctum* habet, interiorem templi partem

utebatur. In templum solus intrare, atque ibi genibus flexis pro peccatis populi supplex Deum orare consueverat; adeo ut genua ipsius instar cameli occalluerint, dum assidue Deum venerans et pro salute populi vota faciens humi sterneretur. Hic ergo ob singularem justitiam cognominatus est *Justus* et *Oblias*, quod latine munimentum populi et justitiam significat, quemadmodum etiam prophetae de eo praedixerunt. Quidam autem ex septem sectis, quae apud Judaeos erant [3]), interrogarunt eum, *quodnam esset ostium Jesu*; quibus ille *Jesum esse Servatorem* respondit. His auditis nonnulli eorum Jesum revera Christum esse crediderunt ... Cum ergo multi ex ipsis etiam *primoribus* crederent, tumultuari coeperunt Judaei et Scribae ac Pharisaei, *eo jam ventum* esse clamantes, *ut quasi omnis populus Jesum quasi Christum exspectaret.* Proinde in unum congregati Jacobum adeunt, hisque eum verbis compellant: *Hortamur te*, inquiunt, *ut populi errorem comprimas, qui falsam de Jesu opinionem imbibit, perinde quasi Christus esset. Persuade igitur omnibus, qui festo Paschae die huc conveniunt, ut de Jesu recte sentiant. Tibi enim omnes fidem habemus, et cum universo populo hoc tibi testimonium perhibemus, justissimum te virum esse, nec ullum apud te personarum discrimen valere. Proinde plebi persuade, ne circa Jesum deinceps aberret. Nam et universus populus et nos libenter tibi obtemperamus. Ascende igitur in fastigium templi, ut in sublimi loco positus ab omnibus conspici et exaudiri facile possis.* Nam paschalis solemnitatis gratia cunctae Judaeorum tribus et ex gentibus non pauci huc convenerunt. Post haec supra dicti Scribae et Pharisaei, cum Jacobum in fastigio templi col-

---

significans, ubi *Sacerdotes quotidie* ministerio suo fungebantur. Et huc accedere Jacobo, licet non esset de sacerdotali genere, ob singularem ejus *sanctitatem* concessum fuit.

3) Erant autem hi quidem „*Essaei*, *Galilaei*, *Hemerobaptistae*, *Masbothaei*, *Samaritae*, *Sadducaei*, *Pharisaei*.“ *Hegesippus* apud *Euseb.* H. E. Lib. IV. c. 22. nr. 3. ed. Zimmerm. T. I. p. 273.

locassent, contenta voce sic eum alloqui coeperunt: *O Juste, cui nos omnes fidem adhibere par est, quando quidem populus omnis errat, Jesum sectans crucifixum; doce nos, quod sit ostium Jesu suffixi cruci.* Tunc Jacobus edita voce iis respondit: *Quid me*, inquit, *interrogatis de Jesu filio hominis? Ipse sedet in coelo a dextris summae Virtutis, et venturus est in nubibus coeli.* Cumque multi hoc Jacobi testimonio confirmati glorificarent Jesum dicentes: *Hosanna filio David!* tunc iidem Scribae ac Pharisaei inter se collocuti: *Male*, inquiunt, *fecimus, qui tanto testimonio Jesum ornaverimus. Verum ascendamus, eumque praecipitem dejiciamus, ut ceteri conterriti fidem illi habere desinant.* Conclamare deinde coeperunt ac dicere: *O, o, ipse etiam Justus erravit!* . . . Mox ergo conscendentes, eum praecipitem egerunt. Et quoniam praecipitatus non statim mortem obierat, sed conversus flexis genibus orabat dicens: *Domine et Deus Pater, rogo ut ignoscas illis, quia nesciunt quid faciunt;* illi inter se dixerunt: *Lapidemus Jacobum Justum!* Coeperunt igitur lapidibus eum impetere. Cumque hominem saxis obruerent, unus e sacerdotibus, ex filiis Rechab filii Rechabim [4]), qui Hieremiae suffragio commendati sunt, contenta voce: *Parcite*, inquit, *quid facitis? Justus orat pro vobis.* Interim unus ex iis fullo arrepto fuste, quo vestes exprimere solebat, caput Justi percussit. Atque ita martyrio vitam finiit (ao. 62.). Sepultus est eodem in loco, manetque adhuc cippus illius prope templum. Hic Jacobus tum Judaeis tum Graecis locuples fuit testis, *Jesum vere Christum* fuisse. Nec multo post obsidio Vespasiani et Judaeorum captivitas subsecuta est.“ Haec *Hegesippus* apud Eusebium. [5])

---

4) quem *Epiphanius* Haeres. LXXVIII *Simeonem Cleopae filium* appellat.

5) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. II. c. 23, nr. 3—8, ed. *Zimmerm.* T. I. p. 118—122.

2. Acta martyrii S. Symeonis Hierosolymorum Episcopi.

§. 257. *S. Jacobo* Alphaei filio, cognomento Justo in Ecclesia Hierosolymitana successit *Symeon Cleopae filius, agnatus Domini.* Is sub imperio Trajano ab haereticis quibusdam (Judaeis), eoquod Christianus esset, accusatus, variisque tormentorum generibus per plures dies excruciatus est. Hujus rei testis est *Hegesippus*, cujus mentionem facit Eusebius, ipsius scriptoris verba adducens: *Ex eorum*, inquit Hegesippus, *haereticorum numero quidam Symeonem, Cleopae filium, detulerunt, quod ex stirpe Davidis oriundus et Christianus esset. Atque ita Symeon martyrium subiit, sub imperio Trajani Augusti, Attico consulari Legato Syriam administrante* [1]) . . . *In jus vocatus, et per multos dies acerbissimis tormentis cruciatus, fidem Christi constantissime professus est, adeo, ut et Consularis ipse, et omnes qui aderant, magnopere mirarentur, qua ratione vir* senio confectus (erat enim *centum et viginti annos natus) tot tormenta perferre potuisset. Tandem vero sententia judicis cruci affixus est* [2]) ao. c. 104.

D.

De martyrio S. Felicitatis ejusque filiorum.

1. Actorum sinceritas et editiones.

§. 258. *Causa* martyrii *S. Felicitati* eadem paene fuit ac *S. Symphorosae;* praeterea utriusque *nominis* fere eadem significatio, utraque porro *septem filiorum* parens, utraque denique *cum septem filiis* passa est. Quo factum, ut nonnullis Felicitas martyr esse *eadem* ac S. Symphorosa videretur. Verum circumstantiae in utraque *longe aliter* notantur; *patria* enim utriusque designatur diversa; diversus *imperator*, sub quo passae sunt; diversa *suppli-*

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. III. c. 32. nr. 2, p. 197.
2) ibid. nr. 3, p. 198.

cii tormenta; diversa utriusque matris filiorum *nomina* etc. *Quis* autem Felicitatis acta, et *quo anno* exaraverit, non liquet. Licet tamen conjicere, ea fuisse scripta non ita multo postquam dicti martyres coronati sunt, ac perinde *post medium seculum secundum*. *Petrus Chrysologus* eosdem in Sermone CXXXIV egregiis ita laudibus honerat, ut acta nostra prae oculis habuisse videatur. *S. Gregorius M.* diserte [1]) profitetur, se praeclara, quae contexuit ipse, elogia Felicitatis ex gestis emendatioribus imitatum esse. [2]) *Ado* autem *Viennensis* eadem acta verbotenus extraxit, prout *Gallandius* ostendit. Sane pro *genuinis* illa item suspexerunt VV. DD. *Baronius, Ruinartus, Prudentius Maranus, Ceillierus,* et aevo recentiore *Lumperus, Wiestius, Gallandius, Moehlerus. Tillemontius* quidem observat, non omnes in illis relucere characteres actorum originalium; *quid* autem desideret, non edisserit. — *Edita* sunt haec Acta in *Laur. Surii Vitt. SS. Orient. et Occid.* T. IV. ad 10. Jul.; in *Ferd. Ughelli Italia sacra* (Rom. 1644. IX. f.); in *Theod. Ruinarti Actt. prim. Mart. sinceris* (ed. II. Amstelod. 1713. f.) p. 26 sq., in *Bollandi* etc. *Actt. SS.* m. Jul. T. III. p. 12 sq.; novissime in *Andr. Gallandii Biblioth. vett. SS. PP.* T. I.

2. Actorum summa.

§. 259. Erat mulier quaedam, nomine *Felicitas*, quae pepererat septem filios, *Januarium*, *Felicem*, *Philippum*, *Sylvanum*, *Alexandrum*, *Vitalem et Martialem.* Mortuo autem marito in viduitate permanens Deo suam foverat castitatem, et die noctuque orationibus vacans magnam de se aedificationem castis mentibus dabat. Videntes autem Pontifices praeconia per hanc christiani nominis

---

1) in Homil. III in Evangg. c. 3, in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. I. col. 1444 sq.

2) Unde *Ceillierus* conjicit, tum temporis jam extitisse *alia* acta et ea quidem *minus castigata.*

proficere, suggesserunt de ea Antonino imperatori dicentes: *Contra salutem vestram mulier haec vidua cum filiis suis diis nostris insultat, quae si non venerata fuerit Deos, sciat pietas vestra, Deos sic nostros irasci, ut penitus placari non possint.* Tunc imperator injunxit Praefecto urbis *Publio*, ut eam compelleret cum filiis suis, Deorum suorum iras sacrificiis mitigare. Is jussit eam privatim adduci, et blando colloquio ad sacrificium eam provocans minatur poenarum interitum. Cui Felicitas: *Nec blandimentis tuis resolvi potero, nec terroribus frangi . . .* Publius: *Misera, si tibi suave est mori, vel filios tuos fac vivere.* Felicitas: *Vivent filii mei, si non sacrificarint idolis; si vero hoc tantum scelus admiserint, in aeternum ibunt interitum.* Postero die Publius sedens in foro Martis jussit eam adduci cum filiis suis, et dixit illi: *Miserere filius tuis, flore primae juventutis florentibus.* Respondens autem Felicitas: *Tua*, inquit, *misericordia impietas est, et exhortatio tua crudelitas.* Et ad filios conversa dixit: *Videte, filii, coelum, et sursum aspicite; ibi vos exspectat Christus cum Sanctis suis.* Audiens haec Praefectus jussit eam alapis caedi, quod auderet se praesente illa monita dare. Tunc vocat filios alterum post alterum, blande alloquens unumquemque eorum. Cum autem omnes in fide perseverarent, Antoninus his rebus nuntiatis misit eos per varios judices, ut *variis suppliciis* lanirentur. Facti sunt autem universi *victores et martyres Christi*, qui cum matre triumphantes *ad aeterna praemia avolarunt in coelum*; ao. Domni circ. 164.

E.

Ecclesiae Smyrnensis de martyrio S. Polycarpi et aliorum Epistola encyclica.

1. De epistolae genuinitate variisque editionibus.

§. **260.** *Ego nihil omnino*, ait vir clarus Scaligerus, *in historiis ecclesiasticis vidi, quo lecto commotior recedam,*

ut non amplius meus esse videar. Et profecto praeclarissimum hoc est ecclesiasticae antiquitatis monumentum, cujus lectione animus ita afficitur, ut nunquam satur inde discedat. De *genuinitate* ejus adeo firmum stat judicium doctorum virorum, ut eam nemo unquam, quantum scio, infitias ierit, nisi forte cuiquam incredibile nimis videatur, e corpore S. Martyris confosso, ut acta narrant, „*Columbam*“ et tantam vim sanguinis esse egressam, ut ignem extingueret. Recedat dubitator iste, si satius duxerit, ab unanimi codicum hodie extantium consensu, et *Moynii, Tentzelii, Schmidii, Ceillieri*, aliorumque conjecturam amplectatur, qui pro *περιστερά (columba)* legendum esse monent *ἐπ' ἀριστερᾷ* i. e. *ex sinistro latere* effluxisse tantam sanguinis copiam [1]); provocantes praesertim ad *Eusebii* auctoritatem, qui, cum totam prope epistolam exscriberet, hoc loco id tantum habet: *Quo facto tanta vis sanguis effluxit, ut ignis prorsus extingueretur.* [2]) Epistolam *ao. circiter* 168 (si quidem S. Martyr ao. 167 obiisse dicitur) exaratam esse, ex eo patet, quoniam *Smyrnenses* ad preces *Philomeliensis Ecclesiae*, ut cuncta, quae in beatissimi viri passione gesta essent, singilatim nuntiarent, literas hasce fusius expositas dederunt. Ceterum jam *Irenaeum* hujus epistolae exemplo usum fuisse, ab *Ussero* monemur ex notatione quadam, quam vir doctissimus in Mss. codicibus ad epistolae calcem deprehendit. *Eusebius* autem, ut modo diximus, illam paene totam (adeo enim praeclara est) historiae suae inserendam necessario existimavit. [3]) — *Integra* graece et latine legitur (ut reliquas editiones taceam) in *Jac. Usseri Epistolis SS. Ignatii et Polycarpi*, Londin. 1643. 4; nec non in *J. B. Cotelerii Opp. SS. PP. apostolicorum* edit. I. per *Jo. Clericum* (Antverp. 1698. II. f.) T. II. p. 193—203. Posthaec *Ruinartus* eam gr. et lat., et latinam quidem

---

1) Cf. *Chph. Heumanni* Examen fabulae de Columba e Polycarp. rogo evolante, in *Biblioth. Brem.* Cl. III. p. 429.

2) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. IV. c. 15. nr. 13, ed. laud. T. I. p. 256.

3) *Idem* ibid. c. 15. nr. 1—17, p. 246—256.

vetustissimam, quam Usserus primum evulgaverat, versionem ad duos Mss. Codices exactam, adjectisque et Usseri et Cotelerii animadversionibus, suis inseruit *Actt. prim. Martyrum sinceris.* Postremo *Gallandius* eandem in suam *Bibliothecam vett. PP.* T. I. recepit, secutus potissimum omnium praestantissimam editionem, quam unacum *Epistolis Ignatii et Polycarpi* evulgavit *G. Smithius* Oxonii 1709. 4.

2. Epistolae succincta narratio.

§. 261. Sit mihi venia, brevitatis gratia *Eusebianum* potissimum hujus epistolae compendium referendi. Antequam, ait, Polycarpi martyrium narrare aggrediuntur Smyrnenses, ea prius commemorant, quae ad reliquos martyres spectabant, et quantam animi constantiam in doloribus perferendis ostenderint, perscribunt . . . Praecipue vero enituisse dicunt generosissimum *Germanicum*, qui divina adjutus gratia mortis metum corpori a natura insitum superavit. Nam cum Proconsul verbis eum flectere vellet, admonensque illum aetatis oraret, ut memor adolescentiae suae sibi ipse parceret, ille nihil cunctatus ultro in se attraxisse bestiam dicitur, propemodum eam adigens ac stimulans, quo ab hoc impio injustoque seculo velocius abscederet. Porro post illustrem hujus interitum universa multitudo, tum divini martyris fortitudinem tum totius Christianorum generis virtutem magnopere admirata, repente acclamare coepit: *Tolle impios! Polycarpus inquiratur!* Secuto dehinc post hujusmodi acclamationes gravissimo motu, *Quintus* quidam natione Phryx, qui nuper ex Phrygia advenerat, cum feras et quae praeterea intentabantur tormenta vidisset, fracto animo expavit, tandemque vitae retinendae studio cessit. Hic Quintus, ut in eadem epistola docetur, temeritate quadam ac levitate ductus, non cum pio ac religioso metu, una cum aliquot aliis ad tribunal prosiluerat. Sed continuo captus, illustre documentum omnibus praebuit, ne praecipiti audacia

sine ullo infirmitatis suae respectu hujusmodi periculis sese objicerent. [1])

§. 262. Admirandus autem ille *Polycarpus* primum quidem, cum haec accepisset, nullatenus commotus est, sed tranquillo serenoque animo perstitit, statueratque ibidem in urbe remanere. Verum obsecrantibus familiaribus hortantibusque, ut se inde subduceret, in eorum sententiam flexus ad agrum quendam civitati proximum secessit. Ibi cum paucis comitibus degens, die noctuque continuis orationibus nec alii praeterea intentus operi perseverabat, vota precesque ad Deum faciens pro pace ac tranquillitate omnium, quae ubique terrarum sunt, ecclesiarum. Id enim ille antea semper factitare consueverat. Triduo autem, antequam comprehenderetur, noctu inter orandum solutus in somnum, videre sibi visus est cervical, quo caput reclinabat, totum repente flamma consumtum. Quam ob causam e somno excitatus statim visum suum adstantibus exposuit; idque, quod sibi eventurum erat, praenuntians familiaribus suis aperte praedixit, *se pro Christo flammis absumptum iri.* Cum autem omni studio ac diligentia incumberent, qui eum pervestigabant, rursus fratrum affectu et caritate compulsus ad aliam villam commigravit. Nec multo post ipsi, qui eum persequebantur, eo devenerunt; correptisque duobus, quos ibi repererant, pueris, quum eorum alterum verberibus cecidissent, perducti sunt ab illo ad diversorium Polycarpi. Ingressique sub vesperam, hominem offendunt in superiore coenaculo quiescentem. Qui quamvis ex eo loco proripere se in aliam domum facile posset, id tamen neglexit dicens: *Fiat voluntas Domini.* Simulatque igitur adesse illos comperit, descendens hilari ac placido vultu homines compellavit, adeo ut illi, qui Polycarpum nequaquam noverant, miraculum quoddam sibi cernere viderentur, pro-

1) „*Propter hoc igitur, fratres, non probamus eos, qui sponte sese offerunt; quando quidem non ita docet Evangelium.*" Epistol. c. 3, in *Actt. SS.* m. Januar. T. II. p. 702.

vectamque illius aetatem et gravitatem constantiamque animi contemplantes, mirarentur tantum studii adhiberi, ut ejusmodi senex comprehenderetur. At ille nihil cunctatus continuo mensam hominibus apponi jubet, deinde eos ad copiosas epulas invitat, unius horae spatium ad orationem sibi concedi postulans. Quod cum ab illis impetrasset, consurgens orare coepit, in tantum divina repletus gratia, ut mirarentur omnes, qui aderant, precantem illum auscultantes, multosque illorum jam poeniteret, quod tam venerabilis ac divinus senex jamjam esset interficiendus. Postquam autem precationis finem fecit, in qua omnium, qui cum ipso unquam versati fuissent, magnorum juxta atque humilium, nobilium et obscurorum, totiusque Ecclesiae catholicae per universum terrarum orbem diffusae mentionem fecerat, cum jam hora adesset proficiscendi, asino eum imponentes in civitatem deduxerunt die magni Sabbati. Pergenti forte fortuna occurrit ei Herodes Irenarcha et pater ejus Nicetes. Qui cum vehiculo suo eum accepissent, assidentes persuadere ei conabantur dicentes: *Quidnam mali est, edissere haec verba „Domine Caesar", et sacrificare, atque ita incolumem evadere?* At ille initio quidem nihil respondit. Instantibus autem ipsis: *Nunquam*, ait, *id faciam quod suadetis.* Tum illi, cum persuadere Polycarpo minime possent, in convicia versi hominem e curru deponunt tanto cum impetu, ut e vehiculo descendens tibiam laederet. Verum ille nihil commotus, perinde ac si nihil mali passus esset, alacri animo properans pergebat ad stadium deducentibus eum satellitibus. Cum vero tantus tumultus esset in stadio, ut pauci exaudire possint, vox quaedam de coelo delapsa ad Polycarpum stadium ingredientem pervenit hujusmodi: *Fortis esto, Polycarpe, et viriliter age!* Et is quidem, qui hanc vocem ediderat, a nemine est visus. Ipsa vero vox a plerisque nostrorum exaudita est. Cumque ad tribunal adductus esset, ingens omnium clamor excitatus est audientium, Polycarpum esse comprehensum. Tum accedentem interrogavit Proconsul, ipsene esset Polycarpus? et, cum ille fa-

teretur, suadere coepit, ut Christum negaret. *Reverere*, inquit, *aetatem tuam*, aliaque his similia adjiciens; *Jura*, inquit, *per genium Caesaris! Resipisce, dic: tolle impios!* Tum Polycarpus gravi ac severo vultu turbam omnem, quae in stadio erat, contuens, manumque in eos extendens, non sine gemitu sublatis in coelum oculis dixit: *Tolle impios.* Cumque instaret Proconsul, diceretque: *Jura, et protinus te dimittam; dic convicia adversus Christum!* Polycarpus respondit: *Sex et octoginta continuos annos ei ministravi, ne ulla me unquam affecit injuria: quomodo possum impie loqui adversus regem meum et auctorem salutis meae?* Urgente rursus Proconsule ac dicente: *Jura per genium Caesaris!* Polycarpus: *Si quidem*, inquit, *ambitiose contendis, ut ego per genium, quem vocas, Caesaris jurem, simulans te ignorare, quis sim; audi libenter profitentem: Christianus sum. Quodsi christiani cultus rationem cupis cognoscere, da mihi diei spatium, et audies.* At Proconsul: *Persuade*, inquit, *populo!* Dixit Polycarpus: *Tibi quidem rationem reddere non me piget. Praeceptum enim nobis est, ut magistratibus et potestatibus a Deo constitutis honorem debitum exhibeamus, qui nobis ipsis nihil noceat.* 2) *Illos vero parum dignos censeo, quibus fidei nostrae rationem reddam.* Tum Proconsul; *Praesto sunt*, inquit, *bestiae, quibus te objecturus sum, nisi sententiam mutaveris.* Polycarpus dixit: *Accerse eas! Neque enim nobis a melioribus ad deteriora mutabilis mens est. Pulchrum quidem atque honestum ducimus, a vitiis ad virtutem transcurrere.* Ad haec Proconsul: *Quando*, inquit, *bestias spernis, faxo ut incendio domeris, nisi sententiam mutes.* Cui Polycarpus: *Ignem minaris*, ait, *qui ad horae spatium ardet, statimque extinguitur. Ignoras scilicet illum futuri judicii aeternaeque damnationis ignem,*

---

2) Inde discimus, quam probe tenuerit S. Martyr evangelium illud praeceptum de *obsequio potestatibus praestando tanquam ministris Dei*, modo nequid postulent, quod *aeternae saluti nostrae* officiat. Ep. c. 9, ibid. p. 703.

qui impiorum supplicio reservatur. [3]) *Sed quid cessas? Profer, quodcunque volueris.* Haec et alia plura cum diceret, fiducia simul et gaudio replebatur, et in vultu ejus gratia quaedam emicabat. Tantumque abfuit, ut iis, quae ipsi dicta erant, territus concideret, quin contra ipse Proconsul attonitus stetit, misitque praeconem, qui in medio stadio ter pronuntiavit: *Polycarpus se Christianum esse professus est.* Quo audito statim universa multitudo Gentilium ac Judaeorum, qui Smyrnam incolebant, incredibili furore et ingenti strepitu acclamavit: Hic est doctor Asiae et pater Christianorum, eversor numinum nostrorum, qui multis praecipit, ne sacrificent, neve deos immortales adorent. Haec dicentes inclamabant, rogabantque Philippum Asiarcham, ut leonem adversus Polycarpum emitteret. At ille negavit, id sibi licere, quippe qui amphitheatrale spectaculum jam edidisset. Tunc omnes uno consensu acclamarunt, ut Polycarpus vivus combureretur. Necesse enim erat, ut visio illa, quam in cervicali viderat, impleretur, tunc cum inter orandum illo ardere viso ad fratres, qui ipsum comitabantur, conversus prophetico spiritu dixit: *Vivum me comburi oportet.* Ceterum haec non citius a populo dicta, quam facta sunt; cunctis ligna et sarmenta partim ex officinis partim ex balneis incredibili celeritate comportantibus, praecipue vero Judaeis alacri animo, ut solent, operam suam in id conferentibus. Exstructo igitur rogo Polycarpus omni veste deposita ac soluto cingulo calceos etiam sibi ipse detrahere tentabat, quod quidem antea facere minime consueverat; quippe cum singuli fidelium quotidie inter se ambitiose certarent, quisnam prior corporis ipsius cutem contingeret. Semper enim, etiam ante canitiem, ob sanctioris vitae honestatem ab omnibus cultus fuerat. Mox circumjecta sunt ei instrumenta, quae ad feralem rogum apparata fuerant. Cumque eum etiam clavis affigere vellent; *Sinite me*, inquit, *qui enim mihi vires dat ad ignis supplicium*

3) Epist. c. 9, ibid. p. 703. „*Ignem aeternum neque unquam extinguendum*" c. 2, p. 702.

fortiter sustinendum, idem dabit, ut immotus rogo insistam. Proinde omissis clavis vinculis duntaxat eum adstrinxerunt. Ille igitur manus post tergum connectens, et ad palum revinctus, tanquam aries quidam eximius e magno grege delectus, qui gratissimum holocaustum omnipotenti offerretur Deo: *Pater*, inquit, *unigeniti et benedicti filii tui Jesu Christi, per quem tui notitiam accepimus, Deus Angelorum et Potestatum et universae creaturae, omniumque justorum, qui vivunt in conspectu tuo: benedico te, qui me in hunc diem et ad horam hanc perducere dignatus es, ut partem caperem in consortio martyrum et in calice Christi tui, in resurrectionem vitae aeternae, animae simul et corporis, in incorruptione Spiritus Sancti; inter quos quaeso suscipiar hodie in conspectu tuo tanquam hostia pinguis et accepta, quemadmodum praeparasti adimplens ea, quae praemonstrasti verax Deus. Quam ob rem de omnibus Te laudo, te benedico, te glorifico per sempiternum pontificem Jesum Christum, unigenitum filium tuum, per quem tibi unacum ipso in Spiritu Sancto gloria nunc et in secula seculorum; Amen.* 4) Et cum Amen clara voce intonuisset, praecationemque complesset, ministri, quibus accedendi ignis commissa erat cura, rogum accendunt. Cumque ingens flamma exarsisset, mira res visa est ab iis, qui eam videre meruerunt, et qui ideo servati sunt, ut aliis illam renuntiarent. Ignis enim fornicis speciem praebens, tanquam velum navis ventorum flatu sinuatum circum corpus Martyris stetit. Quod quidem in medio positum, non ut caro assa videbatur, sed velut aurum aut argentum, quod in fornace excoquitur. Quippe odorem suavissimum quasi thuris alteriusve pretiosi aromatis naribus nostris inhalantem hauriebamus. Postremo cernentes impii ac profani homines corpus flammis non posse consumi, confectorem propius accedere, ensem-

4) Ep. c. 12, ib. p. 704. En, quam antiquus sit hymnus ille, quo una eademque *Trinitatis* divina essentia, *tres* autem *distinctae personae* praedicantur.

que alte in corpus adigere jusserunt. Quo facto tanta vis sanguinis effluxit, ut ignis prorsus extingueretur, plebsque universa miraretur, tantum esse discrimen inter infideles atque electos. Quorum ex numero hic certe unus fuit nostra aetate, apostolicus et propheticus doctor, catholicae Smyrnensium ecclesiae episcopus. Quidquid enim ille unquam protulit ore suo, aut impletum jam vidimus, aut scimus implendum. Verum invidus ille atque aemulus et justorum generi semper infestus nequissimus daemon, cum insigne illius martyrium vitamque ab ineunte adolescentia sine ulla reprehensionis labe transactam intelligeret, atque idcirco immortalitatis corona redimitum, et praemium gloriosi certaminis sine controversia retulisse cerneret; operam dedit, ne corpus illius a nostris auferretur; tametsi multi inter nos essent, qui id agere magnopere cupiebant, et sacro illius cadaveri communicare. Quidam igitur suggesserunt Nicetae Herodis patri, ut proconsulem adiret, moneretque, ne cadaver illius donaret; ne forte, ut ajebant, relicto crucifixo hunc deinceps Christiani colere inciperent. Et isti quidem haec dicebant, suggerentibus atque instantibus Judaeis, qui etiam nostros sollicite observaverant, cum e rogo corpus auferre tentarent; *stulti, qui ignorarent nos nec* *C h r i s t u m* *unquam posse relinquere, qui pro salute omnium, quotquot ex genere humano salvi futuri sunt, mortem pertulerit,* *n e c a l i u m q u e m q u a m c o l e r e.* *Illum enim utpote* *F i l i u m D e i a d o r a m u s;* *Martyres vèro, tanquam* *d i s c i p u l o s e t i m i t a t o r e s D o m i n i,* *merito amore prosequimur, ob eximiam eorum benevolentiam, quam erga* *R e g e m ' a c M a g i s t r u m* *suum declararunt. Quorum nos quoque consortes ac condiscipulos fieri omnibus modis optamus.* [5]) Porro cum Centurio pertinaciam Judaeorum animadverteret, corpus in medio collocatum, ut moris est ipsis, concremavit. Atque

5) Ep. c. 14, ibid. p. 704. Ecce praeclarissimum testimonium discriminis inter *Dei* latriam et cultum *Sanctorum* ab Ecclesia nunquam non servati!

ita nos demum *ossa* illius *gemmis pretiosissimis cariora* et quovis auro puriora colligentes, ubi decebat, condidimus. *Quo etiam in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus concedet Deus natalem ejus martyrii diem cum hilaritate et gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qui glorioso certamine perfuncti sunt, tum ad posteros hujusmodi exemplo erudiendos et confirmandos.* [6]) Haec de beato Polycarpo, qui cum aliis duodecim Philadelphensibus apud Smyrnam martyrio est coronatus; qui tamen solus omnium hominum memoria ac fama praecipue celebratur, adeo ut nomen ipsius ubique terrarum etiam a gentilibus commemoretur" . . .

F.

Ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis Epistola de martyrio S. Pothini et aliorum.

1. Praefatio et editiones.

§. **263.** Haec quoque Epistola, quam *Eusebio* servatam debemus, pulcherrimum quoddam et antiquissimum totius Ecclesiae in hoc genere monumentum est, gravi stylo describens atrocissimam persecutionem, qua sub *M. Aurelio* imperatore agitata est Ecclesia. Scripta est testante Eusebio nomine *Viennensis et Lugdunensis Ecclesiae* et paulo quidem post persecutionem illam, quam Eusebius [1]) *anno 17 imperii M. Aurelii Antonini* (i. e. ao. Chr. 177) commotam esse dicit. De ipso *auctore* Epistolae certi quidem nihil constat; tamen non immerito Valesius eam a *S. Irenaeo* tunc temporis Lugdunensis Ecclesiae presbytero et Pothini in sede episcopali successore exaratam esse suspicatus est, nixus potissimum in *Oecumenii* sententia, qui et ipse nonnulla refert de martyribus Lugdunensibus

6) Ep. c. 15. p. ead.

1) *Euseb.* in Hist. Eccl. Lib. V Prooem., ed. *Zimmermann.* T. I. p. 294.

excerpta (prout ipsemet testatur) ex iis, quae Irenaeus de *SS. Sancto et Blandina* scripserat. [2]) Post *Valesium* eandem opinionem amplexi sunt *Tillemontius* [3]), *Dodwellus* [4]), *Massuetus* [5]); ut *Lumperum*, *Gallandium*, *Moehlerum*, alios recentiores praeteream. — Extat pretiosissima haec epistola in *Eusebii Hist. eccl.* Lib. V. c. 1—3, ed. laud. T. I. p. 296—320. Inde in *Ruinarti Actt. Martt. sincer.*, in *Bollandi etc. Actt. SS.*, et in *Bibliothecc. SS. PP.* deinceps recepta est.

2. Epistolae compendium.

§. 264. Epistola fusior est, quam ut totam possem describere; praestantior, quam ut verbulum vellem relinquere. Faciam, quantum potero, ut quam maximam partem et ipsissimis auctoris (vel auctorum) verbis apponam. „Servi Christi, qui apud *Viennam* et *Lugdunum Galliae* degunt, fratribus per Asiam et Phrygiam constitutis, qui eandem nobiscum fidem et spem habent redemtionis, *pax et gratia et gloria a Deo Patre et Christo Jesu Domino nostro.*“ Post haec deinde quaedam alia praefati, narrationem ipsam ordiuntur his verbis: „Et gravitatem quidem ipsam aerumnarum, et gentilium adversus sanctos furorem ac rabiem, quaeque et quanta beati martyres perpessi sunt, nec nos exprimere dicendo, nec quisquam scribendo complecti accurate possit. Omni siquidem virium impetu in nos irruit adversarius, . . . nihil intentatum reliquit, dum ministros suos assuefacit, et quibusdam quasi praeludiis exercet adversus servos Dei; adeo ut non solum ab aedibus, a balneis, a foro arceremur, verum etiam interdictum fuerit, ne quis nostrum quocunque demum in loco

2) *Oecumenii* Commentt. in I Petr. III, ed. *Morelli* (Paris. 1631. II. f.) T. II. p. 498.

3) Memoires hist. eccl. T. III. p. 2.

4) Diss. in Addit. ad *Pearson*. Opp. posth. p. 154.

5) Diss. II in Irenaeum, in S. Iren. Opp. ed. *Massuet*. Art. III. §. 60. p. 94.

appareret. Sed *gratia Dei pro nobis adversus diabolum depugnavit*; et infirmiores quidem servavit, viros autem illi opposuit columnarum instar firmos ac stabiles, qui fortitudine sua universum daemonis impetum in semetipsos pertrahere valerent, qui cominus congressi omne genus opprobrii sustinuerunt .. exemplo suo ostendentes, *hujus seculi passiones non esse dignas, quae conferantur cum gloria, quae in nobis revelanda est* ... Et in his *Vettius Epagathus*, unus ex fratrum numero immensa quadam caritatis copia erga Deum simul et proximum exuberans, qui adeo districtam et severam vivendi rationem instituerat, ut, quamvis adhuc juvenis, Zachariae tamen senioris eloquio aequaretur. Incesserat quippe in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela .. Hic adeo injustum adversus nos judicium pati non potuit, sed indignatione commotus postulavit, ut sibi quoque liceret pro fratribus causam dicere, palamque ostendere, nihil apud nos impium aut irreligiosum reperiri. Verum cum illi, qui circa tribunal adstabant, adversus eum inclamassent (erat quippe inter suos clarus), et Praeses ipse petitionem alioqui justissimam aegre ferret, idque unum ex eo quaereret, essetne Christianus; ille *Christianum se esse* clarissima voce professus in Martyrum numerum relatus est; advocatus quidem Christianorum judicis elogio appellatus, *habens autem in se ipso advocatum Spiritum sanctum*, ... quippe qui sustinuerit pro fratrum defensione morti semet objicere. Fuit enim et est germanus *Christi discipulus, sequens Agnum, quocunque ierit.*"

§. 265. „Exinde etiam reliqui dignosci et distingui coeperunt. Et promti quidem ac parati erant Protomartyres, qui summa animorum alacritate solemnem illam martyrum confessionem ediderunt. Qui vero imparati et inexercitati, nec firmis adhuc erant viribus ad impetum tanti certaminis sustinendum, tunc manifeste patuerunt, ex quibus decem circiter excussi, maximum nobis dolorem et incredibilem luctum attulerunt ... Omnes autem tunc temporis gravissimo metu perculsi haerebamus ob incer-

tum confessionis eventum; non quod tormenta, quae inferebantur, magnopere timeremus, sed quoniam exitum rei animo prospicientes, nequis corrueret, verebamur. Comprehendebantur quotidie, qui digni erant, ut numerum eorum supplerent ... Praecipue tamen vulgi ac praesidis et militum furor universus incubuit in *Sanctum*, Diaconum Viennensem; et in *Maturum*, neophytum quidem illum, sed generosissimum nihilominus pugilem Christi; in *Attalum* quoque patria Pergamenum, qui columna et firmamentum ecclesiae nostrae semper fuit; denique in *Blandinam*, per quam Christus ostendit, quae vilia, deformia, contemtaque hominibus videntur, ea maximo honore affici a Deo propter excellentem erga ipsum caritatem, quae in virtute potentiaque ostenditur, non specie inani gloriatur. Nam cum universi trepidaremus, ipsaque illius temporalis domina, quae et ipsa unacum reliquis martyribus strenue pugnabat, formidaret, ne illa ob tenuitatem corporis liberam confessionem edere non valeret; .. beata illa, instar generosi cujusdam athletae, in ipsa confessione vires atque animos resumebat; eratque ei refectio et quies, sensumque omnem praesentis doloris adimebat prolatio horum verborum: *Christiana sum, et nihil apud nos mali geritur.*"

§. **266.** „*Sanctus* vero ille, cum et ipse supra humanum modum cuncta, quae ab hominibus excogitari potuerant, fortiter sustineret, sperantibus jam impiis, aliquid se indecorum atque illicitum ex eo audituros ob nimiam vim et magnitudinem cruciatuum; tanta firmitate eis restitit, ut nec suum, nec gentis aut civitatis, ex qua esset oriundus, nomen, nec utrum servus esset an ingenuus, prolocutus sit, sed ad omnes interrogationes Romana lingua responderit: *Christianus sum.* Hoc sibi nomen, patriam, genus, omnia denique esse subinde profitebatur, neque aliam vocem ab eo gentiles extorquere valuerunt. Quam etiam ob causam maxima adversus illum et praesidis et tortorum pertinacia furoris exarsit, adeo ut, cum nihil amplius ipsis superesset, quo illum torquerent, can-

dentes aeris laminas mollioribus ejus membris affigerent. Et membra quidem adurebantur, ipse vero rectus atque inconcussus firmiter in confessione perstitit, utpote *coelesti fonte aquae vivae, quae ex ventre Christi profluit, perfusus firmatusque*, . . . et illustre exemplum ceteris ostendens, *nihil esse metuendum, ubi caritas Patris adsit; nullum dolorem, ubi gloria vertitur Christi.* Quippe cum impii illi paucis post diebus iterum torquere martyrem coepissent, crederentque, si turgescentibus adhuc et inflammatis vulneribus eadem tormenta de integro adhiberent, fore ut illo superiores evaderent, quippe qui ne manuum quidem contrectationem posset sustinere; vel id certe eventurum, ut ille tormentis immortuus terrorem injiceret reliquis; non modo nihil ejusmodi illi contigit, sed praeter omnium opinionem corpus ejus subito revelatum erectumque constitit in tormentis posterioribus, et pristinam speciem usumque membrorum recuperavit prorsus, ut secunda illa excarnificatio, divina opitulante gratia, medelam potius quam poenam ei attulisse videretur. Sed et *Bibliadem* quandam ex eorum numero, qui Christi fidem abnegaverant, cum jam diabolus a se absorptam crederet, velletque insuper damnationem illius cumulare blasphemia, ad supplicium duxerunt; adigentes eam, utpote fragilem jam et ignavam, impia de nobis proloqui. Verum illa resipuit inter cruciatus ac veluti ex altissimo somno excitata est, praesente supplicio de aeternae gehennae cruciatibus ipsam submonente. Et contradicens impiis: *Qui fieri posset*, inquit, *ut infantes comederent, quibus ne sanguinem animantium degustare licet?* Abhinc Christianam se esse confessa in consortium martyrum relata est."

§. 267. „Beatissimus autem *Pothinus*, qui episcopatum Lugdunensis Ecclesiae administrabat, nonagenario major et corpore admodum infirmo, ob praesentem quidem corporis imbecillitatem aegre spiritum trahens, ceterum prae cupiditate imminentis martyrii mirabili alacritate animi firmatus, etiam ipse ad tribunal ferebatur, corpore quidem partim ob senectutem partim vi morbi penitus ex-

hausto ac soluto, animam vero adhuc retinens, ut per eam Christus triumpharet. Perlatus igitur a militibus ad tribunal, prosequentibus ipsum magistratibus civitatis, et universa plebe variis eum acclamationibus impetente, tanquam ipse Christus esset, egregium edidit testimonium. Interrogatus vero a praeside, quisnam esset Christianorum Deus, respondit: *Si dignus fueris, cognosces.* Post haec absque ullo humanitatis respectu raptatus, atque innumeris plagis affectus est, cum ii quidem, qui propius adstabant, calcibus et pugnis illum contumeliose appetebant, nec ullam ejus aetati reverentiam exhiberent; qui vero longius distabant, quidquid ad manum erat, in ipsum conjicerent; omnes denique gravissimi delicti et piaculi reos se existimarent, nisi pro sua quisque parte ei petulanter insultare studuissent. Quippe hoc modo injuriam deorum suorum ulturos se arbitrabantur. Exinde vix adhuc spirans in carcerem projectus est, tandemque post biduum animam exhalavit" . . . Miserandum prae ceteris spectaculum ii dederunt, qui fidem negaverant. Nam „ipsi quoque in carcerem conjecti eadem, quae ceteri martyres, perferebant, imo . . duplo gravius vexabantur. Illos enim gaudium martyrii spesque promissae beatitudinis et caritas erga Christum spiritus Dei Patris recreabat. Hos vero graviter torquebat conscientia, ita ut, dum traducerentur, ipso vultu atque aspectu facile discernerentur a ceteris. Quippe illi quidem hilares accedebant, majestatem quandam venustati intermixtam vultibus praeferentes, adeo ut vincula praecipuum ipsis ornamentum addidisse viderentur, instar sponsae fimbriis aureis variegatis ornatae; . . hi vero demisso vultu, abjecti et squallidi ac sordidi, omnique genere deformitatis cooperti, ab ipsis quinetiam gentilibus probro affecti utpote ignavi atque imbelles, qui homicidarum quidem sibi ipsis crimen imposuissent, Christianorum autem venerandum et gloriosum ac salutare nomen amisissent" . .

§. 268. „*Maturus* autem et *Sanctus* cum *Blandina* et *Attalo* ducti sunt ad bestias in amphitheatrum ad publicum spectaculum inhumanitatis gentilium . . Et

Maturus quidem et *Sanctus* rursus omnia tormentorum genera ibi subierunt, quasi nihil antea perpessi essent, aut quasi athletae, qui multis jam vicibus adversarium superassent et de corona ipsa jam decertarent, rursus consueta illic flagrorum verbera pertulerunt et bestiarum ipsos trahentium morsus, et quaecunque alia vulgus insanum pro suo quisque arbitrio variis acclamationibus imperabat, ipsam postremo ferream cathedram, cui superposita Martyrum membra torrebantur .. Verum illi ne sic quidem saeviendi finem fecerunt; sed contra eo vehementius accendebatur eorum furor, cum expugnare martyrum constantiam contenderent. Nullam tamen ab ipso Sancto vocem elicere potuerunt praeter illam, quam ab initio proferre consueverat, confessionis suae vocem. Hi ergo maximo certamine perfuncti, cum vitalem spiritum diu protraxissent, tandem jugulati sunt .... *Blandina* vero, ad palum suspensa, bestiis objecta est. Quae cum in crucis speciem suspensa cerneretur, Deoque contentissime supplicaret, maximam alacritatem addebat certantibus; quippe qui in ipso certamine sub sororis persona corporeis oculis cernerent illum, qui pro ipsorum salute crucifixus ideo fuerat, ut credentibus in ipsum persuaderet, quicunque pro Christi gloria pateretur, hunc Dei viventis consortem futurum. Cumque nulla tunc bestia corpus illius attigisset, deposita ex stipite rursus in carcerem conjicitur, in aliud certamen reservata ... *Attalus* quoque vehementer a populo postulatus ad supplicium, utpote vir valde celebris, paratus ad certamen accessit fretus conscientia recte factorum; quippe in Christianorum disciplina solide exercitatus, testisque apud nos veritatis semper extiterat. Cum is per amphitheatrum circumduceretur, praecedente ipsum tabella, in qua latino sermone inscriptum erat: *Hic est Attalus Christianus;* populo adversus illum vehementius incitato praeses, postquam civem Romanum eum esse comperit, reduci in custodiam cum ceteris jubet. Inde literis ad Caesarem datis de his omnibus, qui inclusi tenebantur, sententiam ejus expectabat. Hujus autem temporis mora

nequaquam inutilis nec infructuosa illis fuit, sed per ipsorum tolerantiam immensa Christi misericordia illuxit. Quippe mortua jam Ecclesiae membra, viventium ope atque auxilio, ad vitam revocata sunt, et martyres gratificati sunt iis, qui fidem negaverant, ingentique gaudio *Mater eademque Virgo Ecclesia* cumulata est, cum eos, quos tanquam exstinctos abortu ejecerat, vivos jam ac spirantes recuperaret" . . .

§. 269. „Rescriptum est a Caesare, ut confitentes quidem gladio caederentur; hi vero, qui negarent, dimitterentur incolumes. Ineunte igitur solemni apud nos mercatu, qui maxima hominum frequentia celebratur, utpote ex omnibus populis ac provinciis eo conveniente virorum multitudine; praeses beatissimos martyres ad tribunal adduci jussit, tanquam in theatrali pompa eos populo ostentans. Cumque illos denuo interrogasset, quicunque cives Romani reperti sunt, capite truncati, reliqui traditi sunt bestiis. Ceterum ingens gloria accessit Christo per eos, qui prius quidem negaverant, tunc vero confitebantur fidem Christi praeter spem atque exspectationem gentilium . . . De quibus cum quaestio haberetur, *Alexander* quidam natione Phryx, professione medicus, qui plures jam annos moratus fuerat in Galliis, vir omnibus notissimus ob amorem Dei et eximiam in praedicanda fide libertatem (quippe Apostolicae gratiae minime expers erat) tribunali assistens, cum illos ad fidei confessionem nutibus hortaretur, cunctis, qui tribunal circumdabant, tanquam parturiens (sc. procreans ad fidem filios) videbatur. At vulgus moleste ferens, quod, qui antea fidem negaverant, eandem de integro confiterentur, adversus Alexandrum tanquam hujus facinoris auctorem conclamare coepit. Instans illico praeses interrogavit hominem, quisnam esset. Qui cum Christianum se esse dixisset, iratus judex eum ad bestias damnavit. Postridie igitur unacum *Attalo* ingressus est. Nam et hunc praeses, gratificari populo studens, bestiis rursum tradiderat. Ambo igitur, cum omnia tormentorum genera, quae adversus ipsos excogitata fuerant, in am-

phitheatro percurrissent, tandem gladio percussi sunt. Et Alexander quidem nec ingemuit unquam, nec vocem ullam protulit, sed interius mente in se collecta colloquebatur cum Deo. Attalus vero, cum in ferrea cathedra collocatus undique torreretur, et ambustum corpus nidorem gravissimum exhalaret, latino sermone populum allocutus: *En*, inquit, *hoc demum est homines vorare, quod agitis. Nos vero neque homines voramus, neque omnino quidquam mali facimus.* Interrogatus etiam, quod nomen Dei esset: *Deus*, inquit, *nomen non habet perinde ac nos mortales.*“

§. **270.** „Post hos omnes, ultimo tandem spectaculorum die, *Blandina* rursus illata est unacum *Pontico* adolescente quindecim circiter annos nato; qui etiam quotidie antea introducti fuerant, ut reliquorum cruciatus intuerentur. Adactique per simulacra gentilium jurare cum in proposito constantes permanerent, deosque illorum nihili facerent, tantus in eos exarsit multitudinis furor, ut nec aetatem pueri miserarentur, nec mulieris sexum ulla prosequerentur reverentia. Cunctis igitur cruciatibus eos vexare ac per omnia poenarum genera circumagere coeperunt, jurare illos subinde compellentes. Nunquam tamen id, quod volebant, perficere valuerunt. Nam Ponticus quidem, sororis exhortationibus incitatus, . . cuncta supplicia generose perpessus animam exhalavit. Beata vero Blandina omnium postremo, tanquam nobilis mater, quae filios ad fortiter certandum accenderat et ad regem victores praemiserat, eosdem certaminum cursus, quos filii confecerant, remetiens ad eosdem ire properabat, de exitu suo laeta atque exsultans, prorsus quasi ad nuptiale convivium invitata, non bestiis exposita esset. Denique post flagra, post ferarum vellicationes, post sartaginem, reticulo inclusa tauro objecta est. A quo diu in altum jactata, nihil jam eorum, quae fiebant, penitus sentiens tum ob spem et comprehensionem eorum, quae credebat, bonorum, tum ob familiarem congressum, quem cum Christo in oratione habebat, tandem et ipsa victimae instar jugulata est; ipsis etiam gentilibus ingenue fatentibus, nullam unquam

Appendix.

Scripta dubia vel omnino supposititia.

I.

De SS. Pii, Aniceti, Soteris et Eleutheri RR. Pontiff. scriptis, quae feruntur.

A.

S. Pius Papa.

1. *Vita.*

§. **272.** *S. Pius* natione *Italus* ex patre *Rufino* de civitate *Aquileja*, S. Hygino succedens, *undecimus* [1]) a S. Petro fuit Romanus Episcopus, seditque annis *quindecim* [2]) ab ao. 142—157. Martyrologium Romanum die 11 Junii eundem sub M. Aurelio Antonino *martyrio* coronatum praedicat; nos *Confessorem* quidem illum fuisse seu martyrem latiori quodam sensu dictum non infitiamur, atvero non Marco imperante sed sub *Pio Antonino* obiisse eum arbitramur. [3]) Idem primus fuisse dicitur, qui Romae *templum* consecravit, puta *domum*, quae erat cujusdam Sena-

---

1) juxta *vulgatam* Pontificum seriem. *S. Hieronymus* eundem *nono* posuit loco; etenim non a Petro, sed ab ejus successore Lino numerum init, et Anacletum vel omnino omittit, vel cum Cleto in unum confundit.

2) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. IV. c. 11. nr. 3, ed. *Zimmermann.* T. I. p. 238; *S. Prosper* in *Labbei* Conc. Chron. p. 32; *Nicephorus* in Chronogr. (Basil. 1553) p. 411; *Jo. Zonaras* Annal. Lib. XII. c. 1, ed. *Cangii* p. 594.

3) *Tillemont.* Memoires hist. eccl. T. II. p. 312, et not. p. 654, cum quo consentit L'Art de verifier les dates (ed. 1770.) p. 239.

toris, nomine *Pudentis*, apud quem D. Petrus, cum Romam introisset, primo hospitio acceptus esse perhibetur.[4])

2. *Scripta.*

§. 273. S. Pio Pontifici tribuitur *Decretum* quoddam *De poenitentia ab iis subeunda, quorum negligentia aliquid sanguinis Domini effunderetur.* Legitur istud apud *Gratianum* c. 27. Dist. II de Consecrat. Sed fragmentum hoc ex *Theodori Cantuariensis* († 690) *Libro poenitentiali* c. 51 excerptum esse in aprico est. Ex *quatuor* autem, quae S. Pio itidem olim adcensebantur, *Epistolis duae* (et altera quidem ad universos fideles Christi, altera ad Italiae Episcopos directa) certo sunt e *Pseudo-Isidori* decretalibus desumtae.[1]) De duabus vero reliquis *epistolis ad Justum Viennensem* episcopum transmissis eruditorum Virorum sententiae valde variant, cum eas alii genuinas, alii dubias, alii supposititias esse dicant. Genuinitatem earum post *Margarinum de la Bigne, Caesarem Baronium, Severinum Binium, Petrum Pithoeum, Henr. Spondanum, Phil. Labbeum, Car. Cangium, Gfr. Henschenium* etc. praecipue defendere conatur *Just. Fontaninus, Archiepiscopus Ancyranus*[2]), duobus potissimum argumentis innixus, nempe auctoritate et numero doctorum virorum, qui eas pro genuinis venerati sunt; porro antiquitate et apostolica doctrina, quam in utraque satis elucere putat. Longum est, *opposita* quoque adferre argumenta eorum, qui auctoritatem epistolarum impugnant, partim ex eo, quod a Veteribus nunquam ac nullibi memoratae fuerint; partim ob nonnullas, quae ibi occurrunt, loquendi formulas, seculo secundo nondum usitatas, partim etiam ex anachronismis aliis ibidem obviantibus. Neque nos tantam iis tribuendam auctoritatem putavimus, ut eas inter genuina omnino monumenta ecclesiastica reciperemus, quamquam vel re-

---

4) Pii Epist. ad Just. Vienn., in *Galland.* Biblioth. PP. T. I. p. 672.
1) Extant in *Mansi* Coll. Concil. T. I. col. 672—678.
2) Hist. liter. Aquilej. (Rom. 1742. 4.) Lib. II. c. 4. p. 28 sq.

centiori aevo vir eruditissimus *Gallandius* non dubitavit, eas ipsas Bibliothecae suae vett. PP. T. I. p. 672. inserere. Ante hanc novissimam Gallandii editionem saepenumero èvulgatae sunt, et prior quidem epistola a *Ge. Fabricio* in Opp. Poëtarum vett. christt. (Basil. 1564. 4.) p. 102; utraque vero deinceps a *Jo. Jac. Grynaeo* in Monumm. SS. PP. orthodoxogr. (Basil. 1569. f.) T. I. P. II. p. 3 sq.; item in *Marg. de la Bigne* Biblioth. PP. T. I. p. 63; in *Petr. Coustantii* Epistt. RR. Pontiff. Append. p. 19.; et in *Dom. Mansi* Collect. Concil. nov. et ampliss. T. I. col. 677 sq.

B.

S. Anicetus Papa.

1. *Vita ejus.*

§. 274. Post Pium in Romana Ecclesia successit *Anicetus*[1]), anno igitur 157. Sub ejus pontificatu beatissimum *Polycarpum* Romam venisse, et de quaestione, quae tunc de *Paschate* inciderat, cum eo collocutum esse, *Irenaeus* testatur, addens, utrumque quidem ea de re modice dissensisse, tamen mutuo pacis osculo statim fuisse complexos, et Anicetum adeo in ecclesia consecreandi munus Polycarpo honoris causa concessisse.[2]) Sub eodem fere tempore etiam *Hegesippus* se venisse Romam, ibique apud Anicetum usque ad Eleutheri episcopatum continuo mansisse scribit.[3]) Vita vir sanctus functus est anno *M. Aurelii* octavo, episcopatus sui undecimo, i. e. p. Chr. n. 168, die 17 Aprilis. De *martyris* titulo, quo et is (sensu quodam latiori) in martyrologio Romano colitur, Irenaeus, Eusebius, Hieronymus, Ado, omnes denique antiquiores altum silent.

---

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. IV. c. 11. nr. 3, ed. *Zimmerm.* T. I. p. 238.

2) id. ibid. Lib. IV. c. 14. p. 243; Lib. V. c. 24. nr. 5. 6. p. 370.

3) ibid. Lib. IV. c. 22. nr. 1, p. 271; cf. c. 11. nr. 3, p. 238.

2. *Epistola una et ea spuria.*

§. 275. Aniceti nomine una tantum *epistola* circumfertur, quatuor constans capitibus, quorum primum de ordinatione Episcoporum, secundum de dignitate Primatum ac Metropolitarum, tertium de judiciis Metropolitani aut Episcopi corrigendis, quartum de tonsura et habitu clericorum agit. Quae capitum argumenta jam *per se* suppositionis gravissimam suscipionem movent. Porro epistola haec inscripta est: *Universis Ecclesiis per Galliae provincias sonstitutis.* Et jam initium epistolae totidem fere ac iisdem verbis legitur in Epistola XXXII. *S. Leonis Magni.* Sed et alia in ea loca, ex eodem *Leone Vigilioque* Papa desumta, de suppositione nos dubitare non sinunt. Scripta legitur in *Mansi* Coll. Conc. T. I. col. 683—686.

C.
S. Soter Papa.

1. *Vita.*

§. 276. *Soter*, qui et *Sotericus* a nonnullis Graecis vocatur, *Fundis* in Campania ortus, a S. Petro decimus tertius Episcopus Romanam sedem, juxta *Coustantii* sententiam [1]), ao. Chr. 168 occupavit; de vita migravit nono pontificatus sui anno, *Marci Aurelii* imperatoris 17, *Christi* 177, die (prout Martyrologia docent) 21 seu 22 Aprilis. [2]) De eo *S. Dionysius* Corinthiorum Episcopus praedicat, quod, cum Romana ecclesia jam inde ab ipso Religionis exordio beneficia in fratres omnes conferre et Christianis tum ad metalla damnatis tum in exilium ejectis necessaria suppeditare consuevisset, „*hunc morem beatus Soter non solum servavit, verum etiam adauxit, tum munera Sanctis destinata copiose subministrans, tum fra-*

1) *Coustant* Epistolae RR. Pontiff. p. 75.; cf. L'art de verifier les dates, p. 240.

2) De martyrio ejus, cum nemo Antiquorum illius mentionem faciat, idem censendum, quod supra modo de Pio et Aniceto monuimus.

tres peregre advenientes tanquam liberos suos pater amantissimus beatis sermonibus consolando." [3])

2. *Scripta.*

§. 277. S. Soter, Clementem imitatus, *ad Corinthios* Romanae Ecclesiae nomine scripserat, quemadmodum ex ea intelligitur epistola, quam ei Dionysius Corinthiorum Episcopus rescripsit. Epistolam illius tanti fecerunt Corinthii, ut eam sibi *cum priore Clementis perpetuo legendam* esse constituerint, *ut praeceptis ac documentis optimis abundarent.* Verum injuria temporis intercedit pretiosissimum illud monimentum. Ejus Epistolae, quam Corinthiorum praesul rescripsit (§. 159.), fragmenta nobis asservavit *Eusebius.* [4]) In illius vero locum credulitas seculi noni nobis substituit *duas Epistolas* pseudo-decretales, quarum una ad Episcopos Campaniae, altera ad Italae Episcopos scripta est. Utraque vero jam dudum ceu *spuria* explosa. Lege sis eas in *Mansi* Coll. Conc. T. I. col. 688—691. Ferunt, S. Pontificem nostrum etiam opusculum quoddam *contra Montanistas* exarasse, in quo *Tertullianum* et ejus asseclas damnaverit: sed suppositititum istud esse, quilibet me non monente facile videt, siquidem liquido constat, Tertullianum post triginta prope ab obitu Soteris annos haeresin Montani amplexatum fuisse.

D.

S. Eleutherus Papa.

1. *Vita.*

§. 278. *Eleutherus* teste *Hegesippo* [1]) Soteri successit anno 17 *M. Aurelii Antonini*, qui est annus 177 p. Chr. Periculosis temporibus Romanae ecclesiae multos annos praefuit, eamque a Schismaticorum, Haereticorum

3) *Dionys. Corinth.* apud *Euseb.* in Hist. eccl. Lib. IV. c. 23. nr. 5, ed. laud. T. I. p. 276.

4) in Ej. H. E. Lib. IV. c. 23, nr. 6, p. 277.

1) ap. *Euseb.* l. l. c. 22. nr. 1, p. 272.

ac Gentium furore et fraudibus pastorali sollicitudine illaesam servavit. Sedit annos quindecim, menses tres, dies duo; obiitque post *Commodi* necem i. e. ao. 192. Memoria ejus in Martyrologio *Romano* VII Cal. Jun. celebratur, in *Hieronymiano* vero Septembris die sexto. *Martyris* ei nomen antiqua martyrologia, fors ob multos exantlatos labores addunt.

2. *Scripta.*

§. **279.** Scripsisse ad Eleutherum *Martyres Lugdunenses*, eique Irenaeum commendasse, ab *Eusebio* edocemur (§. 220.); cujus epistolae fragmentum adhuc conservatum est. [2]) Ad hasce igitur literas respondisse Eleutherus dicitur in *Epistola ad Galliarum episcopos* inscripta, quae extat in *Labbei* Coll. Conc. T. I. p. 589, et in *Mansiana* Collectione amplissima T. I. col. 695. Sed eam interpolatam esse, vel ipse Baronius fatetur; imo *adulterinam* potius et a *Pseudo-Isidoro* penitus confictam, non est dubitandum. [3]) Nec pluris facienda sunt alia decreta, quae Eleutheri nomine circumferuntur. [4])

II.

Acta martyrii S. Justini Philosophi et Sociorum.

1. *Eorum editiones.*

§. **280.** Acta Justini Martyris ex graeco Codice a Cardinale *Sirleto* latine reddita et in *Aloys. Lippomanni* Vitt. SS. (Rom. 1551—60. VIII. 4.) T. VII. P. II. p. 184. evulgata sunt. Eadem postmodo ex monasterio Cryptae Ferratae eruta graece unacum latina versione Sirletiana edidit *Dan. Papebrochius* in Bolland. Actt. SS. m. Jun. T. I. p. 20; quam editionem in paucis diversam etiam

2) ibid. Lib. V. c. 4. nr. 1. 2. p. 321 sq.

3) *Dav. Blondellii* Pseudo-Isidorus et Turrianus vapulans. (Genev. 1628. 4.) p. 213.

4) *Petr. Coustant.* Epistt. RR. PP. p. 90.

Ruinartus in sua Actt. Martyrum sincera p. 43.; *Prud. Maranus* in Opp. SS. Justini etc. (ed. Venet. 1747. f.) Append. P. II. p. 633—636; nec non *Gallandius* in T. I. Biblioth. vett. PP. inseruerunt. Novam denique et accuratiorem translationem latinam curavit *Alex. Symm. Mazochius*, eamque apposito in notis textu graeco et variis additis disquisitionibus intulit operi suo praestantissimo *Comment. in vet. marmoreum S. Neapolitanae Ecclesiae Kalendarium* (Neap. 1763.). Vol. II. p. 443—476.

2. *De genuinitate disquisitio.*

§. **281.** Nemo, ait *Lumperus* [1]), ad hunc diem repertus est, qui non de his actis praeclare senserit (quippe quorum nativa bonitas incurrit in oculos), quique non ea pro actis judicialibus habuerit. Fuere quidem, qui ea, quamlibet integrae fidei, non ad Philosophum et Apologetam Justinum, sed ad alium quempiam ejusdem nominis pertinere dicerent. Quos quantopere ratio ulla fugerit, vir eruditissimus *Mazochius* locis supra laudatis ostendit. Idem *graece* ab initio fuisse illa exarata docet contra eam, quae *Tillemontio*, *Papebrochio*, aliisque viris doctis se ingessit, opinionem, S. Justini acta, utpote Romae composita, latine primum fuisse perscripta, deinde in graecum sermonem translata, et ex graeca versione (latino nimirum originali perdito) demum a Sirleto denuo in latinam linguam conversa. In judicialibus enim interrogationibus non aliud quidquam a notariis excipi debuisse, quam quae revera dicta sunt, et quidem eopte sermone, sive graeco si graeci oris essent, sive latino si latini. Ad *genuinitatem* autem quod attinet, tres potissimum objectiones audiuntur; *primo*, quod in iis lata fuisse dicatur mortis sententia, quia Justinus edicto imperatoris obtemperare noluerit, cum tamen nullum tale edictum adversus Christianos ab Antonino Pio aut M. Aurelio promulgatum fuisse constet; *secundo*, cur initio Actorum βασιλεῖς numero

1) in Ej. Hist. theol. crit. de SS. PP. T. II. p. 462.

plurali, in judiciali autem sententia unius tantum imperatoris mentio fiat; *tertio*, quod patria S. Hilacis, Justini socii, dicatur fuisse Iconium in Phrygia, urbs toti antiquitati incognita. Ad has igitur objectiones Mazochius eruditissime respondet, easque facile submovet. Mihi vero nihilominus nonnulla in mente resident, quae nescio quam mihi de iis *dubitationem* relinquunt. Lacunis quidem aut interpolationibus laborare nobis non videntur; etenim si excipias quatuor priores lineas, instar praefationis additas, nullum reperies manus audacioris facinus. Sed eum, quem in aliis antiquissimis ejus generis monumentis observamus, *colorem proprium* et quasi *nativum* desideramus, ita ut potius ad imaginem et similitudinem *traditionis oralis* relata videantur, quam narratio rerum, quas testis *suis ipse sensibus* percepit. Id quoque facile concedimus, esse ea utique *antiqua;* simplex enim sermo est, et oratoriis figuris minus cultus. Neque *silentio Antiquorum* plus aequo tribuere in animo est, quamvis valde mirum sit, quod neque *Eusebius*, qui multoties et non sine admiratione de S. Justino loquitur, neque alius quispiam vetustiorum Patrum haec Acta commemoraverit.

3. *Actorum brevis narratio.*

§. **282.** „Quo tempore nefarii superstitionis idolorum propugnatores impia contra Christianos.. edicta proposuerunt, ut, quicunque Christiani deprehensi essent, idolis sacrificare cogerentur; comprehensi *Justinus* et qui cum illo erant, et adducti sunt ad *Rusticum* Romae urbis praesidem. Quibus ante tribunal constitutis *Rusticus* ad Justinum: Age, inquit, esto diis ipsis obediens et imperatoris edictis! *Justinus* autem: Nemo unquam, ait, reprehendi aut condemnari potuerit, qui *Salvatoris nostri Jesu Christi* praeceptis obedierit. Tum *Rusticus*: In cujusnam, inquit, eruditionis ac disciplinae genere versaris? Cui *Justinus:* Omnium disciplinarum genus discere conatus sum, omnemque eruditionem expertus, postremo vero Christianorum doctrinae adhaesi, quamvis illa non

placeat his, qui falsae opinionis errore ducuntur. *Rusticus:* Illane, miserrime, eruditione delectaris? *Justinus*: Maxime, quoniam recto cum dogmate Christianos ipsos sequor. *Rusticus:* Qualenam est istud dogma? *Justinus:* Dogma, quod cum pietate servamus, hoc est: *ut Deum unum existimemus factorem et creatorem omnium visibilium et invisibilium, et Dominum Jesum Christum Dei filium confiteamur olim a Prophetis praenuntiatum, qui et humani generis judex venturus est* ... Quaesivit Praefectus, quem in locum Christiani convenirent. Cui Justinus respondit, eo unumquemque convenire, quo vellet ac posset ... *Quoniam*, ait, *Christianorum Deus loco non circumscribitur, sed, cum invisibilis sit, coelum et terram implet, atque ubique a fidelibus adoratur, et ejus gloria collaudatur* ... *Rusticus:* Ergo Christianus es tu? *Justinus*: Christianus sum. Tunc Praefectus ad ceteros conversus est, ad *Charitonem*, *Charitinam* mulierem, *Euelpistum*, *Hieraclem*, *Liberianum*, et alterum ex altero interrogavit, num et ipsi essent Christiani. Et omnes libere et cum fiducia confessi sunt Christi Dei nomen ... Conversus autem iterum ad Justinum *Praefectus:* Ergo, si a capite per totum corpus flagellis caesus fueris, .. futurum opiniaris, *ut in coelum ascendas*, *mercedem aliquam recepturus? Justinus:* Non opinor, sed scio; et *hoc tam certum habeo, ut nihil dubitem. Rusticus:* Convenite simul, et uno eodem animo diis sacrificate! .. Nisi jussis nostris parere volueritis, cruciatus sine ulla misericordia patiemini. *Justinus:* Hoc maxime nobis in votis est, *propter Dominum nostrum Jesum Christum cruciatus perpeti ac salvari.* Hoc enim nobis salutem et fiduciam conciliabit *ante ejusdem Domini ac Salvatoris nostri terribile illud tribunal*, *cui totus mundus divino jussu assistet.* Idem et reliqui omnes Martyres dixerunt, hoc addentes: Fac cito, quod vis; nos enim Christiani sumus, et idolis non sacrificamus. Quo audito Praefectus sententiam pronuntiavit: Qui diis sacrificare et imperatoris edicto parere noluerunt, flagello caesi ad capitalem

poenam abducantur, quemadmodum leges praecipiunt. Itaque SS. Martyres *Deum collaudantes* ad consuetum locum perducti post verbera *securi percussi sunt, et in Salvatoris confessione martyrium consummarunt*" . . .

III.

De SS. Epipodio et Alexandro cum sociis XXXIV Martyribus Lugdunensibus.

§. 283. Eadem, quam supra diximus, persecutione sub *M. Aurelio Antonino* (§. 263.) ao. 176 oborta duo alii Martyres illustres, *Epipodius* et *Alexander*, cum *triginta quatuor sociis* Lugduni pro Christo mortem sunt perpessi. Quorum acta, etsi mihi quidem *genuina non* videntur, *antiqua* tamen sunt, et adeo fide digna habebantur, ut ea *Ruinartius* quoque suis inseruerit *Actis Martyrum sinceris* (Paris. 1689.) p. 67. Leguntur eadem etiam apud *Surium* die 22 April. T. II. p. 818, et in *Bollandi* Actt. SS. m. April. T. III. p. 8—10. Historiae autem *summa* haec est: Principis (M. Aurelii) *Antonini Veri* decimo octavo imperii anno, cum per provincias Gentilium furor saeviret, praecipue in Lugdunensi urbe debacchatus est. Et cum paene ad integrum Christi nomen a Gentilibus crederetur extinctum, per proditionem domesticam etiam *Epipodius* et *Alexander*, quod occulte operam darent catholicae fidei cultui, Praesidi nunciati sunt; quos ille indagine sollicita, exosae religionis reliquias in illis extinguere cupiens, praecepit inquiri. Et Alexander quidem natione Graecus fuit, Epipodius vero Lugdunensis civitatis indigena. Jam eos scholae contubernium et caritas in parvulis jam virilis conjunxerat, et concordia crescente indies ad religionis incitamenta se mutuo provocarunt. Erant ambo juventutis flore conspicui necdum conjugalibus vinculis implicati. Saeviente autem persecutione latebram quaerentes in tugurio cujusdam religiosae ac fidelis viduae se abdiderunt. Brevi vero detecti, capti et in carcerem missi sunt. Post triduum vinctis post tergum

manibus ante praesidis tribunal ducti, et adstante et infremente Gentilium multitudine interrogati sunt. Et Epipodius cum frustra minis territus et blanditiis tentatus generose respondisset, suspensus ungulis laceratus et *gladio* occisus est; Alexander autem, triduo post vocatus et similiter ad defectionem tentatus, refutat dicta praesidis, et inter dira verbera fidem animose professus in *cruce* martyr obiit. Sepeliuntur ambo in spelunca vallis.

IV.

De actis martyrii S. Symphoriani.

§. 284. Durante eadem persecutione passus est Augustoduni *Symphorianus*. Perlectis ejus martyrii actis quilibet facile videbit, ea (uti nunc sunt) *non* esse *proconsularia*, ut vulgo dicuntur, aut ab auctore *synchrono* exarata. Longiora enim in iis obveniunt colloquia, et alia eloquentiae rhetoricae ornamenta, quibus primigenia et sincera Martyrum acta carere solent. Unde jam *Tillemontius* [1]) recte videtur judicasse, si *posterioris manus vestigia* viderit. Nos quidem censemus, ea saltem ex genuinis desumta, postea vero parum aucta esse. Ceterum Symphoriani martyrium non ao. 273, ut habet Baronius, sed pro exactiorum criticorum imprimis Pagii, Ruinarti, Tillemontii, Ceillieri judicio toto fere seculo prius, anno nempe Chr. 180 contigisse monendum est. [2]) Exhibentur haec acta in *Bolland.* Actt. SS. m. Aug. T. IV. p. 496 sq., quorum tenor *summatim* is est: Sub Aurelio principe, cum adversus christianum nomen persecutionis dirae procella detonaret, et ad delendam religionem catholicae legis imperii sui decreta converteret, erat in urbe Augustodunensi tunc *Fausti* nobilis viri filius, nomine *Symphorianus*, qui literis bene instructus et moribus optimis, cum adhuc esset adolescens, tantam spem virtutum suarum omnibus fecit, ut illum jam omnes boni cum supernis vir-

1) Memoires eccl. T. III. p. 213.
2) Usuardi Martyrologium ed. J. B. Soller (Antverp. 1714. f.) p. 482.

tutibus habere consortium meritorum admiratione judicarent. Is cum statuam Berecynthiae, quam tanquam matrem deorum urbs illa summopere venerabatur, adorare noluisset, publicae seditionis obtentu comprehensus, et ad *Heraclium* consularem deductus est. Qui cum variis modis ad idolorum cultum juvenem excitasset, sed neque blanditiis neque minis a professione fidei christianae avocare potuisset, postremo iratus his verbis allocutus est eum: Nimium diu te, Symphoriane, patientia mea sustinuit. Nisi matri Deae sacrificaveris, hodie te dilaniatum omnibus poenis capitalis sententiae damnatione prosternam. Cui Symphorianus: *Ego*, inquit, *omnipotentem Deum, qui me fecit, timeo, et ipsi soli servio. Tu vero corpus meum ad tempus in potestate habes, animam vero meam non habes.* His et aliis similiter dictis judex furore accensus decernit: Symphorianus, publici criminis reus, qui diis nostris sacrificare detrectans majestatis sacrilegium perpetravit, gladio ultore feriatur . . . Sic data sententia beatus vir Dei ducebatur ad victimam . . . Matre ad martyrium eum exhortante extra murum ductus a percussore prostratus est.

Dr. *Michaelis Permanederi*,
Juris ecclesiast., Historiae sacrae nec non Patrologiae Professoris
in Lyceo regio Frisingensi,

Bibliotheca Patristica.

Tomus secundus.

Patrologia specialis.

Volumen I.

Pars II.

Landishuti, 1843.
J. G. Wölfle.
Sumptibus Bibliopol. literar. Universit.
Krülliani.
Vindobon. ap. Carol. Gerold et Fr. Wimmer.
Colon. Agripp. ap. Du Mont. Schauberg.

Pars III.

SS. Patres ceterique tertii seculi Scriptores.

Sectio I.

Ecclesiae orientalis.

---

§. 285. *SS. Patres apostolici* in tradendis fidei morumque praeceptis nullas Philosophorum subtilitates, nullam Dialecticorum demonstrandi artem exercebant; sed pro captu atque ingenio eorum, quibuscum ipsis agendum erat, suam docendi rationem formabant, infantili quasi lacte parvulos nutrientes. Unde etiam, si qui sua scriptis traditari essent, *uno* omnes et eo quidem simplicissimo scribendi genere, forma quam dicimus *epistolari*, usos fuisse comperimus (§. 2). Quum autem *seculo secundo* plures jam *philosophi* gentiles, veluti Justinus, Athenagoras, Theophilus, alii ad christianam religionem accederent, multaeque etiam *haereses* ex immoderata philosophandi libidine propullularent, doctoribus Ecclesiae imposita est necessitas, dogmata rectae fidei artificiosiori quadam methodo explicandi tuendique, ut adversariorum artes et argutias iisdem scilicet armis exciperent ac profligarent. Imprimis vero *eclectica* philosophandi ratio Patribus placuit, utquae nulli certae philosophorum sectae addicta ex omnibus, quidquid rationi convenire videbatur, in usus suos converteret. Aliud magnae utilitatis incrementum res christiana cepit ex variis *scholis*, quae praesertim in majoribus ecclesiis institui coeperunt. Sic Justinus Romae, alii alibi novas deinceps scholas condiderunt, ibique divinorum dogmatum thesauros exposuerunt.

Imprimis autem illa antiquissima, quam Ptolemaeus Lagi *Alexandriae* olim excitaverat, ad christianos usus accommodata est ita, ut cum literis humanioribus et philosophicis etiam doctrina religionis nostrae catechetica, praesertim S. Scripturae exegesis conjungeretur. Jamque valde varia simul, sive materias quas tractarunt, sive scribendi formam respicias, specimina tum profanae tum multo magis sacrae eruditionis in lucem prodierunt; scripta nimirum *historica*, *exegetica*, *apologetica*, *polemica adversus haereses*, alia denique, quae *disciplinam* proxime spectabant. Verum omnia paene hujus generis monumenta, exceptis nonnullis apologetico-polemicis, temporis injuria interierunt.

§. 286. Eadem fere studia fuere ac disciplinae, quibus *tertium* Ecclesiae seculum uberiori eloquentia et felicissimo cum successu occupatum fuit. Etiam *scholae catecheticae* brevi tempore frequentiores exstiterunt, atque in his potissimum Alexandrina ingentem sibi gloriam comparavit, ex quo Pantaenus, Clemens, Origenes, Heraclas, Dionysius, Pierius, Theognostus, Serapion, Petrus, alii deinceps illam et doctrina sua et scriptis libris egregie ornarunt. Emittuntur *Apologiae* contra Ethnicos, non quidem mere tales, quae scilicet in sola defensione religionis ac vitae Christianorum adversus nefandas superstitiosarum gentium calumnias versantur; sed scripta, quae dixeris polemico-apologetica, quibus nempe Patres nostri ipsa Gentilium sacra petunt, idolorum vanitatem et pagani cultus impietatem atque insaniam profligantes. Ad haec accedunt opera *polemica*, et alia quidem contra Haereticos, tum Gnosticos tum maxime (qui nunc primum emerserunt) Unitarios et Montanistas; alia contra Schismaticos, praesertim Novatianos. Maxime vero Patres in theologia *exegetica* sive sacris cum veteris tum novi Testamenti libris interpretandis ingenia sua mire exercuere, modo versiones, modo commentarios perpetuos, modo singulares elucubrationes exarando. Nonnulli hujus aevi

Patres jam etiam orationibus inclaruerunt, non iis solum, quae panegyricam ac propius oratoriam habent speciem, sed etiam proprie sacris, quae *Homiliae* suo tunc demum nato nomine appellabantur, et quibus singula cum fidei tum morum dogmata e S. Scriptura et Traditione petita explanabantur. Nec defuerunt, qui in scriptis suis ea, quae ad fidelium *disciplinam* spectant, pertractabant, de virginitate, de martyrio, de patientia, de poenitentia etc. disserentes. Et praestantissimi quidem eorum Patrum, quorum nonnulla saltem monimenta integre ac sincere ad nostra usque tempora pervenerunt, e numero *Graecorum* sunt *Clemens Alexandrinus*, *S. Hippolytus*, *Origenes*, *S. Gregorius Thaumaturgus*, *S. Methodius*.

I.

Clemens Alexandrinus.

A. Vita ejus.

§. 287. *Titus Flavius Clemens*, [1]) quem *Alexandrinum* nonnulli, alii *Atheniensem* [2]) dicunt, ethnicis parentibus ortus, et in omnibus, quae apud Graecos obtinebant, literis profanis, quantum forsitan ante illum pauci, eruditus est. [3]) Is vir omnium rerum experientia scien-

1) Hisce tribus nominibus insignitur ab *Eusebio* in Hist. eccl. Lib. VI. c. 13, et *Photio* in Biblioth. Cod. CXI.

2) *S. Epiphan.* Haeres. XXXII. c. 6 pr., ed. *Petav.* (Paris 1622. II. f.) T. I. p. 213. — Contra *Caveum*, qui in Historia sua literaria Scriptt. eccl. (Ed. nov. Basil. 1741. II. f.) T. I. p. 88. col. 2 Athenis Clementem natum educatumque fuisse conjicit, *Gottfr. Lumperus* in sua Historia theol.-critica (Aug. Vindel. 1783 — 99. XIII. 8) P. IV. Sect. II. a. I. not. l. pag. 60 contrariam huic sententiam probabiliorem evincit.

3) *S. Cyrill. Alex.* Contra Julian. Lib. VII., in Ej. Opp. (ed. *Auberti*, Paris. 1638. VI. f.) T. VI. p. 231.

tiaque praeditus, et usu plurimorum negotiorum prudentissimus, patrias nugas, a salutari et evangelica doctrina monitus, cito contempsit, [4]) et, ut plenius ea ipsa imbueretur, doctissimos quos aetas illa ferebat viros adiit, [5]) et in his imprimis *Pantaenum*, quem *Siculam apem* inter ceteras laudes ipse appellat. [6]) Jam vero a *Demetrio* tunc temporis episcopo Alexandrino ad ordinem sacerdotalem promotus, et in celeberrima illius urbis schola, ubi Catechumeni, seu gentiles, qui christianam religionem amplectebantur, in sacris literis erudiri solebant, anno circiter 189 in Pantaeni praeceptoris locum suffectus est. [7]) Inter discipulos ejus potissimum eminuerunt *S. Alexander* Hierosolymitanus (§. 404), et *Origenes* (§. 406), quem postea sibi in cathedra catechetica successorem habuit. [8]) Post tredecim abinde annos ob persecutionem sub *Severo* imperatore imminentem Alexandria digressus varia instituit itinera, consumtoque Hierosolymis et Antiochiae aliquo tempore Alexandriam rediit, ibique, dum Ecclesia pace fruebatur, [9]) diem obiit supremum c. a. 220. Clemens *S.*

---

4) *Euseb.* Praeparat. evangelicae Lib. II. c. 2 fin., ed. *Vigeri* (Paris. 1688. f.) p. 61.

5) *Clemens Alex.* in Lib. II. Strom. c. 1. med., in Ej. Opp. omn. ed. Jo. *Potteri* (Venet. 1757. II. f.) T. I. p. 322.

6) *Clem. Alex.* l. l. — Cf. *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 6 init., ed. Ernest. *Zimmermanni* (Francof. 1822. II. 8) T. I. p. 398; *Id.* ibid. Lib. VI. c. 13 init. ed. laud. p. 410; *Photii* Biblioth. Cod. CIX.

7) *Euseb.* Hist. Eccl. l. l.; *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 38, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. *Pouget* et *Martianay* (Paris. 1693 —1706. V. f.) T. IV. P. II. col. 113.

8) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 14, nr. 4, ed. cit. p. 414 sq.; Cf. Ejusd. Lib. VI. c. 6, p. 398.

9) *Usuardus* primus Latinorum fuisse videtur, qui ejus nomen inter *SS. Martyres* referret; ex quo eum recentiores non pauci secuti sunt, donec Censores sub Gregorio XIII. et Sixto V. e Romano primum martyrologio expungendum Clementis nomen curarunt.

Hieronymo judice vir fuit omnium eruditissimus, [10]) ita tamen, quemadmodum nostris placuit judicare, ut in rebus philosophicis versatior quam in theologicis fuerit. [11]) Neque tamen *haereticis* notandus est. *Photii* enim censura, quam de ejus libris Hypotyposeon atro carbone depingit, nullius momenti est (§. 315); neque errores, si qui in genuinis illius et incorruptis libris forte reperiantur, tanti sunt, ut Clementis auctoritati piaeque venerationi officere jure debeant, cum ejusmodi imbecillitates tot aliis primaevae Ecclesiae severiorem notam minime intulerint. [12]) Nihilominus *Benedictus Papa* XIV illius nomen e catalogo *Sanctorum* expungendum non immerito censuit. Quamvis enim Clemens ab *Alexandro* Hierosolymitano, discipulo ejus, beatus et solidae perspectaeque virtutis presbyter [13]) nuncupatus sit, tamen nullum alibi ex tota antiquitate testimonium extat, quod eximiam quandam et *insignem* prodat Clementis sanctitatem, neque ejus memoriam *publico* unquam cultu a Graecis celebratam fuisse in comperto est. Atque sola haec sunt, quae Summum Pontificem moverunt, ut ab *Usuardi* hominis scilicet privati nec ullis Antiquorum testimoniis fulcita auctoritate recederet. [14])

---

10) *S. Hieron.* Epist. ad Magnum (ed. Maurin. Epist. LXXXIII) Opp. omn. T. IV, P. II. col. 656.

11) *Lud. Ell. Dupini* Museum sacrum s. Biblioth. Scriptt. eccl. (Col. Agripp. 1703. III. 4) T. I. p. 131.

12) Cf. Actt. SS. m. Maj. T. VI. p. 777. nr. 25.

13) *S. Alexander* ap. *Euseb.* in Hist. Eccl. Lib. VI. c. 11 in fin., et c. 14. nr. 4, ed. laud. p. 407. 414.

14) *Benedict.* XIV. Bull. „*Postquam intelleximus*" d. 1 Jul. 1748, in *Bullario Magn. Rom.* (Luxemburg 1742—58. XIX. fol.) T. XVII. p. 245 sqq. nr. XXV—XXIX.

B. Scripta.

1. *Quae sub ejus nomine circumferuntur.*

a. Genuina.

aa. *Cohortatio ad gentes.*

α) *Libri argumentum et analysis.*

§. 268. In libro hoc exhortatorio ad gentes Clemens *idololatras*, quippe qui homines gravissimis flagitiis demersos divino cultu prosequantur, redarguit, eosque ad *christianam* philosophiam amplectendam hortatur. Hoc illius opus prae ceteris eloquentissimum est. Incipiens ab *Amphione*, *Arione* atque *Orpheo* poëtis jubet auctor Gentiles audire *novum cantorem* (Filium Dei), qui solus inter omnes, quos adhuc novimus, feras saevissimas, homines, mansuefecit: volucres, puta leves; reptiles, nempe qui voluptatibus dediti; lupos denique, qui rapaces. Ab *orgiis* igitur et impiorum idolorum *mysteriis* homines avocans, ad veram Dei jubilationem propter revelatam divinam veritatem provocat. [1]) Absurditatem simul ac impietatem *mysteriorum* ethnicorum et fabularum de deorum suorum ortu et interitu ostendit. [2]) *Sacrificiorum* Diis mactatorum crudelitatem ac impuritatem perstringit. [3]) *Simulacra*, quibus deos suos colunt, quam sint absurda atque turpia, demonstrat. [4]) *Philosophorum* sententias de Deo recenset, eosque aliquando Deo ipso inspirante veritati testimonium tulisse ostendit. Similiter et de *Poëtis* dicit. [5]) Sed ve-

1) Protrepticus Logos s. Cohortatio ad Gentes c. 1, in *Clem. Alex.* Opp. omn. ed. Jo. *Potteri* (Venet. 1757. f.) p. 1 — 10.
2) ib. c. 2, ed. laud. p. 10 — 36.
3) ib. c. 3, p. 36 — 40.
4) ib. c. 4, p. 40 — 55.
5) ib. c. 5. 6. 7, p. 55 — 65.

ram de Deo doctrinam, a *Prophetis* esse petendam. [6]) Docet deinde, graviter illos peccare, qui benignam Dei vocationem spernunt aut negligunt. [7]) Respondet objectioni Gentilium, qua nefas esse dictitabant morum patriam deserere, et eo impensius illos ad christianam religionem amplectendam hortatur, qua ab erroribus istis liberentur. [8]) Postremo exponens, quanta sint *Dei beneficia* in homines per Christi adventum collata, monet, ut missis erroribus et cupiditatibus pristinis, se Christo, unico veritatis magistro, instituendos praebeant. [9])

b) *An genuinus sit liber et quo tempore scriptus.*

§. 289. Librum hunc a *Clemente Alexandrino* exaratum esse, *ipsemet* aperte prodit, [1]) et omnium vetustissimorum *codicum* inscriptionibus, testimoniisque *Eusebii*, [2]) *Hieronymi*, [3]) *Cyrilli Alexandrini*, [4]) *Photii* [5]) aliorumque cujusvis fere aetatis Scriptorum firmatum, adeoque certum est, ut nemo, quantum scio, doctorum virorum unquam contradicere ausus sit. Ad quaestionem autem, *quo tempore* liber iste scriptus sit, quamquam Eusebius et Hieronymus ll. ll. eum *tertio* inter scripta Clementis loco

---

6) ib. c. 8, p. 65 — 68.

7) ib. c. 9, p. 68 — 72.

8) ib. c. 10, p. 72 — 86.

9) ib. c. 11. 12, p. 86 — 95.

1) *Clem. Alex.* in Strom. Lib. VII. c. 4 init., ed. laud. p. 841.

2) *Euseb.* in Hist. Eccl. Lib. VI. c. 13 init., ed. laud. p. 410; *Idem* in Praepar. Evangel. Lib. II. c. 2. 5. 7, Lib. IV. c. 16, ed. *Vigeri* p. 61. 70 sq. 157.

3) *S. Hieronym.* in Catal. Scriptt. eccl. c. 38, et in Epist. ad Magnum, Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 113. 656.

4) *S. Cyrill. Alex.* Contra Julian. Lib. XVIII, in Ej. Opp. omn. ed. Jo. *Aubert.* (Paris. 1638. VII. f.) T. VI. p. 342.

5) *Photii* Biblioth. Cod. CX.

recensent, [6]) tamen jure optimo respondendum duximus, illum non modo *Stromatum* sed etiam *Paedagogi* libris esse *antiquiorem*; quod et ipse auctor haud obscure videtur indicare, [7]) Photius autem *expressis verbis* monet. [8]) Itaque quum Stromata c. a. 194, Paedagogum autem c. a. 192 in lucem prodiisse omnes fere consentiant (§§. 295. 305), *Liber Protrepticus* anno circiter 190 exaratus esse videtur.

bb. Paedagogus.

a) Librorum argumentum et index.

§. 290. Non inepte mihi videntur judicare, qui Paedagogum iis potissimum *sermonibus* compactum arbitrantur, quos Clemens, dum adhuc *Catechistae* munere fungebatur, ad christianum populum habuerat, et deinde literis mandatos in formam, quam nunc prae se ferunt, redegit. Tempus enim, quo illos scriptos esse critici unanimi prope consensu judicant (§. 295), et stylus catechesibus plane conveniens, et Photii disertum ea de re testimonium (Cod. CX.) istam DD. VV. sententiam confirmant. Librorum autem finis est *conversio gentilium*, ut per baptismum Christum induant, ac desiderio religionis nostrae impleantur. Jam igitur Paedagogus omnem in eo ponit operam, ut Neophytos ad vitam moresque vere christianos instituat docens, qualis in toto vitae suae decursu debeat esse Christianus, seu quae sint vitia fugienda, quae virtutes consectandae, quae denique bona

---

6) Id enim faciunt, dum minus *ordinem temporis* quam *amplitudinem operum* spectabant; ut observat *Remig. Ceillerius* in sua Histoire générale des auteurs sacrés et eccl. (Paris. 1729 — 1763. XXIV. 4) T. II. p. 245.

7) Cf. *Clem. Alex.* Paedagog. Lib. I. c. 1, ed. laud. pag. 97 sqq.

8) *Photii* Bibl. Cod. I.

agenda. Haec *tria* sunt, quae totidem libris exponuntur.

aa) Analysis libri I.

§. 291. *Liber primus*, tredecim capitula comprehendens exponit primo, quis sub nomine *Paedagogi* intelligatur, scilicet nemo alius quam ipse *Christus* Verbum Dei incarnatum, a cujus praeceptis dum homines per inobedientiam recesserunt, in vitia lapsi sunt. Quos, ut in viam salutis reduceret, Deus *Verbo suo* instruxit. [1]) Divinus hic Paedagogus *peccata remittit*, Deus enim est; et suis instructionibus nos *a peccato praeservat*, tanquam homo. [2]) Utriusque sexus doctor est, viris et mulieribus similia praecepta tradens, et omnes suos discipulos ad beatam *infantiam* reducit, scilicet ad fidei puritatem morumque integritatem ac innocentiam. Haec autem infantia hominis status perfectissimus est. [3]) Christus Paedagogus Israelitas *timore* rexit, nunc autem a tempore adventus sui novum populum *amore* gubernat, *idem* ipse Deus, dum punit aut dum parcit aeque bonus. Jamque id auctor fusius demonstrat adversus Gnosticos eos, qui Deum veteris testamenti rejiciunt. Quod justum, id aeque bonum est. [4]) *Idem* Deus per *idem* Verbum et a peccatis arcet, minans; et humanae naturae salutem tribuit, adhortans; quod fecit idem in veteri testamento per *Moysen* et *Prophetas*, et in novo testamento per *se ipsum*, ubi ipse nimirum apparuit ad monstrandam viam salutis. Sic Paedagogus, quae utraque paternae affectioni convenit, et severitate et benignitate usus est. [5]) Vita Christiani, in fide consistens et exercitatione mandatorum

---

1) Paedagog. Lib. I. c. 1. 2, in *Clem. Alex.* Opp. omn. ed. laud. p. 97 — 101.

2) ibid. c. 3, p. 101 — 103.

3) ib. c. 4. 5. 6, p. 103 — 129.

4) ib. c. 7. 8, p. 129 — 150.

5) ib. c. 9. 10. 11. 12, p. 150 — 158.

Dei, in omnibus *rationi* conformis esse debet. Quod autem recte et ex virtute geritur, id secundum rectam rationem fieri; peccatum vero praeter rationem. [6])

bb) Libri II.

§. 292. In *secundo libro*, capita duodecim complectente, *morum regulas* tradit speciatim; ut *alimentis* utamur cum mensura, non voluptatis causa, sed in quantum necesse est corpus et vitam sustentare; docet, quae in *potu* observanda. [1]) Modicus sit *domesticus apparatus* submotis omnibus, quae luxum spirant. [2]) Agitur de *conviviis* quomodo sint celebranda; de risu; de turpiloquio. [3]) Alia honestatis in humanae vitae commercio et politae conversationis praecepta tradit. [4]) An Christiano liceat, *coronis* et *unguentis oleo*que odorato uti. [5]) De die nunquam et omnino parce *dormiendum*, ut diutius vivamus; surgendum saepius de nocte ad *orandum*. [6]) Multa deinde ac praeclara praecepta struit de *virginitate* et *nuptiis*. Hominem docet, vel *matrimonium* vel *continentiam perfectam* eligendam; injustum esse, solam voluptatem in matrimonio quaerere, cujus usus ratione debeat et honestate limitari. [7]) Addit monita de *vestitu* Christiani, ut sit simplex, necessitati accommodatus; aurum et gemmas in vestimentis gestare, adhibere fucum in corpore, capillosque pingere damnat. [8])

---

6) ib. c. 13, p. 158 — 161.
1) Paedag. Lib. II. c. 1. 2, p. 162 — 188.
2) ib. c. 3, p. 188 — 192.
3) ib. c. 4. 5. 6, p. 192 — 200.
4) ib. c. 7, p. 200 — 205.
5) ib. c. 8, p. 205 — 216.
6) ib. c. 9, p. 216 — 220.
7) ib. c. 10, p. 220 — 240.
8) ib. c. 11. 12, p. 240 — 248.

cc) Libri III.

§. 293. In *tertio libro*, similiter per duodecim capitula protracto, veram auctor *pulchritudinem* commendat, nimirum *internam*, quae animum mentemque spectat, et sola placere Deo potest. 1) Indignum esse honesta muliere, ut ad *vanitatem* ornetur; id quod multo etiam turpius accidit in viro. 2) In mollitiem infamem *Romanorum* invehit, frugalitatem econtra *Germanorum* et *Arabum* laudat. 3) Displicet multorum servorum possessio, imprimis eunuchorum, pumilonum, animalium, quae mulieres amant alere multis impendiis, utilius in pauperes erogandis. 4) *Balneorum* frequentem usum reprehendit, praecipue vero communia virorum cum mulieribus balnea condemnat. 5) Et aliqua digressione facta, qua adjectis sub finem similitudinibus et exemplis docet, solum Christianum esse vere *divitem*, ejusque thesaurum in frugalitate consistere, 6) ad balnea redit, monens, ea non adhibenda esse nisi vel munditiès exigat vel sanitas. 7) Suadet praeterea *corporis exercitia*, maxime juventuti; otium vero ac ludos alearum et circenses et omnino theatrales tanquam omnis morum corruptionis fontes castigat. 8) Postrema duo capita in compendiosa optimae vitae pertractatione versantur. 9)

§. 294. Ad calcem hujus libri tertii in plerisque Codd. Mscriptis *Hymnus* sive gratiarum actio in Chri-

---

1) Paedag. Lib. III. c. 1, p. 250 — 252.
2) ib. c. 2, p. 252 — 261.
3) ib. c. 3, p. 261 — 268.
4) ib. c. 4, p. 268 — 272.
5) ib. c. 5, p. 272 — 273.
6) ib. c. 6. 7. 8, p. 273 — 281.
7) ib. c. 9, p. 281 — 282.
8) ib. c. 10, p. 282 — 285.
9) ib. c. 11. 12, p. 285 — 311.

stum ceu divinum paedagogum nostrum exhibetur.[10]) Cantica quidem sacra utique in *primaeva Ecclesia* a Christianis fuisse usurpata antiquissimi Scriptores cum profani tum sacri testantur.[11]) Utrum vero *hic* hymnus desumtus e sacris cantibus jam *primis* Ecclesiae temporibus usitatis; an ab ipso *Clemente* ad eorum imitationem compositus sit, parum liquet. Certe non ab aliena manu adsutus, sed a Clemente huic loco ex industria additus videtur, cum ipse in fine libri III Paedagogi his verbis utitur: „Quoniam autem Paedagogus nos (sc. Catechumenos) duxit in Ecclesiam, ... bene habuerit, si nos, cum in hoc loco sumus, justae *gratiarum actionis mercedem pulchrae paedagogiae convenientem laudem Domino* offeramus."

b) *De genuinitate et tempore quo libri scripti sint.*

§. 295. Opus hoc, quod Paedagogus inscribitur, reapse a *Clemente* nostro originem duxisse, non solum ipse Clemens alibi [1]) diserte profitetur, sed etiam communi omnium graecorum Codicum et antiquorum Doctorum *Eusebii*,[2]) *Hieronymi*,[3]) *Photii*[4]) testimonio adeo firmata sententia est, ut nemo unquam recentiorum ea de re dubitaverit. Quod autem est ad *tempus*, quo Clemens

---

10) ib. p. 312 sq.

11) e gr. *Plinius* in Epistt. Lib. X, Epist. 97 ad Trajanum imperatorem; *Cajus Presb. Rom.* in fragm. quod attulit *Euseb.* in Hist. Eccl. Lib. V. c. 28. nr. 2, ed. laud. p. 376; *Euseb.* H. E. Lib. VI. c. 24. nr. 2, et c. 30. nr. 5, p. 524. 543 sq.

1) „*Prius* autem (sc. ante Stromata) Paedagogus, a nobis in tres libros divisus, ostendit educationem et institutionem" .. *Clem. Alex.* Strom. Lib. VI. c. 1. in Opp. omn. ed. laud. p. 736.

2) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 13 init., ed. laud. p. 410.

3) *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 38, in Ej. Opp. omn. ed. *Maur.* T. IV. P. II. col. 113.

4) *Photii* Biblioth. Cod. CX.

opus illud exaraverit, jam ipsius verba supra allegata [5]) satis indicant, Paedagogum prius esse compositum quam Stromata, ideoque ante annum 194 (§. 306). Eundem vero paulo post praemissam ejus Cohortationem ad gentes i. e. 190 evulgatum esse, rursus alia Clementis verba aperte produnt. [6]) Ergo ipsos *Paedagogi* libros ao. c. 192 in lucem prodiisse constat.

cc. *Stromata.*

a) *Eorum argumentum et succincta Analysis.*

§. 296. *Stromata* [1]) seu tapetum structurarum octo libris deductum ipso Clemente interprete inde nomen trahunt, quod ex omni eruditione varie contexta sunt, [2]) eo nimirum consilio, ut occulta in iis doctrina profanis quidem hominibus, qui quae pulchra sunt et matura surripiunt et furantur, ingnota maneret, ipsis vero Christianis nonnisi sedulo lecturis patefieret. [3]) Et *septem* quidem *priores libri* comparationem doctrinae philosophorum gentilium cum christiana religione complectuntur, simulque haereticorum errores explodunt. Liber autem *octavus* more dialectico in definitionibus, demonstrationibus et causis versatur, ideoque cum septem prioribus nihil commune habet; unde viri eruditi suspicantur, ipsum non esse

5) Cf. not. 1.

6) *Clem.* Paedag. Lib. I. c. 1, in Ej. Opp. omn. ed. laud. p. 97 sq.

1) Plenior ejusdem operis inscriptio haec est: *Stromata* (i. e. Miscellanea) *commentationum verae philosophiae cognitionem informantium,* Cf. Strom. Lib. VI. c. 1 init., p. 735; *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 13. nr. 2, p. 411.

2) *Clem. Alex.* Strom. Lib. I. c. 1, ed. laud. p. 326.

3) ib. Lib. IV. c. 2, p. 565, Lib. VII. c. 18 sub fin., p. 901 sq.

vere octavum Stromatum Clementis librum, sed fragmentum ex aliis scriptis avulsum (§. 310).

aa) Synopsis Libri I.

§. 297. Clemens id sibi prae ceteris probandum sumit, *christianam doctrinam* demum esse *perfectam philosophiam*. Quae huic revelationi praecesserunt, tam sacra Hebraeorum volumina quam profana Graecorum philosophemata, nonnisi christianae religionis quasi praecursores et adumbrationes sunt. Concludit inde, sophisticam aliasque, quae in verbis tantum versantur, artes non perinde magni habendas; philosophiam vero nequaquam *per se contemnendam* esse nec *fidelibus indignam*, imo potius ad christiana sacra defendenda imprimis utilem; cum praesertim philosophi ipsi, cum sua dogmata e primaeva humani generis *traditione* derivarent, aliquas divini *Verbi* seu veritatis partes perceperint. [1]) Descripta igitur *Philosophorum* successione, quidquid apud Graecos tam in philosophia quam in reliquis artibus praeclarum extitit, id maxima ex parte a *barbaris* profectum fuisse, institutaque ac leges *Judaeorum* multo esse antiquiora quam *Graecorum* philosophiam. *Moysis* deinde tanquam egregii ducis legislatorisque ac philosophi, virtutibus propositis et lege ab eo data contra adversarios summopere laudata concludit dicens, Graecos respectu ad Hebraeos habito *pueros* fuisse recte appellatos. [2])

bb) Libri II.

§. 298. In *secundo libro* post praefationem, ubi res a se deinceps tractandas proponit, per solam *fidem* ad cognitionem Dei perveniri posse demonstrat. Errore Haereticorum, qui fidem ex *naturae* necessitate provenire statuunt, propulso, uberius de ejusdem praestantia et uti-

1) Strom. Lib. I. c. 1 — 14, p. 316 — 350.
2) ib. c. 14 — 29, p. 350 — 427.

litate agit. *Dei* autem *timorem*, qui ex fide nascitur, dum ipse nos ad amorem adducat, nobis necessarium esse, contra *Basilidis* et *Valentini* Gnosticorum deliria probare nititur; item *caritatem*, *temperantiam*, *hospitalitatem* reliquasque omnes virtutes inter se connexas esse. [1]) Post digressionem aliquam, quod veri Gnostici seu christiani philosophi officium in imitatione Dei consistat, pergit Clemens dicere de *poenitentia*, ostendens, eam esse duplicem, priorem nempe eorum, qui ad fidem convertuntur; posteriorem autem eorum, qui post conversionem lapsi sunt. Poenitentiae causa deinde de *peccato* agit. Dicit peccatum libere ab hominibus committi, purgari vero fide et eleemosynis: et ea S. Scripturae loca explicat, quae affectus humanos Deo tribuunt. [2]) Posthaec de variis cognitionis generibus disserens, legem Mosaicam omnis *doctrinae moralis* esse fontem, atque inde Graecos Ethica sua hausisse ostendit. Idcirco multa exponit legis mandata. Recensitis denique veri Gnostici dotibus ac variis philosophorum *de summo bono* sententiis ad *matrimonium* transit, docens, quae sint ejus commoda, quae in usu ejus observanda, et quod sit vinculum nullo pacto dissolubile. [3])

cc) Libri III.

§. 299. In *tertio libro Basilidis* de continentia et nuptiis sententiam refutat; *Nicolaitarum*, *Carpocratianorum*, *Valentinianorum* aliorumque Haereticorum *incontinentiam* perstringit, atque Platonem ab iis male fuisse intellectum docet. Contra *Mariconitas*, *Tatianum* et alios haereticos *matrimonium* defendit ac tuetur, ita tamen ut *virginitatem* illi praeferendam sentiat. Vinculum conjugale contendit esse *indissolubile*; secundas vero nuptias

---

1) Strom. Lib. II. c. 1 — 10, p. 428 — 453.
2) ib. c. 10 — 17, p. 453 — 468.
3) ib. c. 17 — 23, p. 468 — 507.

non *omnino* damnat, atvero improbat. De *Nicolao* Diacono, Nicolaitarum (ut aiunt) auctore, narrat et verba ejus perperam intellecta esse ostendit. Petrum quoque et Paulum et Philippum Apostolos uxores duxisse et suscepisse liberos refert.[1]) Deinceps loca S. Scripturae ab Haereticis *in vituperium matrimonii* adducta explicat, et primo verba Pauli ad Rom. VI. 14. a perversa eorum interpretatione vindicat; dictum deinde Christi ad Salomonem, quod tanquam in vituperium nuptiarum prolatum Haeretici allegabant, exponit; verba Christi apud Matth. XXVIII. 20 mystice circumscribit, legis Mosaicae et Salvatoris nostri praeceptum de non concupiscendo interpretatur, et verba Apostoli I. Cor. VII. 5. 39. 40, aliaque S. Scripturae loca huc spectantia rite illustrat.[2]) Postquam deinde *Julii Cassiani* verbis et loco alicui ex evangelio quodam apocrypho desumto respondit, varia deinceps Scripturarum cum veteris tum novi testamenti loca explicat, et concludit, eos, qui nuptiis maledixerint, jam ipsam Dei creationem, adeoque Evangelii dispensationem vituperare. Postremo duas ait extremas opiniones hac in re pariter esse vitandas, primam nempe eorum, qui *Creatoris odio* a nuptiis abstinent; alteram vero eorum, qui hinc occasionem arripiunt nefariis *libidinibus* indulgendi.[3])

bb) Libri IV.

§. 300. Ordine dicendorum in hoc libro indicato Clemens, quid vox *Stromata* sibi velit, explicat; deinde *de hominis praestantia*, in quo generatim consistat, dicit, et in specie *Martyrium* summis evehere laudibus orditur. Postquam dolorem, paupertatem, cetera, quae sunt externa, contemnenda esse docuit, et aliquot beatitudinum

---

1) Strom. Lib. III. c. 1 — 8, p. 508 — 530.
2) ib. c. 8 — 13, p. 539 — 552.
3) ib. c. 13 — 18, p. 552 — 562,

capita exposuit; imprimis eos beatos praedicat, qui Dei causa sanguinem profundunt. Et in Ecclesia quidem omnes nullo neque sexus neque conditionis habito discrimine martyrii candidatos esse. [1]) Jam vero, quae *Christus* de martyrii beneficio dixit, in unum quasi colligit et illustrat, severe tamen illos reprehendens, qui se *ultro* ac per audaciam judici offerebant. Deinde objectioni, cur Christiani patiantur, si Deus eorum curam gerat, scite respondet, ac impias *Basilidis* et *Valentini* de martyrio sententias perstringit. In amore Dei et dilectione proximi, adeoque inimicorum, *perfectionem christianam* esse positam contendit. Posthaec alia S. Scripturae loca de perfectione, de constantia et patientia martyrum, atque iterum de caritate et reprimendis cupiditatibus adstruit, neque minus mulieres quam viros obtinendae perfectionis esse capaces dicit. Qua data occasione *uxoris* bene moratae officium praeclare describit. [2]) Docet, qualis esse debeat perfectus christianus homo seu verus *Gnosticus;* eum neque metu poenae neque praemii spe, sed solius boni ac pulchri intuitu officium facere et abstinere a rebus soli sensui jucundis consuevisse. *Poenarum* autem, quibus homines a Deo castigantur, triplicem esse rationem tradit, primo ut is, quem castigat, melior evadat; secundo ut, qui salvi futuri sunt, his exemplis admoneantur; tertio ne, si injurias relinqueret impunitas, ab hominibus contemtui haberetur. Postremo, quomodo rebus *mundanis*, qui perfectus esse velit, uti debeat demonstrat. [3])

ee) Libri V.

§. 301. Duo priora hujus quinti libri capita de *Fide* agunt et de *Spe;* utriusque objecta mente tantum

---

1) Strom. Lib. IV. c. 1 — 9, p. 563 — 595.
2) ib. c. 9 — 21, p. 595 — 622.
3) ib. c. 21 — 26, p. 622 — 642.

posse percipi. Deinde auctor docet, morem docendi per *allegorias* et *symbola* esse antiquissimum, et a gentilibus et sacris scriptoribus usu receptum; idque exemplis Judaeorum, Aegyptiorum, praesertim Pythagorae et aliorum cum poëtarum tum philosophorum demonstrat, additis rationibus, cur potissimum veritatem his involucris obtegere visum fuerit.[1]) Unde eandem etiam Apostolorum de mysteriis fidei occultandis sententiam fuisse tradit. Ad veram autem *Dei cognitionem* optime perveniri, si mentem a rebus carnalibus et mundanis quam maxime abstrahamus; idque auctoritate philosophorum probari. Deum enim nec mente nec verbis comprehendi posse. Unde et Philosophos docuisse, Dei cognitionem donum esse divinitus concessum, et ab iis praecipue peti oportere, qui *divino afflatu* dignati sunt.[2]) *Graecos* veritates, quas cognoverant, paene omnes a barbaris praesertim ab *Hebraeis* fuisse mutuatos. Id quod adductis plurimis sententiis ex poëtarum et philosophorum gentilium libris ostendit.[3])

f) Libri VI.

§. 302. Ordine eorum, de quibus in hoc libro sermo futurus est, exposito auctor probare pergit, Graecos ex Hebraeorum scriptis plurima hausisse, et inde aliquatenus Dei veri notitiam habuisse.[1]) Deinde *philosophiae laudes* amplissimas eloquitur, ut quae cognitio sit *a Deo* data, licet ab Apostolo respectu ad perfectiorem Evangelii lucem vilipendatur. Proinde verum *Gnosticum* i. e. *ideam Christiani perfecte boni* ac sapientis describit. Talem virum etiam humanas scientias tanquam fidei adjutrices et ad res divinas animum praeparantes sibi comparare. Omnes quidem homines esse quodammodo

---

1) Strom. Lib. V. c. 1 — 10, p. 643 — 682.
2) ib. c. 10 — 14, p. 682 — 699.
3) ib. c. 14, p. 699 — 734.
1) Strom. Lib. VI. c. 1 — 7, p. 736 — 767.

ad perfectionem aptos, sed solis gnosticis concessum, ut eam revera consequantur. [2]) Iis gloriam aeternam et honores eminentes gradibus hierarchicis in Ecclesia terrestri respondentes in coelo esse reservatos, ubi omnibus veritatis ac bonorum operum studiosis pro cujusque merito locus assignatur. Soli Gnostico perfectiore cognitione praedito convenire, intelligere et exponere ea, quae mystice et obscure in SS. Literis traduntur. Exemplum hujus mystici sensus ponit in explicatione mystica Decalogi. Et philosophiam quidem, etsi non perfectam Dei cognitionem tradat, tamen quasi in animarum medelam a Deo datam esse. Eam verus Gnosticus quasi per otium attingit, progreditur autem ulterius, ad christianam nempe per totum orbem praedicatam doctrinam, in qua omnis sapientiae fons consistat. [3])

gg) Libri VII.

§. 303. In libro *septimo* Clemens pergit enumerare *virtutes Gnostici*. Dicit, solam illius occupationem esse honorare, amare, cognoscere Deum, illique obtemperare, et Deo ejusque Filio quam simillimum fieri. Omnis autem superstitionis hunc esse quasi fontem et originem, quod Ethnici deos sibi *sui* maxime similes tam circa formam externam quam quoad internos animi motus effinxerint. [1]) Animam sanctam praestantius esse Dei templum quovis aedificio manu facto; preces e mente pura provenientes omni sacrificio longe esse potiores. Jamque describit, quali oratione Gnosticus vere talis utatur, et quomodo a Deo exaudiri soleat. Eundem ita colere veritatem, ut ne juramento quidem opus habeat. Atque his virtutibus magis etiam pollere illum, qui alios docendi munus suscepit. Deinde ejus vitam describere

2) ib. c. 7 — 13, p. 767 — 792.
3) ib. c. 13 — 18, p. 792 — 827.
1) Strom. Lib. VII. c. 1 — 5, p. 828 — 845.

pergens praesertim, quam fortis sit in malis et ipsa morte toleranda, si Deus ita jusserit, exponit. Eundem esse beneficum, continentem, mundana omnia despicientem et paratum semper ad dimittendas injurias sibi illatas.[2]) Hanc veri Christiani s. Gnostici perfecti descriptionem claudit illustratione adhibita ex I Cor. VI. 1 etc., quem locum paraphrastice interpretatur. Tum respondet objectioni eorum, qui Ecclesiae se adjungere recusant propter varias inter Christianos *haereses;* duas rationes proponit, quibus vera fides ab haeresi distingui possit, primum nempe ad Scripturas recurrendo et ex iis de doctrina quavis judicium ferendo; dinde examinando, quaenam fuerit prior traditio, ea scilicet, quam Ecclesia tenet, an ea quam haeretici venditant. Denique ex mystico sensu legis de mundis et immundis animalibus Judaeos et Haereticos ab Ecclesia distingui ostendit.[3])

hh) Libri VIII (qui vulgo dicitur).

§. 304. *Octavus* liber, qui inter spuria Clementis opera reponendus nobis videtur (§. 310) totus *logicus* est. Omnes, qui se tum philosophicis tum theologicis quaestionibus exercent, id potissimum agere debere, ut in finem aliquem utilem desinat inventio. Hoc primum obtineri posse claris ac perfspicuis tam rerum quam nominum definitionibus, deinde per demonstrationem adhibitam.[1]) Et in omni quidem explicanda quaestione primum esse, ut rei, de qua quaeritur, *definitio* ponatur ad amovendam nempe ambiguitatem, quae in terminis nonnunquam occurrit. *Demonstratio* autem qualiter fiat, per exemplum illustratur.[2]) Exponitur deinde de *genere, speciebus et differentiis*, et qui sit eorum usus in defini-

2) ib. c. 5 — 14, p. 845 — 883.
3) ib. c. 14 — 18, p. 883 — 902.
1) Strom. Lib. VIII. c. 1 — 3, p. 903 — 918.
2) ib. c. 4 — 6, p. 919 — 924.

tionibus; tunc de *causis dubitandi* sive assensum sustinendi; denique de methodo, qua tum res tum nomina ad certas classes reduci possint. [3]) Primum igitur de diversis *generibus* .... (Mancum esse hunc librum, quivis etiam me non monente facile intelligit).

b) *De eorum genuinitate et tempore exarationis.*

§. 305. Stromatum auctorem Clementem Alexandrinum esse omnis *Antiquorum* chorus testatur, *Eusebius*, [1]) *Epiphanius*, [2]) *Hieronymus*, [3]) *Cyrillus Alexandrinus*; [4]) ut denique *Theodoretum*, *Maximum*, *Joannem Damascenum*, *Photium*, *Georgium Syncellum*, ceteros taceam. Et *octo* quidem libros fuisse ab eo scriptos, Eusebius et Hieronymus [5]) et Photius [6]) profitentur. Omnia porro, quotquot ab Eusebio, Epiphanio, aliis ex istis libris allegantur, loca plane *iisdem verbis* constant, quae hodie in exemplaribus leguntur; neque alia ulla res est, quae justam dubitationem moveat, quin opus istud (excepto *octavo*, qualis in nostris nunc exemplaribus exhibetur, libro) a Clemente conscriptum fuerit, sive auctoris *aetatem*, *ingenium* et *eruditionem*, sive rerum quae exponuntur *materiam* aut *methodum dicendi* aliasve internas, quas dicimus, notas respicias.

§. 306. Quo autem *anno* Stromata sint composita, non ita difficile est definire. Primo enim *Eusebius* Cle-

---

3) ib. c. 6 — 9, p. 924 sqq.

1) *Euseb.* in Hist. Eccl. Lib. VI. c. 13, ed. laud. p. 410 sq.

2) *S. Epiphan.* Haeres. XXXII. §. 6, ed. Petav. T. I. p. 213.

3) *S. Hieronym.* in Catal. Scriptt. eccl. c. 38, et in Epist. ad Magnum, in Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 113. 656.

4) *S. Cyrill. Alex.* Contra Julian. Lib. VI et VII., ed. laud. p. 205. 230.

5) uterque ll.-ll.

6) *Photius* in Biblioth. Cod. CX.

mentem Alexandrinum iis adnumerat Scriptoribus, qui jam ante *Victoris* tempora Christi divinitatem contra haereticos strenue propugnabant. [1]) Sederat autem Victor Papa intra annos 192 — 201. Sive igitur Clementis Cohortationem ad gentes, sive Paedagogum, sive denique ipsa Stromata intelligat iste auctor, cujus verba Eusebius memoriae illic prodidit; scripta haec omnino, si non ante annum 192, tamen non multo post hunc annum in lucem edita fuisse testatur. Ex *ipso autem* Clemente discimus, Stromata demum *post* illius Protrepticum et Paedagogum exarata esse, quoniam utriusque in illo opere mentionem facit. [2]) Hosce vero libros omnes non longo admodum temporis intervallo a se invicem distare, ex eorum mutua inter se *connexione* facile conjicimus. In primo autem Stromatum libro Clemens ordinem temporum describens computationem suam usque ad mortem *Commodi* imperatoris (sc. ad annum exeuntem 192) deducit. [3]) Unde Eusebius recte conjicit, *Septimio Severo* imperante haec volumina a Clemente fuisse elaborata. [4]) *Commodo* enim in imperio successit *Pertinax*, Pertinaci autem, qui tres tantum menses regnavit, successit *Severus* ao. 193. Hoc igitur anno si Stromata primum coepit scribere, facile apparet, totum illud opus satis grande et laboriosum *non ante annum* 194 aut sequentem absolvi potuisse. Postremo certum est, auctorem huic propemodum immenso et innumeris allegatis referto operi nonnisi per otium et tempore *pacis* supremam imponere manum potuisse, quod cum *initio* imperii Severi bene congruit; tum enim imperatorem nec infensum Christianis, nec palam eos insectatum fuisse constat. His omnibus collatis vix dubium est,

---

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. V. c. 28. nr. 2, ed. laud. p. 376.

2) *Clem.* Strom. Lib. VI. c. 1, p. 786; Lib. VII. c. 4 init., p. 841.

3) *Idem* ib. Lib. I. c. 21 sub. fin., p. 406 ac saepius.

4) *Euseb.* Hist. Eccl. VI. c. 6, ed. laud. p. 398.

quia Stromata anno 194 *vel saltem non multo post* elucubrata sint.

dd. Liber Quis dives salvetur.

a) *An sit genuinus et quo tempore scriptus.*

§. 307. Hujus quoque tractatus verum ac *genuinum* parentem esse Clementem nostrum, invictissima *Eusebii* [1]) et *Hieronymi* [2]) auctoritate conficitur ac probatur. Sunt quidem, qui *Photii* verbis decepti hunc libellum potius *octavum* esse *Stromatum librum* existiment. At hi valde errant, siquidem Eusebius et Hieronymus octo libros Stromatum Clementi tribuunt, et librum, cui titulus: *Quis dives salutem consequi possit*, ab illis aperte *distinguunt*; imo Photius ipse hoc solum dicit, *loco* octavi libri Stromatum in *quibusdam* codicibus a se perlectis exhibitam fuisse illam commentationem. Alii porro librum nostrum non Clementis sed *Origenis* opusculum esse statuunt, his praesertim freti argumentis, quod nimirum tractatus: *Quis dives salvabitur?* in codice quodam mspto Bibliothecae Vaticanae ad calcem Origenis homiliarum in Jeremiam adjunctus reperiatur; quod stylus illius comtus, mitis, clarus et apertus, multo magis Origenis quam Clementis esse videatur; quod error Originianus iste de praeexistentia animae in hoc libro occurrat; quod denique auctor ipse ad librum suum *De principiis*, opus scilicet ab Origine compositum, provocaverit. Ad quas objectiones paucis respondendum est; et primo quidem, de illo Vaticano codice nihil plane certi constare, num melioris omnino notae sit, utrum antiqua an recentiore manu

---

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. III. c. 23. nr. 2, p. 178; *Idem* ib. Lib. VI. c. 13, init., p. 410.

2) *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 38, Opp. omn. ed. Maur. T. IV. P. II. col. 112.

scriptus etc. Quid, quod *Ghislerius*, qui hoc argumento usus est, postea in Catena Patrum quam ediderat, errorem suum ipse agnoverit, et *Clementi* librum istum vindicaverit? [3]) Ad libri vero *stylum* quod attinet, neque Eusebius in eo quidquam, neque Hieronymus aut Photius, exactissimi procul dubio Critici, animadverterunt, quod ullo modo Clementi minus congruat ac conveniat. Quod porro aiunt *animarum praeexistentiam*, quam Origenes docuit, in hoc opusculo contineri, id temere (ne dicam, injuriosius) faciunt. Etenim aliud nihil ibi reperire est, quam quod *coelum animarum patria* vocatur, et *Patriarchae eam appetiisse* seu reverti in illam voluisse dicuntur. At nonne in ipsum *D. Paulum* haec criminatio redundaret, quem in Epist. ad Hebraeos simile quid docuisse omnes norunt? Quodsi denique addant, ad librum de *Principiis* auctorem provocare, nihil profecto ratio haec priori felicior videtur esse. Nam et *Clemens ipse* de Principiis librum se editurum iterum atque iterum promisit; [4]) et in ea ipsa *De Principiis* expositione se dicit enucleasse, quid sit Christi verbum apud *Marc.* X. 25. At hanc explicationem in *Origenis* opere *De principiis* frustra quaesieris.

§. 308. Quo autem *tempore* praefatus liber exaratus sit, non omnino certum atque expeditum est. Aliquid tamen lucis nobis adfert auctor, siquidem etiam in hoc libro ad eandem, cujus modo supra mentionem fecimus, expositionem *Principiorum et Theologiae* provocat, [5]) et ita quidem provocat, ut eam tunc jam in lucem *editam* fuisse intelligamus; in tertio vero libro Stromatum

---

3) *Mich. Ghisleri* Catena PP. in Jeremiam, in Ej. Commentar. (Lugdun. 1623. III. f.) c. 7. 54.

4) *Clem. Alex.* Strom. Lib. III. c. 3 init. et sub fin., p. 516. 520.

5) *Clem.* Lib. Quis dives salvetur §. 26 in fin., in Ej. Opp. omn. edit. laud. p. 950.

hanc expositionem ceu in posterum *scribendam* promittit. Necesse est igitur, ut ea demum *post tertium*, imo adeo *post septimum librum Stromatum* exarata fuerit, cum nimirum hi libri omnes ita inter se cohaereant, ut nullum aliud opus iis potuisset interponi. Itaque expositio illa Principiorum et Theologiae, si Clemens promisso suo steterit, eamque reapse ediderit, non ante annum 196, et consequenter tractatus *Quis dives salutem consequi possit* anno 197 vel proximis abinde annis prodiit, nisi quis forte posteriorem librum sopita demum persecutione ideoque extremo Clementis vitae tempore conscriptum jure meliori existimaverit.

b) *Argumentum hujus operis et synopsis.*

§. 309. *Duo* Clemens in hoc libro demonstranda sibi sumsit; primo, *divitibus spem salutis consequendae non esse praecisam;* secundo, *divitias, si bene collocatae fuerint, ad eam consequendam non modicum conferre.* Quod est igitur ad *primam* partem, acriter invehitur in eos, qui laudando atque adulando divites depravatum eunt; vituperantur autem pariter ii, qui verba Domini (Marc. X. 25) male interpretantes animo concidunt, ac de salute desperant; atque ii, qui recte quidem effatum illud intelligentes nullam tamen ejus rationem habent. Unde congrua illius dicti *interpretatione* ostendendum esse, non omnibus divitibus salutis consequendae spem praecisam esse, dummodo mandatis divinis obtemperent. 1) His praemissis auctor integro loco, qui de divitibus agit, allato salutem *a solo Deo per Jesum Christum* obtineri posse praefatus uberius exponit, quid Christus ab adolescente desideraverit, cum is interrogaret, *quid sibi ad aeternam felicitatem consequendam faciendum foret:* 2)

---

1) Clem. Alex. Lib. Quis dives salvetur c. 1—3, p. 935—937.
2) ibid. c. 4—10, p. 937—940.

Nimirum non ut suas facultates projiceret, atque omnes a se divitias abdicaret, sed ut vitia et malas animi perturbationes e corde radicitus evelleret, cum praesertim Christus ipse a Zachaeo nihil ultra postularit, imo pauperibus subvenire expresse jubeat, quod absque facultatum possessione fieri non possit. Divitias esse *natura* sua neque bonas neque malas, et posse quemquam tam iis abjectis divitem sceleribus, quam iis retentis pauperem spiritu esse. [3]) Sententiam illam Salvatoris potius metaphoricam esse; at juvenem male eam ad literam sumsisse, atque inde contristatum abiisse. Apostolos vero sensum probe intelligentes sibi metuisse, quod divitiis abjectis tamen vitiis et affectibus necdum liberos se sensissent, ideoque ne a regno coelorum excluderentur formidasse. Christum vero, ut eorum animos erigeret, respondisse: *Quod apud homines impossibile, id possibile esse Deo*, nempe ut divino auxilio adjuventur. Ergo divitem quoque salutem posse consequi, his aliisque superadditis rationibus concludit. [4]) *Secundam* vero orationis partem aggrediens exponit, quomodo divitiae adeo ad salutem consequendam conferre queant, si mandata Dei fecerimus. *Diliges Dominum Deum tuum* etc. . . . *Diliges proximum tuum* . . . haec duo esse maxima praecepta; hisce nobis obedientiam erga Deum et beneficentiam erga proximum inculcatam esse. Divites igitur spe mercedis proposita admoneri, ut *lubenter* et sine murmuratione pauperibus subveniant, et *omnibus* quidem nullo discrimine facto, prae ceteris vero *pupillis*, *viduis*, *senibus*. Hos precibus suis et aliis forsitan beneficiis profuturos nobis posse. [5]) *Caritatis* autem excellentiam auctor probat primo ex ipsius Salvatoris exemplo, cum adeo sanguinem pro nobis fundere dignatus sit; deinde ex eo, quod caritas semper

3) ib. c. 11 — 19, p. 940 — 946.
4) ib. c. 20 — 26, p. 946 — 950.
5) ib. c. 27 — 35, p. 950 — 956.

maneat, et cum seria poenitentia conjuncta peccata delere possit. Verum autem *poenitentiam* esse, in eadem vitia non relabi. Hoc Dei virtute, precibus ac fratrum auxilio posse perfici. Quapropter divitibus suadet, ut sibi virum quendam seligant, qui eos in via virtutis dirigat. Qua data occasione historiam juvenis a *S. Joanne* conversi refert, eaque finita concludit, divites, qui salutis suae curam non habeant, neque Deo, neque divitiis suis, sed sibimet ipsis exitium suum debere imputare. [6])

b. Opera dubia, imo verosimilius supposita.

aa. Octavus liber Stromatum.

§. 310. In fine libri septimi *Stromatum* Clemens spopendit, fore ut *alium* (octavum scilicet) superadderet. An proposito suo steterit, librumque revera composuerit, vix est quod dubitemus. Etenim *Eusebius*, [1]) *Hieronymus* [2]) et *Photius* [3]) apertissime *octo* libros suo tempore extitisse testantur. Photii autem verba (Cod. CXI) haec sunt: *Ac primi quidem septem libri eundem titulum* (sc. Stromata) *praeseferunt, iidemque prorsus sunt in omnibus codicibus. Verum octavus tum inscriptione tum rei subjectae materia variat. In quibusdam enim inscribitur: Quis dives salvetur, ejusque initium est: Qui encomiasticas orationes etc.* [4]) *In aliis vero Stromatum octavus (ut et reliqui septem libri) inscribitur incipiens:*

6) ib. c. 36—42, p. 956—961.

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 13 init., ed. laud. p. 410.

2) *S. Hieron.* in Catal. Scriptt. eccl. c. 38, et in Epist. ad *Magnum*; Opp. omn. ed. laud. T. IV. P. II. col. 113. 656.

3) *Photii* Biblioth. Cod. CX.

4) Qui liber igitur is est, de quo modo supra (§§. 307 sq.) exposuimus; non Stromatum octavus, sed alius quoad materiam et formam plane diversus.

Sed neque Philosophi antiquissimi etc. Hic autem liber alicubi non sana (orthodoxa) *tradit, non tamen ut Hypotyposes; nam multa etiam, quae in his dicta fuerunt, ibi oppugnat* . . . Num igitur octavus Stromatum liber, uti in exemplaribus nostris nunc extat, genuinum Clementis opus sit, inter eruditos multum controvertitur. Inscriptio quidem: *Clementis Alexandrini Stromatum liber octavus*, pariter ac initium: *Sed neque antiquissimi Philosophi etc.* verbis Photii utique respondent. Atvero quoad *materiam* liber iste a prioribus septem plane divergit; totus enim *Logicam* tractat, [5]) cum tamen operis scopus exegerit de *religionis* materia per totum disserere. Dicunt quidem, Clementem ipsum in fine septimi libri dixisse, se nunc *novam* in octavo libro materiam sibi sumturum. [6]) At quis non videt, quod auctor hisce verbis non novam *materiam* pertractandam, sed ex residua ejusdem materiae parte novum *librum* faciendum declarat? Imo alia causa est, quae nos dubitare facit, utrum liber, quem Photius ad manus habuit, idem omnino fuerit atque is, quem *nunc* in nostris editionibus habemus. Dicit enim Photius, quaedam ibi occurrisse, quae *sanae fidei repugnabant;* alia rursus, quae *catholicam doctrinam* adversus errores quosdam in Hypotyposibus obviantes *defendebant*. Sed in nostris exemplaribus nihil plane legimus, quod sive pro christiana fide sive contra eam faciat. Itaque plerique viri docti, in his praesertim *Tobenzius* [7]) et *Lumperus*, [8]) haud absurde colligunt, *nostrum octavum librum esse suppositum, genuinum vero Clementis deper-*

---

5) Cf. Synops. supra expositam §. 304.

6) „*Atque adeo post hunc septimum librum Stromatum de iis, quae deinceps sequuntur aliud sumemus exordium.*“ Clem. Alex. Strom. Lib. VII. c. 18 fin., ed laud. p. 902.

7) *Dan. Tobenz* Institt. usus et doctrina PP. (Ed. III. Vindob. 1819. 8) P. II. §. XCII. p. 181.

8) *Gottf. Lumper* Hist. theolog.-critica de SS. PP. (Aug. Vind. 1783 sqq. XIII. 8) P. IV. p. 114 sqq.

ditum. Unus prope e recentioribus eruditis, vir clarissimus *Moehlerus* genuinitatem illius defendit dicens: Mangel aller inneren Gegengründe bestimmt uns, dieses Buch als ächt anzusehen. Clemens setzte sich darin zum Zwecke, in den Christen die Liebe zum Studium der Philosophie und der schönen Wissenschaften zu beleben, um so auf allen Punkten das Uebergewicht über die Heiden zu behaupten. [9]) Viderit lector, an hoc sibi facile persuadeat. Equidem nihil ejus generis deprehendi. Neque enim de rebus theologicis philosophico modo disputatur, sed *mera artis logicae institutio* traditur; neque id, quod in prioribus libris obtinet, stromaticum *dicendi genus* servatur. Non enim sine ordine ab una materia ad aliam transitur delectabili varietate, quemadmodum in septem prioribus libris uberrima nobis promiscuae eruditionis materia subministratur; sed mirus est rerum in hoc octavo libro expositarum *nexus* et *ordo*. Ceterum hunc librum esse *imperfectum* ac mutilum, supra jam monuimus (§. 304 fin.).

bb. Excerpta ex scriptis Theodoti etc.

§. 311. Opus, cui titulus: *Excerpta e scriptis Theodoti et Epitome doctrinae, quae orientalis vocatur et ad Valentini tempora spectat*, in omnibus fere graeco-latinis Operum Clementis editionibus adjectum est. [1]) Verum in nullo catalogo, quem de operibus Clementis Alexandrini *Veteres* nobis transmiserunt, aliqua vel minima ejus mentio facta est, imo ne unus quidem *codex mss.* ostendi potest, in quo hunc librum observabis. *Stylum* quidem et *phrasin Clementis* majori ex parte prae se fert, in dogmatibus autem adeo non usquequaque consonat, ut, si a Clemente fuissent excerpta, non de

---

9) *J. A. Moehler* Patrologie, ed. Fr. X. Reithmayr. (Ratisbon. 1840. 8) T. I. p. 446.

1) e. gr. in Clem. Opp. ed. Potteri (*Venet.* 1757) p. 966—969,

Clementis sed de Theodoti mente ac sententia pleraque relata viderentur. Praeterquam enim, quod iste liber nonnulla *Basilidis* et *Valentini* deliramenta continet, alia quoque non pauca e diametro opposita sunt iis, quae Clemens in aliis et iis certo *genuinis* libris suis proposuit, e. gr. Deum corporeum esse; Angelos pro nobis baptizatos; singulos homines bonum ac malum Angelum vitae comites habere; ante Christi adventum omnia hominibus ex fato evenisse; praedictiones Astrologorum veras fuisse etc. [2]) Copiosius de hoc scripto agunt *Nourrius* [3]) et *Ceillierius*, [4]) quos adire lubet. *Suppositum* hoc opus esse, vix ulla erit dubitatio. Auctor ejus, quisquis est, in religionis veritatibus obiter instructus, quaecunque sibi in manus venerant, videtur collegisse. Unde praeter plurima nullius frugis ac perversa, multa etiam *notatu sane dignissima* in iis reperiuntur. Sic *Baptismum* administrari *tribus personis in trinitate invocatis*; Baptismum autem *duplicem* distinguit, alterum quidem sensibilem, qui per aquam fit (baptismus *fluminis*); alterum vero intelligibilem per Spiritum (bapt. *flaminis*). Porro: *Panis*, ait, atque *oleum* eadem nominis *(Trinitatis) virtute* sanctificantur, non revera eadem, prout apparent quae sunt accepta, sed virtute quadam *in virtutem spiritualem* mutantur. [5])

cc. *Eclogae ex scriptis Prophetarum.*

§. 312. Tanquam altera superioris libri pars in plerisque nostris Clementinorum operum editionibus etiam

---

2) Cf. Excerpta e Theodoti scriptt. c. 10. 22. 71. 74. 78, in Clem. Opp. ed. laud. p. 970. 974. 986. 987.

3) *Nic. le Nourry* Apparat. ad Biblioth. PP. Lugdun. (Paris. 1703. II. f.) T. I. p. 1310 sq.

4) *Remig. Ceillier*. Histoire générale des auteurs eccl. (Paris. 1729 sq. XXIII. 4) T. II. p. 288 sq.

5) Excerptt. e scriptt. Theodoti l. l. c. 80. 81. 82, p. 987 sq.

Eclogae ex propheticis Scripturis exhibentur.[1]) Haec autem excerpta non e *solis* Prophetis collecta esse, certum est. Plura enim ibi occurrunt, quae vel sacris Prophetarum oraculis *adversantur*, vel in eorum libris *non reperiuntur*. Nec magis certa videtur esse eorum opinio, qui et ipsa haec e *Theodoti* scriptis mutuata dicunt. Nam et stylus in nonnullis et sententiae a superiore libro discrepant, neque omnia ex unius auctoris sententia depromta esse in aprico est. Sunt quidem, qui hunc libellum Clementi nostro tribuunt, ita tamen, ut modo *pro octavo librorum Hypotyposeon*, modo *pro octavo libro Stromatum* eum habeant. Sed eorum opinio nullo antiquioris Patris testimonio adjuvatur. Quod enim *S. Joannes Damascenus* (medio octavo demum seculo) locum quendam ex hoc libro sub Clementis nomine allegavit;[2]) id aliud nihil probat, quam eum in codicem, qui Clementis nomen mentiebatur incidisse, et istas eclogas propterea in genuinis habuisse. Hujus tamen viri sancti in hac re auctoritas eo minus valet, quo certius est, plures ab illo libros spurios genuinis fuisse adnumeratos. Ipsa autem *Parallela*, in quibus locus iste allegatus legitur, inter *dubia* Damasceni opera reponitur a plerisque. Ex eo porro, quod in iisdem Eclogis Pantaenus sub voce *Pantaenus noster* nominetur, eas a *discipulo* quodam S. Pantaeni confectas esse, necessario non fluit, nec, si flueret, hunc discipulum *Clementem* fuisse sequeretur, cum praeter eum jam multi alii eodem magistro uterentur. Contra vero nonnulla sunt, quae nos de illarum genuinitate penitus dubitare jubent. Plurima enim ex *Apocryphis* e. gr. ex *libro Enoch*, ex *apocalypsi* et *praedicatione Petri*, ex aliis ejus generis scriptis proclive hausta sunt, quae sanae doctrinae adversantur. Occurunt etiam

1) Inter alias in edit. supra laud. Potteriana p. 989—1005.

2) *S. Joann. Damasc.* Sacra Parallela lit. Θ. tit. III., ed. Le Quien (Paris. 1712. VI. f.) T. II. p. 533.

loca inepta, absurda, e *Gnosticis* mutuata, de quibus nec ullum vestigium aut volam in libris Clementis genuinis reperire est.

dd. Adumbrationes in Epistolas catholicas.

§. 313. Extant sub Clementis nomine hodiedum etiam *Commentarii in Epistolas quasdam catholicas*, nimirum in *priorem Petri*, in *Judae* epistolam, et in *duas priores Joannis*. Hi commentarii primum a *Fabro Stapulensi* sub titulo *Adumbrationes* laudantur. Supersunt autem hodie *latine* tantum, *nec integre*. [1]) Quae num sint eaedem plane ac istae, quas *Cassiodorus* confecisse se tradit, non liquet. Id certe testatur *Eusebius*, Clementem in libris *Hypotyposeon* praeter alios utriusque testamenti libros etiam *Judae* Epistolam ac *reliquas catholicas* interpretatum esse. [2]) Et verosimile est, Cassiodorum ex illo Clementis opere adumbrationes excerptas in latinum transferri ac (prout ipse ait) ita *emendari* fecisse, *ut exclusis quibusdam offendiculis* (nonnulla enim incaute dicta erant) *purificata doctrina ejus securior possit hauriri*. [3]) Ceterum nos *Ceillierii*, [4]) *Tobenzii*, [5]) *Lumperi*, [6]) aliorum sententiam subscribere non dubitamus, qui istas adumbrationes, quales *nunc* extant, certo certius *diversas* esse ab iis, quas Cassiodorus ex Clemente adornavit, contendunt. Primo enim in nostris nunc exemplaribus *error Pelagianorum* de peccato origi-

---

1) in Opp. Clementis ex ed. Potteri laud. p. 1006 — 1011.

2) *Euseb.* in Hist. Eccl. Lib. VI. c. 14 init., ed. laud. p. 412.

3) *Cassiodori* Institutt. divinarum litt. c. 8, in Ej. Opp. omn. ed. *Garet* (Rothomag. 1679. II. f.) T. II. p. 543.

4) *Ceillier* Histoire générale de auteurs eccl. T. II. p. 287 sq.

5) *Tobenz* Institt. usus et doctr. PP. P. II. §. XCVI. p. 182.

6) *Lumper* Hist. theol. - crit. P. IV. p. 134.

nali invenitur,[7]) quem certe Cassiodorus non neglexisset emendare; secundo sententiae in iis cum *Clementis doctrina* prorsus contrariae exponuntur;[8]) tertio divinitas Jesu Christi et aeterna ejus ex Patre generatio adeo clare stabilitur, ut *Arianos* ex proposito impugnatos, et consequenter scriptum hoc posteriori demum tempore adornatum Clementique suppositum esse, manibus prehendi possit.[9])

ee. Expositio parabolae de filio prodigo.

§. 314. *Jo. Albertus Fabricius* in Opp. *S. Hippolyti* (Hamburg. 1716—19. II. f.) T. II. p. 66—71 sub *Clementis Alexandrini* nomine expositionem *De filio prodigo* typis exprimendam curavit. Sed eam perperam Clementi adjudicari, jam satis ex eo liquet, quod ibi (pag. 70) *Novati Schismatici* mentio facta sit, quem *post* Clementem medio demum tertio seculo vixisse certum compertumque habemus; nisi forte tractatus hujus *pars prior* tantum (ut vult *Grabius*) Clementi nostro vindicanda sit. Stylus enim et exponendi methodus cum Clementina dictione utique congruere videtur. Pars autem *posterior*, ubi *Novati* mentia facta est, eandem quasi denuo retractat parabolam, et procul dubio *alterius* est

7) Adumbrat. in *epist. Judae* in med., in Opp. Clement. ed. laud. p. 1008: „*Sic etiam peccato Adae secundum similitudinem peccati subjacemus.*“

8) Sic e. gr. in principio adumbrationis in *Epist. I Petri* legitur: „*Hinc apparet, quoniam non est naturaliter anima incorruptibilis sed gratia Dei per fidem et justitiam.*“ ... Clem. Opp. ed. laud. p. 1006. Contra vero in Lib. *De anima* (cujus fragmentum nobis superest) Clemens: „*Immortales sunt*, inquit, *omnes animae, etiam impiorum*“ ... ibid. p. 1020.

9) Cf. Adumbr. in *I Epist. Joann.*. in Clem. Opp. ed. laud. p. 1009 sq.

auctoris, cujus nomen forsitan liberarius in margine apponere neglexerat.

2. *Opera deperdita et deperditorum fragmenta.*

a. Institutionum (Ὑποτυπώσεων) libri VIII.

aa. Disquisitio critica.

§. 315. Praeter opera supra recensita genuina, quae ad nos usque pervenerunt (§§. 288—310), multi sunt Clementis libri, qui aetatem non tulerunt. In his praecipue commemorandae sunt Ejusdem *Hypotyposes* s. *Institutiones*, octo libris dispositae, in quibus auctor *Eusebio* testante [1]) omnium *utriusque Testamenti Scripturarum* compendiosam instituit expositionem, ne illis quidem praetermissis, de quibus (tunc) inter multos ambigebatur (sc. *deuterocanonicis* Scripturis). De his igitur institutionibus nunc prope penitus deperditis *Photius* admodum male loquitur, Clementem multa in iis *impie* omnino ac *fabulose* dixisse; in specie vero *materiam aeternam* esse asseruisse, Dei filium in rebus *creatis* numerasse; ad haec animarum *migrationes* multosque *ante* Adamum mundos prodigiose finxisse; quin illum etiam, Verbum carnem non esse factum, sed ita *visum* duntaxat, aliaque non pauca erronea sparsisse, atque haec omnia S. Scripturae testimoniis quasi confirmare nisum esse. Universum autem opus complexum fuisse *Geneseos*, *Exodi*, *Psalmorum*, *Epistolarum Pauli et catholicarum* ac denique *Ecclesiastici* interpretationem. Sic Photius. [2]) Verum enim vero hoc judicium, diligentius siquis examinaverit, multum nobis suspicionis adfert, Photium non ge-

---

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 14 init., ed. laud. p. 412.
2) *Photii* Biblioth. Cod. CIX.

nuino sed *corrupto* librorum Hypotyposeon exemplari fuisse usum. Primo enim Photius l. l. totum opus ad Genesis, Exodi etc. interpretationem restringit, dum econtra Eusebius l. l. disertis verbis asseverat, Clementis institutiones succinctam continere *totius S. Scripturae cum veteris tum novi testamenti narrationem*, imo etiam libros deuterocanonicos. Secundo neque *Eusebius* neque *Hieronymus* ullum ex iis, quos Photius notavit, erroribus observarunt; imo vere S. Hieronymus *cum laude* eosdem libros commemorat. [a]) Accedit, quod *ipse Photius* suspicatus fuerit, Hypotyposes, quales sibi prae manibus erant, ab *alio* intrusas fuisse, cum nempe l. l. dicat: „*Haec et alia id genus sexcenta blasphema voce nugatur sive ipse, sive alius personam ejus indutus.*" Atque ipse Photius alibi iterum atque iterum advertit, Clementem *alios* suos libros *nullis hujusmodi erroribus* foedasse, imo vero haereticos ubique *impugnasse.* Et profecto auctor noster in libris Stromatum sententias adstruit e diametro pugnantes cum his, quas Photius adnotavit in Institutionibus; siquidem Clemens illic diserte docet, mundum *a Deo creatum; Verbum carnem* factum, non secundum apparitionem solum, sed *realiter ac vere* etc. Numquid credibile est de viro in ceteris suis scriptis tam catholico, tamque erudito, ut vel toties sibi plane contraria senserit; vel ea, quae de Deo, non dicam credere sed audire impium est, scripta reliquerit? Quis porro est, qui credat, Arianos in concilio Nicaeno, si tunc temporis jam innotuissent libri tales, quales Photius invenerat, non scripta isthaec magna statim cum ostentatione adversus Orthodoxos protulisse? His omnibus rite collectis examinatisque non est dubium, Hypotyposeon libros *a posterioribus demum Arianis adulteratos* esse, Photium vero talem jam *depravatum* codicem prae manibus habuisse.

---

a) *S. Hieron.* Epist. ad Magnum, in Ej. Opp. omn. ed. Maur. T. IV. P. II. col. 656.

bb. *Fragmenta ex iis excerpta.*

§. 316. Non igitur nos piget adferre aliqua fragmenta, quae veteres Scriptores ac praesertim *Eusebius*, saniorem codicem nactus, e hisce libris Hypotyposeon memoriae nostrae prodiderunt. Et is quidem e quinto libro notat, *Barnabam Cepham* (sc. illum, cui Antiochiam ingresso Paulus se palam restitisse dicit, Gal. II. 11) et *Matthiam* et *Thaddaeum* e numero *Septuaginta discipulorum Domini* fuisse. [1]) E libro sexto narrat: „Post Servatoris ascensum *Petrum* et *Jacobum* et *Joannem*, quamvis Dominus ipsos ceteris praetulisset, non idcirco inter se contendisse, sed *Jacobum cognomine Justum Hierosolymorum Episcopum elegisse;*“ et ex septimo Institutionum libro tradit, *tres illos Apostolos a Domino post resurrectionem scientiae dono fuisse praeditos*, *quod illi ceteris Apostolis, hi vero septuaginta Discipulis communicaverint.* [2]) Ex eodem libro septimo Clementis adfert, eum, qui S. Jacobum (Majorem scil.) judicio obtulerat, cum illum vidisset Christi fidem libere confitentem, tanta viri constantia commotum *se quoque Christianum esse affirmasse. Ambo igitur*, pergit Clemens, *simul ad supplicium ducti sunt. Cumque inter eundum rogasset Jacobum comes, ut sibi ignosceret, paulisper moratus Jacobus: Pax tibi, inquit, statimque illum osculatus est. Ita simul ambo capite truncati interiere.* [3]) In libro sexto Hypotyposeon Clemens eodem Eusebio testante refert, *Marcum Evangelistam* rogatum ab iis, qui Petrum audierant, ut doctrinam illius conscriberet, *Evangelium quod secundum Marcum dicitur, exarasse.* Quod quum Petrus, ait, per revelationem S. Spiritus cognovisset, delectatus ardenti hominum studio *librum illum auctoritate sua comprobavit*,

---

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. I. c. 12, ed. laud. p. 54 sq.

2) ib. Lib. II. c. 1, p. 69. nr. 2.

3) ib. c. 9, p. 86. nr. 1. 2.

ut deinceps in Ecclesiis legeretur. [4]) Aliud ex libro Institutionum quinto fragmentum extat in *Moschi* Monachi († c. a. 620) opere, cui titulus *Pratum spirituale* c. 176, ubi Clemens dicitur narrasse, quod Christus solum *Petrum* baptizaverit, Petrus deinde *Andream*, Andreas *Jacocum et Joannem*, illi autem *reliquos*. [5]) Aliud porro ex eodem Clementis libro in *Chronico Paschali* legitur *De septuaginta Discipulis Domini*. [6]) Alia ex libro III. IV. V. VII. ejusdem operis Institutionum exhibentur ab *Oecumenio Triccensi* († c. a. 980) in suis Commentariis, et quidem ad Epist. I Cor. XI. 10; Epist. II Cor. V. 16, VI. 11; Epist. ad Gal. V. 24; Epist. I Timoth. III. 16, V. 8. 10. 21, VI. 13; Epist. II Timoth. II. 2, ubi variae Clementis in illa loca expositiones leguntur. [7]) Multa praeterea in *PP. Catenis* occurrunt, quae ex Hypotyposibus aliisque Clementis libris excerpta dicuntur. [8])

b. Opuscula alia deperdita.

§. 317. Praeter libros Hypotyposeon inter Clementis opera deperdita referuntur: *Liber de Paschate*, cujus *Eusebius*, [1]) *Hieronymus* [2]) et *Photius* [3]) mentionem faciunt. Extant ejus libri duo fragmenta in Opp. *Clem.* ed. Potter. (Venet. 1757) p. 1017. — Alius cum inscrip-

4) ib. c. 15, p. 97, nr. 1. 2.

5) ext. hoc fragm. in *Clem.* Opp. ed. laud. p. 1016.

6) Chron. Pasch. ed. *L. Du Fresne du Cange* (Paris. 1688) p. 224.

7) ext. in *Clem.* Opp. ed. laud. p. 1014 sq.

8) ibid. p. 1011 sq.

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. IV. c. 24, Lib. VI. c. 13 init., p. 280. 410 ed. laud.

2) *S. Hieronym.*, Catal. Scriptt. eccl. c. 38, in Ej. Opp. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 113.

3) *Photii* Bibl. Cod. CXI.

tione *De canonibus ecclesiasticis et adversus eos, qui errores Judaeorum sequuntur*, in quo libro, similiter a supra dictis laudato,[4]) Clemens specialem ritum celebrandi Paschatis in Ecclesia approbatum adversus Judaizantes vindicabat. Unum quod suppeditat fragmentum legitur in *Nic. Nourrii* Apparat. ad Biblioth. SS. PP. Lugduni editam T. I. p. 1334. — Alium ejusdem librum s. tractatum *Eusebius* et *Hieronymus* l. l. citant, cui titulus *De jejunio*, de quo nihil plane ad nos pervenit. — Rursus alius ab *Eusebio* et *Hieronymo* l. l. recensitus *De obtrectatione* (calumnia), cujus unus brevis quidem sed egregius locus conservatus est ex *Antonii Melissae* Serm. Lib. II. 69, vd. Opp. *Clement*. ed. laud. p. 1020. — Porro *Eusebius* l. l. libri meminit *De patientia*, ad Neophytos scripti, qui totus periit. — Alium librum in *Prophetam Amos* Palladius commemorat,[5]) sed et is penitus interiit. — Alium rursus *De providentia S. Maximus* laudat, et duo exinde fragmenta memoriae prodidit.[6]) Aliud ejusdem libri fragmentum ex Mss. regio codice exhibetur in *Nic. Nourrii* Apparat. ad Biblioth. PP. max. Lugd. T. I. p. 1336, et in *Andr. Gallandii* Biblioth. vett. PP. T. II. p. 159. — Liber item *De anima*, ad quem ipse *Clemens* provocat, et in eo se acturum promittit de Marcionitarum dogmate.[7]) Duo, quae huc spectant, loca ab *Antonio Melissa* et *S. Maximo* excerpta legimus in *Clem*. Alex. Opp. editione Potteriana saepius laudata p. 1020. Quae loca, cum in editis Clementis

4) *Euseb*. Hist. Eccl. Lib. VI. c. 13, p. 410; Hieron. et Phot. ll. ll.

5) *Palladius* in Hist. Lausiaca, ed. Meursii (Lugd. Batav. 1616. 4) p. 147.

6) *S. Maximi* Opp. ed. Combefis. (Paris. 1675. II. f.) p. 144 et 152.

7) *Clem. Alex.* in Strom. Lib. III. c. 3, et Lib. V. c. 13 fin., ed. laud. p. 516. 699.

libris nusquam reperiantur, ex ejus libro supra commemorato petita videntur.

§. 318. Praeter hanc elucubrationem De anima alias quoque tum in Paedagogi tum in Stromatum libris commemorat ipse Clemens. Et in Paedagogo quidem ad librum provocat *De continentia*, quem a se elaboratum dicit; [1]) item ad sermonem *De nuptiis* (γαμικὸς λόγος), [2]) nisi forte eandem illam de Continentia orationem significare voluit. Alia demum in posterum se scripturum professus est, e. gr. librum *De mysteriis*; [3]) *De resurrectione*; [4]) *De Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum et Viduarum officiis*. [5]) Plura adhuc ingenii sui monumenta promittit in Libris Stromatum, e. gr. *De Angelis*, [6]) *De prophetia*, [7]) *De diabolo*, [8]) *De Ecclesiae unitate et excellentia*, [9]) al., de quibus sibi postmodo disserendum profitetur. Gnosticos quoque, Encratitas, Basilidianos, Valentinianos ab ipso refutatos esse, *Epiphanius* (Haeres. XXXI. nr. 33) et *Theodoretus* (Haerett. Fabul. Lib. I. c. 4. 19) referunt. Cum tamen id passim facit in Stromatum libris, adeoque magis in Hypotyposibus fecisse videtur, id sane non potest affirmari, animum ipsi fuisse, de singulis *peculiares* libros conscribere.

---

1) *Paedagog*. Lib. II. c. 10 med., ed. laud. p. 226, cf. c. 6. p. 199.

2) ibid. Lib. III. c. 8 init., p. 278.

3) ib. Lib. I. c. 2 med., p. 102.

4) ib. Lib. II. c. 10 med., p. 232.

5) ib. Lib. III. c. 12 sub fin., p. 309.

6) *Stromat*. Lib. IV. c. 12 med., p. 601.

7) ibid. Lib. I. c. 24 init., p. 416; Lib. IV. c. 13 sub fin., p. 605; Lib. V. c. 13 in fin., 699.

8) ib. Lib. VI. c. 3 med., p. 755.

9) ib. Lib. VII. c. 17 fin., p. 900.

3. *Operum variae editiones.*

a. Opera plura simul edita.

§. 319. Ex libris Clementis Alexandrini primum in lucem editi sunt: *Logos protrepticus*, *Paedagogus et Stromata*. Opera haec unacum Epitomis e scriptis Theodoti et Eclogis ex propheticis Scripturis, sed *graece tantum*, e codice Mediceo - Florentino publici juris fecit *Petrus Victorius*, Florentiae 1550. fol.; multo autem emendatius additisque variis lectionibus *Frid. Sylburgius*, *Philol. et Polyhist. Heidelbergensis*, Heidelb. apud Commelin. 1592. f. — Interea eadem, omissis tamen Epitomis et Eclogis supra dictis, *latine tantum* prodierunt, Florent. ap. Laur. Torretin. 1551. f., et Stromata quidem *Cyriacus Strozza* interpretatus est; Protrepticus autem et Paedagogus a *Gentiano Herveto*, *Canonico Remensi*, latinitate donati sunt. Ex ejusdem Herveti versione, additis insuper ejusdem observationibus ac notis, postea non solum Cohortatio et Paedagogus, sed etiam Stromata excusa sunt Basil. ap. Froben. 1556. fol., et Paris. per Thom. Guarinum 1566. 8, deinde ibid. 1572 ac saepius in fol. Eadem tria opera ex editione Herveti et recognitione *Dan. Heinsii*, adjectis tum libro *Quis dives salvetur*, tum *Eclogis propheticis* et *Adumbrationibus in Epistolas canonicas* perperam Clementi adcensitis, recepta sunt in Max. Biblioth. vett. Patrum editam *Lugduni* (1677) T. III. p. 1 sqq. — Primam vero *graeco-latinam* editionem Protreptici, Paedagogi et Stromatum textu graeco recensito et Hervetiana versione emendata curavit *Daniel Heinsius*, *Prof. in Academia Lugd. Batav.*, eamque cum suis et Sylburgii annotationibus in publicum emisit, Lugduni Batav. 1616. f., recus. Paris. 1621. f., et cum notis *Front. Ducaei* ibid. 1629 et emendatius 1641. fol. *Optime* autem gr. et lat. edita sunt *Opera Clementis Cohortatio ad gentes*, *Paedagogus*, *Stromata*,

Liber Quis dives salvetur, item Excerpta e scriptis Theodoti et Eclogae e scripturis propheticis, atque omnia quae extant librorum deperditorum fragmenta, cum commentario *Herveti* et *Sylburgi*, *Heinsii* etc. suisque annotationibus instructa et emendata ab *Jo. Pottero*, *Episc. Cantuariensi*, Oxon. 1715. fol.; recusa Venetiis ap. Ant. Zattam II Voll. sed continuatis paginis, 1757. f., et iteratis typis Wirceburg. 1778. III. 8. Novissime vero prodierunt cur. *Reinh. Klotz*, Lipsiae 1831 sq. IV. 8.

b. Singulares libri Quis dives salvetur editiones.

§. 320. Quod autem librum *Quis dives salvetur* in specie attinet, is primus in Cod. Mss. Vaticano inter *Origenis* Homilias repertus, atque inde falso sub hujus Scriptoris nomine a *Mich. Ghislero* unacum versione latina *Matth. Cariophili* in Commentario in Jeremiam (Lugdun. 1633. III. f.) T. III in lucem emissus est. Eundem postea sub vero *Clementis* nostri nomine, nova versione notisque illustratum evulgavit *Fr. Combefisius* in suo Auctario noviss. Biblioth. graecc. PP. (Paris. 1672. II. f.) T. I, ex qua editione latine recusus est liber in T. III Biblioth. PP. max. *Lugdun.*, ut supra jam diximus. Alias et eas quidem variis notis instructas editiones curarunt *Jo. Fellus*, *Episc. Oxoniensis*, Oxon. e theatro Sheldon. 1683; *Thom. Ittigius*, Lips. 1700. 12; et nostra aetate cum perpetuo commentario *C. Segaar*, Ultraj. Rhen. 1816. 8, quam editionem in usum scholarum accommodavit *H. Olshausen*, Regiomont. 1831. 8.

C. Doctrina Clementis.

1. Dogmatica.

a. De SS. Scripturis.

aa. De canonicis libris.

§. 381. Perpauci sane sunt totius sacri codicis libri, quos Clemens in scriptis suis non allegaverit. Loca enim prope innumera e libris quinque Moysis, e libro Job, e Psalmis, Proverbiis, e libro Sapientiae, Ecclesiastici et e Prophetis majoribus excerpsit; imo nonnulla etiam e libris Josuae, Judicum, duobus Samuelis et totidem Regum, e libro Esther, Ecclesiastes, Tobiae, Judith, Baruch, e libris Esdrae, Threnorum Jeremiae, minorum Prophetarum et Maccabaeorum desumta sunt, ita ut praeter librum *Ruth*, *Canticum Canticorum*, et *Abdiam prophetam* nihil sit, quod e toto *veteris* testamenti codice desideraveris. Pariter e *novo* testamento omnes, quotquot in sacro canone leguntur, libros (sola Epistola *ad Philemonem*, *Petri secunda* et epistola *Jacobi* excepta) laudat. In his, quod notatu nobis dignissimum est, libri etiam *deuterocanonici* recensentur, quamvis minus liqueat, num et his omnibus eandem quam ceteris *divinam* concesserit auctoritatem. Quid de libris Esther, Tobiae, Sapientiae, Ecclesiastici senserit, dubitare vix poteris, cum eos *instar S. Scripturae* saepius alleget. Contra verosimilius Maccabaeorum libros in canonem receptos *non* habuit. In novi autem testamenti libris Petri secundam et Jacobi Epistolam non recepit. Sunt quidem, qui nonnulla in ejus scriptis ex epistola *Jacobi* loca recitata se deprehendisse putant, et ad *Cassiodorum* provocant, quippe qui in libro *Divinarum Institutionum* c. 8 Clementem nostrum epistolis S. Petri prima, Joannis prima et secunda, item Jacobi epistola usum fuisse diserte dixerit.

At ibi Jacobi nomen pro *Judae* per errorem calami sive auctoris sive librarii irrepsisse; loca autem, quae ex epistola Jacobi depromta videantur, ejusdem revera non esse *Lardnerus* satis ostendit.[1]) Id tamen de *divina* hujus quoque epistolae auctoritate dubium nobis injicere minime debet, cum eam, etiamsi Clemens ignorarit, ab aliis tamen antiquissimis scriptoribus, *SS. Herma*,[2]) *Clemente Romano*,[3]) *Athenagora*,[4]) *Irenaeo*[5]) (ut recentiores omnes praetermittamus) satis agnitam reperiamus. Atque idem fere de *secunda Petri* epistola obtinet. Verum alia res est, quae curiosioribus forte criticis suspicionem moveat, et Clementis Alexandrini judicium ac testimonium de canonicis scripturis possit infringere. Is enim non semel alios quoque libros allegat, et eos quidem, qui a sacro divinarum Scripturarum numero procul abigenda sunt. Provocat nimirum ad *Pastorem Hermae*, porro ad epistolas *Barnabae* et *Clementis Romani*, quos adeo Apostolos vocitat;[6]) denique ad *Evangelium Matthiae*, ad *Evangelia Hebraeorum*, *Aegyptiorum*; ad *praedicationem*

---

1) *Nath. Lardneri* Glaubwürdigkeit der evangelischen Geschichte, ex serm. Anglic. transvers. a *D. Bruhn* et *J. D. Heilmann* (Berol. 1749. V. 8) T. I. P. II. p. 414 seq. et 421.

2) *S. Hermas* in Pastor. Lib. II. Mand. XII. c. 1. 5. 6, in Hefelii PP. Apostt. Opp. p. 178. 182. 183, Cf. *Jacob.* Epist. III. 17, IV. 7. 12; item Past. Herm. Lib. III. Simil. V. 4, VIII. 6, p. 191. 206, Cf. *Jacob.* I. 5. 6, II. 7.

3) *S. Clem. Rom.* in I Epist. ad Corinth. c. 10 et 17 init., in Hefelii Opp. PP. Apostt. p. 35. 41, Cf. *Jacob.* Epist. II. 23; Clem. ib. c. 23 med., p. 45, Cf. *Jac.* I. 8; Clem. ib. c. 30 med. p. 49, Cf. *Jac.* IV. 6; al.

4) *S. Athenagor.* in Legat. pro Christian. c. 3, Opp. S. Justini, Tatiani, Athenagorae etc. ed. Marani p. 37, Cf. *Jac.* III. 13, V. 7.

5) *S. Irenaeus* adv. Haeres. Lib. IV. c. 16, V. c. 1, ed. Massuet. p. 246, 292, Cf. *Jac.* II. 23, I. 18.

6) *Clem. Alex.* Strom. Lib. II. c. 6 fin., in Ej. Opp. ed Potteri (Venet.) p. 445; Lib. II. c. 7 fin., p. 447; Lib. IV. c 17 init., p. 609.

Petri etc. Sed hi, qui talibus offenduntur, probe meminerint, auctoritatem magnam, quam Clemens libro *Hermae* tribuit, non ad ipsum Hermam referri, sed ad *Pastorem* illum, *Angelum scilicet pastorali habitu indutum*, a quo Hermas visiones suas et mandata acceperat. Vox autem *Apostoli*, quam de Barnaba et Clemente usurpavit, idem ipsi significare videtur, ac si *viros Apostolicos* et *discipulos Domini e numero Septuaginta* eos vocitasset. Quod enim illos non eo sensu, quo Petrum, Paulum, ceteros *immediate a Christo Domino institutos* (cf. §. 7), Apostolos appellaverit, ex alio loco satis jam elucet, ubi Barnabam *Apostolicum*, unum *e sptuaginta* et *Pauli adjutorem* disertis verbis nominat.[7]) Si autem Barnabam ab Apostolis stricte talibus et consequenter etiam illius epistolam ab epistolis apostolicis distinxit, id non minus de *Clemente* obtinere credibile est. Quod denique ad *apocrypha* attinet, quibus Clemens passim juxta canonicas Scripturas usus est, ea nonnisi adversus singulares *Haereticos*, eos nempe, qui unum alterumve illorum librorum adoptaverant, in medium prolata reperies. Nunquam vero ejusmodi scripta *divinis* adnumeravit, aut *inspirata* dixit. Alioquin id Eusebius, qui in Clementis codice describendo longus est, nequaquam tacuisset. At is expresse tradit, Acta et Praedicationem Petri (cetera ejus generis apocrypha) nec a priscis nec a recentioribus catholicae Ecclesiae Doctoribus in numero *canonicorum librorum* fuisse receptos.[8])

bb. De Hagiographorum inspiratione.

§. **322.** Hos igitur tam veteris quam novi testamenti libros, quos in sacro canone receptos credimus ac veneramur, a suis auctoribus *divino S. Spiritus afflatu*

---

7) *Idem* ibid. Lib. II. c. 20 med., ed. laud. p. 489.

8) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. III. c. 3, ed. laud. p. 134 nr. 1.

compositos fuisse, Clemens diserte docet. Sic in Cohortatione ad gentes: *Varias*, ait, *Salvator noster voces adhibet, et varias experitur vias, ut homines ad salutem perducat. . . . Postea prophetis usus est; ipse Dominus in Jesaia loquitur, ipse in Elia, ipse in ore Prophetarum.* [1]) Mox deinde his disputationem suam orditur verbis: *Jeremias propheta sanctissimus, vel in Jeremia potius S. Spiritus, Deum ostendit.* [2]) . . . Et postquam varia utriusque sacri codicis testimonia protulit, continuo subnectit: *Os Domini, Spiritus Sanctus, ea locutus est.* [3]) . . . *Fieri enim nequit, ut illae literae non sint sacrae, quae non modo sanctos sed etiam divinos faciunt.* [4]) In libris vero Stromatum dicit: *Qui divinis Scripturis firmo judicio credit, demonstrationem, cui contradici nequit, Dei scilicet, qui Scripturas nobis dedit vocem, accipit.* [5]) Et alibi: *Hac ergo ratione non sunt pii, qui divinis praeceptis non acquiescunt, h. e. Spiritui Sancto. . . .* Contra vero, *qui parent Domino*, . . . hos Deus ducit, *ducit autem per Scripturas divinitus inspiratas.* [6])

cc. De S. Scriptura scite ac religiose interpretanda.

§. 323. Clemens S. Scripturam divinae veritatis esse fontem asserit, dummodo rite exponatur. Duplicem vero auctor ostendit esse Scripturae sensum, *literalem* et *allegoricum*, atque hunc quidem difficilius intelligi confitetur. Cur autem tantis obscuritatis latebris involuta sit S. Scriptura, cum commune sit omnium bonum, hoc potissimum in causa est, *ut diligentius inquiramus*, et *sen-*

---

1) Clem. Cohort. ad gent. c. 1 sub fin., ed. Potteri (Venet.) p. 8.

2) Id. ib. c. 8 sub. init., p. 66.

3) ib. c. 9 init., p. 68.

4) ib. c. 9 sub fin., p. 71.

5) Strom. Lib. II. c. 2 fin., p. 433.

6) ib. Lib. VII. c. 16 med., p. 893. 894.

per in intelligenda salutari invigilemus doctrina. Praeterea non expediret omnibus hominibus eam intelligere, ne fraudi illis esset, si aliter atque aliter acciperentur ea, quae a Spiritu Sancto dicta sunt salutariter. Quocirca parabolis teguntur sancta Prophetarum mysteria, electis tantum asservata hominibus; [1]) . . . *et veritas multis modis occultatur, iisque solis, qui sunt initiati ad cognitionem, qui veritatem quaerunt propter caritatem, lucem exoriri facit.* [2]) Cum enim SS. Scripturae vera sint S. Spiritus oracula (§. 322), et gratia coelestis illuminet cor hominis, ut recte sentiat, et divinas literas probe intelligat; facile intelligitur, Spiritum divinae sapientiae non intrare in animum iniquum et sua prudentia gloriantem. Unde Clemens: *Omnes quidem homines*, inquit, *idem habent judicium; alii quidem, quod Logos dictat sequentes, faciunt quod credunt; alii autem, cum se ipsos dederint voluptatibus, Scripturam torquent ad suas cupiditates. . . . Necesse est* autem *labi in maximis eos, qui res maximas aggrediuntur, nisi regulam veritatis ab ipsa Veritate acceptam tenuerint. Qui autem eo devenerunt, ut a recta via exciderint, merito etiam falluntur in pluribus singularibus, propterea quod non habeant verorum et falsorum judicium plane exercitatum in iis, quae oportet, eligendis. Si enim haberent, parerent Scripturis divinis.* [3]) . . . Deinde castigans Haereticos, qui SS. Scripturas variis modis corrumpere et adulterare audebant: *Hi sunt*, ait, *qui inter legendum tono vocis pervertunt Scripturas ad proprias voluptates, et quorundam accentuum et punctorum transpositione, quae prudenter et utiliter praecepta sunt, ad suas trahunt delicias.* [4]) . . . *Quodsi* vero *propheticis quoque Scripturis uti ausi fuerint haeretici; primum quidem*

---

1) Clem. Strom. Lib. VI. c. 15, ed. laud. p. 803.
2) ib. c. eod., p. 805.
3) ib. Lib. VII. c. 16 sub init., p. 890.
4) ib. Lib. III. c. 4 in fin., p. 529.

non omnibus, deinde non perfectis, neque ut dictat corpus et contextus prophetiae utuntur; *verum eligentes ea, quae dicta sunt ambigue, traducunt ad proprias opiniones, paucas voces sparsim carpentes, neque id considerantes, quod ex ipsis significatur, sed ipsa nuda dictione utentes. Nam in omnibus fere, quae adducunt, locis ipsos sola intueri videbis nomina, ut qui mutent significata, neque, quemadmodum dicuntur, cognoscant, neque iis, quas afferunt, allegationibus ita, ut earum natura postulat, utantur.... Neque ergo volunt converti ad veritatem, utquos pudeat sui in seipsos amoris deponere praerogativum, neque sciunt qua ratione possint suas stabilire opiniones, Scripturis vim afferentes. Cum autem ad falsa in vulgus proferendum dogmata processerint, cum omnibus fere scripturis evidenter pugnantes, et semper a nobis, qui contra eos dicimus, confutati, postremo nunc quoque pergunt se opponere, partim quidem ex propheticis aliqua non admittendo, partim autem nos, quasi simus alterius naturae, et ea, quae sunt illorum propria, non possimus intelligere, calumniando.... Semper enim id potius sumunt, quod eis visum fuerit esse evidentius, quam quod dictum est a Domino per prophetas et ab Evangelio, quodque Apostolorum testimonio comprobatum est et confirmatum.* [5]) Quapropter de genuino S. Scripture sensu inveniendo hanc quasi regulam nobis adstruit: *Veritas non invenitur in translatione significationum (sic enim omnem veram everterent doctrinam); sed in eo, quod quis consideret, quid Domino et omnipotenti Deo perfecte conveniat eumque deceat; et in eo, ut confirmet unumquodque ex iis, quae demonstrantur per Scripturas, ex ipsis rursus similibus Scripturis.* [6]) Vere igitur perfectas esse Scripturas docet, et ineluctabile omnium controversiarum criterium. *Principium enim doctrinae*, inquit, *habemus Dominum, qui et*

5) ib. Lib. VII. c. 16 med., p. 891 sq.
6) ib. c. eod. p. 891.

per Prophetas, et per Evangelium, et per beatos Apostolos multifarie multisque modis a principio ad finem deducit cognitionis. Principium autem, si quis alio opus habere existimaverit, non utique vere poterit manere principium. Qui est ergo ex se ipso fidelis, ei merito fides habetur in Dominica Scriptura et voce, quae per Dominum operatur ad hominum beneficium. Ipsa autem tanquam criterio utimur ad res inveniendas. Quidquid autem judicatur, non creditur, priusquam fuerit judicatum, quare nec est principium id, quod habet opus judicio. Merito ergo, cum fide comprehenderimus principium indemonstrabile, ex abundanti etiam ab ipso principio de principio demonstrationes sumentes, voce Domini erudimur ad agnitionem veritatis. Neque enim hominibus simpliciter enuntiantibus fidem habeamus, quibus licet etiam enuntiare contrarium. Si autem non sufficit, simpliciter quod videtur dicere, sed insuper oportet probare, quod dictum est; non exspectamus testimonium hominum, sed voce Domini probamus quod quaeritur, quae est magis fide digna, quam quaevis demonstratio, vel potius quae est sola demonstratio. . . . Sic ergo nos ex ipsis Scripturis de Scripturis perfecte demonstrantes, ex fide persuademur via demonstrationis. [7]) Cum autem divina sit S. Scripturae auctoritas, et per se sola sufficiens ad cognitionem veritatis, quo factum est, ut controversiae enascerentur et haereses? Scilicet Scriptura divinitus inspirata infallibilem *per se* quidem veritatis certitudinem parit omnibus, qui nullis praeoccupati cupiditatibus sincere ac diligenter scrutati fuerint, nec ecclesiasticam *Traditionem* contempserint. Sed Haeretici, cum *non de veritate* agerent *(nam quae sunt in medio posita et in promtu nobis, ea tanquam vilia contemserunt)*, sed, *quod est commune in fide, id superare contenderent, excesserunt a veritate. Nam cum ecclesiasticae cognitionis non didicerint mysteria, neque veritatis*

7) ib. p. 890 sq.

perceperint majestatem; ut qui in profundis rebus perscrutandis fuerint socordes, et superficie tenus legerint, Scripturas valere jusserunt. Inani ergo sapientiae opinione elati ... non necessariis rerum principiis nituntur, sed humanis moti opinionibus, nihil non, ut ad finem suum perveniant, moliuntur. ... Quae est autem apud nos agnitio veritatis, efficit, ut ex iis, quae jam fidem obtinuerunt, iis, quae nondum fidem obtinuerunt, fides habeatur; quae quidem est essentia, ut ita dicam, demonstrationis. Sed omnis, ut videtur, haeresis ab initio habet aures, quae non audiunt id, quod est utile, sed solum patent iis, quae dicuntur ad voluptatem. [8])

b. De divina Traditione.

§. 324. Clemens Alexandrinus *duplicem* tum fidei tum morum regulam agnovit, sacram scilicet *Scripturam* et *Traditionem*. Traditiones autem ab *hominibus* ortas, quae sunt *secundum elementa mundi, non secundum Christum* (Coloss. II. 8) probe distinguit a *divina* Traditione, quae ab Apostolis ex Christi ore accepta ad homines profluxit. Ipsum se magistris usum esse dicit, *qui veram beatae doctrinae servabant traditionem, illa a majoribus data et apostolica semina, quae a Petro et Jacobo et Joanne et Paulo sanctis Apostolis, ita ut filius acciperet a patre, ... ad nos quoque Deo volente pervenerunt.* [1]) Simulque caussam ingerit, cur Apostoli discipulis suis, atque hi deinceps aliis quaedam sine scripto sed viva voce tradiderint. *Divinis enim*, inquit, *mysteriis et sancta illa luce impertiri illos concessit* Dominus, *qui ea possent capere... Jam vero non multis revelavit ea, quae non erant multorum, sed paucis, quibus sciebat convenire, et qui ea possent accipere et ex eis informari. Arcana enim, sicut*

---

8) ib. p. 892.

1) Clem. Strom. Lib. I. c. 1 med., p. 322.

Deus, verbo creduntur, non scripto. [2]) Et per Sapientiam (sc. ipsum Christum) edisci traditionem gnosticam fatetur. *Cognitio autem ipsa,* ait, *ea est, quae per successionem ad paucos ex Apostolis absque scriptis tradita pervenit.* [3]) Contra Haereticos autem, qui Traditionem respuunt, aperte scribit: *Homo Dei esse desiit, qui adversus ecclesiasticam calcitravit traditionem, et in humanarum haeresium desiluit opiniones.* [4]) . . . Et rursus: *Sunt enim socordes, qui, cum liceat ex ipsis Scripturis divinis demonstrationes Scripturis colligere convenientes, id omnino non faciunt, sed, quod eorum voluptatibus suffragatur, eligunt. Gloriae autem tenentur desiderio, qui ea, quae ex sua natura conveniunt sermonibus divinitus inspiratis, tradita a beatis Apostolis et Magistris, sua sponte fallaci simulatione corrumpunt per alias traditiones, humanis doctrinis resistentes divinae traditioni, ut haeresin constituant.* [5]) Hanc autem divinam et apostolicam traditionem non aliunde peti posse nisi a Majoribus demonstrat, iis nempe, qui sunt in Ecclesiae catholicae communione; *Ecclesia* enim non solum Scripturarum divinarum infallibilis interpres, sed etiam sedula Traditionis custos est.

c. *De Ecclesia.*

aa. *Ecclesia divinae veritatis magistra.*

§. 325. Fidei nostrae depositum divina tum *Scriptura* tum *Traditione* ad nos transmissum ab *Ecclesia catholica* integrum dicit atque illibatum conservari. *Ii,* ait, *recta sunt omnia, qui Scripturarum expositionem ex ecclesiastica regula accipientes conservant. Regula autem*

2) ib. c. eod. p. 323.
3) ib. Lib. VI. c. 7 in fin., p. 771.
4) ib. Lib. VII. c. 16 sub pr., p. 890.
5) ib. c. eod. in med., p. 896.

ecclesiasticus est concentus et consensio Legis et Prophetarum congrua cum testamento (novo), *quod traditur per Domini adventum.* [1]) Ita alibi: *Is ergo*, ait, *solus, qui est Gnosticus* (perfecta cognitione praeditus), *cum in ipsis consenuerit Scripturis, apostolicam et ecclesiasticam servans dogmatum rectitudinem, ... demonstrationes ita, ut quaerit, invenit; utqui emittatur a Domino, a Lege et a Prophetis.* [2]) ... Et in Haereticos deinde invehens: *Hi*, ait, *qui verbis divinis non recte sed perverse utuntur, neque ipsi in regnum coelorum ingrediuntur, neque eos, quos deceperunt, sinunt assequi veritatem. Nec enim ipsi introitus clavem habent, sed falsam quandam et aversam clavem, per quam, non relaxato velo, uti nos ingredimur, per Domini traditionem, sed exciso ostio et muro Ecclesiae clam perfosso veritatem transgrediuntur.* [3]) ...

bb. *Verae Ecclesiae notiones.*

a) Est omni haeresi antiquior.

§. 326. Quemadmodum *S. Irenaeus*, ita et *Clemens noster* Haereticis ante omnia antiquitatem catholicae religionis opponentes jam ex eo, quod illi *nova* tradunt dogmata, haec falsa esse atque erronea, veritatem autem a sola Ecclesia peti posse demonstrat. *Quod autem Haeretici sua conciliabula* demum *post catholicam Ecclesiam fecerint, non est opus multis probare. Nam Domini doctrina, quae fuit in adventu, cum coepisset ab Augusto, medio tempore Tiberii consummatur; Apostolorum autem ejus doctrina usque ad Pauli ministerium Neronis tempore consummatur. Inferius autem circa tempora Hadriani imperatoris fuerunt, qui haereses excogitarunt, et pervenerunt usque ad aetatem Antonini natu majoris, ut Basi-*

1) Strom. Lib. VI. c. 15 med., p. 803.
2) ib. Lib. VII. c. 16 sub fin., p. 896
3) ib. Lib. VII. c. 17 init., p. 897.

lides, . . . Valentinus, . . . Marcion etc. . . . Quae quum ita se habeant, clarum est, demum ex antiquissima et verissima Ecclesia has recentiores et quae his sunt adhuc inferiores aetate, fuisse innovatas adulterinae notae haereses. 4)

5) Semper et ubique una ac proinde unica.

§. 327. Et immediate post haec idem Clemens: *Ex his*, ait, *quae dicta sunt manifestum esse existimo, unam esse veram Ecclesiam, eam, quae vere est antiqua. . . . Nam cum unus sit Deus et unus Dominus, propterea id etiam, quod est summe venerabile* (i. e. Ecclesia), *ex eo, quod sit unicum, laudatur; ut quod sit imitatio principii, quod est unum. In unius ergo naturae sortem cooptatur Ecclesia, quae est una, quam conantur haereses in multas discindere. Et essentia ergo et opinione et principio et excellentia solam esse dicimus antiquam et catholicam Ecclesiam, in unitatem unius fidei, quae est ex propriis testamentis vel potius ex testamento, quod est unum diversis temporibus, quod Dei voluntate per unum Dominum congregat eos, qui sunt jam ordinati, quos praedestinavit Deus, cum eos justos futuros cognovisset ante mundi constitutionem. Ceterum Ecclesiae eminentia quoque, sicut principium constructionis, est ex unitate, omnia alia superans et nihil habens sibi simile vel aequale. . . . Ex haeresibus autem aliae appellantur ex nomine, ut quae appellatae sunt a Valentino et Marcione et Basilide; . . . aliae autem ex loco, ut Peratici; aliae ex gente, ut Phrygum haeresis; aliae ex operatione, ut Encratitarum; aliae autem ex propriis dogmatibus, ut Docitarum etc.* 5)

4) ib. c. eod. med., p. 898 sq.

5) ib. c. eod. med., p. 899 sq.

t) Ad saeculi finem duratura.

§. 328. De *perpetuitate* autem Ecclesiae dicens: *Huic*, inquit, *quae nostra est ad salutem auxiliatrix, Ecclesiae scilicet, firmum ac solidum nomen impositum est Perseverantia* (Ὑπομενή), *vel quoniam ea manet in secula semper gaudens; vel quod constet ex perseverantia credentium, qui sumus membra Christi.* [6] ... *Civitas regitur lege, sicut Logo Ecclesia, quae est civitas, quae non potest circumsederi, nec opprimi tyrannide; in terra divina voluntas sicut in coelo.* [7]

cc. *Catholicae Ecclesiae laudes.*

§. 329. Hanc igitur catholicam Ecclesiam Clemens dicit *Electorum congregationem;* [8] eandem *propriam Christi Sponsam,* [9] et rursus *Matrem simul atque Virginem* praedicat, quam Christus ipse carnali dolore peperit. *O miraculum mysticum*, exclamat; *Unus est universorum Pater; unum est etiam Verbum universorum; et Spiritus Sanctus unus, et ipse est ubique. Una autem sola est Mater-Virgo; Ecclesiam vocare eam gaudeo. Lac non habuit haec mater sola, quoniam sola non fuit mulier. Virgo est autem simul et Mater; integra quidem et inviolata, ut virgo; amans autem, ut mater, quae suos accersens infantulos sancto lacte, nempe Verbo infantili, enutrit ... novum coetum, quem ipse Dominus carnali dolore peperit, quem ipse fasciis alligavit Dominus, pretioso sanguine. O sanctum partum, O sanctas fascias! Verbum est omnia infanti, et Pater et Mater et Paedagogus et Altor.* [10]

---

6) Paedag. Lib. I. c. 5 sub fin., p. 111.
7) Strom. Lib. IV. c. 26 in fin., p. 642.
8) Strom. Lib. VII. c. 5 sub fin., p. 846.
9) ib. Lib. III. c. 6 med., p. 533. Cf. c. 11 med., p. 544.
10) Paedag. Lib. I. c. 6 med., p. 123.

d. *De Deo ejusque attributis.*

§. 330. Dei naturam esse *ineffabilem*, Clemens ingenue fatetur, Platonem ingerens dicentem: *Patrem effectorem universi et invenire difficile est, et, cum inveneris, ut apud omnes eloquaris fieri nequit; verbis enim minime explicari potest.* [1]) . . . *Quam ob rem si aliquando eum nominemus, non proprie vocantes aut Unum, aut Bonum, aut Mentem, aut ipsum Id quod est, aut Patrem, aut Deum, aut Creatorem, aut Dominum, non id dicimus tanquam nomen ejus proferentes, sed propter ejus potestatem pulchris utimur nominibus, uti . . . his inniti possit cogitatio. Non enim unumquodque ex his Deum significat, sed omnia simul Omnipotentis indicant potentiam.* [2]) Quamvis autem sit incomprehensibilis natura ejus et ineffabilis, tamen longe certe abest, ut sit homo expers divinae notionis. *Nam Dei quidem unius omnipotentis manifestatio apud omnes, qui recte sapiunt, omnino erat naturalis, et aeternum ex divina providentia beneficium percipiebant plurimi, qui non plane omnem exuerunt pudorem adversus veritatem.* [3]) *Universo enim generi humano . . . divina quaedam semina sunt instillata, unde fateri vel inviti coguntur, quod unus sit Deus, ab interitu alienus et ingenitus, qui in coeli vertice in sua propria specula essentialiter sit semper.* [4]) — Deum porro esse *incorporeum* asserit. *Utcunque* enim *ad intelligentiam omnipotentis perveniemus, non ita tamen, ut, quod est, sed quod non*

---

1) Strom. Lib. V. c. 12 init., p. 692.

2) ib. c. eod. sub. fin., p. 695. Et alibi: *Quantum abest homo a Dei potestate, tam est etiam ejus oratio imbecilla, etsiamsi non* Deum, *sed* de Deo *dicat ac Verbo divino. Est enim imbecilla humana natura oratio et quae non possit Deum dicere; non dico* nomen, *neque* essentiam *(neque enim hoc potest fieri), sed vim et opera Dei* . . . ib. Lib. VI. c. 18 med., p. 826.

3) ib. c. 13 sub. fin., p. 698.

4) Cohort. ad Gentes. c. 6 ad init., p. 59.

est, cognoscamus. Figura autem et motus, vel status, vel sedes, vel locus . . . de Patre universorum ne cogitanda quidem sunt. . . . . Propterea Moses quoque dicit: Ostende mihi teipsum, evidentissime innuens Deum non posse doceri nec verbis exprimi ab hominibus, sed sola ea, quae ab ipso proficiscitur, potestate posse cognosci. [5]) — *Omnipotentis* autem potentia Dei quam plane sit inenarrabilis, libere testatus est dicens: *Dei opera quomodo enumerem? Aspice hunc mundum universum! Ille coelum et solem creavit. Angeli et Homines sunt opera digitorum suorum. Quanta autem est ejus potentia, cujus sola voluntas est mundi creatio! Solus enim Deus mundum creavit, ut qui solus sit vere Deus; is autem opera sua volendo conficit, ejusque velle sequitur fieri.* [6]) — Deus item *infinite bonus* est, quippe qui non cessabit unquam benefacere. *Nam, cum sit bonus, si cessaverit unquam benefacere, Deus quoque esse cessabit, quod nefas quidem est dicere.* [7]) Neque contra bonitatem Dei est, quod nos quandoque punit ac permittit, ut ab impiis persecutionem patiamur. *Non est enim,* inquit Clemens, *existimandum, eum operando efficere afflictiones, . . . sed non prohibere eos, qui eas efficiunt, persuasum habere convenit, quodque adversariorum facinoribus utatur ad bonum ex iis eliciendum.* [8]) — Porro *immensus* est Deus; *est enim ubique.* [9]) . . . *Non est in caligine Deus, aut in loco, sed supra locum, et supra tempus et proprietatem eorum, quae facta sunt; quare nunquam est in parte, nec ut continens nec ut contentum, aut per circumscriptionem, aut per sectionem. . . . Et quamvis coelum dicatur ejus sedes, ne sic quidem continetur, sed requiescit delectatus opificio.* [10])

---

5) Strom. Lib. V. c. 11 med., p. 689.
6) Cohort. ad Gent. c. 4 sub fin., p. 54 sq.
7) Strom. Lib. VI. c. 16 med., p. 813.
8) ib. Lib. IV. c. 12 sub fin., p. 602.
9) ib. Lib. VI. c. 3 sub fin., p. 756.
10) ib. Lib. II. c. 2 med., p. 431.

— Deus praeterea *omniscius*; quae quidem Dei virtus his verbis a Clemente praedicatur: *Deus novit omnia, non solum ea, quae jam sunt, sed etiam quae futura sunt, et ut erit unumquodque, et eos, qui sunt singulares motus praevidens, intuetur omnia et omnia exaudit, et nudam animam adspiciens intrinsecus uniuscujusque etiam ex singularibus aeternam habet intelligentiam etc.* [11]) — Dei denique *Providentiam* adeo inviote probat auctor, ut dixerit, *hac Dei providentia sublata totam Servatoris oeconomiam videri fabulam.* [12]) — Alibi rursus quasi summatim omnes Dei virtutes concludens monet, *ut gratias agamus Deo, cujus sunt gloria et secula, qui est totus bonus, totus pulcher, totus sapiens, totus justus, cui gloria nunc et in secula seculorum; amen.* [13])

e. *De SS. Trinitate.*

§. **331.** Quamquam Clemens *unum* simplicissime statuit Deum, a quo, per quem, et in quo sunt omnia; tamen in hoc uno eodemque Deo individuo *tres* existere personas ab invicem *distinctas* sed *eadem* divina natura unitas profitetur. Imo adeo Paganis, cum multa e SS. Scripturis mutuassent, hoc sacrosanctum Trinitatis mysterium non penitus incognitum fuisse existimat. De Platone enim scribit: *Quare, quando etiam dicit Plato, „Circa omnium Regem sunt omnia et illius causa omnia. Idem bonorum omnium principium; secundus autem circa secunda, et tertius circa tertia;“ equidem ista nonnisi de S. Trinitate accipio, et tertii nomine Spiritum Sanctum, secundi vero Filium intelligo, per quem ex Patris voluntate facta sunt omnia.* [1]) Et in Paedagogo

---

11) ib. Lib. VI. c. 17 med., p. 821.

12) ib. Lib. I. c. 11 med., p. 346 sq.

13) Paedag. Lib. III. c. 12, in fin., p. 311.

1) Strom. Lib. III. c. 14 med., p. 710.

docet: *Unus quidem est universorum Pater, unus autem etiam Verbum universorum, et Spiritus Sanctus unus, et ipse est ubique.* ²) In libro vero: Quis dives salvari possit, hortatur: *Si quis egenus, pannosus, deformis, debilis videatur, ne idcirco animo feras aut avertaris.* ... *Thesaurum in testaceo vase ferimus Dei Patris virtute, Deique Filii sanguine, necnon Spiritus Sancti rore communitum.* ³) His denique locis addi possunt preces, quas Clemens pro gratiarum actione fundere Catechumenos jubet his verbis: *Esto propitius tuis, o Paedagoge, pueris, Pater, auriga Israel, Fili et Pater, unum ambo, Domine, da nobis .... ut omnes in tua pace versati et in tuam civitatem translati, cum undas peccati tranquille transmiserimus, placidi cum Sancto Spiritu feramur et ineffabili Sapientia, noctu ac interdiu usque ad perfectum diem laudantes gratias agamus et gratias agentes laudemus unum Patrem et Filium, Filium et Patrem, paedagogum et magistrum Filium, una cum Sancto Spiritu, qui unus est omnia, ... cui gloria nunc et in secula seculorum, Amen.* ⁴)

f. De Jesu Christo Deo atque Homine.

aa. Christus Deus.

§. 332. Clemens Christum non hominem solum profitetur, sed et *Deum vivum, Deum omnium, qui ab omnibus hominibus adoratur. Crede*, inquit, *crede homo Homini ac Deo; crede, homo, Deo viventi, qui passus est et adoratur; credite, servi, mortuo; credite et, universi homines, qui solus est Deus omnium hominum.* ¹) Christum

---

2) Paedag. Lib. I. c. 6 med., p. 123.

3) Quis dives salv. c. 33 fin. et 34 pr., p. 954.

4) Paedag. Lib. III. c. 12 fin., p. 311.

1) Cohort. ad Gent. c. 10 med., p. 84.

manifestissimum Deum, *et rerum omnium principium*, atque in principio et in ipsa Dei Patris essentia subsistentem, eique plane adaequatum h. e. *aeternum* et *consubstantialem Patri* praedicat, et *proprium Dei filium ac Lumen de Lumine* appellat. *Divini Verbi s. Rationis*, inquit, *nos creaturae rationales sumus, et per eum primi esse dicimur, quoniam in principio erat Verbum. Quod quidem quatenus olim jam ante jacta mundi fundamenta existebat, divinum rerum omnium principium fuit et etiam nunc est; quatenus vero novissimis temporibus veneranda illo et olim sancto Christi nomine appellari voluit, novum a me Canticum vocatur. . . . Novum ergo canticum est Verbi, quod in principio et ante principium fuit, apparitio, quae modo nobis effulsit. Modo enim apparuit, qui olim erat, Servator; apparuit, qui ens est in ente, Verbum nempe quod apud Deum erat, et a quo facta sunt omnia. Praeceptoris habitu apparuit. Et qui ut opifex mundi vitam nobis in prima creatione dedit, praeceptoris habitu sumto bene vivendi rationem nos docuit, ut postea uti Deus aeternam nobis vitam largiatur.* [2]) . . . *Dominus, qui specietenus despectus, re ipsa adoratus est, expiator, servator, mansuetus, divinum Verbum, vere sine controversia Deus* (φανερώτατος ὄντως θεός), *Domino universorum adaequatus* (ἐξισωθείς), *quoniam ejus Filius erat, et Verbum erat in Deo.* [3]) . . . *Est enim imago Dei, ejus Verbum; Rationis* (τοῦ Νοῦ) *germanus Filius, divinum Verbum, Lucis archetypa* (ἀρχέτυπον) *Lux. Verbi autem imago est homo.* [4]) Alia porro alibi ad Christum referuntur praedicata, quae soli Deo tribuimus; dicit eum aeternum, perfectum, omnipotentem, immutabilem, omniscium, ubique praesentem, infinitum, humani generis Paedagogum, ejusdemque Medi-

---

2) ib. c. 1 med., p. 6. 7.

3) ib. c. 10 fin., p. 86.

4) ib. c. eod. med., p. 78.

cum. *Verbum paternum solus est humanarum aegritudinum Paeonius medicus, et aegrotantis animae sanctus Incantator.*[5] ..., *In omnibus juvat Dominus tanquam homo et tanquam Deus; peccata quidem remittens, ut Deus; ne peccemus autem, Paedagogi ritu instituens ut Homo.*[6] Etenim *noster Paedagogus, sanctus Deus Jesus, qui est lux universi generis humani, Verbum, ipse benignus et clemens Deus, est Paedagogus.*[7] Hinc jure optimo exclamat: *O magnum Deum, o perfectum puerum! Filius in Patre et Pater in Filio!*[8] ... *Uterque unus est, nempe Deus.*[9] Et ad Haereticos conversus dicit: *An non ergo vel inviti fatebuntur, Verbum perfectum ex perfecto Patre natum ex oeconomica praeordinatione esse perfecte generatum!*[10] ... Rursus alibi *Filium* dicit *id, quod est vetustius generatione; principium, tempore et principio carens; et omnium, quae sunt, Primitias.*[11] Et iterum: *Filius*, ait, *est et sapientia et scientia et veritas. ... Est autem infinitus unaquaque suarum potestatum notione; quanquam non sit simpliciter unum ut unum, neque multa ut partes Filius, sed ut omnia unum, unde etiam omnia. Est enim idem circulus omnium potestatum, quae in unum circumvolvuntur et uniuntur. Et ideo Logos dictus est Alpha et Omega, cujus solius finis fit principium, et rursus desinit in id, quod est antea principium, nusquam distantiam accipiens et dimensionem.*[12] *Perfectissima autem et sanctissima et*

---

5) Paedag. Lib. I. c. 2 med., p. 100.
6) ib. c. 3. princ., p. 101.
7) ib. c. 7 med., p. 131.
8) ib. c. 5 fin., p. 112.
9) ib. c. 8 pr., p. 135.
10) ib. c. 6 sub init., p. 113.
11) Strom. Lib. VII. c. 1 med., p. 829.
12) ib. Lib. IV. c. 25 pr., p. 635. Dicit Clemens, Filium non esse unum tanquam unum h. e. eo modo, quo res illae, quae certo loco definiuntur, unum sunt; nec tamen esse multum seu multis parti-

manifestissimum Deum, et *rerum omnium principium*, atque in principio et in ipsa Dei Patris essentia subsistentem eique plane adaequatum h. e. *aeternum* et *consubstantialem Patri* praedicat, et *proprium Dei filium* ac *Lumen de Lumine* appellat. *Divini Verbi s. Rationis*, inquit, *nos creaturae rationales sumus, et per eum primi esse dicimur, quoniam in principio erat Verbum. Quod quidem quatenus olim jam ante jacta mundi fundamenta existebat, divinum rerum omnium principium fuit et etiam nunc est; quatenus vero novissimis temporibus veneranda illo et olim sancto Christi nomine appellari voluit, novum a me Canticum vocatur. ... Novum ergo canticum est Verbi, quod in principio et ante principium fuit, apparitio, quae modo nobis effulsit. Modo enim apparuit, qui olim erat, Servator; apparuit, qui ens est in ente, Verbum nempe quod apud Deum erat, et a quo facta sunt omnia. Praeceptoris habitu apparuit. Et qui ut opifex mundi vitam nobis in prima creatione dedit, praeceptoris habitu sumto bene vivendi rationem nos docuit, ut postea uti Deus aeternam nobis vitam largiatur.* [2] ... *Dominus, qui specietenus despectus, re ipsa adoratus est, expiator, servator, mansuetus, divinum Verbum, vere sine controversia Deus* (φανερώτατος ὄντως θεός), *Domino universorum adaequatus* (ἐξισωθείς), *quoniam ejus Filius erat, et Verbum erat in Deo.* [3] ... *Est enim imago Dei, ejus Verbum; Rationis* (τοῦ Νοῦ) *germanus Filius, divinum Verbum, Lucis archetypa* (ἀρχέτυπον) *Lux. Verbi autem imago est homo.* [4] Alia porro alibi ad Christum referuntur praedicata, quae soli Deo tribuimus; dicit eum aeternum, perfectum, omnipotentem, immutabilem, omniscium, ubique praesentem, infinitum, humani generis Paedagogum, ejusdemque Medi-

---

2) ib. c. 1 med., p. 6. 7.

3) ib. c. 10 fin., p. 86.

4) ib. c. eod. med., p. 78.

veritatis nos reduceret, et viam nobis ostenderet salutis. *Verbum Christus*, ait Clemens, *non solum, ut olim essemus, causa fuit (nam tum erat in Deo); sed idem etiam, ut boni simus nobis dedit, et jam nunc hominibus apparuit, qui solus uterque Deus et Homo est, ut omnium bonorum nobis causa fieret. Etenim ab eo recte vivere docti, ad aeternam vitam perducimur. . . . Qui ceu opifex mundi vitam nobis in prima creatione dedit, praeceptoris habitu sumto bene vivendi rationem nos docuit, ut postea ceu Deus aeternam vitam largiatur.* [1]) . . . *Semetipsum exinanivit misericors Deus, ut humanum genus servaret; ipsum adeo Dei Verbum palam Tibi loquitur, ut infidelitati pudorem incutiat. Verbum, inquam, Dei homo factum, ut tu quoque ab homine discas, qua arte homo fieri Deus possit.* [2]) Unde cum jubilatione exclamat: *Crede, homo, Homini ac Deo! crede, homo, Deo viventi, qui passus est et adoratur.* [3]) . . . *Verbum enim ipsum caro factum eandem simul virtutem activam et contemplativam esse ostendit. Quare legem existimantes Verbum, praecepta ejus atque monita, vias breves et ad aeternitatem directas agnoscamus.* [4]) *Quam ob rem, ut mihi videtur, cum ipsum Verbum ad nos venit coelitus, non sunt nobis amplius frequentandae hominum scholae, nec Athenae reliquave Graecia. . . . Nam si hoc utamur magistro, qui sanctis virtutibus, opificio, salute, beneficio, legislatione, vaticinio, doctrina complevit omnia; nulla est doctrina, quae is non tradit, ipsique h. e. Verbo universus jam orbis terrarum Athenae atque Graecia factus est. . . . Recipe Christum, recipe visum, recipe lucem! . . . Quemadmodum enim absente sole per cetera quidem astra nox esset diffusa ubique; sic, nisi Verbum cognovissemus, et*

1) Cohortat. ad Gent. c. 1 med., p. 7.

2) ib. c. eod., p. 8.

3) ib. c. 10 med., p. 84.

4) Paedag. Lib. I. c. 3 fin., p. 103.

maxime principalis, et quae maxime imperat et est maxime regia et longe beneficentissima, Filii natura est, quae est soli Omnipotenti propinquissima. Haec est maxima excellentia, quae omnia ordinat ex voluntate Patris, et optime gubernat universum, indefessa et inexhausta potestate cuncta operans, propterea quod agit, arcanas cogitationes respiciens. Nunquam enim a sua excedit specula Filius Dei, ut qui non dividitur, non dissecatur, non transit a loco ad locum; est autem semper ubique, et nusquam continetur; totus mens, totus lumen paternum, totus oculus, omnia videns, omnia audiens, sciens omnia, potestate scrutans potestates. 13)

bb. Christus incarnatus.

a) Magistri vice fungens.

§. 333. Jesum Christum de coelo descendisse credimus, et carnem nostram induisse, ut ad cognitionem

---

bus constantem, sed in vera ac propria unitate omnia comprehendere. Proinde *circulo* illum comparat, quae figura neo initium nec finem habet; verum, a quocunque ejus puncto initium ducatur, in eodem desinendum est. Atque hoc modo divina immensitas quodammodo adumbrari solet. *Ge. Bulli* Defensio fidei Nicaenae (Lond. 1703, f.) p. 189 sq.

13) ib. Lib. VI. c. 2 princ., p. 831. Noli vero, Lector, haesitare, legens, „*Filii naturam esse Patri propinquissimam.*" Etenim melius fortasse dixerim naturam Filii, *quae est soli Omnipotenti maxime conjuncta* s. *maxime adhaerens* (sc. προσεχεστάτη). Sed si vocem *propinquissima* retinueris, ne sic quidem puto Clementem a vero aberrasse. Posito enim ut intelligas, a Clemente hoc in loco primas Patri, Filio secundas tribui, quid hic novi est aut erronei? Sane ἐξοχή quaedam competit Patri, quatenus ipse est *fons deitatis et principium Filii*, seu (ut ipsis magni *Basilii* verbis utar), quatenus *Filius a Patre ordine secundus, quoniam origo et causa Pater ipsi est.* Ceterum in hoc ipso, quem allegavimus, loco Clemens de Filio Dei ita loquitur, ut communem ejus cum Patre naturam satis perspicue demonstret.

vetustatis nos reduceret, et viam nobis ostenderet salutis. *Verbum Christus*, ait Clemens, *non solum, ut olim essemus, causa fuit (nam tum erat in Deo); sed idem etiam ut boni simus nobis dedit, et jam nunc hominibus apparuit, qui solus uterque Deus et Homo est, ut omnium bonorum nobis causa fieret. Etenim ab eo recte vivere edocti, ad aeternam vitam perducimur. . . . Qui ceu opifex mundi vitam nobis in prima creatione dedit, praeceptoris habitu sumto bene vivendi rationem nos docuit, ut postea ceu Deus aeternam vitam largiatur.* [1] . . . *Semetipsum exinanivit misericors Deus, ut humanum genus servaret; ipsum adeo Dei Verbum palam Tibi loquitur, ut infidelitati pudorem incutiat. Verbum, inquam, Dei homo factum, ut tu quoque ab homine discas, qua arte homo fieri Deus possit.* [2] Unde cum jubilatione exclamat: *Crede, homo, Homini ac Deo! crede, homo, Deo viventi, qui passus est et adoratur.* [3] . . . *Verbum enim ipsum caro factum eandem simul virtutem activam et contemplativam esse ostendit. Quare legem existimantes Verbum, praecepta ejus atque monita, vias breves et ad aeternitatem directas agnoscamus.* [4] *Quam ob rem, ut mihi videtur, cum ipsum Verbum ad nos venit coelitus, non sunt nobis amplius frequentandae hominum scholae, nec Athenae reliquave Graecia. . . . Nam si hoc utamur magistro, qui sanctis virtutibus, opificio, salute, beneficio, legislatione, vaticinio, doctrina complevit omnia; nulla est doctrina, quae is non tradit, ipsique h. e. Verbo universus jam orbis terrarum Athenae atque Graecia factus est. . . . Recipe Christum, recipe visum, recipe lucem! . . . Quemadmodum enim absente sole per cetera quidem astra nox esset diffusa ubique; sic, nisi Verbum cognovissemus, et*

1) Cohortat. ad Gent. c. 1 med., p. 7.

2) ib. c. eod., p. 8.

3) ib. c. 10 med., p. 84.

4) Paedag. Lib. I. c. 3 fin., p. 103.

mentis loco attendenda. Primo enim contradicit iis, quibus sancta Christipara sicut aliae mulieres peperisse visa est. Quae vero deinde Clemens narrat, sive ea scripta invenerit sive ex auditu perceperit, non plus auctoritatis sibi faciant, quam quaevis alia humana pia traditio. Quod denique ex Scriptura allegatum dicit, id nullibi in sacris libris invenitur. Eundem locum etiam Tertullianus adfert, eumque ex propheta Ezechiele mutuatum asserit; sed et ibi frustra eum quaesieris. Unde illa verba nonnulli ex libro aliquo apocrypho desumta esse arbitrantur, alii vero ex Ezechiele post Tertulliani tempora excidisse conjiciunt. Utut res est, id certe dubitari nequit, Clementem ipsum de B. Mariae *ante et post partum virginitate* fuisse persuasum.

h. De Angelis.

aa. Boni Angeli.

§. 327. De Angelorum natura Clemens advertit: *Homo*, licet *perfectus (gnosticus)* sit, tamen *et tempore et indumento minor factus est Angelis.*[1]) . . . *Et in terra quidem praestantissima res est homo, qui est maxime in Deum pietate; in coelo autem res est praestantissima Angelus, qui loco propius et jam purius est aeternae et beatae vitae particeps.*[2]) Ex Angelis autem, etiamsi ejusdem omnes sint naturae, tamen alios aliis *majoris* esse *ordinis ac potestatis* asserit. *Sunt enim*, ait, *jussu divino et antiquo per gentes distributi Angeli.*[3]) . . . *In summo*

---

rit, quae ex sua carne; non peperit, quae ex viri semine. . . . Et virgo, quantum a viro; non virgo, quantum a partu. Etenim peperit quidem, sed, cum virum non cognovisset, virgo peperit; et partus ideo non partus erat, talis scilicet, qualis alias fieri solet.

1) Strom. Lib. IV. c. 3 pr., p. 566 sq.

2) ib. Lib. VII. c. 2 pr., p. 831.

3) ib. c. eod. med., p. 832.

fine ejus, quod apparet, beati positi sunt Angeli, atque adeo usque ad nos ipsos alii sub aliis sunt collocati, qui ex uno et per unum servantur atque servant. 4) Et alludens, ut videtur, ad Tob. XII. 15 et ad Apocal. XIV. 5. 6. dicit: *Septem quidem sunt, quorum est maxima potentia, primogeniti Angelorum principes.* 5) Per Angelos immiti voluntatem Dei in corda hominum. *Divina voluntas,* ait, *in humanas animas transmittitur, certis Dei ministris ad talia ministeria opem ferentibus. Nam per gentes et civitates sunt distributae Angelorum praefecturae, fortasse autem ex iis nonnulli etiam quibusdam singulatim deputati sunt.* 6) Et apertius de *Angelis custodibus* Clemens loquitur in Lib. V. docens, multa hujus generis jam a Gentilium scriptoribus e SS. Scripturis fuisse mutuata. Sic *Platonem* convenienter Scripturae indicasse *Parvulorum et minimorum Angelos Deum videntes, et diligentem illam vigilemque curam, quae a praesidibus ac tutelaribus Angelis in nos derivatur.* 7) Sic *Orphei* versus recitat:

Atque thronum turbae circumstant agmine longo
Angelicae, queis est hominum concredita cura; 8)

et illa *Menandri* carmina:

Ut quisque primum natus in lucem venit,
Moderator illi Genius assistit bonus,
Vitamque format. 9) . . .

Idem: *Divina virtus,* ait, *bona sua per Angelos nobis praebet, sive videantur sive non videantur.* 10) . . . Docet

4) ib. c. eod. med., p. 833 sq.
5) ib. Lib. VI. c. 16 med., p. 813.
6) ib. c. 17 med., p. 822.
7) ib. Lib. V. c. 14 post pr., p. 701.
8) ib. c. eod. med., p. 724.
9) ib. c. eod. med., p. 727.
10) ib. Lib. VI. c. 16 fin., p. 824.

praeterea: *Verus Gnosticus precatur cum Angelis* ... *neque est unquam extra sanctam custodiam, et licet solus oret, habet chorum Angelorum assistentem.* [11]) Tradit etiam, esse *Angelos, qui praesunt hominum ascensui in coelum.* [12])

bb. Angeli apostatae.

§. 339. De lapsu Angelorum docet Clemens, *aliquos ex Angelis propter secordiam humi esse lapsos, quod nondum perfecte ex illa in utramque partem proclivitate in simplicem illum atque unicum expediissent se habitum.* [1]) Diabolum autem propter invidiam factum esse *hominum seductorem* ostendit, verbis utens S. *Hermae*, qui dicit: *Cum autem sit Dominus cognitor cordium et futura praesciat;* ... *etiam Diaboli calliditatem ab alto vidit a principio, quod homini invidens propter remissionem peccatorum causas servis Dei suggeret, astute hoc moliens, ut ipsi quoque cum eo cadant.* [2]) Et cum Apostolo (II Cor. XI. 14) tradit, istum *angelum tenebrarum transfigurari se in angelum lucis, et, ut homines melius decipiat, primo docere veritates, deinde vero errores et mendacia.* [3]) — Sunt autem, in quibus Clemens catholicam doctrinam minus tenet; et primum quidem, quod docet, *diabolum*, cum etiam post apostasiam suam *liberum haberet arbitrium, poenitentia duci posse.* [4]) Jamvero hoc

---

11) ib. Lib. VII. c. 12 c. fin., p. 879.

12) ib. Lib. IV. c. 18 c. fin., p. 616.

1) Strom. Lib. VII. c. 7 med., p. 859.

2) ib. Lib. II. c. 13 pr., p. 459. „*Quoniam cogitationes omnium praecordiorum novit Deus, et scit infirmitatem hominum et multiplicem nequitiam diaboli, qua molitur aliquid sinistri servis Dei, et maligne insidiatur illis.*“ ... *Hermae* Pastor. Lib. II. Mand. IV. c. 3 med., in *Hefele* PP. apostol. Opp. (ed. I.) p. 161.

3) ib. Lib. VI. c. 8 med., p. 773.

4) ib. Lib. I. c. 17 med., p. 367.

tanquam oppositum doctrinae Ecclesiae rejiciendum est. Illud vero alterum, quod cum Tatiano aliisque antiquis Scriptoribus Angelos delapsos *impurum in mulieribus amorem exercuisse*, iisque *arcana coelestia enuntiasse* senserit, [5]) jam ex eo potissimum non creditur, quod in coelestibus his Spiritibus aliquid praesupponit, quod naturae eorum contrarium est.

i. *De creatione hominis et peccato originali.*

§. 339. Quaestionem jam Clementis tempore ab haereticis quibusdam agitatam, scilicet, *utrum perfectus formatus sit Adam, an imperfectus? Si imperfectus, quomodo perfecti Dei imperfectum est opus et maxime homo? Sin autem perfectus, quomodo transgreditur praecepta?* hanc, inquam, dubitationem Clemens hisce resolvit verbis: *Audient enim a nobis, quod perfectus quidem non fuit creatus, sed aptus ad suscipiendam virtutem; multum enim ad virtutem refert, factum esse aptum ad eam acquirendam. Vult autem nos ex nobis ipsis salvos fieri; haec quippe est natura animae, ut ipsa a se ipsa moveatur. . . . Aptitudo autem est quidem motus ad virtutem, non autem ipsa virtus. Atque omnes quidem, ut dixi, apti sunt natura ad acquirendam, sed alius magis alius minus accedit ad disciplinam et exercitationem.* [1]) Et revera quodammodo *perfectum* dici posse primum hominem ostendit, sed ejus perfectionem seu justificationem

5) Ib. Lib. V. c. 1 sub. fin., p. 650. — Idem alibi: *Harum rerum tibi sunt indicio Angeli, qui Dei reliquerunt pulchritudinem propter pulchritudinem, quae flaccessit, atque ideo e coelis in terram ceciderunt.* Paedag. Lib. III. c. 2 fin., p. 260. Et rursus: *Jam vero,* inquit, *Angeli quidam, cum fuissent incontinentes, victi cupiditate huc e coelo ceciderunt.* Strom. Lib. III. c. 7 med., p. 538.

1) Strom. Lib. VI. c. 12 pr., p. 788.

fuisse *obedientiae* alligatam, et in libero arbitrio positam. *Qua ratione Adamum quoque dicimus perfectum quod attinet ad formationem; nihil enim ei defuit ex iis, quae homini formae et speciei characterem tribuunt. Quod autem dum fieret, accepit perfectionem, et justificatum est per obedientiam, nempe quod in virum crescebat, scilicet id, quod in ejus potestate erat situm, liberum arbitrium. Quod autem elegerit, atque adeo vetitum elegerit, non est culpa in Deum, sed in eligentem conferenda.* [2]) Et verba *Genes.* I. 26 repetens, ad imaginem et similitudinem Dei creatum fuisse primum hominem exponit. *Verbi enim*, ait, *imago est homo; est enim in homine vera mens* (νοῦς), *qui ad imaginem et similitudinem Dei propterea factus esse dicitur, cordis qui nempe sensu divino Verbo assimilatus, eoque Verbi particeps* (λογικός). [3]) ... Atque rursus in quinto Stromatum libro: *Jure igitur*, inquit, *Moses concretum ex terrena corpus esse docet, quod terrenum a Platone tabernaculum vocatur; animum autem ratione praeditum coelitus a Deo in faciem inspiratum. Heic enim principis illius facultatis sedem esse volunt, adventitium animi in primum parentem per sensus introitum interpretantes. ... Imago enim Dei, Logos divinus et regius, homo impatibilis; humana autem mens imaginis imago.* [4]) Docet autem Clemens, Adamum omnium quidem hominum fuisse Protoparentem, verum propter *inobedientiam* morti obnoxium se reddidisse, sed non in perpetuum. *Quid enim*, inquit, *Adae profuit talis ejus nobilitas et quod non sibi esset mortalis pater (ipse enim pater hominum, qui sunt generati)? Turpia nimirum ille prompto et alacri animo delegit uxorem sequens, vera autem et honesta neglexit. Quo factum est, ut vitam immortalem mortali commutaret, licet*

2) ib. Lib. IV. c. 23 med., p. 632.

3) Cohort. ad gent. c. 10 med., p. 78 sq.

4) Strom. Lib. V. c. 14 med., p. 703.

non in perpetuum. [5]) Et alibi etiam apertius: *Primus homo,* ait, *olim Paradisum incolens, ludebat solutus, quia puerulus erat Dei. Cum vero sese subjecit voluptati (voluptatem enim innuit serpens) ... a pravis libidinibus seductus contumacia adolevit, Deumque patri suo, ipsi non parendo, ignominia affecit. ... Homo, qui ob simplicitatem fuerat solutus, inventus est peccatis ligatus. Eum cum vinculis liberare vellet Dominus, carnem induit (o divinum mysterium!), serpentem hunc devicit etc.* [6]) De *homine* autem dum loquitur, non *unum* Adamum a Clemente significari certo certius est; neque enim propter solum protoplastum Christus carnem induisse creditur. Ergo verba isthaec de peccato, quo *omnes* in Adamo peccaverunt, et de Christi incarnatione et morte, per quam in *omnes* homines vita transiit, intelliguntur. *Nam in hunc usque diem,* ait, *malignus ille Serpens humanum genus praestigiis suis in contumeliosam et miseram servitutem abducit, saevitque in eos, ut ita dicam, barbarorum ritu, qui captivos suos mortuorum cadaveribus, donec una cum his putrescant, alligare feruntur. Dum enim unumquemque a sui ortus principio ad proprias trahere partes valet, crudelis ille tyrannus et serpens non incommode dicitur vivos communi tumulo inferre, donec una cum illis,* ad quae misero superstitionis vinculo constringuntur, idolis *intereant.* [7])

---

5) ib. Lib. II. 19 post pr., p. 481.

6) Cohort. ad gent. c. 11 pr., p. 86. *Quo* autem *modo* Adamus peccaverit, alibi Clemens his verbis videtur indicasse, *quod* nempe *forsitan protoplastus noster tempus praevenisset, et non in tempore matrimonii gratiam appetiisset, et ita aberrasset* (Strom. Lib. III. c. 14 med., p. 554). Sed advertendam est, hoc tantum in modum *conjecturae* dictum, aut (si magis placet) tanquam opinionem, quae quibusdam tunc *haereticis* insederat, a Clemente enuntiatum esse. Ceterum, quidquid hac de re Clemens statuisse dicatur, id sane certum est, eum fateri, nos in Adamo *peccavisse,* atque idcirco *originali peccato* esse inquinatos.

7) Cohort. c. 1 med., p. 7.

k. De redemtione.

§. 340. De humani generis per Christum *redemtione* tam luculenter exposuit Clemens, ut nihil sane fuerit, quod desideraris. *Eum* (Adamum), inquit, *cum vinculis liberare vellet Dominus, carnem induit, (o divinum mysterium,) serpentem hunc devicit, tyrannum h. e. mortem in servitutem redegit, ... et illum hominem, qui ... corruptioni illigatus fuerat, explicatis manibus solutum ostendit. O mirabile mysterium! Succubuit quidem Dominus, homo autem surrexit; et, qui cecidit e paradiso, majus obedientiae praemium, coelum, accipit.* 1) ... *Is vero non est nunc primum erroris nostri misertus, sed olim a principio mundi; nunc vero tandem apparens perituros e faucibus exitii liberavit.* ... *Unus enim idemque seductor est, qui Evam olim, et ceteros nunc homines in mortem ducit. Unus item nobis adjutor et vindex est Dominus, qui salutem a principio prophetice praenuntiavit, et nunc ad eam consequendam aperte ac palam invitat.* 2) ... *Semet ipsum exinanivit misericors Deus, ut humanum genus servaret.* 3) ... *Crede, homo, Deo viventi, qui passus est; ... credite, et mercedem accipite salutem!* 4) *Ipse igitur, qui est dilectus et altor, Verbum, effudit pro nobis suum sanguinem, salutem humanae naturae afferens.* 5) ... Idem Dominus etiam *ad inferos* descendit ad salvandos eos, qui crediderunt in eum. *Operatur enim Servator, quando quidem est opus ejus salvum facere, quod quidem certe fecit, eos, qui in ipsum voluerint credere, per praedicationem, ubicunque essent, trahendo ad salutem. Si autem Dominus nulla alia de causa descendit ad inferos, quam ut annuntiaret Evange-*

---

1) Cohort. ad gent. c. 11 init., p. 86.
2) ib. c. 1 med., p. 7.
3) ib. c. eod., p. 8.
4) ib. c. 10 med., p. 84.
5) Paedag. Lib. I. c. 6 post med., p. 124.

lium, sicut certo descendit; ... salvi erunt omnes, qui crediderint, etiamsi sint ex gentibus, cum jam illic confessi fuerint. ... Fuit ergo generalis quidam motus et translatio per Servatoris dispensationem. Justus enim non differt a justo, quatenus est justus, sive is fuerit ex lege sive Graecus; non enim Judaeorum solum sed etiam omnium hominum est Deus Dominus. [6]) ...

l. *De divina gratia et hominis libertate.*

aa. *Gratia Dei necessaria.*

α) ad cognoscendum Deum.

§. 341. Quod sit interna Dei gratia nobis *necessaria* adeo, ut neque nosmet ipsos neque Deum possimus sine divino auxilio cognoscere, auctor noster plane confitetur, dum scribit: *Nos dialectica veluti manu ducit ad veram sapientiam, quae quidem est divina facultas res cognoscendi et libera ab omni animi perturbatione; idque* fieri *non sine Servatore, qui semota ab oculis animae per Logum divinum caligine ignorantiae, quam illis prava conversatio offuderat, optimum statum restituit, ut clare percipiamus Deum atque hominem. Is est, qui revera ostendit, quomodo nos ipsos cognocere oporteat; is, qui universorum Patrem revelat, cui vult et in quantum humana natura comprehendere valeat. Nemo enim novit Filium nisi Pater, neque Patrem nisi Filius, et cui Filius revelaverit.* [1]) ... *Sive ergo Pater ipse ad se trahit quemlibet, qui pure vixerit et processerit ad notionem beatae et immortalis naturae; sive liberum quod est in nobis arbritrium, veniens ad boni cognitionem, septa transilit, ut dicitur im Gymnasiis: non*

6) Strom. Lib. VI. c. 6 med., p. 763 sq.
1) Strom. Lib. I. c. 28 med., p. 425.

tamen absque ***eximia gratia*** *alatur et exsurgit anima, et extollitur supra ea, quae supereminent, quidquid grave est deponens, et reddens ei quod est cognatum.*[2]) Et alibi: *Neque enim*, inquit, *qui homo est, potest pro dignitate de Deo vera dicere, imbecillus nempe et morti obnoxius de ingenito et eo, in quem non cadit interitus, et opus de eo, qui fecit.* . . . Imo *qui Deum sibi adscribunt magistrum, vix perveniunt ad Dei notitiam, opem eis ferente gratia ad quantulamcunque cognitionem, utpote voluntate Voluntatem et sancto spiritu Sanctum Spiritum contemplari assuefacti; quoniam spiritus scrutatur Dei profunda, animalis autem homo non capit ea quae sunt Spiritus.*[3]) Atque ipsam in Deum ***fidem*** non nisi per Dei gratiam nobis instillari, apertissime confitetur. *Doctrina pietatis*, ait, *donum est*, ***fides vero gratia.***[4])

b) ad bene agendum.

§. **342.** Docet praeterea, quod *neque superare tentationes neque omnino quidquam boni facere* possimus absque Dei adjutorio. *Et si quis*, ait, *cavillandi animo interroget* „Quomodo fieri potest, ut caro imbecilla resistat Potestatibus et spiritibus Dominationum?" *illud sciat, quod Deo omnipotenti et Domino freti, in eoque habentes fiduciam, adversamur Principatibus tenebrarum et morti. Adhuc te loquente dicet:* ***Ecce adsum.*** *En adjutorem invictum, qui nos defendit!*[1]) . . . Divinam dicit esse gratiam, quae carnis nostrae infirmitati opem fert, ita tamen ut et ***nos*** cum illa operam conferamus. *Sed oportet*, inquit, *cum natura apti simus ad bonum, ad id aliquod adhibere* ***studium.*** *Oportet autem mentem quoque habere sanam et quae nulla retardetur poenitentia a*

---

2) ib. Lib. V. c. 13 pr., p. 696.
3) ib. Lib. VI. c. 18 med., p. 826.
4) ib. Lib. I. c. 7 sub fin., p. 338.
1) Strom. Lib. IV. c. 7 med., p. 585.

pulchri venatione, ad quod quidem maxime divina opus habemus gratia, *rectaque doctrina, castaque et munda animi affectatione, et* Patris ad idipsum attractione.[2]) . . . *Quemadmodum enim medicus sanitatem praebet iis, qui cum eo cooperantur ad sanitatem; ita etiam Deus aeternam salutem iis, qui cum eo* cooperantur *ad cognitionem et ad bonas actiones.*[3]) . . . Itaque etiam, *qui ad summum jam pervenit gradum, precatur ut contemplatio augeatur ac permaneat; sicut is, qui est homo vulgaris, ut sit perpetuo sanus. Quin etiam petet, ut a virtute nunquam excidat, ipse interea cooperans maxime, ut perpetuo maneat ejusmodi, ut non possit excidere.*[4])

bb. Liberum hominis arbitrium.

§. **343.** Praeclare Noster, in quo *liberum hominis* arbitrium sit positum, explanat. *Jamvero*, inquit, *in nostra potestate est* . . . credere *vel non* credere. *Per hoc ergo, quod sumus aeque domini utriusque eorum, quae se adversantur, invenitur fieri posse id, quod est in nostra potestate.* (Quam quidem libertatem contradictionis appellare Scholastici amabant). *Quin etiam*, continuo prosequitur, *praecepta pariter a nobis possunt* fieri *et non* fieri, . . . *et qui puniunter propter ea quae ab ipsis commissa sunt peccata, propter ipsa sola puniuntur.*[1]) . . . *Etenim liberam (αὐτοκρατορικὴν) potestatem eligendi et vitandi a Domino datam esse hominibus, a Scripturis accepimus.*[2]) . . . *Et* defectio *et* recessio *et* inobedientia *sunt in nostra potestate, sicut etiam est in*

---

2) ib. Lib. V. c. 1 med., p. 647.
3) ib. Lib. VII. c. 7 sub fin., p. 860.
4) ib. c. eod. paulo supr., p. 859.

1) Strom. Lib. IV. c. 24 pr., p. 633.
2) ib. Lib. II. c. 4 init., p. 434.

nostra potestate obedientia; quocirca ea in judicium veniunt, quae sunt voluntaria. [3]) Nequis autem ignorantiam possit praetendere, omnibus se manifestavit Deus, Gentilibus ac Judaeis, licet diversis modis pro cujuslibet aptitudine. *Clamavit divinum Verbum, omnes simul vocans; et licet eos certissime noverit, qui non sunt parituri, tamen, quoniam in nostra potestate situm est, utrum pareamus necne, nequis possit causari praetextum ignorantiae, justam fecit vocationem, et, quod praestare possint uniuscujusque vires, exigit.* [4]) His igitur disertissime liberum hominis arbitrium defendit Clemens, quin illi tamen plus aequo tribuat. Idem enim, ut supra demonstratum est, ubique et aperte asserit et adseverat, nos absque Christi *gratia* recte credere et sentire aut pie vivere nullo pacto posse. Cf. etiam §. 353.

m. De Sacramentis.

aa. Baptismus.

§. 344. Sacramentum *Baptismi* variis ab auctore nostro insignitur nominibus scilicet pro ratione *effectuum*, quos luculenter deinceps Clemens exponit dicens: *Tincti illuminamur, illuminati in filios adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur. . . . Multis autem modis vocatur hoc opus: Gratia, Illuminatio, Perfectum et Lavacrum; Lavacrum (λοῦτρον) quidem, per quod peccata abstergimus; Gratia (χάρισμα) autem, qua remittuntur poenae, quae peccatis debentur; Illuminatio (φώτισμα) autem, per quam sanctam illam et salutarem lucem intuemur h. e. per quam id, quod divinum est perspicimus; Perfectum (τέλειον) autem dicimus, cui nihil deest. . . . Est enim revera absurdum, Dei vocari*

---

3) ib. c. 13 in fin., p. 460.
4) ib. c. 6 post princ., p. 443.

gratiam, quae non sit perfecta et undequaque plena; nam qui est perfectus, perfecta utique largietur. . . . Quod enim futurum est temporis, id per voluntatis potentiam anticipatur. His accedit, quod liberatio a malis est initium salutis. Jam igitur, qui soli primum vitae fines attigimus, illico perfecti sumus; jamque vivimus, qui sumus a morte separati. . . . Quemadmodum enim, qui somnum excusserunt, ab eo tempore protinus intus vigilant; vel potius, quemadmodum qui oculorum suffusionem conantur amovere, non extrinsecus eis lucem suppeditant, quam non habent, sed quod oculis impedimentum afferebat depellentes, liberam efficiunt pupillam: ita etiam, qui tingimur, abstersis peccatis quae divino Spiritui quodammodo tenebras offundebant, liberum et ab omni impedimento vacuum et lucidum habemus spiritus oculum, quo quidem solo id, quod divinum est, intuemur, coelitus influente nobis Sancto Spiritu. *Haec est aeterna aciei temperatura, quae videre potest aeternam lucem; quando quidem, quod simile est, est amicum simili; quod autem sanctum est, amicum est ei, ex quo sanctum est, quod Lux proprie appellatum est.* 1) Duo autem requiruntur, ut per aquam baptismalem peccata abluantur, *fides* nempe et *gratia*. Fidem autem humanam sive *naturalem*, quae nascitur ex institutione et baptismo praemittitur, Clemens probe distinguit a *supernaturali*, quam dicunt, fide; hanc enim ipsam esse Spiritus Sancti infusionem, quam fieri simul cum aquae immersione docet. *Haec autem*, inquit, *vincula* (ignorantiae) *quam celerrime remittuntur, humana quidem fide, divina vero gratia, cum nimirum remittuntur peccata uno medicamento Paeonio, nempe baptismo secundum Verbum. Omnia ergo peccata eluimus, et e vestigio mali non sumus amplius. Una enim est haec gratia illuminationis, quod non sunt iidem mores, qui erant antequam lavaremus. . . .* Et paulo infra: *Catechesis*, seu quae per audi-

1) Paedag. Lib. I. c. 6 post pr.; p. 113. sq.

tum suscipitur institutio, *ad fidem* (naturalem) *deducit; fides* (supernaturalis) *autem simul cum baptismo docetur a divino Spiritu.* [2])

bb. Poenitentia.

§. 345. Peccata vero *post* baptismum commissa non illico remitti sed severa *poenitentia* luenda esse docet. *Sciendum est autem*, inquit, *eos, qui post lavacrum in peccata incidunt, debere castigari. Quae enim prius facta sunt, dimissa sunt; quae autem postea fiunt, expurgantur.* [1]) ... Et in hoc quidem *poenitentiam generare veniam* docet. *Consistit autem venia non ex remissione sed ex medella.* [2]) ... *Ergo qui etiam postea peccavit, deinde poenitentia ducitur, etiamsi veniam assequatur, debet erubescere* (i. e. publicam suscipere poenitentiam), *ut qui non amplius lavetur in remissionem peccatorum.* [3]) Veram autem poenitentiam in hoc potissimum consistere, quod *non amplius peccemus.* Dicit igitur cum Herma, *poenitentiam esse magnam intelligentiam; qui enim*, ait, *eorum quae fecit ducitur poenitentia, non amplius facit.* [4]) *Crebriores autem relapsus dubiam reddunt veniam, quoniam de vera poenitentia non constiterit. Dedit* Deus quidem, *cum sit multae misericordiae, iis quoque, qui in fide* (i. e. post baptismum) *in aliquod peccatum incidunt, secundam poenitentiam.* ... *Continuae autem et se invicem excipientes poenitentiae nihil differunt ab iis, qui omnino non crediderunt, praeterquam in eo solo, quod se peccare senserunt; neque scio, utrum sit deterius prudentemne peccare, an, cum pro peccatis poenitentia ductus

---

2) ib. c. eod. med., p. 116.

1) Strom. Lib. IV. c. 24 in fin., p. 604.

2) ib. Lib. II. c. 15 sub fin., p. 466.

3) ib. c. 13 med., p. 460.

4) ib. c. 12 in fin., p. 458.

fuerit, rursus peccare. ... Si quis enim, cujus ductus est poenitentia, hoc rursus faciat, id, quod a se condemnatum fuit, sponte peragit. ... Saepe autem resipiscere est quasi *rursus meditatio peccatorum, et aptitudo quaedam ad facilem commutationem ex defectu exercitationis. Apparet ergo* (hominum oculis) *sed non est poenitentia* (in conspectu Domini), *saepe veniam petere de iis, quae saepe peccamus.* [5])

cc. *Eucharistia.*

§. 346. De *Eucharistiae sacramento*, quod sit verum *corpus et sanguis Domini*, Clemens tam dilucide ac definite verba facit, ut nullis unquam haereticorum argutiis et cavillationibus potuerint obscurari. Ecclesia, inquit, *suos accersens infantulos sancto lacte, nempe Verbo infantili, enutrit. Ideo autem lac non habuit* mater haec, *quod lac esset hic infantulus pulcher et conjunctus, scilicet corpus Christi, novum coetum Verbo nutriens;* coetum, *quem ipse Dominus carnali dolore peperit, quem ipse fasciis alligavit Dominus, pretioso sanguine suo. O sanctum partum! O sanctas fascias! Verbum est omnia infanti, et pater et mater et paedagogus et altor. Comedite, inquit, meam carnem et bibite meum sanguinem. Haec convenientia alimenta nobis suppeditat Dominus, et carnem praebet et effundit sanguinem, et ad incrementum nihil deest infantulis. O admirabile mysterium! Veterem et carnalem nos jubet exuere corruptionem, quemadmodum et vetus nutrimentum; alterius autem novae Christi diaetae effectos participes, illum si fieri possit recipientes in nobis ipsis reponere, et Servatorem intra pectus condere.* [1]) ... Et iterum: *Si* ergo, inquit, *in Christo regenerati sumus, ipse*

5) ib. c. 13 post pr., p. 459 sq.

1) Paedag. Lib. I. c. 6, p. 123.

qui nos regeneravit, proprio nos lacte nutrit, nempe Verbo. Omne enim, quod generat, ei, quod generatur, protinus alimentum praebere consentaneum est. Quemadmodum autem regeneratio convenienter spiritalis, *ita etiam nutrimentum fuit homini spiritale. Omni ergo ratione nos in omnibus Christo conjungimur, et in cognatione per sanguinem ejus, quo redimimur; et in sympathia per nutritionem, quae ex Verbo efficitur; et in incorruptione per ejus ipsius institutionem et vitae agendae rationem.* [2]) Sed etiam *Sacrificium eucharisticum* Clemens haud ambigue confitetur, verba nimirum *Genes.* XIV. 18 exponens, ubi dicit: *Melchisedeck rex Salem, sacerdos Dei altissimi, vinum et panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum Eucharistiae* h. e. sacrificii incruenti. [3])

dd. Ordo.

§. 347. Esse porro divinam in Ecclesia *Hierarchiam* testatur Clemens, docens *tres* dari *sacros ordines* non solum a reliqua christiana plebe sed etiam a se invicem distinctos, qui constant ex Episcopis Presbyteris et Diaconis. *Nam hic quoque in Ecclesia,* inquit, *progressiones sunt, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum; imitationes ut arbitror gloriae angelicae et illius oeconomiae et dispensationis, quam dicunt Scripturae exspectare illos, qui insistentes vestigiis Apostolorum vixerunt in perfectione justitiae convenienter Evangelio. Hos sublatos in nubibus, scribit Apostolus, primum quidem diaconos futuros etc.* [1]) Quantumlibet enim perfectus fuerit *Laicus*, ita ut in coelo quidem presbyteris honore exaequatus populum judicare mereatur, quemadmodum ille, quem Clemens *Gnosticum* suum fecit; tamen, quamdiu in

---

2) ib. c. eod. sub fin., p. 127.
3) Strom. Lib. IV. c. 25 sub fin., p. 637.
1) Strom. Lib. VI. c. 13 in fin., p. 793.

terra vivit, a Presbytero et Diacono, qui *per manum impositionem* vere initiati sunt, probe differt. *Hic* (Gnosticus), ait, *revera est presbyter Ecclesiae et verus diaconus* i. e. *minister voluntatis Dei, si faciat et doceat quae sunt Domini; non, ut qui ordinetur ab hominibus, neque quod sit presbyter justus censeatur, sed quod sit dignus, ut referatur in presbyteratum. Et licet hic in terris non fuerit prima sede honoratus, sedebit in quatuor et viginti thronis populum judicans, ut dicit Joannes in Apocalypsi.* 2) Et sua cuique ordini competere *munera* et *officia* innuit, cum dicat: *Plurima autem alia praecepta, quae ad electas personas pertinent, in sanctis libris scripta sunt; haec quidem Presbyteris, alia vero Episcopis, alia Diaconis, alia autem Viduis, de quibus fuerit aliud dicendi tempus.* 3) Imo ne id quidem dubium est, quin Clemens eos, qui *sacris* ordinibus initiati fuerint, *caelibes* esse debere crediderit. Uxoratos enim admissos quidem ad sacros ordines fuisse fatetur, statim vero subnectit: *Sed hi quidem, ut erat consentaneum, ministerio, quod divelli non poterat, attendentes non uxores sed ut sorores circumducebant mulieres, quae domos custodiebant, per quas etiam in gynaeceum absque ulla reprehensione malave suspicione ingredi posset doctrina Domini.* 4)

ee. *Matrimonium.*

α) Conjunctio legitima, et sancta.

§. 348. Adversus eos, qui matrimonium tanquam scelestum facinus acrius impugnabant, haereticos Clemens

---

2) ib. c. eod. med., p. 793.

3) Paedag. Lib. III. c. 12 sub fin., p. 309.

4) Strom. Lib. III. c. 6 med., p. 535 sq. Cum hoc Clementis loco plane convenit, quod apud *Hieronymum* in fine *Apologiae adv. Jovinianum* legimus: *Apostoli vel virgines manebant vel post nuptias continentes; Episcopi, Presbyteri, Diaconi aut virgines eligun-*

aperte edisserit: *Unusquisque nostrum habet, si velit, potestatem uxorem legitime ducendi, in primis, inquam, nuptiis.* [1]) Hinc matrimonium alio loco sic a Clemente definitur: *Matrimonium est prima legitima viri et mulieris conjunctio ad legitimam procreationem.* [2]) Ergo etsi bonum esse matrimonium Clemens invictissime probaverit, tamen non temere sed *legitime* contrahendum esse advertit: *Neque enim est uxor ducenda cuilibet, neque semper, neque omni modo ac temere, . . . sed tempus quoque est, in quo convenit; et persona, cui convenit; et aetas, usque ad quam.* [3]) . . . Ad id autem, quod *unas* tantum nuptias admittere videatur, paulo infra (§. 350) sermo redibit. Neque in hoc diutius immoremur, quod *filiorum procreationem* tanquam unicum matrimonii finem denotat. Imo non unus is est, sed habet matrimonium etiam *alia*, ut alibi inquit, *propria munera et ministeria, quae ad Dominum pertinent, filiorum, inquam, curam gerere et uxoris,* [4]) atque *domus curam, ad quam data est mulier adjutrix.* [5]) Id vero minime est silentio praetermittendum, quod Clemens Alexandrinus adversus Tatianum validissime probavit, *ex Domino esse matrimonium* h. e divinitus institutum; [6]) et alibi eundem increpans: *Si quis*, inquit, *matrimonium audeat dicere fornicationem, Legem et Dominum insectans maledictis impetit.* [7]) Ideoque consequenter etiam *sanctificantem gratiam* per matrimonium conferri palam profitetur: *Sanctificatur ergo etiam, quod per Verbum perficitur matrimonium, si*

---

tur, aut certe post sacerdotium pudici. S. Hieronym. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 243.

1) Strom. Lib. III. c. 11 med., p. 544.
2) ib. Lib. II. c. 23 pr., p. 502.
3) ib. c. eod. pr., p. ead.
4) ib. Lib. III. c. 12 post pr., p. 546.
5) ib. c. eod. med., p. 548.
6) ib. c. eod., p. ead.
7) ib. c. eod. prope fin., p. 551.

conjugium se Deo submittat, et cum vero corde administretur in fidei certitudine. [8]) Unde et uxores non secus ac virgines *sanctas* esse posse in Domino confitetur dicens: *Ambae sunt sanctae in Domino, haec quidem ut uxor, illa vero ut virgo.* [9])

b) Vinculum indissolubile.

§. 349. Quod matrimonium porro sit *vinculum nullo unquam pacto dissolubile*, invictissimis verbis testatur Clemens. Dicit enim: *Quod autem consulit Scriptura uxorem ducere, nec a conjugio unquam permittit discedere, legem aperte constituit: Non dimittes uxorem, praeterquam propter fornicationem. Adulterium autem existimat esse, conjungi matrimonio, dum alter ex separatis adhuc in vivis est.* [1]) Ne quis vero existimet, Clementem aliquem tamen dare locum *divortio*, cum dixerit: *praeterquam ob fornicationem;* diligentius attendat ad ea, quae paulo post ipse subtexuit. *Si quis enim*, ait, *dimiserit uxorem, moechatur ipsam, h. e. cogit eam moechari. Non solum autem qui dimisit, est ejus causa; sed etiam qui eam suscipit, praebens mulieri occasionem peccandi. Si enim non susceperit, revertetur ad virum.* [2]) Ergo non quoad *vinculum*, ut dicimus, sed quoad *thorum* duntaxat separandam esse adulteram conjugem innuit; alioquin enim, si viro innocenti aliam ducere fas esset, non utique posset priorem adulteram peracta poenitentia recipere. Hoc solum igitur inter *veteram* ac *novam* legem obtinet discrimen, quod mulier adultera, *ut morti traderetur*, olim dimissa est; nunc vero, *ut poenitentiam agat*, ad tempus separetur, et post poenitentiam quasi regenerata ad virum pristinum

8) ib. Lib. IV. c. 20 post pr., 621.
9) ib. Lib. III. c. 12 sub fin., p. 551.
1) Strom. Lib. II. c. 23 sub fin., p. 506.
2) ib. c. eod. prope fin., p. 507.

revertatur. Sic Clementem sensisse, ibidem ipse declarat hisce verbis: *Quid vero lex* (Mosaica)? *Ut reprimat propensionem ad vitia, jubet de medio tolli eam, quae adulterata et adulterii fuerit convicta; ... obruitur autem adulter quoque lapidibus, sed non in eodem loco, ut ne mors quidem sit eis communis. Nequaquam igitur Lex cum Evangelio pugnat, sed ei consentit. Quidni enim, cum utrumque unus suppeditavit Dominus? Quae enim est fornicata, vivit quidem peccato, sed mortua est mandatis; quae autem ducta est poenitentia, ut quae sit iterum generata per vitae conversionem, habet vitae regenerationem; mortua quidem vetere fornicatrice, in vitam autem rursus ingressa ea, quae genita est poenitentia.* [3])

c) Secundae nuptiae non prorsus illicitae.

§. 350. Jam vero in eo sumus, ut, quid de *secundis nuptiis* Clemens senserit, accuratius expendamus. Duo jam supra (§. 348) exhibuimus loca, in quibus ille matrimonium *primam viri et mulieris conjunctionem legitimam* nominat. Imo alibi aperte: *Fornicatio est*, inquit, *ab uno matrimonio ad plura prolapsio.* [1]) Sed attendendum est, quo sensu Clemens hoc verbum usurpaverit. Sic enim ibidem habet: *Si quis matrimonium audet dicere fornicationem, legem et Dominum insectans maledictis impetit. Quemadmodum autem avaritia et plura habendi cupiditas dicitur fornicatio, ut quae adversetur sufficientiae; et ut idololatria* fornicatio est, ut *quae sit ex uno in multos deos distributio; ita* et *fornicatio est ab uno matrimonio ad plura prolapsio*, quatenus nempe hominem ab ea perfectione, quae in primo matrimonio est, propter ipsius incontinentiam abducit. Ergo tria genera notantur tanquam fornicationes sensu nimirum *improprio* et *metaphorico*. Clemens igitur secundum ma-

---

3) ib. p. ead. 507.

1) Strom. Lib. III. c. 12 prope fin., p. 552.

trimonium *non omnino damnat* tanquam illicitum, sed *improbat* velut impedimentum altioris, qualem Evangelium suadet, perfectionis. Et hunc auctoris nostri fuisse sensum, ex alio loco satis elucet, ubi dicit, Apostolum *propter intemperantiam et ustionem ex venia secundum concessisse conjugium. Nam hic quoque* (qui secundas inierit nuptias) *non peccat quidem ex testamento, non est enim ex lege prohibitus; non implet autem summam illam vitae perfectionem, quae agitur ex Evangelio. Gloriam autem sibi acquirit coelestem, qui apud se manserit, eam, quae est morte dissoluta, impollutam servans conjunctionem.* [2])

n. *De rebus novissimis et de Purgatorio.*

§. 351. Nonnihil praeterea de *resurrectione* tradit et de *malorum hominum purgatione*, eamque etiam ab ethnicis philosophis passim fuisse agnitam commemorat. *Norat enim*, inquit, *ille* (sc. Heraclitus philosophus) *a barbara philosophia* (i. e. sacris Hebraeorum libris) *malorum hominum purgationem per ignem, quam Stoici exustionem postea dixere, qui et per eam quempiam talem revicturum docent, hujusmodi vocibus obtegentes resurrectionem.* [1]) Inprimis autem digna notatu ea est sententia, qua de *Purgatorio* (ἀποκάθαρσις) exponit. *Perfectus*, inquit, *Christianus etiam miseretur eorum, qui post mortem castigati per supplicium inviti confitentur peccata.* [2]) Et alibi: *Non ergo fuerit aliquis fidelis, qui intemperans est; sed, etsi e carne exierit, necesse est ut vitia deponat, ut possit ad propriam pervenire mansionem. . . . Cum ergo per multam disciplinam vitia exuerit*

2) ib. c. eod. med., p. 548.

1) Strom. Lib. V. c. 1 med., p. 649.

2) ib. Lib. VII. c. 12 post med., p. 879.

ad maximum supplicium, quod est melius priori mansione, inferens secum proprietatem poenitentiae eorum peccatorum, quae admisit post baptismum. Discruciatur ergo adhuc amplius, cum vel nondum vel ne omnino quidem ea assequatur, quorum videt alios esse participes. Praeterea autem pudore afficitur ob ea, quae deliquit (quae quidem sunt fideli maxima supplicia) .... Et licet cessaverint cruciatus in implendis, quas luunt, poenis et expiandis, quae admissa sunt ab unoquoque, delictis; habent tamen maximam permanentem dolorem, quod, cum sint inventi digni alio ovili, non una sint cum iis, qui sunt gloria affecti propter justitiam. [3]) Ut autem facile quivis intelligat, quid haec postrema Clementis verba sibi velint, monendum est, quod ipse alibi statuit, complures esse et *diversos gradus gloriae aeternae*, vel (ut ipsis ejus verbis loquar) *varias virtutis pro meritis differentias et praeclaras remunerationes.* [4]) . . . *Proportione ergo habita variae sunt mansiones pro dignitate et meritis eorum, qui crediderunt. ... Et perfecta quidem haereditas est eorum, qui evadunt in virum perfectum ad imaginem Domini.* [5]) Post hanc enim redemtionem, inquit, scilicet *cum ab omni poena et supplicio fuerimus liberati, quae sustinemus ex peccatis ad salutarem disciplinam, post hanc* igitur *redemtionem praemium et honores dantur consummatis, cum cessaverint a purgatione et ab alio quocunque ministerio, quantumvis sancto et inter sanctos. Deinde eos, qui fuerint mundi corde, in propinquitatem Domini evectos manet perpetuae contemplationis restitutio, et Deorum appellantur nomine.* [6])

3) ib. Lib. VI. c. 14 post pr., p. 794 sq.

4) ib. Lib. IV. c. 6 med., p. 579.

5) ib. Lib. VI. c. 14 circ. fin., p. 797 sq.;

6) ib. Lib. VII. c. 10 med., p. 865.

2. Doctrina moralis.

a. De virtutibus Christiani.

aa. Generatim.

§. 352. Primo hic nobis advertendum est, quomodo Clemens *virtutem* definierit. *Ipsa virtus*, inquit, *est affectio animae sub imperio rationis per totam vitam consonans et respondens.* [1]) Ex qua definitione jam satis apparet, secundum Clementem omnes et singulas virtutes sibi invicem connexas esse et ita conjunctas, ut altera absque altera non possit haberi. *Unam* dicit esse virtutem seu potius habitum virtutis, unde emanant *fortitudo et temperantia et prudentia et justitia et tolerantia et patientia et modestia et honestas et continentia et quae eas superat, pietas.* [2]) Omnes autem *se invicem consequuntur virtutes.... Jure igitur si de his virtutibus adhuc tractaverimus, de omnibus consideravimus; quoniam qui gnostice habet unam virtutem, omnes per mutuam habet consequentiam.* [3]) Permulta quidem Clemens de virtutibus singulatim exponit; nobis autem in virtutibus *theologicis* et *cardinalibus* duntaxat immorari in animo est.

bb. Speciatim.

α) De virtutibus theologicis.

αα) *De Fide.*

§. 353. Fides est *voluntaria anticipatio* (*πρόληψις*) s. apprehensio revelationis divinae; *pietatis assensio; eorum, quae sperantur, substantia; argumentum eorum, quae*

1) Paedag. Lib. I. c. 13 post pr., p. 159.
2) Strom. Lib. II. c. 18 pr., p. 469.
3) ib. b. eod. post princ., p. 470.

non videntur, ut est sententia divi Apostoli (Hebr. XI. 1); [1]) vel ut alibi habet: *Fides est apprehensio (ὑπόληψις) et anticipatio (πρόληψις) prudentis praecomprehensionis (προκαταλήψεως).* [2]) In hoc autem *fidem* a *scientia* docet differre, quod scientia quidem veritatis suae argumenta ex evidentia rei capiat, fides autem ex auctoritate docentis; unde: *Qui Logo credit, novit rem esse verum,* inquit; *Logos enim est veritas.* [3]) . . . Fidem autem esse omni demonstratione majorem dicit: *Qui enim divinis Scripturis firmo judicio credit, demonstrationem, cui contradici nequit, Dei nempe, qui Scripturas nobis dedit, vocem accipit. Itaque fides per demonstrationem firmior fieri nequit.* [4]) Similiter alio loco ostendit *Principium universorum per fidem sciri, non per demonstrationem. Absurdum enim fuerit, Pythagorae quidem sectatores rejectis eorum quae quaerebantur probationibus illud „αὐτὸς ἔφα" fidem facere arbitrari, et ad ea, quae audierunt, confirmanda hanc vocem satis esse ducere; eos autem, qui contemplandae veritatis tenentur desiderio, fide digno magistro, soli Servatori Deo, fidem non habere, sed velle eorum, quae dicuntur, demonstrationes ab eó exigere.* [5]) Atvero fides non solum non eget probatione, sed etiam prorsus *nequit demonstrari;* Deus enim est principium fidei. *Atque Deus quidem, cum demonstrari nequeat, non potest esse scientiae objectum.* [6]) . . . *Aliter dicit aliquis de veritate, aliter veritas se ipsam interpretatur. Aliud est veritatis conjectura, et aliud veritas; aliud rei similitudo, aliud ipsa res. Et altera quidem comparatur disciplina et exercitatione, altera vero virtute et fide; est enim donum doctrina pietatis, gratia*

1) Strom. Lib. II. c. 2 sub fin., p. 432 sq.
2) ib. c. 6 med., p. 444.
3) ib. c. 4 pr., p. 434.
4) ib. c. 2 fin., p. 433.
5) ib. c. 5 sub fin., p. 441 sq.
6) ib. Lib. IV. c. 25 paulo post pr., p. 635.

vero fides. [7]) Unde rectissime concludit Clemens, fidem esse et actionis et cognitionis principium: *Fides enim fundamentum est prudentis electionis*, ideoque, *cum actionis principium sit voluntaria electio, fides etiam principium est actionis.* [8]) Imo et cognitionis principium est. *Verumenimvero de Deo non dubitare sed credere, est fundamentum cognitionis. Est autem utrumque Christus, fundamentum inquam et aedificium; Christus, per quem est principium et finis, fides* (principium) *et caritas* (finis) [9]) . . . *Fides enim stabilimentum caritatis.* [10]) Itaque fidem esse fundamentum veritatis et *ad salutem prorsus necessariam*, Clemens iterum atque iterum tradit, repetit, inculcat. *Et ea quidem veritas*, inquit, *quae fide percipitur, tanquam panis necessaria est ad vivendum.* [11]) Et alibi: *Fides . . . Gnostico est aeque necessaria ac ei, qui in mundo vivit, ad vivendum respiratio. Ut autem absque elementis non possumus vivere, ita nec absque fide possumus adsequi cognitionem. Haec est igitur basis veritatis.* [12]) Et duas quidem hominis complectitur facultates, mentem atque animum, *intellectum* et *voluntatem*, et ex utraque parte *perfectibilem* esse fidem Clemens docet, ut quae nempe quoad intelligentiam summum fastigium consecuta fuerit in *Gnosi*, quoad voluntatem autem in *Caritate*. *Fides*, inquit, *est aliquod bonum intrinsecus positum, et quae absque eo, quod Deum quaerat, Deum esse confitetur, et tanquam qui sit glori-*

7) ib. Lib. I. c. 7 ad fin., p. 336.

8) ib. Lib. II. c. 2 sub fin., p. 433.

9) ib. Lib. VII. c. 10 pr., p. 864.

10) ib. Lib. II. c. 6 circ. fin., p. 445. *Est ergo fides scientia praestantior et ejus criterium*, ib. c. 4 med., p. 436, seu, ut alibi dicit: *Fides est doctrinae perfectio. . . . Fidei, cum ex se perfecta et plena sit, nihil deest.* Paedagog. Lib. I. c. 6 med., p. 115.

11) ib. Lib. I. c. 20 sub fin., p. 377.

12) ib. Lib. II. c. 6 fin., p. 445.

ficat. Unde oportet ab hac fide eductum, in eaque auctum, divina gratia Dei accipere, quantum fieri potest, cognitionem. [13]) At ipsam *cognitionem* (γνοῦν) probe distinguit a *sapientia* (σοφία). *Dicimus autem*, inquit, *cognitionem differre à sapientia, quae per doctrinam acquiritur; nam quatenus aliquid est cognitio, eatenus idem est etiam sapientia; quatenus autem est aliquid sapientia, non eatenus est omnino cognitio.* [14]) ... *Cognitio autem est firma ac stabilis demonstratio eorum, quae assumta sunt, per fidem; quae per doctrinam Domini super fidem aedificatur, quae transmittit ad infallibilitatem et scientiam et perfectam comprehensionem.* [15]) Cognitionem igitur in *fide* niti; fidem autem *donum Dei* esse, ac divinitus infundi nostris mentibus confitetur. *Non est enim*, ait, *fides temere reprehendenda ut facilis et vulgaris et quae sit quorumlibet. Si humanum enim esset inventum, ut existimant Graeci, etiam extinctum esset. Sin autem augetur, non est, ubi non est. Dico ergo fidem, sive fundata sit a caritate, sive etiam a timore, ut dicunt accusatores, esse divinum aliquid, ut quae neque ab alia mundana amicitia divellatur, neque a timore praesente dissolvatur.* [16]) ... *Sive ergo Pater ipse ad se trahit quemlibet, qui pure vixerit ac processerit ad notionem beatae naturae, sive liberum quod est in nobis arbitrium venit ad boni cognitionem; ... non tamen absque eximia gratia alatur et exsurgit anima et extollitur supra ea, quae supereminent.* [17]) ... Per fidem enim *Spiritum Sanctum* in unumquemque credentem secundum illius dispositionem immitti. *Nos quidem dicimus, Spiritum Sanctum inspirari ei, qui credidit. ... Verum non ut*

---

13) ib. Lib. VII. c. 10 pr., p. 864.

14) ib. c. eod., p. ead.

15) ib. c. eod. med., p. 865 sq.

16) ib. Lib. II. c. 6 sub fin., p. 445.

17) ib. Lib. V. c. 13 pr., p. 696.

pars Dei est Spiritus in unoquoque nostrum.[18]) ... Sed *Spiritus Sanctus per eam quodammodo distributus transplantatur, prout est uniuscujusque circumscriptio, incircumscripte.*[19]) *Fides* igitur, porro inquit, est *virtus ad salutem, et potentia ad vitam aeternam.*[20]) ... *Fides virtus est, per quam servantur electi.*[21]) Ergo cuilibet homini, quantumvis pio et justo, penitus *necessariam* esse fidem. *Abraham*, ait, *non ex operibus justificatus est sed ex fide. Nihil ergo eis post vitae finem proderit, etiamsi nunc recte operantur, nisi fidem habuerint.*[22]) Per fidem curantur infirmi, et mortui resurgunt. *Dixit enim: „Si habeatis fidem ut granum sinapis, montem transferetis“* (Matth. XVII. 20); *et rursus: „Secundum fidem tuam fiat tibi* (Matth. IX. 29). *Et unus quidem curatur, suscepta per fidem curatione; mortuus autem alter resurgit per vim ejus, qui crediderit quod esset resurrecturus.*[23]) Attamen fidem non meram esse confidentiam, qua per justitiam Christi justificari speramus; sed *bonis etiam operibus* fidem debere vivificari. *Nam neque fieri potest, ut sine nostro animi proposito consequamur, neque universum est positum in nostra voluntate; ... gratia servamur*, sed *non absque bonis operibus.*[24]) ... *Quare quando audierimus „Fides tua te salvam fecit“* (Marc. V. 34) *non accipimus eum dicere absolute, eos salvos futuros, qui quomodocunque crediderint; nisi opera quoque fuerint consecuta.*[25])

---

18) ib. c. eod. in fin., p. 698 sq.

19) ib. Lib. VI. c. 15 med., p. 800.

20) ib. Lib. II. c. 12 med., p. 457.

21) ib. c. eod., p. 458. Sic Hermas quoque: Per hanc, ait, fidem salvi fiunt Electi. Past. Lib. I. Simil. III. c. 8 pr. in Hefele Opp. PP. apost. p. 149.

22) ib. Lib. I. c. 7 med., p. 838.

23) ib. Lib. II. c. 11 sub pr., p. 454.

24) ib. Lib. V. c. 1 med., p. 647.

25) ib. Lib. c. 14 pr., p. 794.

bb) *De Spe.*

§. 354. Secunda theologica virtus Spes est. Sic Clemens: *Primus*, ait, *gradus* ... *est doctrina cum timore, per quam abstinemus ab injuria; secundus autem est spes, per quam desideramus, quae sunt optima* (ipsum Deum scilicet et salutem sempiternam); *perficit autem caritas, quae jam gnostice docet.* [1]) Spem, cum sit fortissima, neque probris neque tormentis infringi posse, docet. *Neque ergo*, inquit, *spes felicitatis neque in Deum caritas aegre fert ea, quae accidunt, manet autem libera, et licet in bestias incidat immanissimas, licet in ignem voracissimum, licet tyrannicis conficiatur tormentis, a divina pendens amicitia minime redacta in servitutem superas obit regiones, corpore iis tradito, qui id solum possunt tenere.* [2]) Et mutuam *fidei* ac *spei relationem* per similitudinem depingens: *Ecclesia*, ait, *tanquam homo ex multis membris constans irrigatur, et augetur, et ex utrisque conflatur et coalescit, corpore quidem fide, anima vero spe; quemadmodum Dominus quoque ex carne et sanguine. Revera enim sanguis fidei est spes, qua continetur fides tamquam ab anima; cum autem spes exspiraverit, perinde ac si sanguis effluxerit, vitalis fidei facultas dissolvitur.* [3]) Spei vero continuus comes *timor Dei* est, quo quis *non Deum metuit, sed, a Deo excidere timet*; et, ut paulo supra dicit, talis *timor bonum est, et, qui est ex lege metus, non solum est justus sed etiam bonus, ut qui auferat vitium.* [4]) ... *Deducit ergo talis metus et ad poenitentiam et ad spem.* [5]) Timor autem aeque ac spes duplex est, aut imperfectus i. e. *servilis*,

1) Strom. Lib. IV. c. 7 med., p. 587.

2) ib. Lib. IV. c. 8 post pr., p. 589. Cf. ib. c. 22 sub. fin., p. 630.

3) Paedag. Lib. I. c. 6 med., p. 121.

4) Strom. Lib. II. c. 8 sub fin., p. 450.

5) ib. c. 9 pr., p. ead. 450.

aut perfectus i. e. *filialis*. Unde Clemens: *Non, sicut feram timeo et odi, ita etiam patrem vereor, quem timeo et amo.* 6) Dum autem filialem esse verum timorem docet, *servilem* tamen non penitus damnat metum, imo vero admittit, quando ex hoc metu ad filialem timorem et ad caritatem aliquis ascendat. Nimirum potest aliquis *transire a tenebris ad vitam, et aures sapientiae adhibens legitimus primo Dei servus, deinde ejusdem fidelis famulus fieri timens Dominum Deum.* 7) Similiter res se habet cum *spe*. Si quis enim *ab injustitia facienda abstinuerit propter spem remunerationis a Deo consequendae ob ea, quae juste fecerit, ne sic quidem sua sponte est bonus. Sicut enim illum metus, sic hunc quoque merces justum facit, vel potius ostendit eum justum videri.* 8) Neque tamen mercedis spem a vero Christiano omnino esse respuendam censet, modo ne haec *sola* sit *unicum* justitiae suae incitamentum.

cc) *De Caritate.*

§. 355. In Fide, Spe et Caritate earum, quas *theologicas* vocamus, consistere virtutum trinitatem docet, *caritatem* autem earum praestantissimam esse confitetur dicens: *Iis autem, qui tendunt ad perfectionem, est proposita cognitio rationalis, cujus fundamentum est illa sancta trias: Fides, Spes, Caritas; major autem horum caritas.* 1) Quo autem progressu ad caritatem ascendatur, sic edisserit: *Ignorationis animadversio est prima disciplina ei, qui secundum Verbum ambulat. Cum ignorasset quispiam, quaesivit; et cum quaesiisset, invenit magistrum; et cum invenisset, credidit; et cum credidisset, speravit; et cum hinc dilexisset, dilecto similis efficitur, hoc*

---

6) ib. c. 12 init, p. 457.
7) ib. Lib. I. c. 27 med., p. 423.
8) ib. Lib. IV. c. 22 med., p. 629.
1) ib. Lib. IV. c. 7 sub fin., p. 588.

esse studens quod prius dilexit. [2]) *Proximi* autem amorem ita describit: *Caritas est consensio eorum, quae sunt in ratione et vita et moribus; aut, ut paucis dicam, vitae societas, vel amicitiae et benevolentiae perseverantia cum recta ratione in usu amicorum ac familiarium, qui ἑταῖροι* (quasi ἕτερος ἐγώ i. e. *alter ego*) *vocantur, qua ratione eos fratres appellamus, qui sunt eodem Verbo regenerati.* [3]) Et inculcans mandatum Dei: „Diligite et inimicos vestros etc." (Matth. V. 44. 45) exponit: *Cum vero jubet diligere inimicos, non diligere quidem malum jubemur neque impietatem vel adulterium vel furtum: sed furem et impium et adulterum; non quidem quatenus peccat, et quadam actione humano nomini dedecus infert, sed quatenus est homo et opus Dei.* [4]) Neque in uno tantum alterove bono opere consistere virtutem Gnostici seu veri Christiani, sed in *habitu benefaciendi* ad exemplum Dei. *Haec est*, ait, *prima viri perfecti beneficentia, quando non fit propter aliquod utile, quod ad se pertineat; sed cum judicaverit, pulchrum esse et honestum, id, quod bonum est, facere, vehementer incitata operatio in omnibus reipsa bene se geret, non in aliquo quidem recte, in alio vero non; sed in benefaciendi habitu constituta, neque praeterea propter gloriam, neque propter mercedem aut ab hominibus aut a Deo, ad imaginem et similitudinem Domini vitam peregerit.* [5])

b) De virtutibus cardinalibus.

§. 356. Praeclare etiam definit eas, quae a Theologis *quatuor virtutes cardinales* dicuntur. *Clarum est ergo*, inquit, *omnes quoque alias virtutes, quae scriptae sunt apud Mosem, praebuisse Graecis principium to-*

---

2) ib. Lib. V. c. 3 med., p. 654.
3) ib. Lib. II. c. 9 pr., p. 450.
4) ib. Lib. IV. c. 13 sub fin., p. 605.
5) ib. Lib. IV. c. 22 post pr., p. 626.

tiae loci moralis, *Fortitudinem*, inquam, *et Temperantiam et Prudentiam et Justitiam.* [1]) ... Et *Fortitudinem* dicit *scientiam eorum, quae sunt gravia et non gravia, et eorum quae sunt intermedia; Temperantiam autem habitum, qui eligendo et vitando servat judicia prudentiae. Adjungitur* autem *fortitudini quidem patientia, quam appellant tolerantiam, scientiam scilicet eorum quae sunt sustinenda et quae non; et celsitudo animi, quae scientia est, qua quis quibuscunque casibus superior evasit. Sed etiam temperantiae adjuncta est cautio, quae est declinatio cum ratione.* [2]) ... *Temperantia autem ipsa non est sine fortitudine; quandoquidem ex praeceptis oritur Prudentia, quae Deum qui omnia disposuit sequitur, et Justitia, quae divinam dispositionem imitatur, per quam, cum simus continentes, mundi ad pietatem et actiones exemplo Dei conformes tendimus, Domino (quoad a mortalibus fieri potest) assimilati; id autem est, justum et sanctum fieri cum prudentia.* [3])

b. De bonis operibus.

aa. generatim.

§. 357. Perfectus Christianus, ut Clemens docet, ad omnem *bonam actionem semper praesto ac paratus est, omnia gravia et molesta solitus despicere; quando aliquid sustinere oportuerit, nihil temerarium, neque quod sibi et reipublicae non conveniat, unquam peragens, providus ac prospiciens, et minime motus voluptatibus. ... Tenui enim diaetae et frugalitati assuefactus est temperans et expeditus cum gravitate, paucis ad vitam necessariis indigens, nihil quaerens quod sit supervacaneum; sed ne haec quidem per se et tamquam res praecipuas, sed quae*

---

1) Strom. Lib. II. c. 18 init., p. 469.

2) ib. c. eod. post pr., p. 470.

3) ib. c. eod. p. 471.

ad vitae communionem et peregrinationi carnis necessaria, quantum necesse est admittens. [1] ... *Hujusmodi Gnosticus, ut summatim dicam, Apostolicam compensat absentiam, recte vivens, accurate cognoscens, suos juvans necessarios, montes propinquorum transmovens, et inaequalitates ipsorum animae abjiciens. ... Idem etiam quae sunt optima agens vult latere homines, Domino simul et sibi ipsi persuadens, se vivere ex praeceptis. ... Ipse per caritatis perfectionem se ipsum diminuit, nec unquam contemnit fratrem afflictum, si se sciverit facilius laturum egestatem quam frater. Existimat certe, illius dolorem esse dolorem proprium, et, si ex sua praebens inopia propter beneficentiam aliquo afficiatur incommodo, id non aegre fert, sed magis adhuc auget beneficium. Habet enim puram et sinceram fidem, eam quae est de rebus, per opera et contemplationem laudans Evangelium.* [2] ... *Serpente igitur juncto cum columba, simul perfecte vivit et cum bona conscientia, spem fidei commiscens ad exspectationem futuri. Sentit enim donum, quod accepit, ut qui dignus sit habitus, qui hoc consequeretur, et translatus sit a servitute in filiorum adoptionem, consequenter et scientiae; ut qui neque cognoverit Deum, sed potius sit ab ipso cognitus propter finem, et pro gratiae dignitate ostendat actiones; opera enim sequuntur cognitionem, non secus ac umbra corpus.* [3] ... Sed longum est, singula vel praeclarissima quaeque notare.

bb. in specie.

a) De Oratione.

§. 359. a. Praeclare Clemens, *quid sit oratio*, explicat, et *vocalem* quidem et *mentalem* distinguens

---

1) Strom. Lib. VI. c. 9 in fin., p. 779.
2) ib. Lib. VII. c. 12 post med., p. 878 sq.
3) ib. c. 13 med., p. 882.

utramque tamen *veram* esse orationem agnoscit, dicens: *Est ergo precatio — cum Deo conversatio. Quare, licet susurrantes et ne labra quidem aperientes tacite loquamur, intus clamavimus. Quamlibet enim internam collocutionem Deus exaudit perpetuo.* [1] ... *Deus* enim *inexplicabili potestate etiam absque sensili auditione simul cum cogitatione cognoscit omnia. Quodsi quis dicat, vocem inferius in aëre volvi, nec ad Deum pervenire; at cogitata Sanctorum secant non solum aërem sed totum mundum. Statim autem vis divina, perinde ac lux, totam perspicit animam.* [2] Et quamvis Deus solos dignos semper exaudiat, iisque det sine petitione bona, tamen idcirco superflua non est oratio. *Omnino enim novit Deus eos, qui bonis digni sunt, et qui non. Unde dat ea, quae singulis conveniunt. ... Neque superflua tamen propterea est petitio, etiamsi absque petitione dentur bona.* [3] ... Imo etiam peccatorum preces quandoque sed raro exaudiuntur. *Quodsi quis dicat nobis, quosdam etiam* p e c c a t o r e s *impetrare id, quod petant; hoc quidem* r a r o *fit, propter justam Dei bonitatem,* quia, quae vere bona sunt, non petunt. *Datur autem eis quoque, qui possint aliis benefacere; unde non fit donatio propter eum, qui petiit; sed divina dispensatio, qua praevidet, alterum esse per ipsum salvum futurum, rursus justam facit donationem. Iis autem, qui sunt digni, ea etiam quae vere sunt bona dantur, licet non petentibus.* [4] Denique, *q u a n d o* oratio instituatur a vero Christiano, pulchre describit, dum ait: *Universa ejus vita tanquam quidam dies festus est. Sacrificia sunt ei ipsae preces et laudes ... et Scripturarum lectiones, psalmi et hymni, ... ante cibum, dum cibus sumitur, et antequam eat cubitum, sed et noctu rursus ora-*

---

1) Strom. Lib. VII. c. 7 med., p. 854.

2) ib. c. eod. post pr., p. 852. sq.

3) ib. c. eod. med., p. 855.

4) ib. c. 12 med., p. 876.

tiones. Per eas se ipsum unit choro divino. . . . In omni ergo loco orabit, sed non ut populo appareat. Quin vero et inter ambulandum, et in sermone et quiete et lectione et operibus, quae fiunt ex ratione, omni modo precatur. Quin si in ipsius animi penetralibus solum cogitaverit, atque inenarrabilibus gemitibus Patrem invocaverit, ille prope adest eo adhuc loquente. [5]) Praeclarissime autem *res* denotat, quas petere a Deo dignum et justum est. *Orat igitur Gnosticus etiam cogitatione omni tempore, per caritatem Deo conjunctus et familiaris effectus. Et primum quidem petet remissionem peccatorum; postea non amplius peccare; deinde posse benefacere, et omnem, quae facta est per Dominum, creationem et dispensationem intelligere, ut mundo corde effectus per agnitionem, quae est per filium Dei, facie ad faciem in beati spectaculi mysterio initietur.* [6]) . . . *Jam et gratiarum actio et petitio eorum, quae pertinent ad conversionem proximorum, est opus Gnostici, quemadmodum etiam Dominus oravit, gratias quidem agens, quod ministerium perfecerat, rogans autem, ut ad cognitionem venirent quam plurimi.* [7]) . . . *Precatur, ut contemplatio augeatur et permaneat; . . . quin etiam petet, ut a virtute nunquam excidat, ipse interea cooperans maxime, ut perpetuo maneat ejusmodi, ut non possit excidere* [8]) *etc.*

b) De Jejunio.

§. 258. b. Quod est ad *jejunia*, Clemens primo testatur, feria *quarta* et *sexta* seu *Mercurii et Veneris die* jejunare consuevisse Christianos. [1]) Atvero non so-

5) ib. c. 7 fin., p. 860. sq.
6) ib. Lib. VI. c. 12 med., p. 791.
7) ib. Lib. VII. c. 7 med., p. 855.
8) ib. c. eod. med., p. 859.
1) Strom. Lib. VII. c. 12 med., p. 877.

lum ad eas, quas servat Ecclesia, *abstinentias* cohortatur; sed magis etiam *spirituale jejunium* exerceri a vero christiano docet. *Jejunia* enim, ait, *significant omnem generaliter abstinentiam ab omnibus prorsus malis, tam quae actu fiunt, quam quae verbis et ipsa cogitatione.* [2]) . . . *Hinc ille* (Gnosticus) *jejunat in vita, et ab avaritia, et a libidine, ex quibus omnia oriuntur vitia. . . . Jejunat ergo etiam ex lege a malis actionibus, et ex Evangelii perfectione a malis cogitationibus.* [3])

c) De Eleemosyna.

§. 359. In illo tractatu satis prolixo, quem Clemens eum in finem concinnavit, ut nec divitibus spem salutis penitus esse praecisam ostenderet, tantum inquit abesse, ut Dominus divites jusserit projicere divitias suas, ut iis potius rectum illarum usum commendet. *Quanam enim ratione aliquis esurientem alat, sitienti det potum, nudum contegat, peregrinum colligat (quae nisi quis faciat, ignem comminatur* Dominus *et tenebras exteriores) si quisque ipse prior horum omnium egenus extiterit? Quin et ipse excipi se hospitio a Zachaeo jubet et a Matthaeo, qui divites essent et publicani. . . . Sic vero laudat pecuniarum usum, ut cum hac adjectione communicationem praecipiat, potum dare sitienti, esurienti panem praebere, peregrinum suscipere, nudum vestire.* [1]) Et eleemosynas suas dabit Christianus *indiscriminatim*, non anxie judicans, quis dignus sit aut indignus. *Fieri enim potest, ut opinione tua in errorem labaris. Sic vero in proclivi cum sit error, melius erit, ut et indignis benefacis propter dignos, quam ut, dum caves ab indignis, ne in eos quidem incidas, qui bene merentur. . . . Cunctis*

2) ib. Lib. VI. c. 12 med., p. 791.
3) ib. Lib. VII. c. 12 med., p. 877.

1) Lib. *Quis dives salvetur*, c. 13 med., in Clem. Opp. ed. Potteri (Venet. 1757) p. 942.

aperi viscera, qui Dei discipulorum numero adscripti sint, non fastidiose conjectis in corpus oculis, nec ita, ut pro aetate aut statura orisque compositione neglectim quemquam habueris. Si quis denique egenus, pannosus, deformis, debilis videatur, ne idcirco inique feras aut averseris. Habitus hic nobis exterius adhibitus est; ... sed intus habitat, qui absconditus est, Pater et Filius ejus, qui pro nobis mortuus est et nobiscum resurrexit. [2]) Nihilominus Clemens ipse commendat praecipue *Senes pietate praestantes, pupillos religiosis moribus, viduas mansuetudine instructas, viros caritate ornatos. Tales divitiis tuis corporique et animo tibi para satellites, quorum Deus imperator existat, per quos ipsa prope mergenda navis emergat, quam solae levent Sanctorum preces.* [3])

c. *De Jurejurando et Mendacio.*

§. **360.** *Jusjurandum* sic a Clemente definitur: *Est confessio definitiva cum divina assumtione ... ad aliquid persuadendum.* [1]) Juramentum de veritate fidelibus, qui vere sunt Christiani, nonnisi in *summa necessitate* dicendum, atque adeo *superfluum* omnino esse docet; mendacium vero (ne dicam pejerationem) in *qualibet circumstantia* vetitum, etiamsi necessarium esset ad vitam tuendam. *Jam vero,* inquit, *recte Gnosticus jurat; proclivis autem ad jurandum non est, sed raro quidem accedit ad jusjurandum. ... Qui* enim *juste vivit, nihil ex iis, quae officium fieri postulat, transiliens, ubi examinatur judicium veritatis, is factis vere jurat. Est ergo ei superfluum linguae testimonium. Cum ergo sit ei semper persuasum, Deum esse ubique; cumque eru-*

2) ib. c. 33, p. 954.

3) ib. c. 34 med., p. 954. sq.

1) Strom. Lib. VII. c. 8 init., p. 861.

beseat mentiri, ut falsum dicere cognoscat se esse indignum, divina et sui ipsius contentus est conscientia, et ideo non mentitur, neque contra pacta facit aliquid. Unde etiam neque jurat, si fuerit rogatus; neque unquam quod juravit negat, ne falsum dicat, etiamsi moriatur in tormentis.[2]) . . . Is est enim ejusmodi ut a timore non redigatur in servitutem, verus in sermone, tolerans in labore, nec in prolato sermone unquam mentiens, et in eo se semper ita gerens ut non peccet; quando quidem ipsum mendacium, ut quod cum aliquo dolo dictum sit, non est sermo otiosus, sed exercetur ad vitium. Undique ergo veritati testimonium fert solus Gnosticus; . . . semper enim in omnibus omnino se recte gerit, et in sermone, et in actione, et in ipsa cogitatione. Haec ergo est, ut summatim dicam, Christiani pietas et religio.[3]) Nihilominus Clemens illud quidem, quod *officiosum* dicimus, mendacium quandoque, scilicet in extrema necessitate pro licito habuisse videtur. Dicit enim: *Vera enim Gnosticus simul dicit et sentit, nisi quando loco medicinae, ut medicus ad aegrotantes, ad eorum qui laborant salutem, mentietur aut falsum dicet.*[4]) Sed aliud sane est *indulgentia* seu *accommodatio (συμπεριφόρα)*, quae fit, cum aliquis alicui se accommodat, ne eum aut alium magis a veritate avertat; quae accommodatio in hypothesi vere proprieque mendacium *non* est. Aliud autem est *simulatio* et *dissimulatio (ὑπόκρισις)*, qua semper abstinendum est, ne scandalum detur.

d. De Virginitate.

§. 361. Virginitatem ac perpetuam continentiam quantopere Clemens laudaverit, nemo non videt, qui in

---

2) ib. c. eod. med., p. 862.
3) ib. c. 9 ad fin., p. 864.
4) ib. c. eod. med., p. 863.

ejus scriptis vel obiter versatus fuerit. Primo enim unicuique in eo, quem elegit, sive conjugii sive coelibatus statu perseverandum esse pronuntiat dicens: *Verum unusquisque, tam is, qui castitatem elegit, quam is, qui propter liberorum procreationem seipsum conjunxit matrimonio, in suo proposito firmiter debet perseverare, nec in derius deflectere.* [1]) Et paulo inferius: *Rursus dicit Dominus: „Qui uxorem duxit, ne expellat; et qui non duxit, ne ducat“* (Cf. I Cor. VII. 10. 11); *qui ex proposito castitatis professus est uxorem non ducere, maneat coelebs.* [2]) Quamvis autem Clemens eum, *qui in matrimonio varias tentationes a Dei caritate minime divulsus superavit*, felicem praediact, tamen eundem illo, *qui sui solummodo curam gerit*, *inferiorem* esse existimat *in iis, quae pertinent ad salutem.* [3]) Imprimis autem laudat *viduam*, quae servata viduitate quodammodo adeo *virgini* praeferri mereatur. *Jam*, inquit, *nonnulli quoque praeferunt viduam virgini, ut quae, quam experta est, voluptatem magno animo contemserit.* [4]) ... *Est enim res maxima, cum quis voluptatem expertus fuerit, deinceps abstinere.* [5]) Talis ergo vidua *per temperantiam quasi rursus virgo est.* [6])

---

1) Strom. Lib. III. c. 12 post pr., p. 546. Cf. ib. c. eod. med., p. 550.

2) ib. c. 15 med., p. 555.

3) ib. Lib. VII. c. 12 post pr., p. 874.

4) ib. Lib. III. c. 16 in fin., p. 558.

5) ib. Lib. VII. c. 12 med., p. 877.

6) ib. c. eod. post pr., p. 875.

II.

Ammonius Saccas Philosophus.

1. Vita.

§. 362. *Ammonius Christianus* erat; christianis parentibus natus atque ab iis educatus ipso fatente *Porphyrio.* [1]) Et vitae quidem instituto primum *bajulus*, inde

---

1) *Porphyrius* ap. Euseb. in Hist. eccl. Lib. VI. c. 19, ed. Zimmermanni p. 422. nr. 3. Refert quidem *Porphyrius* in hoc Eusebii loco, Ammonium, cum Christianus inter parentes christianos educatus fuisset, simulatque per aetatem saperet, et philosophiae limen attingeret, ad Gentilium mores descivisse; Origenem vero, cum is gentilis esset et Gentilium innutritus disciplinis, ad barbaram (sc. christianam) se convertisse religionem. Sed *Eusebius* aperte contradicens: „*At in eo*, ait, *manifestissime mentitus est Porphyrius*, ... *quod* A m m o n i u m *a veri numinis cultu ad Gentilium ritum se contulisse dicit. Nam et* O r i g e n e s *christianae fidei doctrinam a majoribus suis acceptam servavit*; ... *et Ammonius divinae philosophiae* (christianae religionis) *praecepta ad extremum usque terminum vitae integra atque immota retinuit. Testantur id etiamnum lucubrationes viri illius, ob ea quae reliquit ingenii monumenta, celeberrimi.*" Haec Euseb. in Hist. eccl. l. l. nr. 4, p. 423. Idem affirmat *H i e r o n y m u s* (Catal. Scriptt. eccl. c. 55) dicens: „*Hunc* (Ammonium) *falso accusat Porphyrius, quod ex Christiano ethnicus fuerit, quum constet, eum usque ad extremam vitam Christianum perseverasse.*" Nihilominus recentiores nonnulli viri eruditi, hac Porphyrii sententia commoti, *d u o s* tempore sibi aequales ejusdem nominis viros Alexandrinos discernendos esse putabant, *Ammonium Saccam* philosophum *Neoplatonicum*, et *Ammonium christianum* philosophum. Provocant hi quidem praeterea ad *Hieroclem*, cruentum christiani nominis persecutorem, quippe qui diserte dixerit, Saccam nihil omnino, quod literis mandasset, reliquisse (Phot. Biblioth. Cod. CCCXIV.). Atvero *S. Gregorius Nyssenus* utique locum quendam ex scriptis hujus Ammonii excerpsit in libro *De anima* (Vd. Ej. Opp. omn. edit. Front. Ducaei, T. I. p. 941). Num igitur Eusebius et SS. Gregorius Nyss. et Hieronymus Saccam illum et christianum Ammonium eundem esse statuentes erraverunt? An Porphyrius et Hierocles duos facientes mentiti

a saccis, quibus frumenta circumferebat, *Saccas* dictus est; proposito verò mutato totum sese philosophiae dedit, et philosophorum omnium sui temporis celeberrimus evasit. Scholam *Platonicam* Alexandriae aperuit, et aestu quodam ad philophiae veritatem raptus veterum Philosophorum opinionibus expurgatis, et resectis quae utrinque excreverant nugis, in praecipuis quibusque et maxime necessariis dogmatibus concordem esse *Platonis* et *Aristotelis* sententiam demonstravit, utramque sectam reconcilians liberam a contentionibus philosophiam omnibus suis auditoribus tradidit. Unde et illum *Θεοδίδακτον* appellari fuisse solitum praedicat *Hierocles.* [3]) Quantum vero in literis profecerit, quantamque tum doctrina et eloquentia tum scriptis a se libris existimationem sibi comparaverit, *Porphyrius*, *Longinus*, *Eusebius*, *Hieronymus*, alii uno ore testantur. [4]) Praestantissimi autem quos habebat auditores fuerunt *Heraclas*, *Origenes Adamantius*, alius ejusdem nominis *Origines*, *Plotinus*, qui prima Neoplatonicae philosophiae fundamenta jecisse perhibetur, item *Longinus*, *Herennius* et *Olympius Alexandrinus*.

2. Scripta.

§. 363. Scripsit igitur Ammonius noster *Eusebio Hieronymo*que testantibus [1]) *Librum de consensu*

---

sunt? „*Et quomodo non mentirentur, qui adversus Christianos scripserunt?*" dicit Eusebius l. l. — Utut est, Ammonium certe illum ab Eusebio Hieronymoque laudatum fuisse *Christianum*, et Alexandriae doctorem et magistrum Origenis et ecclesiasticum scriptorem, VV. DD. ad unum omnes agnoscunt.

2) *Theodoreti* Serm. VI De providentia Dei, in Ej. Opp. omn. ed. Schulze et Noesselt (Halae 1768 — 1775. V. 8) T. IV. p. 573.

3) *Hierocles* ap. Photium Cod. CCXLI; et Photii Cod. CCLI.

4) *Porphyr.* ap. Euseb. l. l. nr. 3 init.; *Longinus* in Vita Plotini p. 2; *Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 55, in Opp. omn. ed. Mauris. T. IV. P. II. col. 117.

1) *Euseb.* l. l. nr. 4 med., p. 423; *S. Hieronym.* l. l.

Mosis et Jesu. Sed penitus hic quidem interiit. — Eidem ab *Eusebio* in epistola ad *Carpianum* [2]) tribuitur *Harmonia evangelica*, quam ita composuit, ut evangelio Matthaei quasi fundamento posito, quaecunque ibi desiderantur, e ceteris Evangelistis suo loco suppleverit, ea vero, quae in omnibus eadem leguntur, numeris in margine positis annotarit. Graecus quidem hujus libri textus periit; extat autem ejusdem versio latina a *Victore* Episcopo Capuano († 560) adornata, qui graecum, quod ad manus habuit, exemplar falso credidit esse *Tatiani*. Nam et Tatianus similem librum composuisse fertur cum inscriptione *Διατέσσαρον* (i. e. Evangelium ex quatuor Evangeliis compositum); sed iste totus periit. Ammoniana vero Harmonia ex versione supra dicta typis primum impressa est cura *M. Memleri*, Mogunt. 1524, ac deinde saepius; optime vero edita in *Gallandi* Biblioth. vett. PP. T. II; Cf. ib. Prolegg. p. 54. — Alia denique, quae sub Ammonii nomine hodie circumferuntur, nempe *Vita Aristotelis* cum *Commentario* in libros ejus; [3]) item *Scripta poëtica et rhetoria*, quae Longinus Ammonio cuidam Peripatetico tribuit, [4]) absque omni dubio supposititia habentur.

---

2) ed. gr. et lat. in *Fabricii* Biblioth. graec. T. V. p. 97, (s. ex rec. Harlesii T. VII. p. 400).

3) *Jo. Jonsius* De Scriptt. hist. philos. (Francof. 1659. 4) Lib. III. c. 13; Cf. *Ammiani Marcellini* Vit. Aristot.

4) *Ant. Pagii* Critica in Annales Baronii ad a. 324. n. 4; Cf. *Porphyr.* in Vita Plotin. c. 20.

III.

Apollonius. Asterius Urbanus.

1. Apollonius Montanistarum debellator.

a. Vita ejus et Scripta.

§. **364.** *Apollonius*, ecclesiasticus Scriptor, *vir disertissimus* (quem cetera, quis fuerit ubive vixerit, nescimus) Montani seu *Cataphrygum* haeresin adhuc sua aetate vigentem refutare aggressus *peculiare adversus eos et grande volumen* condidit, tum falsas prophetias, quae ab illis circumferebantur, verbatim expendens, tum vitam moresque eorum, qui haeresis illius auctores fuerunt, discutiens. [1]) *Tertullianus* in opere suo nunc deperdito, quod inscriptum fuit *De ecstasi*, per totum librum septimum in eo desudavit, ut Apollonii adversus Montanistas criminationes refutaret. Exaravit autem Apollonius opus istud c. a. 210, siquidem ipse testatur, tunc annum quadragesimum fuisse, ex quo Montanus adulterinam illam prophetiam commentitus fuerat. [2]) Hodie nonnulla tantum, quae *Eusebius* servavit, fragmenta extant. [3])

b. Nonnulla ex fragmentis excerpta.

§. **365.** Ex paucis hujus operis quae supersunt fragmentis intelligimus, auctorem nostrum id potissimum

---

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. V. c. 18. init., ed. Zimmerm. p. 352; *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 40, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 113.

2) *Euseb.* l. l. prope fin., p. 356. nr. 7; Hieronym. l. l.

3) in *Gallandii* Biblioth. vett. PP. T. II, p. 199 sq.

intendisse, ut falsas Cataphrygum prophetias curatius examinatas exploderet, eosque, qui divinitus se inspiratos esse dictitabant, ex morum pravitate potissimum mendacii argueret. *Montanum* esse dicit, *qui nuptiarum dissidia docuit; qui jejuniorum leges imposuit; qui Pepuzam et Tymium, Phrygiae oppidula, Hierusalem nominavit, ut cunctos undique homines eo convocaret; qui pecuniarum exactores constituit; qui sordidam munerum captationem oblationum nomine callide obvelavit; qui doctrinam suam praedicantibus salaria praebet, ut per foedam ventris ingluviem doctrina ejus convalescat.* 1) Alia de *Priscilla* et *Maximilla* Pseudo-Prophetissis narrat, et de *Themisone* quodam, quod *speciosa avaritia obvelatus confessionis signum non pertulit, sed magna pecuniae vi erogata vincula abjecit; et cum ob eam causam modestius deinceps ac submissius agere deberet, tanquam martyr sese offerens ausus est exemplo Apostoli conscripta epistola catholica eos quidem, qui fideliores ipso exstiterant, instituere, novae autem doctrinae patrocinari, ac postremo in Dominum, in Apostolos et in sacrosanctam Ecclesiam impie loqui;* similiter de *Alexandro*, quod Maximilla plures annos cum eo vixerit, ipse vero, quamvis ob perpetrata latrocinia aliaque facinora publice judicatus poenas dederit, tanquam *martyr* et *propheta* a suis adoratus sit. 2) Ergo si actus prophetae tanquam fructus examinandi sunt, ... *Dic mihi*, inquit, *tingitne capillos propheta? an stibio oculos linit? an studet ornari? prophetane tabula ludit et tesseris? an pecuniam locat foenori? Ingenue fateantur ac respondeant, utrum haec agere liceat, an secus. Ego vero haec apud ipsos acta esse convincam.* 3) — Praeterea tanquam ex vetere traditione refert, *Dominum Apostolis suis praecepisse, ne intra duodecim annos Hieroso-*

---

1) *Euseb.* l. l. nr. 1, ed. laud. p. 353

2) *Idem* ibid. nr. 3. 4. 5, p. 354 sq.

3) *Id.* ib. nr. 6, p. 356.

ignis ascenderent. Meminit etiam cujusdam *Thraseae*, qui circa haec tempora martyr fuit. Et hominem mortuum Ephesi ab *Joanne* Apostolo per divinam potentiam suscitatum narrat. [4])

2. Asterius Urbanus.

a. Quis fuerit et quaenam scripserit.

§. 366. *Eusebius* librum V. c. 16 his verbis incipit: „Et adversus Cataphrygarum quidem haeresim propugnatur veritatis Deus tum Apollinarem Hierapolitanum, tum alios cum illo quam plures doctrina et eloquentia praestantes, tanquam validum atque invictum telum excitavit, a quibus etiam uberrima nobis materia ad praesentem historiam relicta est. *Unus* igitur ex illis in ipso principio operis, quod adversus Cataphrygas composuit, prius se cum illis nuda voce dimicasse admonet, eorumque errores coarguisse. Sic enim sermonem suum orditur: *Cum jam dudum* etc.“ Sed quisnam fuerit iste „*unus ex illis*,“ cum Eusebius illius nomen apponere neglexisset, parum liquet. S. Hieronymus quidem vel *Rhodonem*, [1]) vel *Apollonium*; [2]) Rufinus [3]) autem et Nicephorus [4]) *Claudium-Apollinarem* fuisse illum putant, quibus et assentit Baluzius (§. 163). Atvero Claudius Apollinaris jam c. a. 180 (§. 162), Rhodon eodem circi-

---

4) *Id.* ib. nr. 7 fin., p. 356 sq.

1) *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 37, ed. Maurin. in Ej. Opp. omn. T. IV. P. II. col. 113: „Composuit et adversus Phrygas insigne opus Rhodon.“ ...

2) *Idem* ib. c. 40, ed. laud. col. 113: „Apollonius ... asserit, Montanum et insanas vates periisse suspendio.“ ...

3) *Rufini* interpret. Euseb. Hist. eccl. Lib. V. c. 15.

4) *Nicephori* Hist. eccl. Lib. IV. c. 33.

ter tempore (§. 212) mortui sunt; Apollonius autem opus suum adversus Montanistas, prout ipse innuit, ao. c. 210 exaravit (§. 364); dum econtra incertus ille auctor suos, quos Eusebius recenset, libros quatuordecim annis post mortem Maximillae Pseudo-Prophetissae († c. a. 218), ideoque demum ao. c. 232 consignavit. *Henr. Valesius* primus fuit, qui in suis annotationibus ad Eusebii Hist. eccl. V. 16 (ed. Cantabrig. p. 231) *Asterium Urbanum* fuisse hujus ab Eusebio recensiti operis auctorem conjecerat, et *Tillemontius*, *Longuervius*, *Dodwellus*, *Pearsonsius*, atque omnes fere recentiores VV. DD. eandem subscribere sententiam minime detrectabant.[5]) Verum etiam de hoc Asterio Urbano nihil nobis cognitum est praeter ea, quae ex ipsius quasi ore accepimus. In principio enim operis sui ab Eusebio laudati narrat, se in itinere quodam instituto Ancyram in Galatia venisse, et cum illum locum nova Montani pseudoprophetia turbatum deprehendisset, sigillatim in ecclesia disseruisse pluribus diebus adeo, ut fideles illic incredibili gaudio affecti, et in veritate fidei magnopere confirmati sint. Cum vero ejus loci presbyteri et Zoticus Otrenus, qui aderat, postularent, ut eorum, quae contra adversarios dicta fuerant, commentarium ipsis scriptum relinqueret; ille quidem, simulatque domum rediisset, omnia se adjuvante Deo conscripturum, et ad ipsos quam primum transmissurum esse promisit.[6]) Erat autem et ipse Asterius sive *episcopus*

5) Et hanc quidem veram esse rei sententiam, mire confirmatur per alium Eusebii locum, ubi, postquam nonnulla ex his libris deperditis fragmenta protulit, sic eundem illum auctorem inducit scribentem: „*Nec mihi jam dicat Maximillae spiritus in eodem libro Asterii Urbani: Arceor tanquam lupus ab ovibus*“ ... etc. Quis enim non videt, verba haec „*in eodem libro Asterii Urbani*“ minime huc pertinere, sed verisimile in margine scripta, a librario autem temere in ipsum textum fuisse recepta. Certo certius igitur Eusebius verba illa, ut auctorem memoriae proderet, a margine videtur adnotasse.

6) *Asterius Urbanus* ap. Euseb. l. l., p. 344. nr. 2.

sive *presbyter*, siquidem Zoticum Otreni episcopum in illo fragmento commemoratum diserte „*compresbyterum*“ appellat. Et opus adversus Montanistas tripartitum seu *tribus* libris comprehensum et *Avircio cuidam Marcello* nuncupatum, c. a. 232 seu plus quam tredecim post mortem Maximillae annis, prout ipse ait, [7]) exaratum est. Pauca quae supersunt fragmenta ab *Eusebio* servata sunt, [8]) eademque *Gallandius* exhibet. [9])

b. Deperditorum librorum fragmenta.

§. 367. In exordio ejus operis Asterius *caussam* adfert scribendi adversus pseudoprophetas. Deinde ulterius progressus supra dictae haeresis *auctorem* describit. Montanum in vico quodam, qui est in Mysia contermina Phrygiae, nomine *Ardaba*, immodica primi loci cupiditate captum, adversario spiritui aditum in se praebuisse, et daemone repletum subito quodam furore ac mentis excessu concuti coepisse, et nova quaedam atque inaudita prolocutum, futura etiam praedixisse praeter morem atque institutum Ecclesiae a majoribus traditum et continua deinceps successione propagatum; ita ut multi, qui adulterinos hominis sermones audierant, memores minarum Domini, quibus jubemur adventum falsorum prophetarum vigilanter ac sollicite observare, indignabundi eum tunc objurgarent, et loqui ulterius prohiberent; alii vero illum infatuantem ultro ad loquendum provocarent, capti ejus illecebris et in fraudem inducti. . . . Et in his praesertim duas etiam mulierculas a diabolo suscitatas et adulterino spiritu repletas esse, ut ipsae quoque perinde ac Montanus insana quaedam loquerentur, novasque passim

---

7) *Idem* ib. p. 349. nr. 8.

8) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. V. c. 16, p. 345 — 350.

9) *Galland.* Biblioth. vett. PP. T. III. p. 275 sq.

prophetias ementirentur. Et hos quidem omnes nova eorum doctrina in conciliis passim habitis examinata damnataque ab Ecclesia et fidelium communione expulsos esse. [1]) — Aliud fragmentum e *secundo* Asterii libro ab Eusebio excerptum falsas refert criminationes, quibus Montanistae *Catholicos* impetebant, eosque inter alia convicia *interfectores prophetarum* vocitabant. Numquis, inquit, eorum a Judaeis persecutionem passus est, aut ab impiis trucidatus? Estne ullus eorum pro Christi nomine prehensus et in crucem actus? Nusquam profecto nec unquam. Imo longe alio mortis genere interiise dicuntur *Montanus* et *Maximilla*. Ambo enim, ut fama est, ab insano spiritu incitati laqueo sibi gulam fregerunt, atque ita instar proditoris Judae vitam finierunt. Sic et admirabilis ille *Theodotus*, qui primus prophetiae illorum quasi procurator fuit, falso mentis excessu abreptus, et a fraudulento spiritu in altum jactatus miserabili exitu periisse perhibetur. [2]) Denique ex *tertio* item volumine pauca profert Eusebius, ubi adversus eos verba facit, qui jactabant, plures illorum *martyrio* esse coronatos. Docet Asterius, hoc solum non sufficere, quoniam etiam *haeretici* se plures habere martyres possint praedicare, et tamen Christum ipsum revera minime confiteantur. Quapropter, inquit, quotiescunque ecclesiastici viri ad martyrium pro vera fide provocati unacum Montanistis, qui martyres dicuntur, casu quodam coierint, semper ab istis dissentiunt, et communionem eorum sollicite vitantes gloriosum martyrii exitum consequuntur. [3]) Unde etiam illum pseudo-prophetarum statum, quo extra se rapti vana loquebantur, non ἔκστασιν (quae *divinis* vatibus contingit), sed παρέκστασιν Asterius appellat.

---

1) *Euseb.* V. 16, ed. laud. p. 344 — 347, nr. 3 — 5.

2) *ibid.* p. 347 — 349, nr. 5 — 8.

3) ib. p. 349 sq., nr. 8. 9.

IV.

S. Hippolytus Episcopus Portuensis, Martyr.

A. Vita.

§. 368. *S. Hippolytus*, gente verisimilius Arabs, *discipulus S. Irenaei*, prout ipse testatur, [1]) Originis coaevus et Berylli Bostreni familiaris, sub *Alexandro Severo* imperatore floruit. [2]) *Episcopum* fuisse illum certo constat; utrum vero Episcopus *Portus Romani in Italia* ad ostia Tiberina, [3]) an *Portus Romani in Arabia sive Adanensis* [4]) fuerit, valde ambigitur; cum ipsi *Eusebius* et *Hieronymus*, ambo ab Hippolyti aetate non adeo remoti, id se nescivisse fateantur. [5]) Recentiores VV. DD.

---

1) apud. *Photium* in Biblioth. Cod. CXXI.

2) Certe eum ad *Alexanderi Severi* imperium (222 — 235) communiter referunt Veteres, *Eusebius*, *Hieronymus*, *Georgius Syncellus*, alii. Nec omnino contradicunt *Palladius* († c. a. 430) in Historia Lausiaca c. 148. p. 1049, et *Cyrillus Scythopolitanus* († c. a. 560) in Vita S. Euthymii c. 109, in *Cotelerii* Monumentt. T. II. p. 293, si eum *antiquum* et *ipsis Apostolis affinem* appellant; scimus enim, hoc latiori sensu de successione apostolica eaque secunda tertiave intelligendum esse.

3) Sic eum *Anastasius Apocrisiarius* († 666), *Georgius Syncellus* († c. a. 812) et *Joannes Zonaras* († c. a. 1120) *Episcopum Portus Romani*; imo *Leontius Byzantinus* († c. a. 600) et *Nicephorus Constantinop*. († 828) simpliciter *Romanum* Episcopum vocitant.

4) Hanc sententiam propugnat *Steph. le Moyne* in Prolegg. ad *Varia Sacra* (Lugd. Batav. 1685. II. 4) T. I. p. 29 sq. Cui assentiunt *Caveus, Oudinus, Dupinus*, alii.

5) „*Inter hos fuit Beryllus Bostrenorum Episcopus in Arabia; ... similiter et Hippolytus alterius cujusdam ecclesiae Episcopus.*" *Euseb*. Hist. Eccl. Lib. VI. c. 20 med., ed. *Zimmermanni* p.

Wiest, *Busse*, *Locherer*, *Annegarn*, *Moehler* sententias suas suspendunt. Nobis quidem eum *Portuensem in Arabia* Episcopum fuisse, probabilius videtur; [6]) etiamsi quaerentibus, quo anno quave occasione Romam venerit, nihil habeamus respondere. [7]) Certe enim illum Romae aliquamdiu fuisse, ibique vitam consummasse, nemo sane

426. — „*Hippolytus cujusdam Ecclesiae Episcopus; nomen quippe urbis scire non potui.*“ *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 61, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 117.

6) Eusebii enim et Hieronymi verbis diligentius consideratis multo magis in *Arabia*, quam in *Italia* prope Romam fuisse Hippolyti ecclesiam conjicio. Dicit enim Eusebius, Beryllum Bostrenorum *in Arabia*, Hippolytum vero *alterius cujusdam* ecclesiae (sc. *in eadem Arabia*) Episcopum fuisse. Nec credibile est, si Hippolytus Romani Portus *ad ostia Tiberina* prope urbem Episcopus fuisset, id *S. Hieronymum*, qui urbem ipsam et vicinia urbis Romae ex diuturna ibidem commoratione satis noscere debebat, centum quinquaginta annis post gloriosum Hippolyti martyrium elapsis, penitus jam ignorasse. Quid, quod *S. Gelasius Papa* († 496) metropolis *Arabiae* Episcopum fuisse Hippolytum scribit in *Libro de duabus naturis adv. Eutychetem*, (Biblioth. max. SS. PP. Lugdun. T. VIII. p. 704). Et revera in Arabia urbs est ad mare rubrum sita, alto monte circumdata, qui in mare lingula procurrit, et utrinque fluctibus in sinus reductis alluitur, ita ut peninsula fiat. *Andana* haec est, quae *Aden* aliis vocatur, in Homeritarum mediterranea felicis Arabiae parte collocata, civitas emporetica, portu utriusque maris celebris; Scriptoribus graecis τὸ Ῥωμαϊκὸν ἐμπόριον seu *Portus Romanus* dicta, quia scilicet ob situs commoditatem et variam mercimoniorum copiam non ab orientalibus modo sed etiam a Romanis maxime frequentata fuit, ut docet *Philostorgius* in Hist. eccl. Lib. III. c. 4. Unde Caveus: „*Ex hoc Portu Romano*, inquit, *nata est vulgaris fabula, Hippolytum Portus Romani ad ostia Tiberina, decimo sexto ab Urbe lapide, Episcopum fuisse. Hinc Portuensis et Ostiensis vulgo audit. Ceterum eundem relicta Arabia (qua occasione, incertum est) Romam venisse lubens fateor, eamque doctrina pariter ac sanguine suo nobilitasse non nego.*“ *Guil. Cave* Scriptt. eccl. historia literaria (Basil. 1741. II. f.) T. I. p. 102.

7) *Baronius* quidem (Annal. eccl. ad ann. 229. n. 4) dicit, alicubi se legisse, quod discipulus fuerit *Clementis Alexandrini*, ejusque persuasione *Romam* se contulerit Hippolytus. Verum utinam, ubi illud legisset, vir optimus annotasset!

dubitaverit. Cujus rei si aliunde deficerent argumenta, abunde satis fidem faceret marmorea Hippolyti in solio sedentis *statua* in agro *Verano* non procul ab aede *S. Laurentii* anno 1551 effossa. [8]) S. Hieronymus eum iis adnumeravit Scriptoribus „*qui in tantum philosophorum doctrinis atque sententiis suos refarciunt libros, ut nescias, quid in illis primum admirari debeas, eruditionem seculi an scientiam Scripturarum.*" [9]) *Martyrio* eundem coronatum dicunt *S. Hieronymus et Theodoretus*; [10]) quo autem anno passus sit, incertum est, cum alii sub *Alexandro Severo*, alii demum in *Deciana* persecutione interfectum conjiciant. [11]) In Romano martyrologio Sixti V. jussu a Baronio edito S. Hippolytus episcopus sub *Alexandro* Imperatore ob praeclaram fidei professionem manibus pedibusque ligatis in altam foveam aquis plenam praecipitatus dicitur. Ego, si conjecturae locus est, S.

---

8) An non, si *Portus Ostiensis* S. Hippolyti fuisset sedes, in sede hac episcopali statua ista marmorea posita fuisset atque collocata, nimirum intra Portus Ostiensis territorium? Atvera inventa est ad aedem Laurentinam *probe urbem.* Unde mihi quidem videtur constare, illum, postquam Romam venisset, in ipsa urbe praeclare egisse, et in fide propaganda alacriter incubuisse, atque inde a Romanis, quippe qui gloriosum etiam martyrem sibi vindicarent, prope urbem esse sepultum.

9) *S. Hieron.* Epist. (LXXXIII) ad Magnum, in Ej. Opp. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 656.

10) *S. Hieron.* in Prolog. in Matth., in Ej. Opp. ed. Maur. T. IV. P. I. p. 2 (col. 3. 4) fin.; *Theodoretus* in Dialog. III. De Impatibili, in Ej. Opp. omn. ed. Schulze T. IV. p. 154. Et prorsus non est, quod alium, quam Episcopum Hippolytum ab illis significatum censeamus.

11) Utraque vero sententia gratis dicta est, nullo antiquitatis testimonio nixa. *Eusebius* quippe et *Hieronymus*, qui soli ex vetustioribus Hippolyti meminerunt, eum *vixisse* quidem et *scripsisse* sub Alexandro, non sub eodem etiam *martyrium subiisse* tradunt. Ii vero, qui anno demum 252 sub *Decio* S. Martyrem vitam consummasse dicunt, ad *Epiphanii* testimonium provocant. Sed ratio, quam hi potissimum sequuntur, minus (ut opinor) urget. Cf. §. 372 not. 2.

Martyris obitum malim referre ad annum 235, qui est postremus Alexandri et primus imperii *Maximini Thracii*; hic enim statim in Christianos et imprimis Episcopos et Presbyteros, quos tanquam amicos antecessoris sui odio habuit, severissime animadvertit. An vero noster sit idem Hippolytus, quem *Prudentius* in hymno XI *De coronis* celebrat,[12]) merito dubitatur. Communis est enim omnium fere recentiorum opinio, Prudentium in carmine suo elegiaco ex tribus SS. Hippolytis, uno scilicet *Episcopo Portuensi* († 22 Aug. ao. c. 235), altero *Antiocheno Presbytero* († 30. Januar. c. a. 255) et tertio *Milite Romano* († 13 Aug. ao. c. 261) *unum* quasi conflasse. — Ceterum res Hippolyti quam optime fieri potuit illustrarunt *Chph. A. Heumanni* Dissertatio ubi et qualis episcopus fuerit Hippolytus, Goetting. 1737. 4, et *Const. Ruggerii* Dissert. posthuma De Portuensi S. Hippolyti Episcopi et Martyris sede, ab *Achill. Ruschio* absoluta et annotationibus aucta, Rom. 1771. 4.

B. Scripta S. Hippolyti.

1. Quae hodiedum sub ejus nomine extant.

a. Probabilius genuina.

aa. Canon paschalis.

§. **369.** S. Hippolytum scripsisse *librum de Pascha*, Eusebius et Hieronymus testantur.[1]) Qui liber (ut ex Eusebii loco intelligitur) duabus quasi partibus contine-

---

12) in *S. Hippolyti Episc.* Opp. ed. Fabricii T. I. p. XIV—XX.

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 22 princ., ed. Zimmerm. p. 429; *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 61, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 118.

batur, quarum altera *Chronologiam* ab orbe condito usque ad annum Alexandri Severi primum; altera *Cyclum* seu computationem *paschalem* exhibebat. Prior autem pars s. *Chronicon* dudum jam *deperdita* lugetur. Extat quidem Chronicon quoddam latinum, quod nonnulli VV. DD. ad S. Hippolytum referebant. Sed istud eadem quidem fere, qua S. Martyr floruit, aetate confectum atque a Gallo quodam Caroli M. temporibus latine redditum fuisse, ipsi vero Hippolyto nequaquam tribuendum videtur. [2]) — Pariter altera pars seu *Canon paschalis* perierat cum ceteris Hippolyti monumentis, nec ejus quidquam praeter nomen supererat, cum ecce bono Deo et magna cum Eruditorum omnium laetitia ao. Domini 1551 ex agro Verano non procul ab aede S. Laurentii ad urbem e ruderibus memoriae Hippolyti antiquae effossa prodiit perantiqua statua marmorea, solio insidens, graecis utrimque literis inscripta, quae Canonem Hippolyti continebant. Hoc igitur tam illustre antiquitatis monumentum viro clarissimo *Marcello Cervino*, S. R. E. tunc Cardinali ac postea Summo Pontifici (Marcello II.) dignissimum visum est, quod in *Vaticana bibliotheca* conderetur. Literae in binis hujus cathedrae marmoreae laterculis inscriptae cyclos paschales annorum sedecim (unde *Κανὼν ἑκκαιδεκαετήρινος*) exhibebant, paschalium quartodecimarum (s. 14 diem Novilunii) dextro, Dominicarum paschalium sinistro, utrosque cyclos centum et duodecim annos universim (ab ao. 222, quo nempe coepti sunt, usque ad annum 333) comprehensos, qua scilicet annorum periodo ferias easdem in orbem redire credidit Hippolytus. Hic cyclus paschalis ex eo tempore, quo quaestio de celebrando Paschate adeo agitata fuit, primus est ho-

---

2) Editum est ab *Henrico Canisio* in Lectt. antiqq. (Ingolstad. 1601 — 1608. VI. 4, nov. ed. *Basnagii* Amstelod. 1725. VI. f.) T. II. p. 579 sq.; deinde auctius a *Phil. Labbeo* in Nov. Biblioth. Msspti. (Paris. 1657. f.) T. I. p. 298.

diedum asservatus, deditque occasionem *Eusebio* similem super eadem Pascha canonem sed eum undeviginti annorum (ἐννεακαιδεκαετηρίδα) componendi.[3] *Hippolyteus* canon paschalis exhibetur in Ejus Opp. omn. editione, quam curavit *Fabricius* (§. 385) T. I. p. 38 — 41, ubi etiam leguntur doctorum virorum *Scaligeri*, *Petavii*, *Cassini*, *Bucheri*, *Lemoynii*, aliorumque annotationes et castigationes T. I. p. 59 — 92, imprimis *Fr. Blanchini Veronensis* Dissertatio de Canone paschali S. Hippolyti, ib. p. 93 — 140.

bb. Liber adversus Graecos et Platonem.

§. **370.** Alius ejusdem, ut in monumento marmoreo supra dicto legitur, liber est: *Adversus Graecos et Platonem sive De causa Universi.* Qui liber haud dubie idem est, quem *S. Hieronymus* quoque in commentario suo in Danielem c. IX. sub titulo *Adversus Graecos et Platonem* recenset, ac S. Hippolyto Episcopo nostro tribuit. Duo (ut videtur) hujus libelli fragmenta jam in Sacris Parallelis *S. Joannis Damasceni* e Codice Msspto, quem *Fr. Rupefucaldus* S. R. E. Cardinalis collegio S. J. Parisiensi dono dedit, exscripta asservantur, et unum quidem brevius lit. α. tit. LXXI sub falso nomine *Meletii Antiocheni*, alterum vero longius lit. ω. tit. *De tempore mortis* aeque perperam sub nomine *Josephi Judaei.*[1] Etiam *Photius* libri *Adversus Graecos De causa Universi* mentionem facit;[2] dicit autem, se in calce ejus annotatum invenisse, quod non sit Josephi, sed *Caji Presbyteri;* aut, quod aliis visum est, *Justini Martyris*, aut *Irenaei*, aut *Origenis.* Seculo vere XVI *Dav. Hoe-*

---

3) *S. Hieronym.* l. l.

1) *S. Joann. Damasc.* Opp. omn. ed. *Mich. Le Quien* (Paris. 1712. II. f.) T. II. p. 755 et p. 789 sq.

2) *Photii* Biblioth. Cod. XLVIII.

schelius, scholae Augustanae Rector et Bibliothecarius, fragmentum insigne et satis amplum, sibi ex Italia missum, cui titulus: *Adversus Graecos liber qui inscribitur adversus Platonem de causa Universi* evulgavit. Ex quo tempore, utcunque inter Antiquos non convenerat, Recentiores fere omnes indiculi hujusce auctoritate, stylo et argumentationis genere, aliisque insuper argumentis freti Hippolyto id adjudicant. Dolendum, quod liber iste non est integre ad nos translatus. In parte etiamnum conservata et e tenebris eruta de *Hade* seu receptaculo disseritur, quo omnium tum justorum quam impiorum post mortem animae locis utrimque separatis, et boni quidem laeta spe et exspectione recreati, mali vero propter metum judicii jam nunc excruciati continentur usque ad resurrectionem et judicium, omnibus sed inaequaliter a Deo determinatum. — Hoc amplissimum fragmentum primus gr. et lat. edidit *Dav. Hoeschelius* in notis suis ad *Photium bibliothecam* (Rothomag. 1653. f.) p. 9 sqq.; deinde *Steph. Le Moynius* nova latina versione instructum in opere c. t. *Varia Sacra* (Lugd. Batav. 1685. 4), quam editionem secutus est *Alb. Fabricius* in editione *Opp. S. Hippolyti* (§. 385) T. I. p. 220 — 222.

cc. *Tractatus contra haeresin Noëti.*

a) Disquisitio critica.

§. 391. S. Hippolytum scripsisse *adversus omnes haereses*, Eusebius [1]) et Hieronymus [2]) testantur. Praeterea alii alios singulares designant haereticos, quos S. Episcopus et Martyr scriptis suis impugnavit, e. gr. *Nico-*

---

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 22 fin., ed. laud. p. 429.

2) *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 61, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 118.

laitas, [3]) *Valentinianos*, [4]) *Montanistas*. [5]) Aperta imprimis sunt *Photii* verba (Cod. CXXI): „Est hoc volumen adversus haereses duas et triginta, faciens initium a *Dositheanis*, et in *Noëto* ac *Noëtianis* desinens. Harum ait confutationem se suscepisse ex sermonibus *Irenaei*, quorum compendium hoc se libro complexum refert.“ Periit hoc praestantissimum opus praeter extremam ejus partem, quae *Noëti haeresin* refellit. Haec igitur lucubratio in Codd. Mssptis nunc *Homilia de Deo trino et uno*, nunc *Homilia adversus haeresin cujusdam Noëti* inscripta legitur; sed Epiphanii et Gelasii fragmenta inde desumta satis ostendunt, non fuisse homiliam, sed *singularis tractatus*, postremus scilicet *libri adversus omnes haereses*. Neque obstat, quod fideles quandoque auctor alloquitur, ut in homiliis fieri solet; nam hoc etiam in scriptis facere Veteres, et ad lectores respicere observamus. Inter argumenta autem, quibus Hippolyto vindicatur haec adversus Noëtum disputatio, non absurde a *Tillemontio* refertur, quod libenter auctor utitur testimoniis ex Apocalypsi petitis, nullis vero ex epistola ad Hebraeos, etiam ubi maxima data est occasio. Neque in Libro de incarnatione adversus Beronem (§. 373) ullum illius epistolae locum laudavit. Aliud atque id magni momenti argumentum in eo habes, quod *S. Epiphanius* contra Noëtum scribens (Haeres. LVII) Hippolyti non modo sententiis sed ipsis propemodum verbis utitur.

b) Libri analysis.

§. 372. Initio de Haeretici *natalibus* et *aetate* disserens *Smyrnaeum* [1]) fuisse Noëtum, nec multo ante se

---

3) *Theodoret.* De haerett. fabb. Lib. III. c. 1.

4) *S. Epiphan.* Haeres. XXXI. c. 33, ed. Petav. T. I. p. 205.

5) *Stephan. Gobar.* ap. Photium Cod. CCXXXII.

1) Idem ait *Theodoretus* in Fabb. haerett. Lib. III. c. 3; contra vero *S. Epiphanius* (Haeres. LVII.) Ephesium fuisse eundem dicit.

vixisse [2]) narrat. Eundem dicit delirasse, semetipsum Mosen, et fratrem suum esse Aaronem; *Christum* porro *eundem atque Patrem*, ipsumque *Patrem* igitur pro nobis esse *passum;* quapropter a presbyteris ejus ecclesiae convictus et sacrorum communione exclusus est (c. 1). Auctor deinde primum ea *S. Scripturae* loca, quae haereticus ille perversa interpretatione erroribus suis accommodavit, accuratius explicat (c. 2 — 8); monet, ut non secundum proprium sensum, neque vim inferentes iis, quae a Deo data sunt, sed quomodo *ipse per Spiritum Sanctum* docere voluit, sic nos doctrinam intelligamus. Sequitur jam uberior catholicae Ecclesiae de *SS. Trinitatis* dogmate expositio (c. 8 — 18), cujus loca praeclarissima mox infra, ubi de doctrina S. Hippolyti disserendum erit, suis verbis recitabimus (§. 388). — Hoc insigne monumentum ex latina *Fr. Turriani* versione evulgavit *Gerh. Vossius* Episcopus Tungrensis in Miscellaneis aliquot SS. PP. graecorum atque latinorum, adjectis ad calcem Opp. *S. Gregorii* Thaumaturgi editorum a se Mogunt. 1604. 4. Eandem versionem exhibet *Fabricius* in Opp. S. Hippolyti (§. 385) T. I. p. 235 — 244; graecus vero textus, quem e codice Vaticano exscripsit *Bern. Montfauconius* Maurinus, unacum interpretatione *Turriana* legitur ibid. T. II. p. 5 — 20.

dd. Contra Beronem (et Heliconem) Haereticos.

§. 373. Alia S. Hippolyto hodie a plerisque tribuitur elucubratio, cujus nemo Antiquorum mentionem facit

---

2) *S. Epiphanius* (Haeres. LVII. 1) narrat, Noëtum prodidisse haeresin suam ante *triginta et centum* annos. Scripsit autem Epiphanius ao. Chr. 374. His si centum et triginta demas, manet *annus* 245. Ex quo forsitan quis conjiciat, S. Hippolytum de Noëto disputantem non ante *Decianam* persecutionem martyrio fuisse coronatum. Atvero Epiphanius illum numerum annorum definiens expresse addit:

praeter unum *Anastasium* Presbyterum et Apocrisiarium Romanum († 666). Is, prout ipse refert, quendam „*S. Hippolyti Episcopi Portus Romani et Martyris veritatis librum, qui inscribitur* *De theologia et incarnatione contra Beronem et Helicem*[3]) *haereticos, et cujus initium est: Sanctus, Sanctus, Sanctus etc.*" Byzantii, antequam ipse passus fuisset, inspexit, et totum quidem transscribere voluit, sed insistentibus adversariis, qui librum vi abstulerunt, non potuit ex eo plus quam *octo testimonia* tollere. Haec igitur fragmenta, adjecta sua interpretatione latina Anastasius cum brevi epistola ad *Theodosium Presbyterum Gangrensem* transmisit. Multi quidem sunt, qui hoc uno Anastasii testimonio non contenti excerpta ejus quoad authentiam in dubium vocant, cum praesertim Beronis et Heliconis nomina nullibi alias legantur, et in libro ipso contra haereticos istos, qui scilicet *unam Christi operationem*, et *unam divinitatis ejus et humanitatis naturam* dogmatizasse dicuntur, non aliter ac contra *Eutychianos* et *Monergetas* disputatum sit. At immerito propterea libelli genuinitatem impugnant, quod illum adversus Monophysitas proprie dictos, ut qui omnino longe posteriores exsurgerent, directum fuisse opinantur. Similes enim et cum haereticis istis fere communes errores etiam in *Patripassianis* utique ferire potuit Hippolytus. Cetera Stylus et tota argumentatio plane

---

„πλείω ἢ ἐλάσσω i. e. *circiter.* Ad haec *S. Irenaeus*, cujus se *discipulum* fuisse ipsemet Hippolytus fatetur, jam anno 202 pro Christi fide martyrico coronatus est.

3) Pro „*Beronem et Helicem*" Codex regius Gall. et Colbertinus Nicephori Constantinop. Mss. (in cujus Antirrheticis adv. Iconomachos Hippolyti fragmenta graece servata sunt) exhibent *Contra Beronem et Heliconem haereticos*, *Jo Alb. Fabricius* autem in sua Bibliotheca graeca (T. V. p. 207) legendum suspicatur *ἡλικιωτῶν αἱρετικῶν* pro *Ἡλικίωνος τῶν αἱρετικῶν*, quoniam, ut observat, Beronis quidem saepius, at *Heliconis* nomen ne semel quidem in toto tractatu reperiatur.

sunt eadem ac in alio Ejusdem libro polemico *adversus Noëtum* (§. 371), nec novi quidquam aut insoliti, quod non jam ibi disputatum est, hic inveneris, nisi uberiorem earundem sententiarum expositionem de duabus in Christo Domino naturis. Haec S. Hippolyti fragmenta ex interpretatione Anastasii unacum epistola ad Theodosium Gangrensem reperiuntur in *Jac. Sirmondi* S. J. Presb. Opp. (Paris. 1630. V. 8) T. III. p. 579 sqq.; item gr. et lat. in *Alb. Fabricii* Opp. S. Hippolyti (§. 385) T. I. p. 225 — 230.

ee. Demonstratio adversus Judaeos.

§. 374. Veterum nemo quidem hujus demonstrationis mentionem facit; at nonnulli VV. DD. ex illa *tabula marmorea* conjiciunt, per literas quae ibi in prima linea restant *ΙΟΥΣ* indicari *ΙΟΥΔΑΙΟΥΣ*, ut perinde, si integra fuisset inscriptio, legeretur *Προς Ιουδαιους αποδειξις*. Conjectura haec, fatemur, per se quidem incerta est; accedit autem auctoritas *antiqui* Codicis Msspti, quem *Fr. Turrianus* inspexit. Praeterea tractatus iste nihil in se continet, quod aut *aetati* S. Martyris et *stylo* non respondeat, aut illo minus *dignum* sit. Fortasse autem non *peculiaris* liber fuit, (duabus enim paginis absolvitur, exceptis paucis, quae in fine desiderantur); sed particula *Commentariorum* Hippolyti *in Psalmos*. Nam totum est veluti *paraphrasis Ps.* LXVIII sive (ut Hebraei codices solent computare) *Ps.* LXIX, in quo nempe disseritur de Messiae dignitate, ac Judaei ob incredulitatem suam perstringuntur. Edita est haec demonstratio a *Possevino*, Venetiis 1693; recusa in *Fabricii* edit. Opp. S. Hippolyti (§. 385) primum *latine* tantum e versione Turriani T. I. p. 218 — 220, deinde cum textu *graeco*, quem Bern. de Montfaucon e Vaticano codice exscripsit, *nova* addita latina-versione, ibid. T. II. p. 2 — 5.

ff. Demonstratio de (Christo et) Antichristo.

a) An genuinus sit liber.

§. 375. Hanc lucubrationem *graece* primus extulit *Marqu. Gudius*, Parisiis 1661. 8; recudit eandem cum notis *graece et latine Fr. Combefisius* in suo Auctario novissimo, Paris. 1672; accuratius deinde *Fabricius* (§. 385) T. I. p. 4—33. De *genuinitate* libri praesto adsunt testimonia *S. Hieronymi*, [1]) *Andreae Caesareensis*, [2]) *Photii*, [3]) *Nicephori Callisti*; [4]) nec ullus recentiorum eam infitias ire ausus est, ne *Dupinus* quidem, qui genuinum quidem procul dubio Hippolyti foetum dicit, ast tanto auctore indignum. Cujus sententiae, cum ipse nullam rationem adferat, stylum simplicem potissimum in causa fuisse suspicor. At meminisset vir clarissimus ceteraque modestissimus, Photium l. l. aperte dicere, in hoc libro *servatum esse eandem* (ac in reliquis Hippolyti scriptis) *dicendi formam et sensuum simplicitatem ac venustatem*. Quod autem est ad *inscriptionem* hujus lucubrationis, secundum Photium liber *De Christo et Antichristo* audit; Hieronymus vero l. l. solum *De Antichristo* exhibet; et quamvis haec posterior inscriptio rectior videatur esse, [5]) si cap. 5 operis divisio et argumenti insinuatio spectetur (ibi enim totum sermonem ad Antichristum duntaxat rediturum esse proponit); tamen ab omnium *codicum Mssptorum* (qui illum pleniorem titulum praeseferunt) auctoritate recedere etiam mihi religio fuit, cum

---

1) *S. Hieron.* in Catal. Scriptt. eccl. c. 61 med., in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 118.

2) *Andreae Caesar.* Commentar. in Apocalyps. XVIII. 1. 18, XVII. 10, p. 70. 75. 101.

3) *Photii* Bibl. Cod. CCII.

4) *Niceph. Call.* Hist. eccl. Lib. IV. c. 31.

5) *Marq. Gudius* in Prolegg. suae editionis. *Moehler* Patrologie Bd. I. S. 592.

praesertim auctor tota tractatione Antichristum *Christo* opponat.

b) Argumentum libri et analysis.

§. 376. S. Hippolytus librum De Christo et Antichristo composuit occasione colloquii, quod habuit cum quodam *Theophilo*, cui illum dicavit, quemque *carissimum fratrem suum* appellat, atque monet, ne scriptum hoc suum communicet cum infidelibus, quibus nihil cordi est aliud nisi veritatem lacessere blasphemiis; sed ut id piis tantum hominibus Deumque timentibus et sanctitatem et justitiam colentibus praebeat legendum (c. 1.). Primo autem ad duas quaestiones Theophilo respondet, quomodo nempe Dei Verbum ante incarnationem se *Prophetis* revelaverit, et quomodo idem Logos per incarnationem *Dei Servus* [1]) factus sit (c. 2 — 5). Expedito hoc exordio ad subjectam materiam procedit, et totius operis argumentum proponit, dicens se disserturum, quis sit et qualis *Antichristi adventus*, quo tempore et unde appariturus sit, quodnam ipsius *nomen*, qualis ejus *dominatio* et Sanctorum persecutio, quis ejus per adventum Christi *interitus*, quae universi orbis *conflagratio*. In hac tota dispositione semper Christum opponit Antichristo, et quemadmodum Christus ex tribu Juda natus est, ita ex tribu Dan nascetur Antichristus. Omnia vero, quae deinceps profert, ex testimoniis Prophetarum *Jesaiae*, *Ezechielis*, *aliorum*, praecipue e visionibus *Danielis* et *Joannis Apostoli* apocalypsi declarare, et cum iis, quae usque adhuc jam facta fuerant, ut dictis suis fidem faciat, componere conatur (c. 5 — 42). Post haec accuratius, *quo tempore* venturus sit Antichristus definit, nempe in ultima de septuaginta

1) *Παῖς*, etsi graecam vocem sive pro *Filio*, sive (quod melius fortasse congruit) pro *Servo* accipias, hic certe ita intelligitur, ut aliquid imperfectionis et quasi *inferioritatis* importet.

hebdomatibus Danielis (c. 42—50).[2]) Tum *regnum* ejus et *interitum* et futurum denique judicium describit (c. 50 — 65); postremo *de resurrectione* et *regno coelorum* disserit, et cum *paraenesi* concludit (c. 65 — 67).

gg. *De charismatibus, apostolica traditio.*

§. 377. Liber hujus tituli nullibi alias memoratur nisi in marmoreo Hippolyti saepius laudato monumento. Nec absona videtur esse opinio eorum, qui *duos* illis verbis significari *peculiares libros* arbitrantur, quorum unus *De charismatibus*, alter vero *Apostolica traditio* inscriptus erat. Extat autem hodie duplex sub Hippolyti nomine recensio ejus operis graeca ex codice nempe *Vindobonensi* et *Barocciano*, et altera quidem cum latina versione *Cotelerii* c. t. *De Charismatibus apostolica traditio*, altera ex interpretatione *Grabii* c. inscriptione *Constitutiones SS. Apostolorum, quae incipiunt De ordinationibus per Hippolytum*; vide Opp. S. Hippolyti edita a *Fabricio* (§. 385) T. I. p. 245 — 248 et p. 248 — 259. Librum *Περὶ Χαρισμάτων* seu (ut in Codicibus supradictis legitur) *Didascalia SS. Apostolorum De charismatibus* nihil esse aliud quam Libri VIII. c. 1. 2 *Constitutionum* quae vocantur *apostolicae*, manifestum est. Reliqua vero Hippolyti quae fertur *Traditio apostolica*, viginti sex continuatis capitibus comprehensa fere eadem tractat, quae in *Constitutionum Apostolicarum* Libro VIII per capita 4. 5. 16 — 28. 30 — 34. 42 — 46 distributa inveneris. Quamvis autem dudum inter Eruditos constet, constitutiones dictas Apostolorum, quales nunc

---

2) Sed in calculo lapsum fuisse Hippolytum, jam *Hieronymus* in Commentario suo in Danielem c. XI observavit. Sic ille perperam de abominatione desolationis dies mille *ducentos nonaginta* quinque ponit, ubi Biblia Hebraea omnesque Interpretes mille *trecentos triginta* quinque habent.

suppeditant, non ab *ipsis* Apostolis fuisse scriptas aut dictatas, sed per traditionem apostolicam alias ab aliis consignatas, et sequioribus demum seculis, nonnullis etiam male additis, in *unum* quasi corpus congestas esse; tamen difficile est, tot lapsis seculis nunc singula secernere, et tot deperditis monumentis, tot auctorum adeo nominibus extinctis suum cuique vindicare. Circumferebantur enim diu varia, quae Apostolorum et his proxime viventium virorum nomina et originem praetendebant; sic *Doctrina Clementis R.*, *Didascalia Ignatii*, *Liturgia Ignatii*, *Polycarpi doctrina*, cett. Ex his aliisque fortasse adhuc incognitis tam genuinis quam spuriis conflatas esse *Apostolorum Constitutiones*, verisimile est. Hinc equidem c. 1. 2. Constitionum Apostolicarum libr. VIII revera illam nostri Hippolyti doctrinam *De charismatibus* esse persuasum mihi habeo. Reliqua vero ejusdem Libri VIII capita utrum ipsa quoque Hippolyto an alteri cuipiam Scriptori vindicari debeant, mihi non est ita in promtu dicere. *Eduard. Bernardus*, *Thomas Galeus*, *Guil. Caveus* totum librum octavum Constitutionum Apostolorum eidem deberi opinantur. Doctrina autem Περὶ Χαρισμάτων non solum de muneribus et officiis ecclesiasticis, ut quibusdam visum est, sed praecipue de virtutibus fidelium, de dono linguarum, de Energumenorum curatione aliisque miraculis et operibus extraordinariis in solo nomine Jesu Christi toties patratis tractat. Et charismata quidem, ait auctor, *non sunt concessa eorum causa, qui ea operantur, sed ad infidelium conversionem, ut quibus non persuasit sermo, hos virtus signorum flectat, ac pudore afficiat.* [1]) Monet, „*ut, qui charismata hujusmodi, nempe per miracula, acceperunt, non se in eos, qui non acceperunt, efferant; quoniam nemo est per Christum in Deum credentium, qui non acceperit charisma spirituale; ipsum etenim hoc, credere Deo Patri et Christo Deo in-*

1) *S. Hippolyt.* Opp. ed. Fabric. T. I. p. 245.

carnato, et ab haeresi immunem esse, et patientiam et continentiam servare, charisma Dei est." 2) „*Nec omnis, qui prophetat, pius est; nec omnis, qui daemones expellit, sanctus.*" 3) „*Hoc*, ait, *dicimus, non quod veras prophetias contemnamus, quas scimus Dei afflatu in Sanctis fieri; sed ut confidentiam arrogantium cohibeamus*" *etc.* 4) Haec atque similia cum dicat Hippolytus, lubenter ad eorum sententiam adductum me fateor, qui hunc de charismatibus tractatum *adversus Montanistas* potissimum conscriptum esse arbitrantur.

hh. Commentatio in Susannam.

§. 378. Praeterea S. Hippolytus noster duos scripsisse *historico-exegeticos tractatus* perhibetur, unum *de Pythonissa*, 1) qui tamen totus intercidit; alterum *in Susannam*, quae quidem expositio (quamquam et ipsa forte non est integra) hodiedum extat in *Fr. Combefisii* Auctario novissimo Biblioth. PP. T. I; et in *Fabricii* editione Opp. S. Hippolyti T. I. p. 273—278. Auctor, mysticam Scripturae sacrae interpretationem secutus, simplici allegoria Susannam sic in *Ecclesiae typum* assumit, ut ejus temporis ecclesiae statum nonnullosque obiter ritus ecclesiasticos graviter aperiat.

---

2) ib. p. 246.
3) ib. p. 247.
4) ib. p. 248.

1) Marmoreus Index habet *Εἰς Ἐγγαστρίμυθον*; sic enim legendas esse et supplendas literas aperte deformatas et aliquomodo detritas ... *ΑΣΤΡΙΜΥΘΟΝ*, vix dubium est. Hoc autem sive de *puella, quae habebat spiritum Pythonem* (Act. Apost. XVI. 16 sq.) intelligendum est, ut Scaligero placuit; sive ad eam Pythonissam spectat, quae vivebat *Endori*, et a *Saule* interrogata artibus et praestigiis suis Samuelis umbram excitavit (I Regg. XXVIII. 7 sq.). Et haec posterior sententia verisimilior est, siquidem etiam *Hieronymus* (Catalog. Scriptt. eccl. c. 61) *de Saule et Pythonissa* scripsisse Hippolytum testatur.

ii. *Homilia in S. Epiphania.*

§. 379. E multis S. Hippolyti *homiliis* (§. 384) una tantum integre ad nos pervenit *Homilia in S. Epiphania.* Notandum est autem, quod eadem die, qua festum Epiphaniae agebatur, tunc temporis etiam memoria *baptismi* Dominici celebrata est. Unde haec homilia peculiarem *de Baptismo Christi* materiam sibi sumsit. Et primo praedicat amorem Jesu ineffabilem, qui baptizari se cum peccatoribus dignatus est; tunc eximios, qui inde fidelibus affluebant, effectus enarrat. *Genuinam* eam esse, licet ejus neque laterculus marmoreus, neque ullus veterum Scriptorum mentionem faciat, tamen mihi persuasum habeo, donec probetur contrarium. Cum enim argumentum a solo silentio petitum per se parum valeat, imo codices constanter Hippolyti Episcopi et Martyris nomina prae se ferant, nec quidquam in ea deprehenderim, quod aliquam mihi falsitatis suspicionem movisset; sententiae DD. VV. *Fabricii*, *Wiestii*, *Lochereri*, *Annegarnii*, *Moehleri* aliorumque, qui hanc homiliam in genuinis Hippolyti operibus recensent, saltem non temerius me acquievisse existimavi. Edita est ex Mss. Codice *Thom. Galei* gr. cum latina versione *Fabricii* in editione Operum S. Hippolyti Fabriciana (§. 385) T. I. p. 261 — 264.

b. *Opera supposititia.*

§. 380. Demonstrationem temporum Paschae seu *Chronicon*, quod Canisius, Labbeus, Dufresnius sub S. Hippolyti nomine ediderunt, ad hunc quidem non pertinere, sed potius ad *Heronem* ex Philosopho Christianum et Martyrem, vel *alium auctorem synchronum*, qui vixerit sub Alexandro Severo, esse referendum, supra jam diximus (§. 369) et *Fr. Blanchinus* in Dissert. de Canone paschali S. Hippolyti [1]) uberius exposuit cap. III. nr. 7.

1) vd. in *Frabricii* Opp. S. Hippol. T. I. p. 114 sqq.

— Spuria porro censetur narratio, quam *Palladius* [2]) in libro quodam S. Hippolyti se legisse testatur, *De virgine Corinthiaca*, quae cum esset ad vitiandum postulata, a *Magistrano*, pio quodam adolescenti, a communi prostibulo, ad quod a judice amandata fuerat, liberatur. Extat historiola in Opp. S. Hippol. ed. Fabric. T. I. p. 283 sq. — Aeque perperam sub S. Martyris nostri nomine editus est *Liber de consummatione mundi, de Antichristo et de secundo Christi adventu;* [3]) procul dubio sequioris Graeciae monumentum, ac plane stramineum, nihil aevi illius sinceritatem redolens, nihil continens, quod dignum esse videtur tanto doctore Ecclesiae tamque celebri satisque in Scripturis versato. Auctorem fuisse illiteratum atque indoctum, cum ex ipso graecae dictionis genere tum ex rei veritate apparet. Multas enim habet de natalibus et vita Antichristi inanes conjecturas; Antichristum non hominem sed daemonem fore humana figura praeditum affirmat; Joannem Apostolum cum Ennoch et Elia denuo affuturum fingit, ut Antichristum redargunt; animas hominum a seculis fuisse affirmat, quod fuit Origenistarum figmentum. Hinc omnes prope uno consensu VV. DD. istud opusculum inter spuria ablegarunt. Extat gr. c. latina *Jo. Pici* versione in S. Hippolyti Opp. ed. Fabricii T. I. Append. p. 4 — 29. — Huc item pertinet *Tractatus de duodecim Apostolis*, ubinam quisque eorum praedicaverit et ubi consummatus sit; [4]) et alius ejusdem generis indiculus *De septuginta Apostolis (Discipulis Domini)*, qui cum superiore in codicibus duobus bibliothecae Coislinianae sive Sequierianae extat. Qui duo indices, si vere Hippolyti nomen prae se ferunt, certe *juniori* cuidam hujus nominis, fortasse *Thebano Hippolyto* seculi X Scriptori tribuendi sunt.

---

2) *Palladii* Hist. Lausiaca c. 148. p. 149.
3) gr. et lat. ed. a *Jo. Pico*, Paris. 1557.
4) ed. gr. et lat. in *Combefisii* Auctario (Paris. 1648) T. II.

Nemo enim veterum, si *Georgium Cedrenum* († c. a. 1060) excipias, ad eos provocat, imo nonnulla, praesertim in posteriore libello, reperiuntur, quae aliis Antiquorum testimoniis adversantur. Excepit utrumque indiculum Jo. Alb. Fabricius in sua editione Opp. S. Hippolyti T. I. Append. p. 30 et 41 sq. [5]) — Pariter sub ementito S. Hippolyti nomine extant fragmenta excerpta e *Commentario in Genesin* ex LXXXVIII Patribus collecto, qui servatur mssptus in biblotheca Caesarea Vindobonensi, graec. et lat. in Opp. Hippolyti ed. Fabric. T. II. p. 22 — 31. — Nec majoris fidei sunt fragmenta ex *Catena in Pentateuchum* desumta, quae exhibentur arabice literis descripta *Syriacis* in codice msspto bibliothecae Bodlejanae, edita cum versione latina *Jo. Gagnierii* in Opp. S. Hippolyti ed. Fabric. T. II. p. 33 — 44; alia praeterea opuscula, quae *Arabes* et *Aethiopes* eidem tribuunt. [6])

2. Opera deperdita et deperditorum fragmenta.

a. *Epistolae.*

§. 381. Praeter *Chronicon* (§. 369 init.) alia permulta S. Hippolyti vel penitus interciderunt, vel ita, ut eorum admodum exigua fragmenta hodie supersint. Sic ille plures scripsisse dicitur *Epistolas*, quas Eusebius suis adhuc temporibus in bibliotheca Eliae urbis ab Alexandro, ecclesiae illius episcopo, constructa asservatas

---

5) Cum quibus conferre lubet alium tractatum, qui sub *Pseudo-Dorothei* Tyri Episcopi Martyris nomine circumfertur et idem argumentum pertractat. Editus est gr. et lat. additis ad finem nonnullis observationibus in *Guil. Cavei* Hist. liter. Scriptt. eccl. T. I. p. 146 — 170.

6) in *Jos. Sim. Assemanni* Biblioth. oriental. Clementino-Vatic. (Rom. 1719. f.) T. III. P. I. p. 15 sq.

repererat.[1]) In his dudum, ut videtur, deperditis est etiam *Adhortatio ad Severinam*, quam quidem index marmoreus Hippolyti recenset. Quaenam vero fuerit Severina, nescitur; nullibi enim ejus nominis femina ab Antiquis laudatur, quae Martyris nostri aetate vixerit. *Ulpiam Severinam* enim, conjugem Aureliani imperatoris (a. 270 — 275) non esse significatam, facile conceditur, cum verisimile non sit, Hippolytum eo usque aetatem suam prorogasse. Unde *Steph. Le Moyne*[2]) pro *ΣΕΒΗΡΕΙΝΑΝ* recte, ut mihi videtur, *ΣΕΒΗΡΑΝ. ΑΥ.* (*Severam* Augustam) legendum putat. Duae autem occurrunt Severae Augustae, altera nempe *Julia Domna Severa*, mater Caracallae; altera *Severa* Philippi Arabis uxor. Et Julia quidem Severa adeo nullum cum Christianis commercium habuit, ut non possim credere, Hippolytum de religione christiana cum illa vel verbis vel scriptis unquam sermones contulisse. Contra vero Severa, *Philippi Arabis conjux*, Christianos facile audisse, et a sacris eorum non aliena fuisse perhibetur. Imo Eusebio testante ad eandem *Origenes* quoque literas dedit.[3]) Ad hanc igitur S. Hippolytus, qui cum Origene fere aequalis fuit, aemulo zelo protrepticum suum scripsisse videtur. Certe *Theodoretus* duo loca recitat, quae ex S. Hippolyti Epistola *ad Reginam (βασιλίδα) quandam* exscripta dicit.[4]) Ex hisce fragmentis patet, epistolam illam dogmaticam sive paraeneticam illud sibi argumentum sumsisse, ut *Christi divinitatem* ex ejusdem *resurrectione* probaret. Extant perexigua ista fragmenta in Opp. S. Hippolyti ed. Fabric. T. I. p. 92.

---

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 20, ed. Zimmermann. p. 426.

2) *Le Moynii* Varia sacra, p. 1103. 1112.

3) „*Extat et Origenis Epistola ad Philippum imperatorem et alia ad Severam Philippi uxorem.*" Euseb. Hist. Eccl. Lib. VI. c. 36, ed. laud. p. 447. nr. 2 init.

4) *Theodoreti* Dialog. II. p. 88, Dial. III. p. 155.

b. *Opuscula dogmatica etc.*

§. 382. Scripserat idem *De Deo et carnis resurrectione.* Sic enim habet laterculus ille marmoreus. Utrum vero hisce verbis *unus* duntaxat liber, an *duo* opuscula denotentur, inter Eruditos controvertitur. Et sane varia sripsit Hippolytus, quae huic titulo nonnihil accedunt. Si titulum bifariam secemus, utique aliud *De Deo* seu *De theologia (et incarnatione)* contra Beronem scilicet et Heliconem (§. 373) habemus, et aliud *De Resurrectione*, opus nunc deperditum, cujus item Hieronymus [1]) et Anastasius Sinaita [2]) meminerunt. Si vero unum potius sub illis verbis latentem agnoscamus titulum: *De Deo et carnis resurrectione*, opus aliquod contra haereticos (fortasse adversus *Marcionem*) eo notari, a vero non abludit; certe enim contra Marcionem extitisse librum quendam Hippolyti, ab *Eusebio* [3]) et *Hieronymo* [4]) asseritur. — Porro dicitur scripsisse *De Sabbato*, utrum jejunandum sit; et *De Eucharistia*, an sit quotidie accipienda. [5]) — Praeterea indiculus marmoreus Hippolyto attribuit librum, qui inscriptus erat *De bono et unde malum.* Vulgatissima enim tunc tempestatis fuit ista quaestio, *unde malum.* Et idem fere argumentum tractant *Maximus* (§. 213), *Methodius* (§. 546), alii. Hippolyti vero liber totus periit.

---

1) *S. Hieronym.* in Catal. Scriptt. eccl. c. 61, in Ej. Opp. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 118.

2) *S. Anast. Sinait.* in Hodego, p. 356: „*Hippolyti Sermo de resurrectione et incorruptione.*" Fragmentum ab Anastasio appositum legitur etiam in Fabricii Opp. S. Hippol. T. I. p. 244.

3) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 22, ed. laud. p. 429.

4) *S. Hieron.* Catal. l. l.

5) *S. Hieron.* Epist. ad Lucinium, in Ej. Opp. omn. ed. Maur. T. IV. P. II. Epist. LIII. col. 579.

c. Libri exegetici.

§. 383. Nec minor fuit labor et exercitatio Hippolyti in exponendis SS. Literis. Laudantur ejus *Commentarii in Hexaëmeron*,[1]) quos *S. Basilius* in exarando suo ejusdem arguementi opere maxime imitatus esse dicitur;[2]) *in Exodum;*[3]) *in Psalmos;*[4]) *in Proverbia;*[5]) *in Ecclesiasten;*[6]) *in Canticum Canticorum;*[7]) *in Isaiam prophetam;*[8]) *in Ezechielem;*[9]) *in Danie-*

1) Imo putabilius in *totam Genesin*, *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 22, ed. laud. p. 429; *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 61. ed. laud. T. IV. P. II. col. 118; *S. Isidor. Hispal.* in Genesin. c. 23, p. 296.

2) *S. Hieron.* in Epist. ad Pammach. et Ocean., in Ej. Opp. ed. Maurin. T. IV. P. II. Epist. XLI. col. 344; *S. Joann. Damasc.* in SS. Parallel., in Ej. Opp. ed. Le Quien, T. II. p. 787.

3) *S. Hieron.* Catal. c. 61. Certe quod *de Bileam benedictionibus* in lib. Exod. c. XXIV exposuerit, testatur etiam *Leontius Byzant.* in Lib. I contra Nestor. et Eutych., in Biblioth. PP. Lugdun. T. IX. p. 682.

4) *Laterculus* marmoreus; *S. Hieron.* Catal. l. l.; *Theodoret.* in Dialog. II. s. Inconfus., in Ej. Opp. ed. Sirmond. p. 88.

5) *S. Hieron.* in Catal. l. l.; *Nicephor.; Honor.* Augustodun.; *Freculphus* etc. — Fragmentum e Codice Taurin. protulit *Chph. Matth. Pfaffius*, receptum nunc in Opp. Hippolyti ed. Fabric. T. I. p. 282; aliud fragm. ex Hippol. scholiis in Proverbia ed. *Angel. Majus* in sua Nov. Collectione Scriptorum vett. e Vaticanis Codd. edita (Rom. 1825 — 33. VIII. 8) T. I. P. II. p. 223 sq.

6) *Hieron.* Catal. l. l.

7) *Euseb.* Hist. eccl. VI. 22; *S. Hieron.* Catal. l. l.; *S. Anastas. Sinait.* in Quaest. XVI, in Ej. Opp. ed. Gretseri (Ingolst. 1617. 4) p. 384.

8) *S. Hieron.* Catal. c. 61; *Theodoret.* Dial. I. s. Immutab. p. 36.

9) *Euseb.* Hist. Eccl. VI. 22; *Georg. Syncell.* Chronograph. ed. Goar (Paris. 1652) p. 358; *Nicephor. Callist.* Hist. eccl. Lib. IV. c. 31.

lem; [10]) *in Zachariam;* [11]) *in Evangelium Matthaei;* [12]) *et in Evangelium et Apocalypsin Joannis.* [13]) Verum omnia haec scripta vel penitus vel ita saltem perierunt, ut pauca tantum nobis nunc fragmenta in scriptis et catenis, quas vocant, SS. Patrum supersint. Habes ea collecta in Fabricii editione Operum S. Hippolyti (§. 385) T. I. p. 266—284.

d. Homiliae.

§. 384. Multas itidem *Homilias* a S. Martyre fuisse compositas, *Hieronymus*, *Theodoretus*, alii, testes sunt. Et in ceteris una tractat *de laude Domini Salvatoris*, in qua Hippolytus praesente Origene se locutum esse in Ecclesia significat, [1]) sed ea tota periit; alia fuit *de Helcana et Anna* Samuelis parentibus, [2]) cujus fragmenta duo supersunt in Opp. Hippolyti cur. Fabricio, T. I. p. 267; sermones *in Danielem duo* [3]) ex quorum secundo fragmentum exhibetur ibid. T. II. p. 32; item

10) *S. Hieron.* Catal. l. l.; *Idem* in Comment. in Daniel. ed. Maur. T. III. col. 1114; *Georg. Syncell.* p. 218; *Photii* Cod. CCII. CCIII; *Honor. August.* De Scriptt. eccl. c. 62; alii.

11) *S. Hieron.* Catal. l. l.; *Idem* in Praef. ad Comment. in Zachar., in Ej. Opp. T. III. col. 1706.

12) *S. Hieron.* Praef. in Commentar. ad Matth. ed. laud. T. IV. P. I. p 3 fin.

13) *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 61. Etiam index *Tabulae marmoreae* saepius laudatae librum indicat *De evangelio et apocalypsi Joannis.* Utrum autem commentarius fuerit, an forsitan defensio horum librorum quoad genuinitatem sive auctoritatem, dubitari potest. Idem ille index exhibet „*ΩΔΑΙ ΕΙΣ ΠΑΣΑΣ ΤΑΣ ΓΡΑΦΑΣ.*" Haerent VV. DD., quid haec sibi verba velint. Plerique intelligunt Carmina et *Odas in omnes SS. Scripturas,* quales multae a diversis Scriptoribus nunc extant graece, praesertim in Evangelia et Epistolas et Psalmos.

1) *S. Hieron.* Catal. l. l.

2) *Theodoret.* Dial. I et II, in Ej. Opp. p. 36. 90.

3) *Eustrathius* Presb. Constantinop. adv. Psychopannychitas c. 19.

homilia *de Dominica Pascha*,[4]) ex qua fragmentum legitur ib. T. I. p. 281; alia *de distributione talentorum*, et rursus *de duobus latronibus*,[5]) quarum frustula duo exhibet Fabricius ib. T. I. p. 281.

3. Operum omnium editiones.

§. 385. S. Hippolyti opera *singula*, quibus primum temporibus, quibus locis, quorum virorum studiis publici juris facta sint, supra jam suis locis deinceps indicavimus. Omnia autem *collecta* primus evulgare adnisus est *Joannes Millius*, sed morte superveniente impeditus est, quominus inceptum perficeret. *Joannes Guil. Janus* autem, qui relictum a Millio opus absolvere promisit, verbo suo non stetit. Tandem *Jos. Albert. Fabricius* Lipsiensis, Prof. in Gymnas. Hamburg. *Hippolyti Opera omnia* tam genuina quam spuria gr. et lat. cum DD. VV. dissertationibus et notis, adjectoque insuper specilegio Patrum quorundam aliorum seculi III etc., evulgavit *Hamburgi* 1716. 18. II Voll. f. — Genuina opera operumque fragmenta meliori servato ordine recepit notisque illustravit *Andr. Gallandius* in sua Biblioth. vett. PP. T. II.

C. Doctrina S. Hippolyti dogmatica.

1. De SS. Scripturarum veritate et divina inspiratione.

§. 386. Neminem ab alio aliquo posse nisi a Deo veritatem percipere, Hippolyti sententia est; Prophetas

4) *S. Hieron.* Catal. I. I.; Concil. Later. ao. 649. Cons. V. in Labbei Coll. Conc. T. VI. p. 281. 287.

5) *Theodoret* in Dial. II et III, Ej. Opp. p. 86. 156.

Spiritu Dei afflatos in SS. Scripturis oracula Dei annuntiasse. *„Hi namque Patres spiritu prophetiae aptati, digneque ab ipso Verbo honorati quo nimirum velut organa in seipsis semper unitum Verbum tanquam plectrum haberent, cujus nutu atque afflatu, quae Deus vellet, haec annuntiabant Prophetae. Non enim ex sua facultate loquebantur (verum dico), nec quae ex animo essent, haec praedicabant; sed primum quidem Verbi numine rite sapientia imbuti, exinde per visa, quae essent futura, probe praedocebantur; ac demum certa jam rerum fide ea dicebant ac praedicabant, quae illis divino Numine duntaxat manifesta forent, reliquis vero abscondita.“* 1) Ergo ex SS. Scripturis divinitus inspiratis, non aliunde petenda esse, quae credere nos oportet; atvero ipsam Scripturam non secundum proprium sensum sed ita accipiendam, quomodo Spiritus Sanctus eam voluerit intelligi. Infallibilem enim oportet esse eum, qui fidem sibi vindicaverit; infallibiliter autem tradita cum fide et obsequio sunt accipienda. *„Quemadmodum enim, si quis vellet sapientiam hujus seculi exercere, non aliter hoc consequi poterit, nisi dogmata Philosophorum legat; sic quicunque volumus pietatem in Deum exercere, non aliunde discemus quam ex Scripturis divinis. Quaecunque ergo sanctae Scripturae praedicant, sciamus; et quaecunque docent, cognoscamus; et sicut vult Pater credi, sic credamus; et sicut vult Filium glorificari, sic glorificemus; et sicut vult donari Spiritum Sanctum, sic accipiamus. Non secundum propriam voluntatem, neque secundum proprium sensum, neque vim inferentes in ea, quae ab eo dicta sunt, sed quomodo ipse per sanctas Scripturas docere voluit, sic intelligamus.* 2) . . . *Hic igitur communis utrisque* (do-

1) Demonstr. de Christo et Antichrist. c. 2 init., in S. Hipp. Opp. omn. ed. Fabricii T. I. p. 5; Cf. Contra haeresin Noëti c. 11 fin., ibid. T. II. p. 14.

2) Contra Noëtum c. 9. T. II. p. 12 sq.

centi et audienti) *propositus est labor, loquenti nimirum, ut omni tutus periculo eloquatur; auditori vero, ut fide audiens suscipiat ea, quae dicuntur.* [3]) ...

2. De Ecclesia.

§. 387. Narrationem *Danielis* XIII. 1 sqq. mystice exponens: „*Susanna*, inquit, *Ecclesiae gerebat figuram; Joacim vero, vir ejus, Christi; Hortus seu pomarium, vocatio Sanctorum, qui tanquam fructiferae arbores in Ecclesia plantati sunt. Babylon mundus est, Seniores duos populos figurare noscuntur, qui Ecclesiae insidias struunt; alterum, qui ex circumcisione; alterum, qui ex gentibus.*" [1]) ... Et ad verba: „Ingressa est aliquando ... cum duabus solis puellis, voluitque lavari in pomario" statim subjungit: „*Quando enim Ecclesia ex more cupit lavacrum suscipere, duas necessario ancillas comites habet. Etenim Ecclesia per fidem in Christum et per caritatem in Deum confessa recipit lavacrum.*" [2]) ... Rursus ad illa: „Ingemuit autem Susanna et ait etc.," S. Hippolytus subnectit: *Hoc nunc quoque in Ecclesia impleri invenies ... Ecclesia enim nedum a Judaeis affligitur et angustias patitur, verum etiam a Gentibus, nec non ab iis, qui Christiani dicuntur, nec tamen sunt. Ejus enim pudicitiam ac felicitatem velut contuentes, corrumpere eam nituntur.* [3]) Inprimis autem speciosa est allegoria, qua Ecclesiam cum navi comparat: *Mare*, inquit, *mundus est, in quo Ecclesia, velut pelagi salo, fluctibus jactatur, nec tamen naufragio perit, quippe cum solertem gubernatorem, Christum, secum habeat. Fert vero*

---

3) Demonstr. de Antichrist. c. 2 sq., T. I. p. 5.

1) In Susannam ad vers. 7, in Opp. omn. ed. Fabr. T. I. p. 274.

2) ibid. ad v. 15, l. l. p. 275.

3) ib. ad v. 22, l. l. p. 276.

etiam in medio erectum adversus mortem tropaeum, quae videlicet Crucem Domini secum portet. Est enim ejus prora Oriens; puppis vero Occidens; cavitas mediaque capacitas Meridies; clavi duo Testamenta; circumextenti funes Christi caritas, quae Ecclesiam adstringit. Limum, quod secum fert, lavacrum est regenerationis, quae fideles renovat, unde sunt illa praeclara. Venti loco adest Spiritus ille e coelis, quo fideles consignantur Deo. Habet pariter illi comites etiam ferreas ancoras, sancta nimirum Christi mandata, quae ferri robur ipsum praeferant. Quin et nautas a dextris atque sinistris habet, sanctorum Angelorum more assistentes, quorum ope continetur atque munitur Ecclesia. In ea Scala, quae in altum ad antennam subvehit, imago est salutaris Christi passionis, fideles trahens ut in coelos ascendant. Signa super antennam in altum sublata, Prophetarum, Martyrum et Apostolorum in Christi regno quiescentium stipatus ordo. 4)

3. De SS. Trinitatis mysterio.

§. 388. Ex *Antitrinitariis*, qui limitatum intellectum humanum verbo divino subjicere recusantes et Scripturae verbis pro suo arbitratu abutentes de mysterio sanctissimae Trinitatis perverse sentiebant, alios scimus blasphemasse, Jesum Christum merum hominem, licet supernaturali modo conceptum, et virum sanctum et sapientem ipsis prophetis praestantiorem fuisse; alios vero, et in his Noëtum statuisse, Unum Deum nonnisi tribus nominibus insigniri, quae nempe uni eidemque Deo pro diversis ejus existendi aut operandi modis tribuantur, ideoque eundem illum unum Deum, qui alias ut Pater operatur, humanam in Jesu naturam, quam Dei filium nominabant, assumisse, natum, passum, mortuum esse; unde etiam

4) De Antichristo c. 59. l. l. p 28 sq.

Patripassiani dicti sunt. Contra *Noëtum* igitur Hippolytus catholicam doctrinam quam potuit invictissime propugnavit, dicens: *Deus solus cum esset, nihilque sibi coaevum haberet, voluit mundum efficere, et mundum cogitans ac volens et dicens effecit, continuoque extitit ei factus, sicut voluit. Satis igitur nobis est scire solum, nihil esse Deo coaevum, nihil praeter ipsum; solus ipse erat, ipse multus. Nec enim erat sine ratione, sine sapientia, sine potentia, sine consilio. Omnia erant in eo, ipse erat Universum. Quando autem voluit, et quomodo voluit, ostendit temporibus apud semet definitis Verbum suum (Λόγον), per quem omnia fecit. Qui cum vult, facit; quando cogitat, perficit; quando loquitur, ostendit; quando format, sapientiam edit. Omnia enim quae facta sunt, Verbo quidem creat, Sapientia vero ornat. Fecit igitur sicut voluit; Deus enim erat. Eorum autem, quae facta sunt, ducem, consiliarium et operarium generabat Verbum; quod Verbum, cum in se haberet, esset mundo creato inaspectabile, fecit aspectabile, emittens priorem vocem, et lumen ex lumine generans, deprompsit ipsae creaturae Dominum, Sensum suum (ἴδιον Νοῦν); et qui prius ipsi tantum erat visibilis, mundo autem invisibilis, hunc visibilem fecit, ut mundus, cum eum apparendo videret, salvus fieri posset. . . . Atque ita adstitit ei alius. Cum autem alium dico, non duos Deos dico; sed tanquam lumen ex lumine, et aquam ex fonte, et radium a sole. Una enim virtus, ea quae est ex toto; totum vero Pater, ex quo virtus Λόγος; hic vero Νοῦς, qui prodiens in mundum ostensus est Filius Dei. Omnia igitur per eum facta sunt; ipse solus ex Patre genitus.* [1]) . . . Et ad S. Scripturam provocans, ubi (Joann. I. 1) dicitur: „In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum,“ sic prosequitur: *Si ergo Logos erat apud Deum, et ipse Deus erat, quid ergo? Nonne dixerit aliquis, dicere*

---

1) Contra Noëtum c. 10 11 pr., ed. laud. T. II. p. 18 sq.

Joannem duos Deos? Duos non dicam, sed unum; personas vero duas; oeconomiam autem tertiam gratiam dico Sancti Spiritus. Pater quidem unus est; personae vero duae, quia etiam Filius Deus; tertia autem Spiritus Sanctus. . . . Oeconomia consensionis redigitur ad unum Deum; unus est enim Deus: qui mandat, Pater; qui obedit, Filius; qui docet scientiam, Spiritus Sanctus. — Pater qui est super omnia, Filius per omnia, Spiritus in omnibus. Aliter Deum unum intelligere non possumus, nisi vere Patri et Filio et Spiritui Sancto credamus. . . . Sciens igitur verbum Patris, oeconomiam et voluntatem Patris, quod non vult aliter Pater glorificari, nisi sic; cum resurrexisset, tradidit hoc discipulis: Euntes, *inquit*, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. *Docuit hic, quod, quicunque unum quid horum omiserit, is perfecte Deum non glorificavit. Per hanc enim Trinitatem Pater glorificatur. Pater enim voluit, Filius fecit, Spiritus Sanctus manifestum fecit. Omnes igitur Scripturae de hoc praedicant.*[2]) Et supra jam ad eandem veritatem adstruendam dixit: *Necesse ergo est, ut, quamvis nolit* (Noëtus), *confiteatur Patrem Deum omnipotentem; et Christum Jesum Filium Dei, Deum factum hominem, cui omnia Pater subjecit praeter se; et Spiritum Sanctum; et hos esse tres. Quod si vult scire, quomodo unus Deus ostendatur; sciat, unam esse virtutem sive potentiam hujus, et, quantum ad virtutem pertinet, unus est Deus; quantum vero ad oeconomiam* (redemtionis et sanctitatis generis humani) *pertinet, triplex est manifestatio.*[3]) Deinde, ut nihil omnino dubitationis reliqueret, omnium gravissimam, quae contra illam demonstrationem fieri potuit, objectionem adtendit, si quis nempe dixerit: At quomodo gignere potest Deus, cum sit spiritus? et Dei

---

2) ib. c. 14, p. 15 sq.
3) ib. c. 8 pr., p. 12.

filium, cum sit et ipse Deus, quomodo genitum eundem dicis? Ad haec statim respondet: *Explicationem, quomodo tu genitus es, non potes exprimere, et quamvis quotidie vides causam humanam, modum tamen generationis non potes perfecte efferre. Non enim licet tibi cognoscere artem ejus, qui creavit, in experientia positam et inenarrabilem; sed solum videndo intelligere et credere, quod opus Dei est homo. De Verbi autem generationis ratione quaeris, qua Deus Pater generare voluit? Generavit, sicut voluit. Non satis est tibi, scire, quod Deus mundum condidit? Non sufficit tibi cognoscere, quod Filius Dei tibi apparuit ad salutem, si tamen id credis; sed insuper, quomodo genitus sit secundum Spiritum, curiose indagas? Atqui generationem ejus secundum carnem enarrare non pluribus, quam duobus* (Matthaeo et Lucae) *concreditum est, et tu audes generationem secundum Spiritum scrutari, quam apud se Pater servat, revelaturus Sanctis, qui, ut faciem ejus videant, digni erunt.* 4) Ingeniose autem distinguens nomina *Verbi* et *Filii*, per illud secundam Deitatis personam dicit significari, quatenus apud Patrem erat ante constitutionem mundi; Filii vero nomen eidem competere, qua Deo incarnato. *Qualem igitur*, ait, *Filium suum Deus per carnem misit, nisi Verbum, quod a principio scilicet Filium vocavit, quia is erat futurus? et cum Filius vocatur, commune nomen amoris erga homines sumit. Non enim Verbum per se et sine carne perfectus Filius erat, cum tamen esset perfectum Verbum, Unigenitus.* 5) ... Et similiter alibi: *Sic enim ipse* (Christus) *ait:* „Nemo ascendit in coelum, nisi qui de coelo descendit Filius hominis, qui est in coelo.“ ... *Antea vero non erat in coelo caro. Quis ergo erat in coelo, nisi Verbum sine carne, quod missum est ut ostenderet, se, qui in terra erat, esse etiam*

4) ib. c. 16 med., p. 18.
5) ib. c. 15 fin., p. 17.

in coelo. Verbum enim caro erat, spiritus erat, virtus erat. Unus commune nomen et apud homines consuetum sibi sumit, vocatus a principio Filius hominis propter futurum, quamvis nondum esset homo. [6])

4. De Christo Deo et Homine.

§. 389. In peculiari tractatu *contra Beronem et Heliconem* sive alios ejus generis haereticos (§. 373) *de Incarnatione* disputans S. Hippolytus praeclare catholicum dogma de una Christi persona et duabus ejusdem naturis exponit his verbis: *Logos Dei vere homo factus absque peccato operatusque et patiens humanitus, quaecunque naturae sunt excepto peccato, et naturalis carnis circumscriptionem propter nos sustinens nulla re omnino vicissitudinem pertulit, ut, qui idem est cum Patre, factus sit idem cum carne propter exinanitionem; sed sicut erat sine carne, omni etiam excepta circumscriptione permansit, et per carnem deifice operans quae Deitatis sunt, utrumque in se ostendens per duplicem, divinam scilicet et humanam operationem secundum eandem, quae vera est et naturalis sustantia, personam, se Deum immensum simul et circumscriptum hominem esse et cogitari, utriusque substantiae perfecte perfectionem habentem cum eadem, quae utriusque est, operatione i. e. naturali proprietate. . . . Non enim caro facta est per naturam Deitatis, ita ut natura translata sit, caro videlicet secundum naturam deitatis caro, sed id, quod erat, etiam deitati coaptata mansit, i. e. caro infirma et passibilis natura et operatione, quemadmodum Salvator ait:* „Spiritus quidem promtus, caro autem infirma.“ . . . *Mansit ergo etiam incarnatus secundum naturam Deus superimmensus, sibi cognatum et convenientem habens operationem, ex Deitate*

6) ib. c. 4 sub fin., p. 9.

quidem substantialiter natam, per sanctissimam vero carnem in miraculis oeconomice declaratam; ut credatur Deus esse, qui per infirmam natura carnem per se operatur universitatis salutem. 1) Quae duae naturae sine commixtione et confusione in Christo existentes unam tantum personam efficiunt, quae nempe cum divina natura humanam quoque copulavit. *Verbum enim per se et sine carne perfectum quidem erat Verbum, Dei Unigenitus, at non perfectus esset Filius. Neque caro per se sine Verbo subsistere poterat, quia suam in Verbo habebat subsistentiam. Sic ergo unus Filius Dei perfectus manifestatus est.* 2) Etenim nihil quidem deerat Filio Dei ad perfectionem *generationis aeternae ex Patre*, antequam fieret filius hominis; sed ad perfectum mysterium oeconomiae deerat Christo Filio Dei, ut fieret *Filius hominis*. Cum carne itaque factus est perfectus Christus et perfectus sive completus Filius, Filius scilicet *Dei* et Filius *hominis*.

5. De Christi incarnatione et redemtione hominum.

§. 390. Nihil profecto in tota antiquitate praeclarius dictum est, quam quod Hippolytus de incarnatione Domini et humani generis redemtione memoriae nostrae prodidit. *Credamus igitur, fratres*, ait, *secundum traditionem Apostolorum, quod Deus Verbum e coelis descendit in sanctam Virginem Mariam, ut ex ea incarnatus sumta anima humana, rationis inquam participe, factusque omnia quaecunque homo est excepto peccato, salvaret*

1) Contra Beronem etc. Fragm. I med. et II med., in Opp. omn. Hippolyti ex ed. *Fabricii* T. I. p. 226. 227; in *Gallandii* Biblioth. vett. PP. T. II. p. 460.

2) Contra Noëtum c. 15 fin., ed. Fabricii T. II. p. 17.

Adam, qui ceciderat, et immortalitatem hominibus largiretur iis, qui crederent in nomine ejus. . . . Sicut ergo praedicatum est, sic praesens se ipsum manifestum fecit ex Virgine et Spiritu Sancto novus homo factus, habens coeleste quod paternum erat tanquam Verbum; terrenum vero tanquam ex vetere Adam per Virginem incarnatus. Sic in mundum egressus Deus corporatus apparuit, egressus perfectus homo. Non enim per fictionem aut mutationem, sed vere factus est homo. [1] . . . *Qui perditum hominem ex terra formatum et vinculis mortis implicatum ex infimo inferno eripuit, et desuper veniens in sublime extulit humi jacentem, factus mortuorum Evangelista et animarum redemtor et resurrectio sepultorum. Hic victo homini opem tulit, factus ei similis primogenitus Λόγος, primum parentem Adam in Virgine visitans, spiritualis terrenum in matrice quaerens, semper vivens mortuum per inobedientiam, coelestis terrestrem ad superiora vocans, ingenuus servum per propriam obedientiam libertate donare volens, qui in terram resolutum hominem et pabulum serpentis factum in adamantem convertens eumque in ligno pendentem tanquam Dominum adversus victorem declaravit, atque ita per lignum victor invenitur.* [2] . . . *Propter hoc enim factus est homo Universorum Deus, ut carne quidem passibili patiens totum nostrum morti venditum redimeret genus; impassibili vero deitate per carnem mirabiliter operans ad immortalem ac beatam reduceret vitam, de qua ceciderat diabolo parens, atque sanctos intellectualium substantiarum coeli ordines ad inconvertibilitatem mysterio incarnationis suae stabiliret. Cujus opus omnium in eum recapitulatio est.* [3]

---

1) Contra Noëtum c. 17, in *Fabricii* ed. Opp. Hippolyti T. II. p. 18 sq.

2) Apud Theodoret. Dial. II p. 88; in Hippol. Opp. ed. *Fabricii* T. I. p. 269; in *Galland.* Biblioth. T. II. p. 497.

3) Contra Beronem, in Hipp. Opp. omn. ed. *Fabricii* T. I. p. 227; apud *Galland.* T. II. p. 466.

Et alibi de Christo in Jordane baptizato verba faciens, praeclare dicit: *Et veterem hominem renovavit* (Dominus), *et sceptra adoptionis ipsi iterum credidit. Statim enim aperti ipsi sunt coeli. Reconciliatio facta est visibilium cum invisibilibus; coelestes ordines gaudio sunt repleti; sanatae in terris aegritudines; res, quae erant absconditae, patefactae sunt; quae hostium erant in numero, reddita sunt amica; ... et ecce aperti sunt ei coeli, et vox facta est dicens:* „Hic est filius meus dilectus, in quo complacui.“ *Sponso enim Christo baptizato oportebat coelestis thalami splendidas portas aperiri.* [4])

6. De sacramento Baptismi.

§. **391.** Quid de miris *S. Baptismatis* effectibus doceat Hippolytus, commode perspicitur in *homilia* ejus *de Theophania.* Cujus verba haec sunt: *Pater immortalitatis immortalem Filium ac Verbum in mundum misit, qui venit ad homines, loturus eos aqua et Spiritu, et regeneraturus ad animae corporisque incoruptibilitatem, inspiravit in nos spiritum vitae, et incorruptibili armatura nos induit. Si igitur homo factus immortalis est, Deus etiam erit. Si vero per aquam et Spiritum Sanctum a regeneratione ex lavacro Deus fit, comperietur etiam post resurrectionem e mortuis coheres Christi esse. ... Haec est aqua cum Spiritu conjuncta, qua paradisus rigatur, terra pinguescit, incrementum plantae capiunt, generant animalia, atque, ut omnia compendio amplectar, per quam regeneratus homo vivificatur, qua Christus baptizatus est, in quam Spiritus Sanctus columbae specie descendit.* [1]) ... *Accede igitur et regenerare,*

---

4) Homilia in S. Theophania c. 6, in Ej. Opp. ed. Fabricii T. I. p. 263.

1) Homil. in S. Theophan. c. 8, Opp. Hippol. ed. Fabricii T. I. p. 264.

o homo, ad adoptionem in filium Dei. ... Qui enim cum fide in hoc regenerationis lavacrum descendit, renuntiat malo et Christo se addicit; hostem abnegat, at Christum Deum esse confitetur; servitutem exuit, induit adoptionem. Redit ex baptismo splendidus ut sol, radios justitiae effulgurans. Quod vero maximum est, revertitur filius Dei et Christi coheres. [2])

7. De Eucharistia.

§. 392. Ex fragmento Commentariorum, quos scripsit S. Hippolytus in *Proverbia Salomonis*, locus eximius notandus est de *Eucharistia* tam *alimento* quam *incruento sacrificio* in memoriam Dominicae passionis et in remissionem peccatorum quotidie celebrando. Verba enim illa: „Et paravit mensam suam" (Proverb. IX. 1 sq.) *significant promissam S. Trinitatis cognitionem necnon venerandum sanctumque ejus corpus et sanguinem, quae in arcana et divina mensa quotidie perficiuntur et sacrificantur in memoriam semper recolendae et primae illius mensae ac divinae Coenae. Illud porro* „misit servos suos" *convocans Christus alta praeconii voce: Siquis est, inquit,* „insipiens, veniat ad me," *sanctos utique misit Apostolos universum permeantes mundum, qui gentes ad ipsius agnitionem vocarent, sublimi ac divina sua praedicatione. Insipientes vero appellat eos, qui Sancti Spiritus virtutem nondum sunt assecuti.* „Venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis;" *divinam ipsius carnem ac venerabilem ejus sanguinem, inquit, edendum nobis dedit et bibendum in remissionem peccatorum.* [3])

---

2) ibid. c. 10, l. l. p. 264.

3) Fragm. Commentar. in Proverb. IX. 1 sq. post med., in Opp. Hippol. ed. *Fabricii* T. I. p. 282; et in *Gallandii* Biblioth. T. II. p. 488.

8. De rebus novissimis.

a. *Animarum post mortem status.*

§. 293. Secundum S. Hippolytum animae defunctorum in *Receptaculo* quodam retinentur asservandae in diem judicii. Quam quidem scimus etiam ab aliis Patribus teneri opinionem. *Ibi justi ... contemplatione bonorum visibilium semper fruunter, et novorum cuilibet destinatorum spe et expectatione recreantur, illa multo meliora et potiora praesentibus apud se reputantes. Quibus locus ille nullos labores et molestias parit. ... Injusti vero ad sinistram trahuntur ab Angelis tortoribus, non sponte incedentes sed vi ac violentia ut vincti rapiuntur ... usque ad confinia Gehennae. ... Videntes terribile et immodicum spectaculum ignis, horrent quasi gelu constricti propter exspectionem futuri judicii, jam quasi virtualiter supplicio affecti; sed et ibi non vident Patrum chorum nec justos, et hoc ipso torquentur.* 1)

b. *Resurrectio carnis.*

§. 294. *Post tempus autem, quod Deus determinavit, omnium resurrectionem facturus, non animas ex corpore in corpus aliud detrudendo, sed eadem ipsa corpora iterum excitando.* Et arguens Gentilium incredulitatem prosequitur: *Nam animam credentes factam, et immortalem a Deo conditam secundum sententiam Platonis in tempore, non debetis non credere, quod Deus potest etiam corpus, ex iisdem elementis compositum et factum, ad vitam revocare et immortale reddere. Illud enim possibile esse, hoc vero impossibile, non dicetur de Deo.*

---

1) Contra Platonem *De causa Universi,* in Ej. Opp. ed. *Fabricii* T. I. p. 221.

Nos ergo credimus, corpus resurrecturum. Si enim corrumpitur, non omnino perditur. Terra enim recipiens ejus reliquias, illas servat; et efflorescunt factae instar seminis et terrae pinguedini implicatae et immersae. Et seminatum granum nudum seminatur, ad imperium vero Dei creatoris indutum et gloriosum exsurgit; non ante quam moriens dissolutum et terrae commixtum est. Quare non vane credimus resurrectionem corporum. Nam etiamsi ad tempus solvatur corpus propter primam ab initio transgressionem perpetratam, tanquam in conflatorium terrae amandatur, rursum aliquando reformandum; non tamen tale quale nunc resurrecturum, sed purum et corruptioni non amplius obnoxium. Et cuilibet corpori sua propria anima reddetur, et illo induta non moerore marcescet, sed cum illo gaudebit, pura purum inhabitans. Cui nunc in mundo juste comes facta, et non habens in ulla re illum insidiatorem, accipietur cum omni gaudio. Injusti vero non immutata assument corpora, nec liberata affectibus et morbis, neque illa glorificata accipient. [2])

c. *Commune judicium et justa retributio.*

§. **395.** *Omnes* autem, ait, *sive justi sive injusti ducentur coram Deo Verbo; huic enim Pater omne judicium dedit. Et is voluntatem Patris implens judex adveniet, ille inquam, quem nos Christum vocamus. . . . Hic ipse justum judicium Patris in omnes exercens, ordinabit quod aequum et justum erit, unicuique secundum opera. Cujus judicio sistentur omnes, homines, angeli, daemones, et unanimes vocem emittent dicentes: Justum est judicium tuum. Cujus vocis aequitas apparet in retributione in utrosque, cum bene facientibus juste fruitio aeterna praebeatur, malorum vero cupidis aeternum supplicium distribuatur et expendatur. Et hos*

2) ibid. l. l. p. 221.

manet ignis inextinguibilis et qui nunquam finietur; et vermis igneus non moriens, non corpus corrumpens, sed irrequieto dolore ex corpore efervescens et ebulliens; illis somnus cessationem et quietem non conciliabit, non nox leniet et mulcebit dolores, non mors supplicia solvet, non juvabit exhortatio affinium intercessorum. Nam justi non amplius ab illis videbuntur, et non sunt impii illorum memoria digni. Soli enim justi justorum operum erunt memores, per quae pervenerunt in regnum coeleste, in quo nec somnius, nec dolor, nec corruptio, nec sollicitudo etc. [8])

V.

Julius Africanus.

1. Vita.

§. 396. *Sextus* [1]) *Julius Africanus* teste Suida *Libya* oriundus, unde procul dubio Africani nomen traxit. Ob maximam omnium famam atque existimationem de *Heracla*, qui in philosophia aliisque Graecorum disciplinis excelluit, et postremo ad episcopatum Alexandrinae ecclesiae promotus est; Julius noster, prout ipse testatur, *Alexandriam* iter instituit. [2]) Lares vero praecipue fixit

8) ibid. l. l. p. 282.

1) Hoc ei a Suida praenomen inditum est. *Jos. Scaliger, Henr. Valesius, Ell. Dupinus* duos fuisse Africanos volunt, unum Julium *Palaestinensem*, Chronographum nostrum et religione *Christianum*; alterum *Afrum*, Philosophum *gentilem*, Sextum dictum, *Κεστῶν* (§. 399) auctorem. Sed aliter visum est VV. DD. *Vossio, Lambeccio, Wettstenio, Caveo, Lumpero, Moehlero*, aliis, a quorum partibus stant *Eusebius, Photius, Suidas*, qui *unum eundemque* tam Chronographiae quam librorum *Κεστῶν* Scriptorem diserte faciunt.

2) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 13, ed. Zimmerm. p. 442.

Nicopoli in Palaestina, quae urbs antiquo nomine *Emmaus* dicebatur.[3]) In cujus gratiam legationem ad Antoninum Heliogabalum suscepit, ut moenia dirutae urbis restaurarentur.[4]) Imo si *Hebed-Jesu*, Metropolitae Sobensi Maronitae fides habenda sit,[5]) illius urbis *Episcopus* fuit. Certe *Presbyterum* eum fuisse inde colligimus, quod collega ab Origene appellatur. Quo certo anno obierit, nescitur. Quodsi vero recte senserint nonnulli, qui Origenem demum iterum in Graeciam profectum suas ad eundem literas responsorias dedisse dicunt (§. 417), is tum jam grandaevus fuisse, et c. a. 240 mortuus videtur.

2. Scripta.

a. Deperdita.

§. 397. Inter scripta, quibus apud antiquos non mediocriter inclaruit, memoratu dignissima est ejus *Chronographia* sive historia temporum accuratissime composita, concisa quidem methodo, sed quae nihil cognitu necessarium omisit.[1]) Coepit ab urbe condito et ad annum Heliogabali tertium (i. e. 221 p. Chr.) producta est. Integrum paene hoc opus in priorem Chronici sui partem secure nec ulla Africani mentione facta *Eusebius* transfudit; sed deperditis his tum Africani tum Eusebii libris

---

3) *Euseb.* Chronic. ad a. 2237, in Jos. Just. Scaligeri Thesaur. Temp. (ed. Amstelod. 1658 f.)

4) *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 63, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 118.

5) Catal. librorum Chaldaeorum c. nott. Abrami *Ecchellensis* (Mogunt. 1655. 8) c. 15. p. 18.

1) *Euseb.* Hist. eccl. l. l.; *Hieronym.* Catal. Scriptt. l. l., et in Epist. (LXXXIII) ad Magnum, in Ej. Opp. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 656; *Photii* in Biblioth. Cod. XXXIV.

nihil restat, nisi quod *Georgius Syncellus* Patriarcha Constantinopolitanus, Scriptor seculi noni, in Chronographia sua conservavit.[2]) Alia ejusdem Chronographiae fragmenta passim in scriptis Antiquorum dispersa reperiuntur, velut apud *Eusebium*,[3]) *Hieronymum*,[4]) *Joannem Damascenum*[5]) etc.

b. Conservata.

aa. Genuina.

a) *Epistolae duae.*

§. 398. Praeter Chronographiam duae ejusdem etiam *Epistolae* commemorantur, quae hodiedum extant, altera *ad Aristidem* de dissensione, quae videtur esse inter Matthaeum et Lucam in genealogia Christi recensenda; altera vero *ad Origenem* de historia Susannae. Et quod ad *priorem* attinet, consensum Evangelistarum (quamvis nempe Josephus vir Mariae a Matthaeo quidem *Jacobi* esse, a Luca vero *Heli* filius dicatur) ex narratione quadam, quam a majoribus acceperat, apertissime demonstravit. Nititur autem suam maxime sententiam in eo more, quo apud Israelitas generationum nomina vel ex *naturae* vel ex *legis* ordine numerantur;

---

2) *Georg. Syncelli* Chronographia gr. et lat. ed. cur. J. Goar (Paris. 1652. f.) p. 17. 19. 21. 57 etc. praesertim p. 307. 322.

3) in Praepar. evang. Lib. X. c. 10 (ed. *Vigeri*, Colon. 1688 f.) p. 487 — 491; in Demonstrat. evang. Lib. VII. (Colon. 1688. f.) p. 389; in prophet. Eclogis, vd. *Petr. Lambecii* Comment. de biblioth. Vindobonensi (Vindob. 1665. f.) L. I. p. 141.

4) in Commentar. in Daniel. c. 9, Opp. omn. ed. *Maurin.* T. III. col. 1110 sq.

5) Sacra Parallel. L. II. c. 15 seu Lit. *s.* tit. VII, in Ej. Opp. omn. ed. *M. Le Quien.* T. II. p. 463.

naturae quidem, cum legitimi filii parentibus succedunt; legis vero, quoties quis in nomen ac familiam fratris sine liberis defuncti filios sustulit. *Josephum* ideo virum Mariae natura quidem (secundum Matthaeum) filium *Jacobi*, lege autem (secundum Lucam) *Heli* filium fuisse, et sic utrumque Josephi patrem recte dici. Etenim Jacobus et Heli fratres erant uterini; Heli deinde sine liberis defuncto Jacobus ei semen suscitavit, Josepho genito. Hujus epistolae partem maximam refert *Eusebius* in Hist. eccl. Lib. I. c. 7 (ed. laud. T. I. p. 35—42). — Quod est autem ad *alteram* Africani epistolám, in ea auctor historiam illam, quae in *Danielis* libro (Daniel. XIII. 1—56) legitur, *spuriam* et *commentitiam* esse suspicatur. [1]) Opponit enim, quod verus Daniel *visionibus* propheticis sua edoctus esset, hic vero ex *inspiratione* judicium fecerit; quod ille Seniores impuros *lusu verborum* mimico more convincat; quod iste lusus verborum graecorum σχῖνου ad σχίσαι et πρίνου ad πρίσαι scriptorem *graecum* aperte prodat, non *Hebraeum*; quod Judaei, ut qui tunc in captivitate erant, nec *palatia* nec *hortos spatiosos* habere, nec reos *capite plectere* potuissent; quod in sacris Hebraeorum libris illa historia *non* sit consignata; quod propheta alterius *prophetae verbis* alias minime usus sit; quod denique *stylus* multum a veri Danielis dictione discrepare videatur. Ad quas objectiones *Origenes* prolixius respondet in epistola ad Julium Africanum data (§. 417), quae unacum Africani epistola optime typis excusa est in Origenis Opp. omn. ed. *De la Rue* T. I. p. 10—12. 12—30. *Utramque* vero epistolam, quam ad Origenem et ad Aristidem direxit Africanus, post *Leonem Castrium Hispanum* et *Genebrardum* primum gr. ediderunt *Dav. Hoeschelius*, Aug. Vindel. 1602; et *Rd. Wettstenius*, Basil. 1674. Ambae item ad Aristidem et ad Origenem epistolae unacum Origenis ad Africanum res-

---

1) Euseb. Hist. eccl. Lib. VI. c. 31, ed. laud. p. 441.

ponuo, nec non fragmenta ex V libris Chronographiae reperta sunt in Andr. *Gallandii* Bibliotheca vett. SS. PP. T. II.

b) *Libri Κεστοί.*

§. 399. Aliud quoddam quod adhuc extat monimentum, cum sit argumenti *mere profani*, multo minus nobis curae est. Nimirum idem Africanus etiam composuisse dicitur *Libros*, *Κεστῶν titulo* inscriptos et *Alexandro* Mamoeae filio nuncupatos, qui de physica et arte medica tractant, et Suida observante institutionem continent variis morbis medendi, etiam incantationibus ac formulis quibusdam magicis adhibitis. At in numero librorum Veteres non conveniunt; siquidem *Eusebius* (Chronic. p. 84) novem tantum fuisse dicit, *Photius* (Cod. XXXIV.) quatuordecim, *Georgius Syncellus* (Chronogr. l. l.) unum et viginti, *Suidas* vero (s. v. Africanus) viginti quatuor. Et *Dupinus* opus isthoc, cum res plane superstitiosas et a christiano nomine alienas exhibeat, perperam Julio Africano, ut qui Christianus esset, tribui contendit. Atvero id non omnino obstat, quominus hoc quoque nostri Africani opus esse asseramus, sed ab eo, antequam Christi fidem amplecteretur, compositum. Editi sunt hi libri *graece* tantum unacum Opp. *Heronis Alexandrini*, Paris. 1693. f.

bb. Dubia et supposita.

§. 400. Praeter opera huc usque recensita eidem etiam *Acta S. Symphorosae et septem ejus filiorum* (§. 253) in Mss. Codicibus tribuuntur. Et *Ruinartus* quidem eadem in nova sua collectione [2]) exhibet,

---

2) *Theodorici Ruinarti Monachi Maurini* Acta primorum Martyrum sincera et selecta (Paris. 1689. 4) p. 18.

dicitque fieri potuisse, ut in Julii *Africani Chronographia* inserta fuerint, cum in iis praecipua quoque fata Ecclesiae retulerit; sed nemine Antiquorum hanc conjecturam suffragante in medio rem relinquendam esse VV. DD. plerique censent. — Alia denique opuscula, nimirum *De trinitate*, *De circumcisione*, *De Attalo*, *De paschate*, *De sabbato* Joannes Tritthemius Abbas Spanhemensis († 1516) in libro *De ecclesiasticis Scriptoribus* perperam Africano nostro tribuit. Eorum enim *Novatianum*, Presbyterum Romanum, verum esse auctorem, nunc viri eruditi uno omnes consensu judicant.

VI.

Ambrosius. Tryphon.

1. Ambrosius Alexandrinus.

§. 401. *Ambrosius* Alexandrinus generis nobilitate, vitae instituto (erat enim ex camerariis regiis) et facultatum copia, nec minus indolis atque ingenii acumine, et, quod majus est, pietate conspicuus. Is, cum *Valentini* haeresin sectaretur, veritatis quam praedicabat *Origenes* virtute convictus et quasi lumine quodam menti irradiante collustratus, ad rectae fidei, quae in Ecclesia praedicatur, confessionem transiit. [1]) Ecclesiae deinde *Alexandrinae diaconus* factus, [2]) cum Origene intima consuetudine junctus est, eumque, cum eo tempore in divinas Scripturas commentarios coepit conscribere, innumeris stimulis incitavit, nec solum verbis atque exhortationibus, sed etiam largissimis rerum necessariarum praebitionibus.

---

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 18 init., ed. laud. p. 418.

2) *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 56, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 117.

Quippe septem et amplius notarii dictanti Origeni praesto aderant, qui praestituto tempore sibi per vices succedebant, nec pauciores librarii simul cum puellis elegantius scribere assuetis, quibus omnibus necessarios sumtus copiose subministrabat Ambrosius; sed et *incredibilem quandam alacritatem in hoc sacrarum literarum studio ipse pro virili parte conferebat*, qua quidem re potissimum Origenes ad scribendos commentarios impellebatur. [3]) Idem in persecutione a *Maximino* excitata unacum Protocteto Caesareensis Ecclesiae presbytero non mediocre discrimen subiit, unde et maximam gloriam ob *confessionem nominis Christi* ambo retulisse perhibentur. Iisdem tunc temporis Origenes peculiarem, quem scripsit, librum *De martyrio* (§. 426) dedicavit. [4]) Mortuus est Ambrosius Origene adhuc superstite ante annum 250; in hoc a plerisque reprehensus, quod vir locuples amici sui senis et pauperis moriens non recordatus sit. [5]) Mirum hoc utique, nisi forte praepropere morte abreptus sit, aut jam ipse in illa Maximiniana persecutione maximam rerum suarum partem amiserit. Ex *epistolis*, quas ad Origenem scripsit, fragmentulum unum tantum ab ipso Origene servatum est. [6])

2. Tryphon.

§. 402. *Tryphon* (diversus ab *Judaeo* illo, quocum *S. Justinus* altercationem de fide nostra instituit, §. 137) Christianus fuit et *Origenis auditor*, ad quem

---

3) *Euseb.* l. l. c. 23 pr., p. 429 sq.; *Hieron.* l. l.; Cf. *Origenis* Epist. ad Africanum in fin., in Ej. Opp. omn. ed. De la Rue T. I. p. 29.

4) *Euseb.* l. l. c. 28, p. 438; *Hieron.* l. l.

5) *S. Hieron.* l. l.

6) *Origen.* Lib. de Oratione c. 5 fin., in Ej. Opp. omn. ed. De la Rue T. I. p. 206.

nonnullae ab eo scriptae sunt epistolae. Claruit c. a. 240. De hujus viri vita nihil praeterea nobis certum et exploratum est. S. Hieronymus[1]) testatur, eum in Scripturis eruditissimum fuisse, idque *multa* ejus *opuscula* demonstrare. Scripserat eodem Hieronymo referente[2]) libros *De vacca rufa* (Num. XIX. 2 sq.) et *De tichotomematibus* (Gen. XV. 10). At haec unacum tot aliis sacrae vetustatis monumentis pridem deperdita merito dolemus.

VII.

Beryllus Bostrenus. Alexander Hierosolymitanus.

1. Beryllus Episcopus Bostrenus.

§. 403. *Beryllus* fuit *Bostrenorum in Arabia Episcopus.*[1]) Qui cum ecclesiam suam prudenter ac fideliter diu rexerat, tandem in nova dogmata et a fide catholica prorsus aliena lapsus est,[2]) ausus asserere, Dominum ac Servatorem nostrum, antequam inter homines versaretur, non substitisse in propriae personae differentia; nec propriam, sed paternam duntaxat divinitatem in se residentem habere. Plurimis perinde Episcoporum colloquiis et disputationibus ea de re ultro citroque habitis, *Origenes* rogatus unacum reliquis, ut sermonem cum eo conferret,

---

1) *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 57, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 117.

2) *S. Hieron.* l. l.

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 20 med., ed. Zimmermanni p. 426; *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 60, ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 117.

2) *S. Hieron.* l. l.

errorem ejus coarguit, allatisque rationibus ac demonstrationibus convictum hominem quasi manu apprehendens ad veritatis viam perduxit, et ad pristinam sanamque sententiam revocavit.[3]) Scripsit Beryllus *plura opuscula*, maxime *epistolas*, in quibus Origeni gratias agit pro sua ad rectam fidem conversione.[4]) Alia praeterea et varia elegantis ingenii monumenta reliquit.[5]) Verum omnia interiere. De ejus cum Origene habita *disputatione* cf. §. 414 med. *Obiit* Beryllus c. a. 250.

2. Alexander Episcopus Hierosolymitanus, Martyr.

a. Vita.

§. 404. *Alexander* optimis praeceptoribus, *S. Pantaeno* primum, deinde *Clemente Alexandrino* usus,[1]) in *Cappadocia*[2]) Episcopus fuit. Post vero, cum esset unus ex eorum numero, qui in *Severiana* persecutione fortiter certaverant, et post gloriosa certamina divina providentia fuerant conservati, ob insignem christianae fidei confessionem ad *Hierosolymorum* episcopatum, episcopo *Narcisso* (§. 250) adhuc superstite, promotus est.[3]) Narcissus enim cum propter extremam senectutem ministe-

3) *Euseb.* l. l. c. 33 pr., ed. laud. p. 444.

4) *S. Hieron.* l. l.

5) *Euseb.* l. l. c. 20 med., p. 426. Valesius *Hymnos ac Poëmata* fuisse intelligit eos libros, quos διαφόρους φιλοκαλίας Eusebius nominat. *Vales.* Annot. ad h. l. p. 123.

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 14 nr. 4, ed. laud. p. 414.

2) *Euseb.* ib. c. 11. nr. 1 med., p. 406; imo vero Episcopus in urbe *Flaviopoli in Cilicia; Valesius* in Nott. ad Euseb. VI. 11; *Tillemont.* Memoires eccl. T. III. p. 183.

3) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 8. nr. 3, p. 401 sq.; *Alexandri* Epist. ad Antiochenos fragm. apud Euseb. ib. c. 11. nr. 3, p. 407.

rium suum obire amplius non posset, providentia divina Alexandrum per revelationem quandam, quae illi in somno apparuit, in adjutorium Narcissi evocavit. Hac igitur visione tanquam divino admonitus oraculo Alexander, cum ex sede sua, in qua primum episcopus fuerat ordinatus, Hierosolyma contendisset, ut ibi oraret et sacra loca inviseret, a fratribus illius Ecclesiae quam humanissime exceptus est. Nam et ipsis alia per somnum revelatio visa fuerat, qua extra portas egredi, et destinatum sibi a Deo Episcopum suscipere jussi sunt. Et statim consentientibus vicinarum Ecclesiarum Episcopis et imprimis Narcisso sedecim supra centum annos nato manere deinceps apud ipsos coactus, ac proinde c. a. 213 collega et adjutor Narcisso datus est. [4]) Quo in loco nobilissimo, ut praeclara virorum ecclesiasticorum, qui doctrina excellebant, scripta ad posteros pervenirent, *bibliothecam* condidit, quae praesertim literas, quas illi ad se invicem scripserant, continebat; unde et Eusebius uberrimam materiam ad historiam suam ecclesiasticam condendam se habuisse grato animo agnoscit. [5]) Eximia praeterea fuit *animi lenitate* ac *mansuetudine*, quemadmodum Origenes publice professus est. [6]) Postremo cum *Decius* novam persecutionem intulisset Ecclesiae, S. Alexander, vir jam decora senectute et veneranda canitie conspicuus, rursus propter Christum *in vincula conjectus* est in urbe Caesarea, ubi post praeclaram fidei confessionem in judicio editam tandem in custodia animam exhalavit [7]) c. a. 251.

---

4) *Euseb.* l. l. c. 11, p. 406; *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 62, in Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 118.

5) *Euseb.* l. l. c. 20, p. 426.

6) *Origenis* Homil. I. in Libb. Regg. nr. 1, in Ej. Opp. omn. ed. De la Rue T. II. p. 481.

7) *Dionys. Alexandr.* apud Euseb. Hist. Eccl. T. VI. c. 46. nr. 2, p. 476; *Euseb.* l. l. c. 39. nr. 1, p. 450; *S. Hieronym.* l. l.

b. Scripta.

§. 405. Scripsit Alexander Hierosolymitanus *Epistolas* aliquot ad *Antinoitas*, ex quarum una nobis fragmentum Eusebius servavit in Hist. Eccl. Lib. VI. c. 11. nr. 2, ed. laud. p. 406; aliam ad *Antiochenos* e carcere missam, ex qua idem Eusebius locum allegat ibid. nr. 3, p. 407; aliam porro ad *Origenem*, ubi Pantaeni et Clementis Alexandrini tanquam sibi familiarium meminit. Fragmentum ejus exhibet Eusebius l. l. c. 14. nr. 4, p. 414. Scripsit etiam literas unacum Theoctisto Caesareensi ad *Demetrium* Episcopum Alexandrinum, quibus Origenem nondum sacris ordinibus initiatum in ecclesia coram Episcopis concionantem defendit; extat fragmentum in Eusebii Hist. l. l. c. 19. nr. 7, p. 425. Haec quatuor fragmenta edita sunt in *Andr. Gallandii Bibliotheca* vett. PP. T. II. p. 201 sq.

VIII.

Origenes Adamantius, Presbyter Alexandrinus.

A. Vita.

§. 406. *Origenes*, ob incredibiles, quos tum studiorum tum religionis causa sustinuit, labores Χαλκέντερος et *Adamantius* dictus,[1]) *Alexandriae* sub Commodo imperatore (a. c. 185) a *christianis* parentibus natus et in divinis Scripturis jam inde a puero exercitatus est. Cujus rei argumenta adeo multa et luculenta adfert Eusebius, ut satis appareat, quam egregie mentitus sit *Por-*

1) *S. Hieron.* Epist. ad Paulam in med., in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 68 (Epist. XXIX.)

phyrius, dum ait, Origenem, cum antea Gentilis esset et gentilium enutritus disciplinis, ad barbarorum audaciam (ita scilicet notram christianam religionem contumeliose lacessit homo gentilis) demum post defecisse. [2]) Origenes vero jam tum fidei nostrae doctrinam non vulgariter imbuerat, utpote in divinis *Scripturis* jam inde a prima aetate exercitatus, cum praeter liberalium disciplinarum studia etiam sacris literis non obiter pater eum erudivisset. Quippe ante graecarum literarum studium sacris eum disciplinis exerceri praecipiebat, quosdam divinae Scripturae locos *memoriae mandare ac recitare* quotidie illum jubens. Nec vero pueri animus ab his abhorrebat, sed lubentissime in hujusmodi studia incumbebat, adeo ut simplici et obvia sacrum literarum lectione minime contentus majus aliquid inquireret, et profundiores jam tum sensus scrutaretur. Proinde patri facessebat negotium, sciscitans ex illo, quid sententia divinitus inspiratae Scripturae significaret. Ille vero coram quidem et in specim puerum objurgabat, monens ne supra captum aetatis, neve ultra obvium et apertum Scripturae sensum quicquam requireret; clam vero apud se singulari gaudio perfusus Deo bonorum omnium auctori gratias agebat maximas, quod se talis filii parentem efficere dignatus fuisset. Ac saepenumero dormientis pueri cubiculum ingressus pectus ejus nudasse dicitur, et velut quoddam *divini Spiritus sacrarium* religiose illud deosculatus, semet ipsum beatum ejusmodi sobole praedicasse. [3]) Deinde *Clementis Alexandrini* (§. 287) disciplinae traditus est. [4])

§. 407. Mirum autem *pietatis* suae et *sincerissimi erga divinam religionem affectus* specimen edidit in per-

2) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 19. nr. 4, ed. Zimmermann. p. 423.

3) *Euseb.* l. l. nr. 3. 4, ed. laud. p. 387 sq.

4) *Euseb.* l. l. c. 6, p. 398; *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 38 fin., in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 118.

secutione *Severiana*, cum pater ejus *Leonides* capite truncatus est. [1]) Origenis enim animum adhuc admodum pueri tanta cupido occupavit *martyrii*, ut se periculis ipsis objicere, et prosilire ultro atque irruere ad cruciatus gestiret. Jamque mors illi sine dubio proxima imminebat, nisi coelestis Dei providentia plurimorum utilitati consulens per matris ministerium impetum illius cohibuisset. Ac mater quidem primum verbis supplicando rogabat, ut materni affectus reverentia moveretur; sed cum illum vehementer incitatum vidisset, ex quo patrem comprehensum in vinculis detineri intellexerat (quippe posthac toto animi impetu ad martyrium ferebatur), abscondita omni illius veste domi manere invitum coëgit. Igitur ille nihil aliud sibi relictum esse animadvertens, cum supra aetatem cupiditas intenderetur; quietis impatiens literas ad patrem misit, quibus illum ad martyrium vehementissime cohortabatur, his inter cetera verbis eum admonens: *Cave, mi pater, ne nostra causa sententiam mutes.* [2]) Hinc merito S. Hieronymus: *Magnus jam ab infantia vir fuit Origenes et vere Martyris filius!* [3]) Patre vero martyrii coronam adepto ipse cum matre et parvulis fratribus numero sex orbus relictus est, annum agens aetatis *decimum septimum.* Et quoniam facultates patris in fiscum principis illatae fuerant, ad summam omnium rerum penuriam unacum suis redactus divinae providentiae meruit auxilium. [4]) Exceptus enim ac refocillatus est a *matrona quadam opulentissima* et alioqui eximia, sed quae celeberrimum virum quemdam Antiochia oriundum, haereticorum, qui tunc erant Alexandriae, propugnatorem fovebat. Quem quidem mulier adoptivum filium secum domi habens mirum in modum complectebatur. Sed Origenes,

---

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 1, ed. laud. p. 385.

2) *Euseb.* l. l. c. 2. nr. 1. 2, p. 386.

3) *S. Hieron.* Epist. ad Pammach. et Ocean., in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. (Epist. XLI) col. 346.

4) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. IV. c. 2. nr. 4 med., p. 389.

tametsi cum supradicto viro necessitate compulsus versaretur, ex eo tamen tempore suae in recta fide retinenda constantiae illustrissimum specimen edidit. Siquidem innumerabili multitudine non haereticorum modo sed etiam catholicorum ad *Paulum* (hoc enim illi viro nomen fuit) quotidie confluente, eoquod eloquentia excellere videretur: ipse nunquam adduci potuit, ut cum Paulo in precatione consisteret, *Ecclesiae scilicet regulam servans a puero*, et, ut ipsemet alicubi loquitur, *abominatus haereticorum dogmatum praedicationem*. Porro cum etiam *Graecorum* disciplinis primum a patre imbutus fuisset, et post ejusdem obitum totum se libralibus studiis vehementius addixisset, adeo ut, sufficientem usum ac peritiam artis grammaticae assecutus videretur, paulo post patris mortem eam artem professus necessaria vitae subsidia abunde, ut in illa aetate, sibi comparavit. [5])

§. 408. Interea vero cum nemo superesset Alexandriae, qui tradendis fidei nostrae rudimentis operam daret, omnibus ob persecutionis metum pulsis ac fugatis, quidam ex *Gentilibus* ipsum scholae etiamtum vacantem et affixum, ut de se alicubi scribit, adierunt, verbum Dei ex eo audituri. Inter quos primum fuisse testatur *Plutarchum*, qui post vitam honeste transactam sacro etiam martyrio coronatus est; secundum autem *Heraclam* ejusdem Plutarchi fratrem, qui et ipse philosophiae vitae et districtioris cujusdam disciplinae documenta plurima edidit. Origenes autem annum aetatis *octavum decimum* agebat tunc, cum *Catechumenis instituendis praefectus*, et a *Demetrio ejus urbis Episcopo* in locum eruditissimi viri Clementis Presbyteri confirmatus est. [1]) Cum vero plures quotidie discipulos accedentes videret, propterea

---

5) *Euseb.* l. l. nr. 5, p. 389.

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 3. nr. 1, ed. laud. p. 390 sq.; *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 38, in Ej. Opp. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 113; *Idem* in Epist. (XLI) ad Pammach. et Ocean., ibid. col. 346.

quod Catechumenorum institutio ipsi soli mandata fuerat a Demetrio; ratus grammaticae artis professionem cum divinae fidei institutione minime congruere, scholam *grammaticae literaturae* utpote inutilem et sacris disciplinis contrariam sine ulla cunctatione abjecit. Deinde prudenti consilio usus, ne alieno subsidio opus haberet, venditis priscae doctrinae voluminibus, quae penes se habebat elegantissime elaborta, contentus fuit quatuor obolis, qui ab emtore voluminum ipsi in dies singulos pendebantur. Hujusmodi disciplina et plane philosophica ratione vivendi pluribus deinceps annis uti perseveravit, omnes juvenilium cupiditatum illecebras undique submovens. Ac diuturno quidem tempore gravissimos cujusquemodi exercitationum *labores* tolerabat; noctis vero maximam partem divinarum *Scripturarum studiis* impendebat, severissimae quoad poterat philosophiae legibus institutisque semetipsum coërcens. Quippe interdiu quidem jejuniorum exercitationibus insudabat, noctu vero somni spatium dimetiebatur, eumque non in strato sed *super nudo solo* capere satagebat. Maxime vero evangelica illa Servatoris nostri praecepta observanda esse ducebat, quibus monemur, tum ne duas tunicas habeamus, neve calceamentis utamur, tum ne de crastino nimium solliciti nosmetipsos excruciemus. Sed et majore, quam aetas ferebat, animi ardore in *frigore* ac *nuditate* perstans, et ad summum *evangelicae paupertatis* culmen evectus familiares suos ingenti admiratione perculit; ac multos quidem ex ipsis incredibili dolore affecit, qui bona sua cum ipso partiri optabant, cum illum divinae praedicationis gratia tantos labores sustinentem viderent. Verumtamen de vigore tolerantiae nihil unquam remisit. Multos item per annos *nudis vestigiis* ambulasse dicitur, nullo penitus calceamento usus. Vino quoque et aliis rebus, quae ad victum minus necessariae sunt, diutissime abstinuit, usque adeo ut pectus ipsius in gravissimum subversionis labisque discrimen incideret. Hujusmodi ergo philosophicae vitae exempla omnibus spectanda praebens, plures ex

discipulis ad imitationem sui merito provocavit, ita ut multi ex *gentilibus*, tum in omni genere doctrinae tam in philosophia praestantissimi, ejus se magisterio submitterent. Qui cum fidem Christi sincere atque intimo mentis affectu ab ipso accepissent, persecutionis illius tempore inclaruerunt, usque adeo ut quidam ex ipsis comprehensi *martyrio* perfuncti sint [1]).

§. 409. Tunc Origenes apud universos fideles maximam nominis celebritatem adeptus est ob sedula *benevolentiae* atque *humanitatis* officia, quae omnibus sanctis Dei *martyribus* notis pariter atque ignotis promtissime exhibebat tempore persecutionum illarum, quae sub *Aquila praefecto urbis Alexandriae* acciderunt. Neque enim solum illis hactenus comes aderat, dum in vinculis essent, aut dum ad extemam usque sententiam, cum sanctissimi martyres ad supplicium abducerentur, ipse incredibili fiducia praeditus et pericula ipsa provocans adstabat, adeo ut saepenumero, cum audacter accederet, et martyres summa cum libertate osculo salutaret, ab insana Gentilium multitudine circumstante lapidibus jamjam obruendus videretur, nisi dextram divini numinis semel adjutricem nactus praeter opinionem omnium evasisset. Eadem illa divina et coelestis gratia illum multis tunc insidiis appetitum ob fiduciam atque alacritatem in praedicanda Christi fide alias iterum atque alias nec dici potest quoties liberavit. Porro Gentiles adeo cruentum ei bellum indixerant, ut in unum collecti ac conglobati domum, in qua manebat, dispositis militibus obsiderent, ob multitudinem eorum, qui sacrae fidei rudimenta ab ipso percipiebant. Persecutionis autem furor tantopere adversus eum accendebatur indies, ut tota Alexandrinorum civitas ulterius ipsum capere non posset; dum ex aliis quidem aedibus in alias migrat, undique vero exagitatus fugatur, propter ingentem numerum eorum, quos ipse ad doctrinam divi-

1) *Euseb.* l. l. c. 3. nr. 3. 4. 5, p. 592—594.

nis fidei pertrahebat.[1]) — Interea Origenes, dum Catechumenis apud Alexandriam instituendis vacaret, facinus aggreditur, quod minus perfecti sensus et juvenilis cujusdam audaciae possit videri, fidei tamen et continentiae maximum in se specimen continet. Nam cum verba illa: „*Sunt quidam eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum coelorum*" (Matth. XIX. 12) simplicius ac juvenilius accepisset, partim ut Servatoris nostri verbum adimpleret, partim ut omnem obscoeni rumoris et calumniae occasionem infidelibus adimeret, eo quod ipse aetate juvenis non solum viris sed etiam *feminis* divinae fidei praecepta tradebat, dictum Servatoris *reipsa exsequi* adortus est.[2]) Providerat quidem, ut plerosque familiarium suorum ea res lateret; verum ille, quamvis maxime id vellet, tantum facinus occultare non potuit. Itaque Demetrius, cum rem illam postea comperisset, juvenis audaciam vehementius admiratus est; ac primum quidem alacritatem animi ac fidei sinceritatem in eo collaudans bono animo esse jussit, utque tanto majore cura instituendis Catechumenis vacare pergeret cohortatus est.[3])

§. 410. Cum vero totum se addixisset verbo Dei, ac de ejus eruditione fama jam crebrior spargeretur, confluentibus ad eum nunc *haereticis* nunc *Graecarum disciplinarum studiosis* et maxime *Philosophis*; non solum scrutari haereticorum dogmata, sed etiam quaecunque a philosophis de veritate jactabantur, retractare constituit.[1])

---

1) *Euseb.* l. l. c. 8. nr. 2. 3, 391 sq.

2) *Euseb.* l. l. c. 8. nr. 1, p. 390; *S. Hieronym.* Epist. (XLI) ad Pammach. et Ocean., in Ej. Opp. omn. l. l. col. 346. — Hunc suum errorem Origenes postmodo in scriptis suis *ipse* emendare non dubitavit. Commentar. in Matth. T. XV. c. 1, in Origen. Opp. omn. ed. De la Rue T. III. p. 651 sq.

3) *Euseb.* l. l. nr. 1. 2, p. 400.

1) *Origenes* in Epist. adv. eos, qui nimium ejus studium erga graecanicas disciplinas reprehendebant, in Ej. Opp. omn. ed. De la Rue, T. I. p. 4; *Cf. Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 19. nr. 6, ed. laud. p. 423 sq.

Itaque ad *Ammonium Saccam* se contulit, celeberrimum tunc temporis magistrum, sub quo Platonicae philosophiae praesertim incubuit. . . . Sed et *Numenii*, *Cronii*, *Apollophanis* et *Longini*, *Moderati* etiam ac *Nicomachi* et aliorum, qui inter Pythagoricos praecipui habentur, scripta quotidie habebat in manibus. Adhibebat etiam *Chaeremonis Stoïci*, et *Cornuti* libros. A quibus cum allegoricum in explicandis Graecorum mysteriis modum didicisset, eum Judaicis Scripturis adhibuit. [2]) Inter haec assidua literarum studia sub *Zephyrino* tunc Romano Pontifice *Romam* venit, cum diu sibi in votis fuisset, ut ipsemet alicubi scribit, *Romanam ecclesiam omnium principem coram videre.* Ibi paulisper moratus Alexandriam rediit, ubi consuetum Catechumenos docendi officium omni studio ac diligentia exercuit, Demetrio civitatis episcopo etiamtum illum hortante ac tantum non supplicante, ut fratrum utilitati impigre serviret. [3]) Cum autem animadverteret, se nequaquam sufficere ad quietiorem rerum divinarum contemplationem et ad S. Scripturae scrutationem atque interpretationem, simulque ad institutionem eorum, qui ad ipsum accedebant, per quos ne respirare quidem ipsi licebat, cum alii super alios a primo lucis exortu usque ad vesperam scholam ejus frequentarent; divisa omni auditorum multitudine *Heraclam* ex familiaribus suis eligens, virum rerum divinarum studiosum et alioqui doctissimum nec expertem philosophiae, in docendi officio *socium* sibi atque *administrum* adjunxit. Et huic quidem institutionem eorum, qui primis adhuc imbuerentur rudimentis, mandavit; sibi vero *perfectiores* docendos reservavit. [4]) Fuerat autem Heraclas quoque illius Ammonii

---

2) *Porphyrius* ap. Euseb. Hist. Eccl. Lib. VI. c. 19. nr. 3, p. 421 sq.

3) *Euseb.* l. l. Lib. VI. c. 14 fin., ed. Zimmerm. p. 414 sq.

4) *Euseb.* l. l. c. 15, ed. laud. p. 415 sq.; *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 54 post pr., in Ej. Opp. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 116.

auditor, jam quintum annum philosophiae operam navans, priusquam ipse Origenes ejusdem magistri doctrinam auscultare coepisset. [5]) Quo factum est, ut Origenes omnibus undique disciplinis in usum sacrarum literarum arcessitis *Dialecticam* quoque et *Geometriam*, *Arithmeticam*, *Musicam*, *Grammaticam* et *Rhetoricam*, omniumque *Philosophorum* sectas didicerit, atque ita tradiderit, ut studiosos quoque secularium literarum sectatores haberet, et interpretaretur eis quotidie, concursusque ad eum mirifice fierent, quos ille propterea recipiebat, ut sub occasione secularis literaturae *in fide Christi* eos institueret. [6]) Sic ergo non solum complures eruditi homines pervulgato ubique Origenis nomine illecti ad eum confluebant, periculum de ejus viri in sacris literis peritia facturi; sed innumeri quoque *haeretici* (et in his *Ambrosius*, Valentinianus haereticus,) studiose eum auscultabant, et praeter rerum divinarum scientiam graecanicae quoque philosophiae praecepta quasi discipuli ex illo percipiebant. Quoscunque enim ex discipulis solertia et acumine ingenii praeditos animadverterat, eos in philosophiam introducebat, Geometriam illis tradens et Arithmeticam aliasque praevias disciplinas, inde ad varias philosophorum sectas eos perducens, et libros a philosophis veteribus conscriptos exponens, commentarios quoque in singulos scribens eosque inquirens, adeo ut apud ipsos etiam Gentiles *summus philosophus* pronuntiaretur. Ex rudioribus vero et hebetioris ingenii discipulis multos ad humaniorum artium studia cohortabatur, asserens non mediocrem

---

5) *Origenes* in Epist. supra memorat., Opp. omn. ed. laud. T. III. p. 4. Idem Heraclas postmodo Origenis in schola catechetica Alexandriae *successor*, et ob maximam omnium famam atque existimationem post mortem Demetrii ad *episcopatum Alexandrinae Ecclesiae* provectus est; *Euseb.* l. l. c. 31 med., p. 442; *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. l. l.

6) *S. Hieron.* Catal. c. 54 sub. fin., in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. l. l. col. 116.

illos facultatem ex hujusmodi studiis percepturos esse ad sacrarum Scripturarum intelligentiam. Quocirca *secularis literaturae* et *philosophiae studia* sibi quoque inprimis necessaria esse existimavit. 7) In divinis autem Scripturis perscrutandis tantam curam ac diligentiam adhibuit, ut *hebraicam* etiam linguam contra aetatis gentisque suae naturam didicerit, et praeter septuaginta interpretes alias quoque versiones in unum volumen congregaverit, *Aquilae* scilicet et *Symmachi* et *Theodotionis*. Atque ex eo jam tempore est *Hexaplorum* editio, quorum maxima pars hodiedum nobis suppeditat. 8)

§. 411. Sub idem tempus, cum *Alexandriae* moraretur, miles quidam adveniens Demetrio Ecclesiae Episcopo literas a *duce Arabiae* detulit, quibus poscebat, ut confestim ad se Origenem mitteret, qui doctrinam suam ipsi communicaret. Missus igitur Origenes in *Arabiam* perrexit. Nec multo post perfecto, cujus causa venerat, negotio Alexandriam regressus est. Aliquanto vero postea quum adversus Alexandrinos bellum pararet *Caracalla*, ille clam inde aufugiens, ac ne in Aegypto quidem commorari tutum ratus, *Palaestinam* petiit, et *Caesareae* domicilium fixit. Ibi enim ab illius regionis Episcopis rogatus est, ut publice in Ecclesia dissereret, et divinas Scripturas, tametsi nondum presbyter ordinatus, exponeret. Ita Origenes, cum juvenis adhuc esset, non solum a notis et domesticis, verum etiam ab exterarum regionum Episcopis colebatur. *Demetrius* autem per literas eos redarguit, quod nunquam antea visum nec adhuc factum fuisset, ut praesentibus Episcopis *Laici* concionarentur. Et, quamvis *Alexander* Hierosolymorum et *Theoctistus* Caesareensis Episcopus pro hujus facti defensione ad exempla *Euelpidis*, *Paulini*, *Theodori*, hominum laico-

7) *Euseb.* l. l. c. 18, ed. laud. p. 419; Cf. *S. Gregorii Thaumaturgi* Orat. panegyr. in Origen. c. 7 sq.

8) *Euseb.* l. l. c. 16, p. 416 sq.; *S. Hieron.* Catal. c. 54, l. l. col. 116.

rum, provocarent, utqui ab Episcopis *Neone*, *Celso*, *Attico* ultro invitati ad populos conciones habuerint; Demetrius nihilosecius scriptis literis missisque ecclesiae suae Diaconis reditum illius urgere non destitit, donec Origenes dicto audiens *Alexandriam* reversus consuetum munus obiit.[1] Paulo post mater Alexandri Severi imperatoris, *Mamaea* nomine, pia imprimis ac religiosa femina, cum Origenis nomen ubique jam celeberrimum haberetur, adeo ut ad ipsius quoque aures perlatum esset; conspectu ejus frui, et scientiam rerum divinarum, quam omnes in eo viro magnopere admirabantur, certissimo experimento cognoscere concupivit. Igitur illa *Antiochiae* degens misso militari satellitio hominem accersit. Qui apud eam aliquamdiu commoratus, cum innumera illi documenta exhibuisset ad Domini gloriam et ad divinae illius praedicationis potentiam declarandam, ad consuetas mature sedes regressus est.[2] Ex eo tempore Alexandriae eundem in divinas Scripturas *Commentarios* coepit conscribere, *Ambrosio* (§. 401) non solum adhortationibus et flagitationibus sed opera etiam eum adjuvante;[3] scripsit ibidem etiam quinque priores tomos Expositionum in *Evangelium Joannis*, libros octo priores in *Genesin*, et Commentarios in priores quinque et viginti *Psalmos*, praeterea in *Lamentationes Jeremiae*; libros item *De principiis*, et libros, qui Στρωματεῖς inscripti sunt, numero decem.[4]

§. 412. Post annos circiter decem, aetatis suae *anno quadragesimo tertio*, Origenes compulsus necessitate ob ecclesiastica negotia in *Achajam*, quae pluribus haeresibus vexabatur, profectus, cum per *Palaestinam* transiret, a Theoctisto et Alexandro, probatissimis et maxime

---

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI c. 19. nr. 6. 7, ed. Zimmermanni p. 420.

2) *Euseb.* l. l. c. 21 ext., p. 428; *S. Hieron.* Catal. c. 54 med.

3) *Euseb.* l. l. c. 23 pr., p. 429.

4) *Euseb.* l. l. c. 24, p. 431.

insignibus in Palaestina episcopis Caesareensi et Hierosolymitano, qui illum praerogativa et supremi honoris apice dignum judicarunt, per impositionem manuum *Presbyter* ordinatus est. [1]) Haec tristis fuit causa motuum, qui deinceps in eum concitati sunt. *Demetrius* enim vehementissime indignatus, tum quia Episcopi *extranei* ipso inscio atque invito id sibi arrogarent, tum quia Origenes sic ab Ecclesia *matrice*, quae Alexandriae fuit, penitus avelli videretur; [2]) facinus illud, quod adolescens olim patraverat, gravissime criminatus est, et literis ad omnes ubique terrarum episcopos scriptis proscindere tanquam absurdissimum coepit; illos etiam, qui eum ad presbyterii honorem evexerant, accusationibus suis involvere conatus. [3]) Quin imo Origenem, quum post annos aliquot ex Achaja domum rediisset, coacto Alexandriae *conciliabulo* damnavit, damnatum *magistrii* munere exuit, et urbe pepulit. [4]) Itaque Origenes ab urbe Alexandria *Caesaream*

---

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 23. nr. 2, ed. Zimmermanni p. 430; *idem* ib. c. 8. nr. 2 fin, p. 401; *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 54 post pr., in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 116.

2) Möhler Patrologie Bd. I. S. 493.

3) *Euseb.* l. l. Lib. VI. c. 8. nr. 2. 3, ed. laud. p. 400 sq.

4) *S. Hieronym.* Apolog. adv. Rufin. Lib. II. c. 5, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 411; *Photii* Biblioth. Cod. CXVIII. Caussam hujus rei in *Demetrii invidia atque obtrectatione* ponit *Eusebius*, dicens: „*Post autem, cum eum prosperis successibus indies augeri, et magnum jam atque illustrem omnium sermonibus celebrari videret Demetrius, humani quidpiam passus, facinus illud Origenis proscindere coepit*“ Euseb. Hist. Eccl. Lib. VI. c. 8. nr. 2 med., p. 400. Et paucis interpositis: „*Tunc igitur, cum Origenes ingenti gloria floreret, et apud cunctos ubique mortales virtutis ac sapientiae causa maximum nomen esset consecutus; Demetrius, quando nihil aliud habebat, quod ei objiceret, facinus illud, quod adolescens olim patraverat, gravissime criminatus est.*“ Ibid. l. l. nr. 3 pr., p. 401. Similiter *S. Hieronymus*, sed multo is vehementius: „*Porro*, inquit, *hoc sudore quid Origenes accepit pretii? Damnatur a Demetrio Episcopo . . . non propter dogmatum novitatem, non propter haeresim, ut nunc*

migraturus scholam ad fideles ejus loci instituendos *Heracleae* dereliquit. Nec multo post Demetrius Alexandrinorum Episcopus fato functus est, cum per tres et quadraginta annos ecclesiam administrasset. In hujus locum successit *Heraclas.* 5) Scholam autem catecheticam illius urbis obtinuit *Dionysius Alexandrinus* (§. 498), qui et ipse unus e discipulis fuerat Origenis. 6) Sed ne sic quidem acquievit Demetrius. Origenes novo et frequentiore concilio convocato *excommunicatur*, et presbyterii gradu deponitur, missisque quoquoversus literis encyclicis ab omnibus episcopis damnatur, exceptis Palaestinae et Arabiae et Phoenicis atque Achajae sacerdotibus. In damnationem ejus consentit urbs quoque Romana. 7)

§. 413. Origenes autem relicto patrio solo *Caesaream, quae est in Palaestina*, pervenit, ibique novam

---

adversus eum rabidi canes simulant; sed quia gloriam eloquentiae ejus et scientiae ferre non poterant, et illo loquente omnes muti putabantur." Hieron. in Epist. ad Paulam, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. (Epist. XXIX.) col. 68. Sed vereor, annon properantius judicaverit S. Pater. Damnationis enim probabiliorem causam utique *errores* videntur praebuisse, quos Origenes tum in libris Περὶ ἀρχῶν, jam annis aliquot ante evulgatis, propugnaverat. Qui quidem errores, etsi non essent ejusmodi, ut nullo modo potuissent excusari (erraverunt enim in fide quandoquidem etiam alii); tamen justam quandam obtrectatoribus ejus *speciem* obtulerunt severius in eum animadvertendi, siquidem tantam omnium admirationem (ne dicam *superstitiosiorem adorationem*) illius viri reprimendam esse existimarent. Sic longe post *S. Hieronymus* severiorem suam adversus Origenistas sententiam his verbis ad Pammachium scriptis defendit: „*Sed dicas, si multorum communis est error, cur solum Origenem persequimini? Quia vos eum solum laudatis ut Apostolum. ... Origenem sic fertis in coelum, ut nihil eum errasse dicatis. ... Tollite amoris hyperbolam, et nos tollimus odii magnitudinem.*" S. Hieronym. in Epist. ad Pammach. et Ocean., in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. (Epist. XLI) col. 346.

5) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 26, ed. laud. p. 436 sq.

6) *Euseb.* l. l. c. 29 fin., p. 440.

7) *Hieron.* Epist. ad Paulam, in Ej. Opp. ed. Maur. T. IV. P. II (Epist. XXIX) col. 68; *Photius* l. l.

scholam condidit. Neque solum regionis illius incolae, sed etiam ex remotissimis provinciis discipuli ad eum concurrebant; quorum praecipui fuerunt *Gregorius Thaumaturgus* (§. 478 sq.) et frater ejus *Athenodorus*.[1] *Firmilianus* autem, tunc temporis Caesareae in Cappadocia Episcopus, ad ipsum visendum in Judaeam usque profectus est, et una cum ipso aliquamdiu mansit, ut majorem rerum divinarum notitiam perciperet. Sed et *Alexander Hierosolymorum*, et *Theoctistus Caesareae Palaestinensis* Episcopus, quorum supra jam mentionem fecimus, ipsum perpetuo tanquam magistrum auscultabant, eique soli interpretationem sacrae Scripturae ac reliquum omne ecclesiasticae doctrinae officium permiserunt.[2] Interea caeso Alexandro imperatore, qui tredecim annis regnaverat, in ejus locum succedit *Maximinus* (an. 235). Qui gravi odio succensus adversus familiam Alexandri, in qua plerique erant Christiani, persecutione excitata solos ecclesiarum antistites, utpote praedicationis evangelicae auctores, interfici jussit. Quo tempore Origenes *Librum de martyrio* composuit, quem Ambrosio et Protocteto, Caesareensis ecclesiae Presbytero, dedicavit, hortans ut in fidei confessione perseverarent; uterque enim in ea persecutione non mediocre discrimen subierat.[3] Ipse vero a Firmiliano invitatus *Caesaream in Cappadocia* migravit,[4] ibique per biennium in domo virginis cujusdam, *Julianae* nomine, delituit, atque adhibitis Symmachi commentariis cum aliis S. Scripturae interpretationibus (hi enim libri successionis jure ad illam feminam pervenerant) versionem Alexandrinam emendavit, et opus *Hexaplorum* absolvit.[5] Pace deinde Ecclesiae restituta (an. 238) per

1) *Euseb.* l. l. c. 30, p. 440 sq.

2) *Idem* l. l. c. 27, p. 437.

3) *Idem* l. l. c. 28, p. 438.

4) *Idem* l. l. c. 27 pr., p. 437; *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 54, ed. laud. col. 116.

5) *Euseb.* l. l. c. 16. 17, p. 416 sqq.

Bithyniam in Nicomedia,[6]) ubi Ambrosium supra dictum, amicum suum, cum uxore Marcella invisit, et literas ad Africanum (§. 371) dedit,[7]) *Athenas* profectus est, ibique aliquamdiu commorans *Commentarios in Ezechielem* absolvit, expositionem vero in *Canticum Canticorum* inchoavit. Tunc in *Palaestinam* reversus apud *Caesaream* consueto docendi munere fungens opus illud ad exitum perduxit.[8]) Eodem tempore *Beryllus*, Bostrenorum in Arabia Episcopus (§. 403), ecclesiasticam pervertens regulam nova quaedam et aliena a fide inducere conatus est. Cumque ea de re permulti episcopi quaestiones ac disputationes adversus illum habuissent, Origenes quoque invitatus familiariter cum illo collocutus est, ut, quaenam esset hominis sententia, exploraret. Postquam vero liquido cognovit, quid diceret, errorem ejus coarguit, et convictum demonstrationibus ad veritatem reduxit.[9]) Paulo post alii rursus in *Arabia* dogmatis cujusdam a veritate prorsus alieni auctores exstiterunt. Asserebant enim, hominum animas in praesenti quidem seculo una cum corporibus interire atque corrumpi, rursus vero resurrectionis tempore simul cum iisdem corporibus ad vitam esse redituras. Convocato igitur hanc ob causam non exiguo concilio, iterum rogatus etiam illic Origenes, cum disputationem de quaestione illa coram omni multitudine instituisset, tanto robore decertavit, ut, qui prius in errorem lapsi fuerant, sententiam mutarent.[10]) Alius quoque tunc temporis error exortus est, *Helcesaitarum* scilicet haeresis Ebionitarum opiniones sectantium, quae quidem simul nata, simul exstincta est Origenis potissimum doc-

6) *Origenes* in Epist. ad Africanum c. 1, in Ej. Opp. omn. ed. De la Rue T. I. p. 12.

7) *Origen.* ib. c. 16, ed. laud. p. 29.

8) *Euseb.* l. l. c. 32 med., p. 443.

9) *Idem* l. l. c. 33 pr., ed. laud. p. 444; *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 61, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 117.

10) *Euseb.* l. l. c. 37, p. 448.

trina et auctoritate.[11]) Is interea jam sexagenario major nihilominus, utpote qui ex diuturna exercitatione maximum dicendi usum sibi comparasset, *conciones* plurimas ad populum habebat, easque a *tachygraphis* excipi permisit, cum id antea fieri nunquam concessisset. Sub idem tempus octo libros composuit adversus librum quendam *Celsi* Epicurei contra Christianos, qui *Vera doctrina* inscribitur. Quinque praeterea ac viginti volumina in *Evangelium Matthaei* elaboravit, et in *duodecim Prophetas* expositiones, quarum quinque duntaxat et viginti libros Eusebius reperit. Scripsit tum etiam ad imperatorem ipsum *Philippum* et ad conjugem illius *Severam* epistolas, alias praeterea ad *diversos;* ex quibus quotcunque sparsim apud varios asservatas reperire potuit Eusebius, seorsim in proprios libros digessit. Erant autem illae numero supra centum. Sed et ad *Fabianum*, Romanae urbis Episcopum, et ad complures alios ecclesiarum antistites de recta fidei suae ratione epistolas scripsit.[12]) Sed omnes paene interierunt.

§. 414. Ceterum inimici ejus et obtrectatores non desierunt eum injuriis persequi, et ipso adhuc vivente ejusdem scripta adulterare, et genuinis supponere falsa. Id unum fuit, quod aegre tulit, et in epistola *ad quosdam amicos Alexandrinos* conquestus est. Interim imminebat ingens illa *Deciana persecutio*, in qua et Origenes propter doctrinam Christi multa et saeva tormenta pertulit, vincula scilicet et corporis cruciatus et in intimo carceris recessu ferrei torquis aerumnas. Per multos dies pedes ejus in nervo ad quatuor usque foraminum interstitia distenti sunt. Ad haec ignium minas et alia ab inimicis illata fortiter sustinuit, dum judex omnium virium nisu ambitiose contendit, ne illum interficeret. Et post intre-

---

11) *Euseb.* l. l. c. 38 pr., p. 440; *Theodoret.* Haerett. Fabb. Lib. II. c. 7.

12) *Euseb.* l. l. c. 36, p. 447 sq.

pidam Christi confessionem plures adhuc e carcere misit epistolas, quibus eos, qui consolatione indigebant, erexit.[1]) Tandem dimissus e carcere septuagesimo aetatis anno *Tyri mortuus est*.[2]) anno 253. Magnis Origenes et in vita et post mortem impugnatoribus aeque ac defensoribus nobilitatus est. *Dilaudarunt* eum S. Alexander Hierosolymitanus, Theoctistus Caesareae in Palaestina, Firmilianus Caesareae Cappadocum Episcopus, S. Gregorius Thaumaturgus, S. Dionysius M. et magnus Athanasius Alexandrini Praesules, S. Basilius M., S. Gregorius Nazianzenus, alii. Contra eundem *impugnarunt* praeter S. Demetrium Alexandrinum, cujus sententiam ratam habuit ejus in episcopatu successor S. Heraclas, item SS. Pontianus et Anastasius RR. PP., S. Eustathius Antiochenus, S. Methodius Patarensis, S. Epiphanius, S. Hieronymus, Theophilus Alexandrinus, alii. Et doctrinam illius omnis erroris prorsus immunem asserere vetant *Patrum* de ipso et *Ecclesiae* judicia; prohibent et ipsius *libri*, qui gravissimos errores, quorum est insimulatus, repraesentant. Errandi causa ei fuit *philosophia*, cui plus aequo indulsit; Platonicae enim philosophiae placitis dum accommodat mysteria religionis, multa depravavit. *Rufinus* ipse, ejus maximus laudator, ingenue fatetur, inveniri in ejus libris quae veritatis regula non admittit, „*quae nos*, inquit, *nec recipimus nec probamus*.“ Id quidem minime ambigimus, ejus libros fuisse ab *haereticis* corruptos, siquidem in iis contraria et repugnantia non solum in diversis sed etiam in iisdem leguntur, qualia ab homine non penitus emotae mentis scripta fuisse nullus suspicari potest. Verum *omnes* errores refundere in eam corruptionem, temerarium esse videtur, cum *ipsemet* Origenes se in multis errasse confessus sit in ea epistola, quam ad *Fabianum Papam* misit, caussamque in

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 39. nr. 2, ed. Zimmermanni p. 451.

2) *Euseb.* l. l. Lib. VII. c. 1 pr., ed. laud. p. 481.

Ambrosium referat, quod scripta edita in publicum protulerit, priusquam emendarentur. 3) Sin vero sincere errores suos ejuraverit, ac postea iis contraria docuerit, vel si quos retinuerit, id humanitus ei contigerit ut aliis Patribus, certo non constat. Sed multa ei favent: constans haereses insectandi studium; relatae de Valentinianis, Marcionitis, Basilidianis, Apellitis, Antitrinitariis, Helcesaitis, victoriae; literae testes poenitentiae, quas ad Fabianum Papam scripsit; denique quod communione conjunctus cum Episcopis catholicis obierit; nullaque per eum instituta secta sit, nisi quae illo jam demortuo ex incauta operum ejus lectione exorta est.

B. Scripta Origenis.

§. 415. Inter veteres Ecclesiae graecae Scriptores nullus fere est, qui sibi tantam, quantam Origenes, eruditionis famam reliquerit apud posteros. Qualis autem quantusque fuerit, facilius adjudicaretur, si voluminum ejus ingens numerus ad nostram usque aetatem pervenisset. *Vincentius Lirinensis* neminem mortalium plus scripsisse, quam Origenem, affirmat. „*Quis nostrum*, inquit S. Hieronymus, *tanta potest legere, quanta ille conscripsit? Mille et eo amplius tractatus, quos in Ecclesia locutus est, edidit, innumerabiles praeterea commentarios.*" 1) Et alibi: „*Videtisne et Graecos pariter et Latinos unius* (Origenis) *labore superatos.*" 2) Sed pars maxima injuria temporis intercidit.

---

3) *S. Hieron.* Epist. ad Pammach. et Ocean., in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. (Epist. XLI) col. 347.

1) *S. Hieron.* Ad Pammach. et Ocean., Epist. XLI. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 346.

2) *Idem* Ad Paulam, Epist. XXIX. ed. laud. col. 68.

1. Scripta genuina.

a. Epistolae.

aa. Epistolae deperditae.

§. 416. Quidquid ad Origenis vitam pertinet, magnam partem ex ejus epistolis *Eusebius* excripsit.[1]) Idem narrat, se literas illius, quotcunque sparsim apud varios asservatas reperire potuit, seorsim in *proprios libros*, ne iterum dissiparentur, collegisse; fuisse autem illas numero *supra centum*.[2]) Quae collectio Eusebiana certe *Rufini* temporibus adhuc supererat, siquidem is in opere quod scripsit „*De adulteratione librorum Origenis*" quartum illius collectionis librum laudat. Sed e tanto epistolarum numero *duae* tantum hodiedum integre asservantur (§§. 417, 419). De aliis saltem aliqua ad nos specialis notitia pervenit, qualis illa est, qua Ambrosii ardorem erga sacras literas describit, et cujus fragmentum exhibent *Suidas* et *Cedrenus*, quod habes etiam in Opp. Origenis ex edit. Caroli (et Vincent.) De la Rue (Paris. 1733—59. IV. f.) T. I. p. 3; alia, in qua teste *Eusebio*[3]) se ipse purgat adversus eos, qui nimium ejus studium erga graecanicas diciplinas reprehendebant, cujus fragmentum ex Eusebio item exhibetur in Origenis Opp. edit. laud. T. I. p. 4; alia rursus, quam contra adversarios anno 232 post suum ex urbe Alexandria discessum ad amicos quosdam ibi degentes direxit; hujus duo insignia fragmenta latine tantum referuntur; alterum e *S. Hieronymi* „*Apologia adversus Rufinum*" Lib. II,[4]) altera ex *Rufini* „*Apologia Pamphili pro Origene.*"[5]) Ambo fragmenta indita

---

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 2, ed. *Zimmermanni* p. 386. nr. 1.

2) *Idem* l. l. c. 36, ed. laud. p. 447. nr. 2 med.

3) *Idem* l. l. c. 19. nr. 5, ed. laud. p. 423 sq.

4) *S. Hieronym.* Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 411—413.

5) *S. Hieron.* Opp. ed. laud. T. V. col. 220 sqq.

sunt Opp. Origenis T. I. p. 5 sq., eisque subjecta est etiam particula epistolae, quam scripsit *S. Alexander* Hierosolymorum episcopus ad Origenem. Sed et ad patrem suum *Leonidam*, fidei causa in carcere detentum, misisse epistolam dicitur, qua illum ad martyrium vehementissime cohortatus est;[6]) item ad *Beryllum Bostrenorum Episcopum*.[7]) Memoratur ejusdem praeterea epistola ad *Philippum imperatorem*, et altera ad conjugem illius *Severam*.[8]) Similiter *Hieronymus* ait, sua adhuc aetate exstitisse nonnullas Origenis *ad Tryphonem* ejus auditorem epistolas.[9]) Porro plures idem teste Eusebio *ad Fabianum* Romanum Pontificem et *ad complures* alios ecclesiarum antistites de recta fidei suae ratione c. a. 236 consignavit.[10]) Multas denique, dum ipse inter varios cruciatus in custodia tenebatur, *ad diversos* dedisse literas perhibetur.[11]) Quae omnes hodie desiderantur. Reliquae vero ita penitus jam dudum interierunt, ut ne nomina quidem eorum, ad quos scriptae fuerint, memoriae nostrae tradita sint.

bb. Superstites.

a) Epistola ad Africanum.

aa) De genuinitate et editionibus.

§. 417. Ad nos usque pervenit integra Origenis *epistola ad Africanum* de historia Susannae. Julius

---

6) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 2. nr. 3 in fin., ed. laud. p. 387.

7) *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 57, in Ej. Opp. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 117.

8) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 36. nr. 2; *S. Hieron.* Catal. c. 54; *Vincent. Lirin.* Commonit. c. 23.

9) *S. Hieron.* Catal. c. 57, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 117.

10) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 36. nr. 2, ed. Zimmermanni p. 448.

11) *Idem* l. l. c. 39. nr. 2 fin., ed. laud. p. 451.

enim Africanus (§. 396) in epistola ad Origenem data *historiam Susannae*, quae in Danielis libro legitur, fictam esse et alienam a scriptura prophetica contenderat (§. 398). Ad cujus objectiones Origenes uberius respondet. Scripta est haec epistola *Nicomediae* anno verisimilius 240, cum iterum in Graeciam iter instituisset. De *genuinitate* autem utriusque epistolae nemo dubium movit; imo vero hisce duabus scriptiunculis nihil fere est apud veteres celebratius. Commemorantur enim ab *Eusebio*, [1]) *Hieronymo*, [2]) *Rufino*, [3]) *Photio*, [4]) *Nicephoro Callisto*, [5]) aliis. Utramque epistolam primus latine tantum edidit *Leo Castrius* Hispanus in suis *Commentariis in Isaiam*, Salamant. 1570; deinde *Gilbert. Genebrardus* ex latina interpretatione Gentiani Herveti in sua editione *Operum Origenis* (Paris. 1574. f.) T. II. Postea Africani ad Origenem epistola integra cum initio responsi Origenis ad Africanum sed graece tantum edita est a *Dav. Hoeschelio* in *Adriani Isagoge SS. Scripturarum*, August. Vindel. 1602. 4. Responsi autem Origenis ad Africanum alteram partem graece item evulgavit *Patric. Junius* in sua *Catena graecorum PP. in Job*, Londin. 1637. f. Denique utramque epistolam graece simul et latine unacum duobus aliis Origenis opusculis *Jo. Rudolph. Wetstenius* publici juris fecit Basil. 1674. 4. Utraque item cum selectis Hoeschelii et Wetstenii annotationibus et castigationibus Huetii exhibetur in *Origenis Opp. omn.* ed. *De la Rue* (§. 450) T. I. p. 10—12. 12—30.

bb) *Epistolae analysis.*

§. 413. Origenes in refutatione Africani primum asserit, nequaquam Judaeorum esse commentis et fraudi-

1) Hist. eccl. Lib. VI. c. 31, ed. laud. p. 442.

2) Catalogi Scriptt. eccl. c. 63, in Ej. Opp. omn. ed. laud. col. 118.

3) Hist. eccl. ad loc. Euseb.

4) Biblioth. Cod. XXXIV.

5) Hist. eccl. Lib. V. c. 21.

bus auscultandum, sed hoc solum pro vero habendum in Scripturis divinis, quod *septuaginta interpretes* transtulissent; nam id esse solum, quod auctoritate apostolica confirmatum sit.[1]) Ait autem *Africanus* ex iis, quae in oratione ipsa occurrunt, primitus hanc historiam *hebraice* in Danielis libro non fuisse, sed postmodo *graece* assutam. Respondet *Origenes*, nihil obesse, quominus haec historia vere contigerit, et quae libidinose simul et crudeliter adversus Susannam perpetrarunt Seniores, ea quidem *providente spiritu* scripta sint, sed postmodo a principibus Sodomorum (ut dixerit idem spiritus) clam sublata.[2]) Dicit *Africanus*, Danielem non videri alibi prophetasse ex *inspiratione* sed secundum *visiones*. Cui *Origenes* reponit, illum non satis advertisse animum ad id, quod Paulus (Hebr. I. 1) ait, multifariam multisque modis olim Deum Patribus locutum esse in Prophetis, nec proinde mirum videri debere, si, quod multis aliis obtigit, ut *modo ex visionibus modo per inspirationem* loquerentur, idem etiam Danieli obtigit.[3]) Objicit *Africanus*, hujus historiae circumstantias non satis sapere *gravitatem Scripturae sacrae*. Ad quae *Origenes*, mirari se, ait, quo pacto ille criminari audeat loquendi Scripturae modos, quos si liceret ludibrio vertere, tolerabilius derideri posse duarum mulierum historiam, quae de puero coram Salomone rege (III. Reg. III. 16 sqq.) altercantur.[4]) Observat *Africanus*, lusum verborum „πρίνου πρὸς πρίσαι" et „σχίνου πρὸς σχίσαι" graecum auctorem prodere. *Origenes* respondet, se quidem in hebraeo textu, cum interciderit, simile quidpiam non posse exhibere; at in multis aliis Scripturae locis ejusmodi verborum lusus

1) Epist. ad African. c. 2—6, in *Origen. Opp.* omn. ed. De la Rue T. I. p. 12—17.

2) Ibid. c. 6—10, l. l. p. 19 sq.

3) Ibid. c. 10, p. 22 sq.

4) Ib. c. 11, p. 23 sq.

hebraice quoque reperiri.[5]) Quaerit *Africanus*, undenam *Joakim*, viro Susannae, in captivitate tantae aedes fuerint, undenam tam elegans et spatiosus hortus. *Origenes* autem ex aliis S. Scripturae locis ostendit, *Tobiam*, *Dachinacharum*, *Mardochaeum*, *Nehemiam*, licet fuerint et ipsi in captivitate, divitiis tamen abundasse.[6]) Quaerenti illi porro, quomodo, qui Babylone apud Chaldaeos *captivi* erant, hi *sententiam mortis* ferre potuissent. *Origenes:* nihil, ait, insolitum accidisse, si magnis gentibus subactis a rege concessum fuit, ut suis legibus et judiciis utantur captivi.[7]) Controvertit *Africanus*, locum Exodi XXIII. 7, qui in hac historia laudatur, argumento esse, eam Danielem auctorem non habere, cum nullibi Scripturarum reperiatur propheta *alterius prophetae* verba usurpasse. Respondet *Origenes*, mirari se, quomodo id a docto viro potuerit objici, quod multis contrariis refellitur exemplis.[8]) Objicit *Africanus*, hujus historiae *stylum* a vera Danielis narrandi ratione discrepare. Dicit *Origenes*, id sibi minime videri.[9])

b) Epistola ad Gregorium Thaumaturgum.

§. 419. Altera Origenis epistola, quae etiamnum extat, *ad Gregorium* directa est, Origenis discipulum, qui deinde *Episcopus Neocaesareensis* factus, et ob miraculorum donum, quo pollebat, Thaumaturgus cognominatus est (§. 478). Scripta est haec epistola c. a. 240; nec quispiam genuinitatem ejus unquam in dubium vocavit. Integra exhibetur in *Origenis Philocalia* c. 13, et seorsim in *Origenis Opp. omn.* ed. De la Rue T. I. p. 30 — 32. Hortatur Origenes discipulum, ut philosophiae studio *theologiam* anteferat, totumque se dedat *Scripturae*

5) Ib. c. 12, p. 25 sq.
6) Ib. c. 13, p. 26 sq.
7) Ib. c. 14, p. 27 sq.
8) Ib. c. 15, p. 28 sq.
9) Ib. c. 16, p. 29 sq.

sacrae.[1]) Philosophiam cum vasis argenteis et aureis comparat, quae Israelitae emigrantes ab Aegyptiis petierunt, ut marteriam haberent ad ea apparanda, quae ad divinum cultum pertinerent. Ast multi sunt, inquit, qui e graeca quadam solertia haereticas opiniones genuerunt, et ceu vitulas quasdam aureas fabricati sunt in Bethel etc.[2])

b. Opera dogmatica.

aa. Libri de Resurrectione.

§. 420. Scripsit Origenes *Libros duos de resurrectione;*[1]) Hieronymus autem praeter illos etiam duos ejusdem argumenti *dialogos* recenset.[2]) Cum igitur aliquo sensu dici queat Origenes *quatuor* de Resurrectione libros scripsise, idcirco forte idem ille S. Pater alibi librum laudat de Resurrectione quartum.[3]) Eos jam *ante* libros *De principiis* fuisse exaratos, certum est, quando quidem ipse in libro II περὶ ἀρχῶν c. 10. nr. 1 ad eos provocat. Cum igitur illud opus ao. c. 225 consignatum esse verisimile est (§. 421 b), aliquanto prius libros de Resurrectione prodiisse necesse est. Qualia ista fuerint, quae in illis disseruit, nunc difficile est judicare. Nihil enim praeter aliquot *fragmenta* ad nos translatum est. Et duo quidem fragmenta ex *S. Pamphili* Apologia pro Origene (§. 536 med.) desumta sunt; aliud *Photius* (Biblioth. Cod. CCXXIV) e *S. Methodii* Libro de resurrectione; porro aliud *S. Epiphanius* (Haeres. LXIV.) ex

---

1) Epist. ad Gregor. Thaum. c. 1, 3, in *Orig. Opp.* omn. ed. laud. T. I. p. 30. 32.

2) Ibid. c. 2, l. l. p. 31 sq.

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 24. med., ed. Zimmermanni p. 431.

2) *S. Hieronym.* Ad Paulam Epist. XXIX, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 68.

3) *Idem* Ad Pammachium, ed. laud. Epist. XXXVIII. col. [illegible]

eodem Methodio; aliud denique *S. Hieronymus* in Epistola ad Pammachium (Epist. XXXVIII ed. Maurin.) adfert. Exhibentur haec quinque fragmenta in Origenis Opp. omn. ed. *De la Rue* T. I. p. 33—37. Contra hos De resurrectione libros scripsit *S. Methodius* insignem De resurrectione Dialogum, cujus egregia apud Epiphanium et Photium fragmenta extant (§. 544). Imo *D. Hieronymo* istud Origenis opus tot scatere erroribus videbatur, ut exclamet: „*Quis Latinorum ausus est unquam transferre libros ejus De resurrectione, περὶ ἀρχῶν, στρωματέας et τόμους? Quis per infame opus se ipsum voluit infamari?*" 4) Verumtamen *S. Pamphilus Martyr* in Apologia pro Origene aliis testimoniis, quae ex illius Commentariis tum in Isaiam prophetam tum in Psalmos protulit, eundem de resurrectione admodum catholice sensisse ostendit, imo his etiam ex ipsis illius libris primo et secundo *De resurrectione* duo loca praemisit, quae hodiedum servata sunt, et catholicae fidei omnino consonant. Adde his ea, quae de eadem materia Origenes habet in Lib. II *De principiis* c. 10. nr. 1—5, et in praestantissimo opere *Contra Celsum* Lib. III, c. 42, Lib. IV. c. 57, Lib. V. c. 17—23, Lib. VI. c. 29; et ex singulorum locorum accurata collectione fateberis, nihil illis inesse, quod catholico de resurrectione dogmati non possit aptari, si modo quasdam exceperis quaestiunculas, quas luxurians Origenis ingenium curiosius persequitur. Nec sane mirum, si juvenile ingenium et Platonicae philosophiae adhuc nimis indulgens animus quandoque peccaverit.

bb. Libri Stromatum.

§. 491. a. Ad exemplum Clementis Alexandrini praeceptoris sui Origenes quoque *decem Stromatum*

---

4) *S. Hieron.* Ad Pammach. et Oceanum, in Ej. Opp. omn. Epist. XLI, ed. Maurin. T. VI. P. II. col. 345 sq.

libros composuit, Christianorum et Philosophorum inter se sententias comparans, et omnia religionis nostrae dogmata ex Platone et Aristotele, Numenio Cornutoque confirmans. [1]) Exarati sunt hi libri, antequam Origenes Alexandria migraret, sub *Alexandro* imperatore c. a. 225, ut ex notationibus illius manu perscriptis et ipsis libris praefixis observat Eusebius. [2]) Parum magnifice de hoc opere S. Hieronymus loquitur. Etenim sexti libri Stromatum meminit, et in eo asserit perjuria et mendacia docere Origenem; [3]) et alibi opus istud inter eos recenset libros, qui maximis erroribus scateant, et quos propterea nemo ausus esset latine reddere. [4]) Verum omnia paene interierunt exceptis *tribus fragmentis* a *S. Hieronymo* asservatis, quorum unum e septimo libro Stromatum excerptum in sua *Apologia adversus Rufinum*, [5]) reliqua duo satis ampla e decimo libro Stromatum desumta in ejus Commentariis in SS. Scripturas, et alterum quidem de Susannae et Belis fabulis in *Commentario in Danielem*, [6]) ubi Origenis verbis nonnulla de suo interdum addidit; alterum autem in verba *Epistolae ad Gal.* V. 13, in suis ad eandem epistolam Commentariis [7]) exhibet. Quae tria fragmenta item leguntur in Origenis Opp. ed. *De la Rue* T. I. p. 39—42.

---

1) *S. Hieron.* Epist. ad Magnum, in Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. Epist. LXXXIII. col. 656.

2) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 24 fin., ed. Zimmermanni p. 431.

3) *S. Hieron.* in Epist. ad Pammach. et Ocean., Epist. XLI. ed. Maurin. l. l. col. 343.

4) Cf. 420. c. not. 4.

5) *S. Hieron.* Apolog. adv. Ruf. Lib. I., in Opp. omn. T. IV. P. II. ed. Maur. col. 369.

6) *Idem* in Comment. in Daniel. c. 13, in Ej. Opp. omn. ed. Maur. T. III. col. 1134 sq.

7) *Idem* in Comm. in Epist. ad Gal. Lib. III. c. 5, in Ej. Opp. ed. laud. T. IV. P. I. col. 294 sq.

cc. *De principiis.*

a) Disquisitio de operis indole, genuinitate et tempore exarationis.

§. 421. b. Origenem scripsisse *libros IV de Principiis*, res adeo certa est, ut frustra longior essem, si enumerarem, quotquot veterum Scriptorum eos commemoraverint (cf. §. 414). Ex omnibus autem Origenis operibus nullum fuit, quod majorem ei criminum invidiam concitaret, quam istud περὶ ἀρχῶν. Scriptum est, testante Eusebio, antequam ab urbe Alexandria migravit Origenes,[1]) ideoque *ante* annum 231, quo is Caesaream Palaestinae se recepit. Sed et libros Stromatum, Commentarium in Threnos Jeremiae, libros item de Resurrectione ibidem absolvit; imo Expositionum quoque libros octo in Genesin, quinque priores in Joannis evangelium, et Commentarios in priores quinque et viginti Psalmos ante suum ex illa urbe discessum exaravit. Quo autem ordine hi libri deinceps scripti fuerint, difficile est conjicere. Id unum constat, libros περὶ ἀρχῶν post libros de Resurrectione (§. 420) et hos ipsos (ut Eusebius l. l. diserte dicit) ante commentarios in lamentationem Jeremiae confectos esse. Unde opus istud *De principiis* ad annum *circiter* 226 referendum arbitror. Siquis igitur verum de his libris sentire velit, probe meminerit, Origenem, cum vix a philosophicis scholis divertisset, et divinis literis vacare vellet, priusquam illarum sensum diligentius fuisset assecutus, eo quod esset secularibus disciplinis cumulatissime instructus, citius, quam par erat, accessisse ad scribendum; unde per philosophiam seductus quaedam minus recte scripsit.[2]) Hac de re *Hieronymi* praesertim operae pretium est legere epistolam 38 ad Pammachium et Ocea-

---

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 24 sub fin., ed. laud. p. 431.

2) *Marcell. Ancyran.* in *Eusebii Lib. I contra Marcell.* c. 4, ed. unac. Euseb. Demonstrat. evangel. (Colon. 1688. f.) Sect. II. p. 19 sqq.

num, [3]) epistolam 41 ad eosdem, [4]) ejusdem Apologiam adversus Rufinum [5]) et Epistolam 94 ad Avitum; [6]) porro *Justiniani* imperatoris Epistolam ad Mennam; [7]) sed etiam eorum, qui defendere Origenem conantur, opera, imprimis *Eusebii Pamphili* Apologiam S. Pamphili M. pro Origene, *Rufini Aquilejensis* librum De adulteratione librorum Origenis, et *Dan. Huetii* Origeniana. Quae omnia junctim extant in Origenis Opp. editione *Delaruana* T. IV. P. II.

b) De Rufiniana et Hieronymiana librorum versione.

§. 422. Hujus Origeniani operis maximam partem *latine tantum* hodiedum superesse constat; jam dudum enim integer contextus graecus interierat. Seculo IV exeunte *Rufinus*, Presbyter Aquilejensis, Macarii nobilis Romani hortatu Libros περὶ ἀρχῶν latine redditos evulgavit cum prologo praefixo, qui etiamnum extat, et unde seminarium discordiae atque ingens inter eum et D. Hieronymum natum est incendium. [1]) Sed neque fidelem neque accuratam esse hanc interpretationem, cum ipse Rufinus in sua praefatione non obscure innuit, tum S. Hieronymus exemplis pluribus in medium prolatis probat. Anno igitur 399 ipse *Hieronymus*, tum amicorum Pammachii et Oceani literis tum propriis oculis certior factus, libros de Principiis fraudulenter fuisse a Rufino translatos, simulque veritus, ne Origenis erroribus favere

---

3) *S. Hieron.* Opp. omn. ed. Maur. T. IV. P. II. Epist. XXXVIII. (al. 61). col. 306 — 334.

4) *Idem* ib. Epist. XLI (al. 65) col. 341 — 348.

5) *Idem* ib. col. 349 sqq.

6) *Idem* ib. Epist. XCIV (al. 59) col. 760 — 769.

7) in Jo. Dom. *Mansi* Collect. Conc. T. IX. col. 487 sq.

1) *Dan. Huetii* Origeniana (Rothomag. 1668. f.) Lib. III. c. 4. Sect. 1. Opus hoc Origenis *De Principiis* primum separatim edidit, et annotationibus in usum academicum instruxit *E. R. Redepenning*, Lips. 1836. 8.

existimaretur, aliam hujus operis versionem ad graeci contextus fidem adornare coepit, quam peractis circiter decem annis, ubi primum absoluta est, ad Pammachium misit. Is, autem, quum libros legisset, exhorruit, reclusitque scrinio, ne prolati in vulgus multorum animos vulnerarent. Rogatus autem a quodam fratre, ut traderet sibi ad legendum, fraudem minime suspicatus in dies aliquot permisit. Qui postquam acceperat, adhibitis notariis opus omne descripsit, et cum alio quodam communicavit. Sic exemplaribus fraudulenter multiplicatis, et, ut in tanta celeritate et incuria fieri solet, passime passim adulteratis Hieronymus illud primum exemplar versionis suae ad Avitum transmisit. 2) Verum integra haec Hieronymi interpretatio jam dudum injuria temporum intercidit. Leguntur tamen in Epistola ad Avitum superstite loca e singulis libris excerpta, quae maxime reprehensioni erant obnoxia; ea suis quaeque locis Rufini interpretationi reperies adjuncta.

c) Librorum analysis.

§. 423. Opus totum praemissa praefatione *quatuor libris* constat. In *libro* I agitur de Deo et divinis attributis, de Deo Patre, Filio et Spiritu Sancto; deinde de rationabilibus naturis, de consummatione, de creaturis incorporeis, in specie de Angelis eorumque lapsu et poena. 1) In *libro* II mundos asserit innumerabiles, et ante hunc nostrum mundum alium fuisse, et post hunc rursus alium esse futurum. Unam autem esse virtutem, quae omnem mundi diversitatem constringit et continet. Omnia, ait, ad unum tendunt, Deum scilicet quemadmodum ex uno ortu sunt omnia. Deinde adversus Gnosticos docet, quod unus est Deus ac idem, qui in lege et

---

2) *S. Hieron.* Epist. XCIV (al. 59) ad Avitum, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 760 sq.

1) *Origenis De Principiis*, ex versione *Rufini*, Lib. I. c. 1—8, in Origen. Opp. omn. ed. De la Rue, T. I. p. 47—76.

per prophetas locutus, et qui per Jesum Christum filium suum manifestatus est, Deus justus aeque ac bonus in utroque testamento. Inde transit ad dogma de incarnatione Christi, quem scilicet cum praeexistente anima sua in unitatem personae conjunctum dicit. Exponit porro de Spiritu Sancto, quod idem fuerit in Mose et aliis Prophetis sanctisque Apostolis; ad haec de anima, de resurrectione, de judicio, de poenis et praemiis secundum repromissiones Christi. [2]) *Liber* III tractat de libero hominum arbitrio adversus Gnosticos, de contrariis potestatibus, de triplici sapientia, de humanis tentationibus, denique de mundo, quod ex tempore coeperit et cum tempere periturus sit. [3]) In *libro* IV docet, Scripturam esse divinitus inspiratam; quomodo sit ea legenda et intelligenda; quae obscuritatis in ea ratio; cur aliqua in ea secundum literam impossibilia et a ratione aliena sint. Quibus adjecta est quaedam recapitulatio de Patre, Filio et Spiritu Sancto et caeteris, quae supra dicta sunt. [4])

c. *Opera moralia.*

aa. *De oratione.*

α) An genuinus sit liber et quo tempore scriptus.

§. 424. *Libellum de Oratione* ab Origene conscriptum esse, testatur *S. Pamphilus Martyr* in sua Apologia pro Origene. Hunc autem librum a Pamphilo laudatum eum ipsum esse, qui Oxonii 1626 primum in lucem prodiit, neminem arbitror infitias iturum, siquidem quaelibet fere hujus opusculi pagina auctorem Origenem nostrum profitetur. Eandem enim, quae in ceteris ejus operibus est, ibi quoque reperies pietatem, eandem humilitatem, eundem etiam stylum; easdem denique, quae aut

2) ib. Lib. II. c. 1—11, ed. laud. T. I. p. 77—107.
3) ib. Lib. III. c. 1—6, p. 108—155.
4) ib. Lib. IV. c. un., p. 156—195.

censura egent aut venia, singulares opiniones de astris animatis, de perpetuo animarum ascensu ad superiora et lapsu ad inferiora, de futura rerum omnium in fine restitutione, de adoratione non ad Filium sed ad solum Patrem per Filium dirigenda etc. Nec omittendum est, opusculum (ut ex initio c. 2 apparet) *Ambrosio* et *Tatianae* esse nuncupatum. Et Ambrosium quidem Origenis fuisse familiarem et hominem amicissimum, satis compertum habemus. Tatiana vero sororne fuerit an conjux ejusdem an prorsus alia matrona, vix conjecturis licet assequi. Probabilius tamen soror fuit Ambrosii; uxoris enim nomen fuisse Marcellam, ex epistola ad Africanum (c. 16, T. I. p. 29) erudimur. At praeter uxorem etiam fratres et sorores et natos Ambrosio contigisse, Origenes in Exhortatione ad martyrium (c. 37 med., p. 299) scribit. Idem porro in hoc ipso Libro de oratione (c. 2 pr., p. 197) Tatianam tanquam provectiorem aetate describit, et alibi (c. 33 fin., p. 272) eam atque Ambrosium germanissimos fratres appellat. Quo *anno* hic de Oratione libellus scriptus sit, non liquet. Id unum ex iis, quae leguntur (c. 23 sub fin., p. 235), discimus, consignatum illum esse editis jam in Genesin tomis. Cum autem octo tantum priores in Genesin libri ante annum 231, quo ex urbe Alexandria discessit Origenes, conscripti sint, verisimile est, librum *περὶ εὐχῆς* demum *post* annum 231 esse elucubratum.

b) Libri hujus editiones et synopsis.

§. 495. Liber de Oratione primum *graece* adjecta ad calcem versione *latina* in Anglia *e theatro Sheldoniano* Oxonii 1686. 12. in lucem prodiit. Adhibuerat editor codicem illum Holmiensem, quo Huetius in Commentariis suis super Mathaeum usus est. Eundem recudi curavit *Jo. Rudolph. Wetstenius*, Basil. 1695. 4. Deinde cum notis criticis et exegeticis editus est liber a *Guil. Readingo*, Londini 1728. In Opp. Origenis editione *De la Ruana* exhibetur graece cum latina *Claudii Fleury*

interpretatione T. I. p. 196—272. Ad calcem T. I etiam Readingi annotationes subjectas habes p. 911—930. In hoc praestantissimo opere pauca introductionis instar praefatus Origenes exponit, quid sit orandum et quomodo;[1]) deinde facta, quae est inter *εὐχὴν (orationem)* et *προσευχὴν (adorationem)* distinctione[2]) uberius refutat hominum quorundam pseudo-spiritualium objectiones, qui nihil precibus effici putant, ideoque superfluum esse arbitrantur orare. Dicunt enim, si Deus futurorum praescius est, et ipsa oportet fieri, vana est oratio; imo si omnia juxta voluntatem Dei fiunt, et stabilia sunt ipsius decreta, nec quidquam eorum, quae vult, mutari potest, oratio vana est. Atvero, inquit Origenes, „*si quodvis eorum, quae nostri sunt arbitrii, cognitum est ipsi, ordinari a providentia, quid cuique pro dignitate conveniat, rationi congruit, et quid ille aliquis oret, quomodo affectus sit, quid credat, quid sibi fieri velit, praecognosci; quo praecognito tale aliquid consequenter providentiae ordine comprehendi: hunc orantem assidue propter illam ipsam, quam fundet, orationem exaudiam; hunc vero non exaudiam, sive quod indignus sit, qui exaudiatur, sive quod ea petiturus sit, quae nec ipsi capere expedit, nec me dare decet.* . . . *Si quis autem eo turbetur, quod, cum Dei de rebus futuris praescientia falli non possit, quasi necessitas rebus afferatur; huic respondendum, hoc ipsum a Deo necessario cognosci, nempe illum hominem non necessario nec firmiter velle meliora, aut sic pejora voliturum, ut mutationis in melius incapax futurus sit.*" Atque haec amplius per exempla et loca S. Scripturae probat.[3]) „*Neque solus pontifex orat cum rite orantibus, sed et Angeli . . . et Sanctorum, qui jam dormierunt, animae.*" Et exponens, quid sit *sine intermissione orare*, sermonem

---

1) Lib. de Oratione c. 1—3, in Opp. Origenis omn. ed. *De la Rue* T. I. p. 196—201.

2) Ib. c. 3—5, ed. laud. T. I. p. 201—203.

3) Ib. c. 5—11, p. 203—213.

de utilitate et efficacia orationis ulterius prosequitur.[4]) Praeclarissimam deinde annectit expositionem *orationis dominicae* per singulas preces late discurrens;[5]) postremo accuratius tractat de affectu et statu, quo esse oportet eum qui orat; item de loco, de tempore ad orationem apto et eligendo, denique de partibus cujuslibet orationis.[6])

bb. Exhortatio ad martyrium.

α) De tempore exarationis et editionibus.

§. 426. De *genuinitate* hujus libelli nulla prorsus inter Eruditos controversia est. Meminerunt enim illius *S. Pamphilus,*[1]) *Eusebius Caesareensis,*[2]) *S. Hieronymus,*[3]) *Nicephorus Callistus,*[4]) *Freculphus,*[5]) *Otto Frisingensis,*[6]) alii. Scriptus est autem is protrepticus sermo eo tempore, quo caeso Alexandro Severo imperatore in ejus locum successit *Maximinus,* qui gravi odio succensus adversus domum Alexandri, in qua plerique erant Christiani, persecutione excitata solos ecclesiarum antistites,

4) Ib. c. 11—15, p. 213—222.

5) Ib. c. 15—31, p. 222—266.

6) Ib. c. 31—33 fin., p. 266—273.

1) in sua Apologia pro Origene (cf. §. 536 med.)

2) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 28, ed. *Zimmermann.* p. 428.

3) *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 56, in Ej. Opp. omn. ed. *Maur.* T. IV. P. II. col. 117. Ubi tamen pro „*Theoctisto,*" quod per errorem calami irrepsit, legendum est: „*Cui* (sc. Ambrosio) *et Protocteto presbytero liber Origenis scribitur.*"

4) *Niceph.* Hist. eccl. Lib. V. c. 19: „Eo itaque tempore praeclaram illam orationem, quam ad martyrium cohortatum, composuit, eamque Ambrosio et Protocteto Caesareensi presbytero inscripsit. . . . Qua in persecutione ambo illi perhibentur illustre pro Christo certamen sustinuisse."

5) *Frecul.* Chronic. T. II. Lib. III. c. 7 (ed. Colon. 1539) p. 511.

6) *Otto Fris.* Chronic. Lib. III. c. 32 (ed. Basil. 1569. fol.) p. 64.

utpote praedicationis evangelicae auctores, interfici jussit. In hac igitur *persecutione* (ao. 235 — 238) non mediocre discrimen subierunt etiam *Ambrosius* (§. 401) et *Protoctetus* presbyter Caesareensis, ad quos, dum ipsi in carcere detenebantur, liber iste directus est. 7) Primus eum typis exscriptum unacum *(Pseudo-) Origenis* Dialogo contra Marcionitas (§. 443) et Responso Origenis ad Africanum (§. 417) gr. et lat. cum notis evulgavit *Jo. Rudolph. Wetstenius*, Basil. 1674; melius deinde graece et apposita versione Fleuryana *Car. De le Rue* in editione Origenis Opp. omn. T. I. p. 274 — 310.

b) Opusculi summa.

§. 427. Auctor hortatur in eo, ut verus Christianus omnem tribulationem suscipiat, reputans cum D. Paulo, *non esse condignas passiones hujus temporis*, quibus beatitudinem veluti mercamur, *ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis*. Tota enim anima Deum ab iis demum diligi, qui vitam, prae desiderio, cum Deo communicandi, ab omni corpore abstrahunt ac divellunt, quique nec inviti nec reluctantes corpus mortis exuunt. Gaudeant igitur Ambrosius et Protoctetus, memores *mercedis*, *quae in coelis reposita est iis, qui persecutionem patiuntur propter justitam et propter Filium hominis;* exultent et tripudient, quoniam digni habiti sint, pro nomine ejus contumeliam pati. 1) Ingens esse peccatum Deum negare, aut per fortunam vel genium Caesaris jurare, et eum, qui negat, ipsa negatione sua quasi acuto quodam gladio ab illo, quem negat, dividi ac separari. Tunc autem confessionis mensuram nos implevisse dicere poterimus, si per totum tentationis tempus locum diabolo non demus in cordibus nostris; si *remota omni restrictione mentali* Christum pa-

---

7) *Euseb.* Hist. eccl. l. l.

1) *Origenis* Adhort. ad martyrium, c. 1 — 5, in Opp. omn. ed. *De la Rue* T. I. p. 274 — 277.

lam professi cuncta feramus et adversariorum contumelias et ludibria et risus et infamiam et misericordiam, qua nostri misereri videntur; si neque liberorum uxorisve amor, aut alicujus eorum, quae carissima in vita putantur esse, nos divellat atque distrahat, ut aut possessionibus aut ipsi huic vitae haereamus. Pro paucis illis, quae relinquemus si ad martyrium erimus vocati, *centuplum accipiemus, et vitam aeternam possidebimus.* [2]) Et aliis deinceps multis S. Scripturae locis recitatis, quibus adhortatur, ut solum Deum ante omnia colant, multa etiam exempla Sanctorum, *Eleazari* imprimis et septem *fratrum Maccabaeorum* proponit docens, simul cum rege regum regnaturum et judicaturum esse illum, qui hunc calicem biberet, quem bibit Jesus, *nec eorum animas, qui propter testimonium Jesu securi percussi sunt, coelesti altari frustra adstare, sed precantibus remissionem peccatorum ministrare.* [3]) Et intrepidi *Mardochaei* et trium *puerorum in camino ignis* exempla repetens, verba Christi ad Apostolos inculcat dicentis: „*Tradent vos homines in conciliis, et in synagogis flagellabunt vos, . . . et eritis odio omnibus propter nomen meum; sed capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestru possidebitis animas vestras* (Matth. X. 17 — 24, Luc. XII. 14 sq.) *Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, . . . sed potius timete eum, qui corpus et animam potest perdere in Gehennam. Omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus, illum et Filius hominis confitebitur coram angelis Dei etc.* (Matth. X. 29 — 34, Luc. XII. 4 sq.). Et postquam longo ordine varias e S. Scriptura adhortationes attulit, denique concludit: Clarificemus igitur et nos Deum, morte nostra illum exaltantes, quandoquidem, qui martyr est, Deum morte sua clarificat. [4])

---

2) ib. c. 6—17, ed. laud. T. I. p. 277—284.
3) ib. c. 17—32, p. 284—294.
4) ib. c. 32—50, p. 294—310.

d. *Scripta polemica. Libri adversus Celsum.*

aa. *De authentia librorum, tempore scriptionis et editionibus.*

§. 4[illegible]. Pamphilo Eusebioque testibus Origenes noster *librum adversus omnes haereses* conscripsit; et Theodoretus nominatim *Simonem Magum*, *Menandrum*, *Basilidem*, *Marcionem*, *Nazaraeos*, *Helkesaïtas* et *Nicolaïtas* ab eo confutatos esse memorat. [1]) Utrum vero hosce singulos *peculiaribus libris*, an uno omnes simul profligaret, parum liquet. Hodie enim nihil ejus generis, quod genuinum videatur esse, extat. Opus enim „*Adversus omnes haereses*," cujus liber primus sub titulo *Φιλοσοφούμενα* hodie sub ejus nomine circumfertur, inter spuria relegandum est (§. 444). Complures etiam *Dialogos*, quibus altercationes suas conscripserat, quas cum nonnullis *haereticis* habuit, dudum jam periisse constat. Unum autem idque praeclarissimum *polemico-apologeticum* opus nobis reliquum est, *adversus Celsum* quendam Philosophum sive *Epicureum*, [2]) sive (quod recentioribus magis placet) *Eclecticum*, [3]) qui sub Marco Aurelio imperatore verisimilius intra annos 160 — 170 [4]) librum edidit, cui

---

1) *Theodoret.* Haerett. fabb. Lib. I. c. 2. 4. 7. 19.

2) ut satis innuisse videtur *Origenes* in Lib. I Contr. Celsum c. 8. 10, Lib. II c. 60, Lib. III. c. 34. 48. 79 ac saepius. Aperte Epicureum illum fuisse dicit *Eusebius* in sua Hist. Eccl. Lib. VI. c. 36.

3) *Jos. Ign. Döllinger* Handbuch d. Kirchengesch. Bd. I. Abth. I. S. 172.

4) *Origenes* enim (Contra Celsum Lib. V. c. 62) refert, Celsum in opere suo non solum Marcionitarum sed etiam Marcellianorum fecisse mentionem. At *Marcionitae* demum circa annum 145 orti sunt; *Marcelliniani* vero nomen trahunt a Marcellina quadam ex Carpocratianorum secta muliere, quae teste S. Irenaeo (Adv. Haeres. Lib. I. c. 24) Romam venit sub *Aniceto* Papa, i. e. non ante annum

titulus: *Ἀληθὴς λόγος*, in quo, quantum potuit, Christum blasphemare, et Christianos conviciis proscindere tentabat. Adversus istum igitur librum, christiano nomini infensissimum, cum satis diu nemo in pugnam descendisset, Origenes hortatu Ambrosii familiaris sui refutationem non mediocrem suscepit emissis *octo libris contra Celsum*. Quae quidem apologia tota retro antiquitate amplissima, doctissima perfectissimaque jure merito habetur. Scripsit eam, prout ipse ait, *eo tempore, quo Ecclesia a multis annis profunda pace fruebatur, licet tum maxima in imperio rerum esset perturbatio.* [5]) Ex quibus aliquis facile posset conjicere, scriptos esse libros ad imperii Alexandri finem, cum Christiani intra annos 217 — 235 alta pace fruerentur. *Eusebius* vero illos sub Philippo demum exaratos fuisse diserte tradit his verbis: „*Interea cum Gordianus sex totis annis Romanum imperium administrasset, Philippus unacum Philippo filio in ejus locum successit.* .... *Quo tempore, quum fides nostra, ut par erat, augeretur indies, et doctrina Christianorum summa ubique libertate frueretur, Origenes jam sexagenario major* ... *octo libros composuit adversus librum quendam Celsi Epicurei contra Christianos, qui ἀληθὴς λόγος inscribitur.*“ [6]) Unde nobis quidem ad *annum* 249, qui fuit ultimus imperii Philippi, optime potuisse congruere videtur, ut opus isthoc absolveretur, siquidem tunc jam a duodecim annis persecutio Maximini cessaverat; et tamen in imperio magna fuit rerum perturbatio (ut habet Origenes), cum scilicet, antequam Decius summa rerum poti-retur, Jotapianus in Syria et Marinus in Pannonia rem-

---

157. Admodum praeterea verisimile est, Celsum librum suum *ipsa jam ardente Marci Aurelii persecutione* exarasse. Cf. *Origen*. Adv. Cels. Lib. VIII. c. 69, ed. De la Rue T. I. p. 793.

5) *Origenes* Contra Celsum Lib. III. c. 15, ed. Delaruana T. I. p. 456.

6) *Euseb*. Hist. eccl. Lib. VI. c. 34 init. et c. 36. nr. 1, ed. Zimmermann. p. 445 et 447.

publicam seditionibus turbarent. — Opus hoc omnium praestantissimum, nec a quopiam, quod ad genuinitatem attinet, in dubium vocatum, primum (sed latine tantum) in lucem prodiit cura *Chph. Personae*, Rom. 1481; graece autem, cum nova versione latina a *Sigism. Gesenio* adornata et notis *Dav. Hoeschelii* adaucta, August. Vindel. 1605. Graece item cum Geseniana versione editum notisque illustratum est a *Guil. Spencero*, Cantabrig. 1685 et recusum ibid. 1677. Nec silentio praetermittenda est Gallicana hujus operis interpretatio interprete *Elia Bohereilo*, edita Amstelod. 1700. In *De la Ruana* Origenis operum omnium editione Libri octo contra Celsum gr. et lat. exhibentur T. I. p. 315 — 800.

bb. Analysis.

a) Libri I.

§. 429. In his libris praestantissimis Origenes maximam ingenii vim demonstrans, quidquid contra veritatem christianae religionis excogitari potest, diligenter et accurate discussit. Celsus enim, ut invidiam Christianismo conflaret, dixerat, *foedera a Christianis inter se clam inita legibus esse vetita*, *barbaram esse christianae doctrinae originem*, *atque ita compositam*, *ut non ratiocinatione ac demonstratione homines moveret*, *sed caeca fide duceret*. Ad quae Origenes in *libro* I respondens: Foedera, inquit, et consociationes non jam per se damnari possunt; imo de nostra *morum disciplina* videant, an sit damnanda. Nec elancularia est nostra doctrina, cum illa sit toti orbi magis cognita, quam ipsa philosophorum placita. Quod religio christiana a barbaris introducta sit, quid inde sequitur? Non enim erubescunt Christiani, religionem suam adversus Gentilium philosophos defendere argumentis, quibus demonstrant, vera esse ea quae credimus; et argumenta isthaec sunt ejusmodi, ut ad ea Graecorum dialectica ne comparari quidem possit; etenim iis nituntur principiis, quorum omnium perspicuitas et evidentia

sic unumquemque moveat ad credendum. *Facta* enim sunt, quae demonstrantur, non ficta, et praecipua fidei christianae dogmata ipsis jam Gentilibus satis cognita. Nec ideo, quod a fide incipimus, culpandi sumus. Illam enim sine examine fidem, cum experti simus, quam sit plerisque utilis, commendamus iis, qui relinquere omnia negotia non possunt, ut se totos perscrutandae doctrinae tradant. Quid? ipsi philosophiae studiosi, quamquam fateri erubescunt, nonne idem faciunt? Ergo si ratio docuit, credendum esse Platoni, Epicuro, alii cuipiam eorum, qui sectas apud Graecos et Barbaros induxerunt; quanto magis Deo! *A fide enim omnia humana pendent.* Haec planissima est et brevissima omnis cognitionis via, adeoque necessaria, ut ipsi philosophi non possint, quin fidem praesupponant. Christianorum autem fides non circa opiniones et fabellas versatur, sed a Deo plantata et in historia radicata est. [1])

b) Libri II et III.

§. 430. Ast hoc historicum fundamentum ut subverteret Celsus, hominem Judaeum loquentem fingens *contradictiones* moverat, *quae inter vetus et novum testamentum intercedere videntur.* Origenes vero hoc *libro* II utrumque testamentum probe consonare demonstrat. Leges enim et Prophetas christianae religionis prima velut rudimenta esse. Nec refert quidpiam, ad incredulitatem Judaeorum provocare. Sufficit, inquit, quod vaticinia Prophetarum et miracula a Christo edita divinitatem ejus praedicant et confirmant. Effata enim Prophetarum per testimonia Apostolorum comprobata; signa autem, quae Christus fecit, per ipsius resurrectionem extra dubium posita sunt. Scilicet tam passionis et mortis ejus, quam

1) *Origen.* contra Celsum Lib. I. c. 1 — 71, in Ej. Opp. omn. ed. *De la Rue* T. I. p. 315 — 388.

resurrectionis innumeri, qui suis oculis viderunt, adsunt testes, omni prorsus suspicione majores.[2]) — Celsus autem, jam in ipsam christianam religionem invehens, *controversiam inter Christianos et Judaeos de Christo comparatam* nihil esse dixerat aliud, nisi (ut est in proverbio) *rixam de umbra asini*, cum fateantur utrique, divino Spiritu praedicatum fuisse, fore ut ad genus humanum Salvator adveniret, dissentiant autem, veneritne is, qui praedictus est, an non. *Utrosque, Judaeos olim, postea vero Christianos, suam seditioni acceptam referre originem. Principio enim*, inquit, *cum pauci essent, una sententia erant. Sparsa autem eorum multitudine statim divisi in partes secantur, et quod cupiebant ab initio, suam quisque factionem habent.* Contra haec Origenes in *libro* III singillatim repondens Celsum evidentis mendacii coarguit, demonstrans, Christianos alienissimos esse a seditione, jam ipsa *doctrina* eorum et quotidianis *Martyrum* exemplis satis probari. Ad haereses autem quod attinet, propter hoc ipsum, ait, quod christianismus praeclarum quid visus est hominibus non solum servili ingenio sed etiam multis apud Graecos eruditis, necesse fuit, ut sectae oborirentur, non propter seditionis et contentionis studium, sed quoniam ex eruditis plurimi mysteria christianismi intelligere studerent. Docet praeterea, *Christianorum* mysteria cum mysteriis *Aegyptiorum* et *Graecorum* inique a Celso comparari. Historiam enim cum fabularum fictione nihil habere commune; in scriptoribus autem evangelicis nihil dolosum, vafrum aut fictitium. Postremo refellit Celsi criminationem, quod nemo eruditus, nemo sapiens ad christianam religionem accedat, sed soli homines ignobiles, stupidi, mancipia, mulierculae et pueruli eam amplectantur. Imo, inquit, accedat eruditus, sapiens, prudens, cum voluerit; verum accedant etiam ignobiles, stolidi, pueruli. Ecce enim nostra doctrina pollicetur, se

---

2) ib. Lib. II. c. 1—79, ed. laud. T. I. p. 385—447.

omnes homines sanaturam si accesserint, quippe quae omnes Deo dignos efficit. [8])

c) Libri IV.

§. 431. Jamvero Celsus sacrosanctum Dei incarnationis mysterium aggressus: „*Quo*, inquit, *consilio Deus huc descendisset? Ad corrigendos homines? Annon in divina ejus potestate erat corrigere, nisi quis ad hoc data opera missus fuisset? Si descendit ad homines, id profecto fieri non potest sine mutatione; et haec mutatio erit e bono in malum. Hujusmodi autem mutationem ecquis experiri velit?*“ Haec igitur ut refutaret, Origenes in *libro* IV operam dat, dicens: „An vellet, ut, si Deus nequitiam subito tolleret, et virtutem insereret, homines novis rerum imaginibus conceptis emendarentur. Id quaesierit, inquit, alius, an naturae sit consentaneum, an fieri possit; ego vero: fac posse; Sed quid libero arbitrio fiet? Quomodo laude digna erit data veritati consensio? Virtus enim usque adeo libera est, ut sublata libertate ipsa e medio tollatur.“ Ad alterum autem quod attinet, quod nonnisi cum mutatione descendere ad nos potuisset Deus, „haec est Epicuri ratio et Stoicorum; neque enim potuerunt illi sibi naturalem Dei notionem animo informare, ut rei incorruptibilis, simplicis, incompositae, individuae. Id autem, quod ad homines descendit, erat in forma Dei, et pro suo in homines amore semetipsum exinanivit, ut ab illis comprehendi posset. Neque idcirco ex bono in malum mutatus est. Sciat enim ille, Verbum, natura manens Verbum, nihil eorum pati, quae corpus aut anima patitur. Ut autem ad eos, qui ipsius deitatis radios splendoremque sustinere non possunt, accommodet sese, fit caro et voce corporea utitur. Quemadmodum vero in nutrice alimenta, ut parvuli naturae convenientia sint, in lac vertuntur; sic Verbi, ad nutriendam hominum animam

8) ib. Lib. III. c. 1 — 81, p. 447 — 501.

apti, virtutem a Deo mutari, ac pro singulorum captu temperari. Nec tamen Verbum suam mentitur naturam, cum unumquemque nutrit, prout est ipsius recipiendi capax. Si quis autem animam Jesu mutatam dicat, eoquod illa in corpus venerit, quaeram, quam intelligat mutationem. Si substantiae dixerit, negabo non solum illam sed etiam quamlibet aliam rationalem animam mutari; sin mutatam pugnet, quia corpori immixta aliquid ab illo et a loco, in quem venit, patitur; quid absurdi inde inferri potest contra Verbum, quod pro suo in homines amore ad humanum genus Salvatorem demisit, . . . sponte ad hominum conditionem nostri generis causa descendens.“ 4) . . .

b) Libri V.

§. 432. In *libro* V ad Celsi objectiones respondens nonnihil etiam de carnis resurrectione disserit. Is enim irridens dixerat: „*Stulta et haec est Christianorum opinio, se, quum jam pridem obierint mortem, eadem carne indutos e terra esse emersuros. Quae spes digna vermibus est. Ecquae enim humana anima in corpus putrefactum remeare concupiscit?* Ad haec Origenes: „Ut Deus, ait, dat unicuique seminum corpus, quod sibi placuit, ita faciet erga mortuos, qui veluti seminantur in terra; quique, cum tempus advenerit, recepturi sunt ex corporibus seminatis illud corpus, quod illis Deus pro meritis induere voluerit. . . . Cum enim corporis natura sit corruptibilis, necesse est, hoc corruptibile tabernaculum induat incorruptionem; et quod aliunde mortale est, atque adeo morti, quae peccatum comitatur, obnoxium, induat immortalitatem. . . . Nos igitur non dicimus corruptum corpus redire ad pristinam naturam, ut neque corruptum tritici granum denuo fieri granum tritici; sed quemadmodum e grano tritici spica exoritur, sic insitam esse corpori vim quandam, quae non corrumpitur, et qua fit, ut

4) ib. Lib. VI. c. 1 — 99, p. 501 — 577.

corpus in incorruptione surgat." Celsus porro inter alia docuit, *oportere omnes homines patriis legibus vivere, et ea, quae publice constituta sunt, servare; Christianos vero, qui non peculiarem, ut Judaei, gentem constituunt, injuria leges patrias deseruisse, ut ad Jesu doctrinam adhaerescerent.* Cui Origenes praeclare: „Cum duae sint, inquit, leges, naturae altera cujus Deus auctor est, altera urbibus scripto data, ubi scripta divinae non adversatur, illam decet a civibus observari et legibus exteris anteponi; sed ubi scriptae legi lex Dei contraria praecipit, vide an non ratio velit, ut scriptis legibus valere jussis spretaque legislatorum voluntate soli Deo legislatori pareant, et ex ejus praescripto vita componatur, etiamsi id facientem pericula, labores innumeri, mors, ignominia manerent." In iis, quae sequuntur, eundem Celsum confutat, qui *Judaeos, quasi falso se putarent peculiarem esse prae ceteris gentibus summi Dei portionem*, criminatur, et illos incusat *arrogantiae*. „Imo vero, Origenes inquit, damnandi essent Judaei, si suarum legum excellentiam non sentirent, si eodem modo atque reliquarum gentium leges sibi scriptas illas esse existimarent. Itaque, velit nolit Celsus, Judaei sunt majore sapientia praediti, non solum quam vulgus hominum, sed etiam quam hi, qui pro philosophis habentur. Hi enim, licet praeclara multa disputent, ad simulacrorum tamen daemonumque cultum prolabuntur; Judaeorum vero vel vilissimus in solo Deo mentis aciem defigit." [5])

c) Libri VI et VII.

§. 433. *Liber* VI fere totus in eo versatur, ut Celsum ignorantiae et mendacii convinceret dictitantem, *multa fuisse melius dicta a Graecis, quam in sacris Christianorum libris, et mysteria Christiana fere eadem esse, quibus Aegyptii uterentur.* Origenes igitur nonnulla e

5) ib. Lib. V. c. 1 — 65, p. 577 — 629.

Platone excerpta cum SS. Scripturis conferens: „Ecce, inquit, quantum differat id, quod pulchre de summo bono dictum est a Platone, ab iis quae Prophetae de Beatorum lumine dixerunt. Adverte hoc etiam; veritate, quam de summo bono Plato deprehendit, nihil ad sinceram pietatem adjuvari nec lectores nec Platonem ipsum talia de summo bono philosophatum; contra simplici Scripturarum sermone afflari divino quodam ardore eos, qui bona fide eas evolvunt.“ Et per multa philosophorum maxime Platonis dicta hanc suam sententiam uberius confirmat. Deinde transit ad aliam Celsi accusationem, qua nos exprobrat, *quod dicamus, humanam sapientiam apud Deum esse stultitiam, cum tamen Paulus dicat, sapientiam hujus mundi stultitiam esse apud Deum*. Exposito igitur discrimine divinam inter et humanam seu mundi sapientiam progreditur ad illud Christi verbum: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum coelorum.* Hoc enim e Platone mutuatum et a Christo interpolatum esse Celsus affirmaverat. „Ecquis vero, Origenes inquit, vel mediocriter ad res intentus risum teneat, cum a Celso audiat, Jesum apud Judaeos natum et educatum, pro filio fabri Joseph habitum, nec graecas nec hebraïcas literas doctum, ut vera ejus discipulorum scripta testantur, Platonis libros legisse, et illa ejus de divitibus delectatum sententia: „*fieri non posse, ut idem sit egregie dives et egregie bonus*,“ illam interpolasse et convertisse in istam: „*Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum coelorum?*“ [6]) — Negaverat idem Celsus, *a Judaeorum prophetis praenuntiata fuisse, quaecunque Christo Jesu acciderunt*. Origenes igitur in *libro* VII ad suam sententiam tuendam primo demonstrat, Gentilium oracula nihil commune habere cum Prophetis; et uberiore disquisitione facta, quae sit notio, quaenam materia, quis modus, quis denique

6) ib. Lib. VI. c. 1 — 81, p. 680 — 694.

finis verae prophetiae ostendit. Ut porro evertat Celsi argutias, quibus ille *novum testamentum a vetere alienum esse* propugnaverat, Origenes praeclare de relatione disserit, quae est inter mosaïcam et Christianam religionem. [7])

f) Libri VIII.

§. 434. Celsus quaesiverat, quid caussa esset, *cur Christiani deos colere recusent, cum tamen Christo eandem, quam Deo uni omnipotenti, tribuant adorationem.* Ad haec Origenes in *libro* VIII ante omnia illud verbum Domini: „*Nemo potest duobus dominis servire*" discutit, et, ut hujus effati defensio postulat, in altam abstrusamque de diis et dominis quaestionem penetrat. Post haec de discrimine verba facit, quod inter *venerationem* et *adorationem* intercedit. Deum solum adorari; adorari autem simul Dei Filium, quia alius quidem a Deo Patre secundum personam, idem vero cum Patre quoad substantiam et virtutem. Non duos igitur deos sed unum esse Deum, quem adorari oportere Christiani credunt. Neque vero ulla cratura, imo ne Angeli quidem boni, quamquam eos colimus et pio quodam cultu veneramur, ac proinde multo minus daemones adorandi sunt. Hi enim ne veneratione quidem ulla digni; nec nos inanibus larvis terrefacere potest Celsus minitans, *nos daemonibus, quos nihili ducimus, luituros esse poenas.* Sed Christianus, qui solius Dei Verbique ejus imperio se subdit, quum daemonibus praestantior sit, nihil a daemonibus pati potest. Nos enim illius sumus, qui solus omnes suo auxilio dignos adjuvare potest, quique praeterea cultoribus suis suos Angelos praeficit, ut nec adversarii Angeli nec eorum princeps facere quidquam possint adversus eos, qui Deo consecrati sunt. Denique Origenes Christianorum caussam agit adversus Celsum, qui eos hortatur, *ut regi totis viribus*

7) ib. Lib. VII. c. 1—70, p. 694—744.

opem ferant, arma pro illo capiant, et, si ita postulat, sub illo militent, et cum illo ducant exercitum. [8])

e. Opera exegetica.

aa. critica.

a) Tetrapla et Hexapla.

§. 435. Longe vero maximam Origenes in *interpretandis SS. Scripturis* operam collocavit, variaque cum critica, tum proprie exegetica, tum paraenetica opera elucubravit. Primi generis sunt ejus *Hexapla* et *Tetrapla*, in quibus scilicet diversorum auctorum interpretationes S. Scripturae conjunctim exhibitae et per columnas dispositae erant, ita ut omnes uno quasi contuitu oculis se subjicerent, eoque facilius cum inter se tum cum hebraico textu et septuaginta interpretum versione juxta posita comparari possent. Sic enim ex multarum interpretationum collatione fiebat, ut hebraicae linguae imperiti possent plurium inter se consentientium auctoritatem amplecti, et, qui hebraice docti sunt, possent intelligere, quisnam interpretum propius ad fontem accederet. Simul autem editioni Vulgatae seu priscae *Κοινῇ*, cum librariorum ausu et ignorantia corrupta esset, manum medicam ita admovit, ut ea, quae praetermissa fuerant, ex aliis editionibus cum *astericis* (sic ※) adderet; ea vero, quae redundabant, nec erant in hebraico textu, appositis *obelis* (sic ÷) tanquam invecta notaret. Et prius quidem, ut Eusebius (Hist. eccl. VI. 16) testatur, *Tetrapla*; deinde *Hexapla* adornavit. Haec autem probabilius, licet jam Alexandriae de edendo hocce opere cogitasset, revera tamen *Caesareae* demum c. a. 232 inchoavit, *Tyri* autem c. a. 253 absolvit. In *Tetraplis* primo loco posita fuit *Aquilae* [1]) versio, e regione proxime sequebatur *Sym-*

8) ib. Lib. VIII. c. 1—75, p. 744—790.

1) *Aquila* ex Judaeo Christianus verisimilius de secta *Ebionita-*

machi[2]) interpretatio, postea versio LXX *Interpretum*, postrema *Theodotionis*.[3]) *Hexapla* autem ita disposita, ut primam columnam occuparet *textus hebraicus hebraicis literis* descriptus, secundam idem *textus hebraicus sed graecis* literis exaratus, tertiam Aquila, quartam Symmachus, quintam LXX interpretes, sextam Theodotion. Et quoniam in quibusdam Scripturae libris praesertim iis, qui apud Hebraeos versu compositi sunt, duae aliae editiones, imo in Psalmis et Prophetis minoribus insuper alia versio ceteris adjunctae sunt, quae *Quinta*, *Sexta* et *Septima* translationes[4]) vocantur, auctoritatem-

rum factus, *Hadriani* tempore (intra annos 117—138) Scripturam sacram interpretatus est. Et *duas* quidem translationes edidisse Aquilam exploratum est, unam liberiorem, alteram vero ita accuratam, ut de styli barbarie nihil cogitaret. Hanc alteram versionem Origenes in Hexaplis suis adhibuisse videtur.

2) *Symmachus* Samaritanus *Septimii Severi* temporibus (193—211) inter sapientes gentis suae floruit, atque ambitione et dominandi cupidine ductus, cum apud contribules voti compos esse non posset, ad Judaeos descivisse dicitur apud *Epiphanium*. Atvero *Ebionitam* christianum eum faciunt *Eusebius* et *D. Hieronymus*. Duas et ipse versiones emisit testante Hieronymo (in Commentar. ad Nahum c. 3. v. 1), sed eas non prorsus varias, velut Aquila, sed posteriorem verisimilius castigatiorem tantum edidit.

3) *Theodotion*, Sinope in Ponto oriundus, Marcionista erat, sed quum haeresi suae (nescimus quare) succenseret, teste *Epiphanio* ad Judaeos confugit, et circumcisus est. Postquam vero hebraicam linguam didicisset, interpretationem suam et ipse aggressus est. *Eusebius* autem et *Hieronymus* eum *Ebionitam* fuisse statuunt. Et loci nonnulli versionis suae suadent, *incredulum* fuisse, non *christianum* Ebionitam. Vixit scripsitque imperante *Commodo* (180—192) eodem fere cum Symmacho attamen paulo prius tempore.

4) Quo certo anno *quinta* et *sexta* et *septima* editiones emissae fuerint, non liquet. Reperta est autem *quinta* editio *Hierichunte* in doliis (Origen. apud Euseb. H. E. VI. 16) tempore Caracallae (211—217). *Sexta* quae dicitur versio pariter in doliis inventa est *Nicopoli ad Actium* tempore Alexandri Severi (222—235). *Septimam* item editionem nactus Origenes in Hexaplis posuit, testante Eusebio l. l. Eae omnes a quibus fuerint adornatae, nescitur. Et sextam quidem a

que sine nominibus interpretum consecutae sunt: octo vel adeo novem columnae iisdem in libris e regione positae *Octapla*, imo *Enneapla* constituebant. Sed cave putes, Octapla vel Enneapla fuisse ab Origene *seorsim* adornata, ita ut tria imo quatuor opera distincta (Tetrapla, Hexapla, Octapla, Enneapla) composuerit. Etenim ad Hexapla non ubique sed in *aliquibus* duntaxat sacrae Scripturae libris duas vel adeo tres illas editiones anonymorum auctorum superaddidit. Quantae vero fuerit operae, Hexapla Origenis integre describere, res ipsa per se clamat. Ea enim vix quinquaginta amplae molis voluminibus comprehendi potuerunt. Qui labor quantis sumtibus perficeretur, in aprico est. Unde facile intelligitur, perpaucos post Origenem fuisse, qui hujusmodi commoda unacum adipiscendi desiderio, et pecunias, et calligraphos, et membranas pro voto habuerint. Quia vero paucissima apographa hujus operis facta fuerant, haec jam ipsa diuturnitate injuriaque temporum eo facilius interierunt. — Fragmenta, quotquot reperire potuit, collecta primus edidit *Nobilius Flaminius*, Romae 1587. f. Post alias deinde longe optimam ac locupletissimam editionem curavit *Bern. de Montfaucon Maurinus* s. t. Origenis Hexaplorum quae supersunt, ex Mss. et ex libris editis eruta notisque illustrata, Parisiis 1713. II. fol.

b) Alia ad exegesin subsidiaria.

§. 436. Huc quodammodo referri possunt duo opuscula nunc penitus deperdita, et unum quidem, in quo *nomina propria*, quae in Scriptura N. T. occurrunt, interpretatus est; [1]) alterum vero, quo *voces hebrai-*

---

viro christiano, septimam vero a Judaeo consignatam fuisse versionem, haud difficile est probare; qui vero quintam emisit, num is Christianus fuerit an Judaeus, non adeo in promtu habeo dicere.

1) *S. Hieron.* Epist. ad Pammach., in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. Epist. XLI T. IV. P. II. col. 342 init.

ciis et *Judaeorum mensuras* et *pondera* explicasse dicitur. [2])

bb. Exegetica.

§. 437. Triplicis generis opera, quae dicuntur proprie *exegetica*, confecit Origenes: Scholia, Homilias, Commentarios. In *Scholiis* breviter et sine nexu difficiliora S. Scripturae loca planiora reddidit. *Homiliae* conciones sunt ad populum habitae, quibus varia loca biblica ita exposuit, ut ad aedificandos fidelium animos quam maxime conducant. Quod genus interpretationis *paraeneticum* vocatur. *Commentarii* vero fusam et ordinatam expositionem continent, ideoque reliquis ejus operibus exegeticis praestant. Sed nimius allegoriae amor effecit, ut in ea ubique invenienda saepissime versetur. S. Epiphanius Origenem *in totam S. Scripturam* commentatum fuisse testatur (Haeres. LXIV. c. 5), quorum tamen scriptorum nunc ingens copia desideratur. In quosdam enim V. et N. T. libros nihil reperire est, in alios nonnulla tantum expositionum fragmenta, in alios textu originali deperdito solum versiones latinae, et hae saepenumero infidissimae, scilicet e variis SS. Patrum catenis selectae. Scholia denique, ea quae vere Origenis possent haberi, penitus interierunt.

α) Commentariorum fragmenta.

αα) *in Scripturas V. T.*

§. 438. Commentariorum suorum *in Genesin* maximam partem jam ante annum 231 exaraverat Origenes. [1]) Sed tredecim tomi, quos recenset Hieronymus, [2])

---

2) Quaestiones et Respons. ad Orthodoxos, Quaest. LXXXVI, in *S. Justini* M. Opp. ed. Prud. Maran. p. 509.

1) *Euseb*. Hist. eccl. Lib. VI. c. 24, ed. Zimmermann. p. 431.

2) *S. Hieron*. Apolog. adv. Rufinum, Lib. II, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 430.

non progressi sunt ultra quartum caput Geneseos. [3]) Quae de his supersunt fragmenta exhibentur in Origenis Opp. omn. editione *Delaruana* T. II. p. 1—24. — Commentariorum *in Exodum* pauca fragmenta in Philocalia c. 26 asservata leguntur, quae item extant in Orig. Opp. omn. *ed. laud.* T. II. p. 111—121. — Sunt, qui putant, Origenem etiam *in Job* prolixos, quos Commentarios vocamus, scripsisse tractatus; [4]) verum tractatuum nomine S. Hieronymum *homilias* designasse longe verisimillimum est. — At in primos quinque et viginti *Psalmos* Origenem revera commentarios scripsisse, eosque ante 231 edidisse, Eusebius loco supra laudato testis est. Imo cum ipsemet Origenes in suis operibus passim enarrationes suas in Psalmos 31. 45. 47. 100. 118 citat, vix dubitandi locus est, quin ille tomis, quos vocat, seu prolixis expositionibus *omnes* Psalmos illustraverit. Hodie vero nonnisi fragmenta et ea quidem *e Catenis* selecta (§. 440) supersunt. — Idem dicendum *de Proverbiorum* interpretatione. — De commentariis porro, si quos scripsit, *in Ecclesiasten* perpauca ad nos pervenerunt. — *Canticum* vero *Canticorum* tomis explanare bis aggressus est Origenes. Postquam enim, cum adhuc esset juvenis, c. a. 222 parvum tomum exaraverat, uberiores postmodum anno circiter 240 exorsus est commentarios decem librorum, quorum quinque priores Athenis, reliquos Caesareae elaboravit. [5]) Hujus operis prologum et *tres priores tomos* cum parte *quarti*, qui hodie ex interpretatione Rufini extant, [6]) et in Origenis Opp. omn. *ed. laud.* T. III. p. 26—94 exhibentur, vere Origeni competere

---

3) *Origen.* Contra Celsum Lib. VI. c. 49, in Ej. Opp. omn. ed. *De la Rue.* T. I. p. 670; Cf. *Hieron.* l. l.

4) Cf. *S. Hieronym.* Epist. (XXXVI) ad Vigilantium, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 276.

5) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 32, ed. laud. p. 443.

6) *Cassiodorus* in Div. Litt. institution. c. 5, in Ej. Opp. ed. *Garetii,* T. II. p. 542.

totis viribus defendit Pearsonius. [7]) — Prophetam *Isaiam* triplici modo exposuit Origenes, tomis, scholiis et homiliis. Et tomos quidem ipse memorat. [8]) Eusebii tempore, qui illos sub Gordiano exaratos esse dicit, triginta adhuc volumina supererant. [9]) Vicesimus autem tomus jam Hieronymi tempore perierat. [10]) Labente ad nos usque tempore omnes eandem sortem habuere, exceptis *duobus fragmentis* in S. Pamphili Apologia asservatis, et in Origenis Opp. omn. a *Ruaeo* editis T. III. p. 105. — An *Jeremiam* quoque commentatus fuerit, incertum est. — Tomos autem in *Threnos s. lamentationes Jeremiae* ab Origene, cum Alexandriae adhuc degeret, i. e. ante annum 231 fuisse elaboratos, et quinque quidem ad suam usque aetatem pervenisse volumina Eusebius testatur. [11]) Nicephorus autem Callistus novem commemorat. [12]) Sed nihil eorum aetatem tulit, nisi forte aliqua fragmentorum, quae in *Catenis* allegantur, huc referenda sint. — Dum Caesareae in Palaestina commorabatur Origenes, imperante Gordiano c. a. 238 suos *in Ezechielem* commentarios adorsus est, et postea, cum Athenis moraretur, quinque et viginti voluminibus absolvit, [13]) quorum hodie unicum, quod est in Philocalia c. 11, *vicesimi tomi fragmentum* gr. et lat. extat in Orig. Opp. ed. laud. T. III. p. 352. — Plures ab eodem commentarios etiam in *duodecim minores Prophetas* fuisse exaratos, ab Eusebio comperimus, qui suo tempore quinque duntaxat et viginti

7) *Pearson.* in Vindiciis Epist. S. Ignatii (Cantabrig. 1672. 4) p. 110. sq.

8) *Origen.* Contr. Celsum. Lib. VII. c. 11, in Ej. Opp. omn. ed. laud. T. I. p. 701.

9) *Euseb.* loco supra (not. 5) laud.

10) *S. Hieron.* in Praef. in Isaiam, Opp. omn. ed. Maurin. T. III. col. 5.

11) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 24, ed. laud. p. 431.

12) *Niceph.* Call. Lib. V. c. 15.

13) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 32, ed. laud. p. 443.

libros se reperisse scribit.[14]) Eosdem propria manu a S. Pamphilo descriptos esse, S. Hieronymus testatur.[15]) E tot libris *unicum* nunc temporis superest *fragmentum*, quod exhibet Philocalia c. 8 tanquam excerptum e commentario *in Oseam*. Extat in Origen. Opp. T. III. p. 438 sq.

bb) in Script. N. T.

§. 439. Dum Ecclesia sub Philippi imperio alta pace fruebatur, Origenes in urbe Caesarea Palaestinensi summam interpretandis SS. Scripturis operam impendit. Et *in Matthaeum* quidem c. a. 245 viginti quinque volumina commentariorum exaravit. [1]) Sed priores novem tomi temporis injuria ita perierunt, ut duo tantum e libro I, unum e II-do, unum item e tomo VII fragmentum extet. Proximi vero qui sequuntur tomi ab Evangelii cap. XIII. v. 36 usque ad cap. XXVII. v. 66 continua serie partim graece et latine, partim latine tantum hodie supersunt; et ex veteri quidem interpretatione, cujus auctor anonymus seculo octavo vixisse videtur, ab Evang. c. XVI. v. 33 usque ad c. XXVII. v. 66; e graeca vero, quam per tomos octo digestam (T. X — XVII incl.) unacum nova a se adornata versione edidit *Huetius*, a cap. Matthaei XIII. v. 33 usque ad cap. XXII. v. 33. Haec omnia extant in Origenis Opp. omn. *ed. laud.* T. III. p. 440 — 932. — Commentaria ejus *in Evangelium Joannis* triginta novem libros comprehenderant, quorum priores quinque Alexandriae, reliqui vero Caesareae elaborati sunt. [2]) Hi etiamnum Hieronymi tempore exsta-

14) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 36, p. 447.

15) *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 75, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 121.

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 36, p. 447; *S. Hieron.* Prooem. Commentar. in Matth., in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. I. p. 3.

2) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 24 pr. et c. 28 fin., ed. laud. p. 431. 438.

bant.[3]) Nobis *novem* tantum tomi (I. II. VI. X. XIII. XIX. XX. XXVIII. XXXII.) graece cum duplici latina versione, (altera a Perionio, altera a Ferrario de Monte Casino monachis O. S. B. adornata) conservati sunt in Origenis Opp. ed. laud. T. IV, ubi plura etiam ex aliis tomis excerpta leguntur fragmentula. — Majori etiam studio ac diligentia ad exponendam D. Pauli *Epistolam ad Romanos* accessit. Scripsit autem c. a. 246 viginti libros commentariorum; sed graecus textus totus periit, excepto illo quod in Philocalia c. 24 legitur fragmento. Latine vero extat opus isthoc ex *Rufini* versione, ita tamen ut viginti tomi male sint in decem coarctati.[4]) Hanc Rufini interpretationem primus edidit Theophil. *Saladianus* (sed perperam sub *Hieronymi* nomine) Venet. 1506. Optime vero haec quoque edita sunt in Origenis Opp. omn. editione *Delaruana* T. IV. — Praeterea Origenes singulis commentariorum libris illustravit *Epistolam I ad Corinthios*,[5]) *Epistolam ad Galatas*,[6]) *Epistolam ad Ephesios*,[7]) *Epistolam ad Colossenses*,[8]) *Epistolam I ad Thessalonicenses*,[9]) *Epistolas ad Titum et ad Hebraeos*.[10])

---

3) *S. Hieron.* in Prolog. ad Homilias Origenis in Lucam, in Opp. Origenis ed. De la Rue T. III. p. 932.

4) *Cassiodor.* Instit. div. litt. c. 8, in Biblioth. SS. PP. max. Lugd. T. XI. p. 1276.

5) *S. Hieron.* Epist. XLI ad Pammach. in Ej. Opp. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 342.

6) *S. Hieron.* Prolog. in Epist. ad Galat., ed. laud. T. IV. P. I. col. 221.

7) *S. Hieron.* Prolog. in Epist. ad Ephes., ed. laud. T. VI. P. I. col. 321.

8) *S. Pamphil. M.* in Apolog. pro Origene, l. l.

9) *S. Hieron.* Epist. CLII ad Minervium et Alexandr., in Ej. Opp. omn. ed. laud. T. IV. P. II. col. 210.

10) *S. Pamphil.* l. l.

b) Origeniana e Catenis selecta.

§. 440. Multa sunt fragmenta exegetica, quae in *Catenis Patrum graecis* asservantur, et a margine (ut fieri solebat) tanquam ex Origenis *Commentariis*, *Homiliis* et *Scholiis* selecta exhibentur. Sed iis minus fidei habendum est, eoquod in ejusmodi compilationibus nomina auctorum a librariis saepe pro arbitrio apposita, et post tantum temporis lapsum totque libris Antiquorum deperditis genuina a falsis non sunt discernenda. Hujus igitur generis Selecta ex Origene, quae feruntur, et undequaque corrasa in *Origenis Opp. omn.* editione *Delaruana* collecta habes; et selecta quidem in *Genesin* T. II. p. 24 — 52, in *Exodum* p. 121 — 129, in *Leviticum* p. 180 — 184, in *Numeros* p. 270 — 275, in *Deuteronomium* p. 386 — 393; in *Jesum Nave* p. 393 — 396; in librum *Judicum* p. 457; in *Ruth* unum tantum fragmentulum e schedis Combefisii desumtum exhibetur p. 478; in libros *Regum* p. 479 — 481; in librum *Job* p. 500 — 510; in *Psalmos* item praeter tomos etiam *Enchiridion* s. *scholia* i. e. strictas brevesque annotationes reliquerat Origenes, ut docet auctor *Breviarii in Psalterium*; [1]) sed quae hodie in Catenis Patrum sub illius nomine asservantur fragmenta propemodum innumera sunt, quorum quotquot melioris notae videbantur esse, omnia collecta extant T. II. p. 513 — 656 et 700 — 850. Pauca item reperiuntur ex commentariis in *Proverbia Salomonis* desumta, quorum duo latine extant in Apologia S. Pamphili pro Origene, cetera *Procopius Gazaeus* refert; sunt ea collecta in Origenis Opp. omn. ed. De la Rue T. III. p. 1 — 11. [2]) Idem *Procopius* in *Canticum Canticorum* excerpta quaedam sub Origenis nomine in lucem protulit, quae ibidem

---

1) in *S. Hieronymi* Opp. omn. ed. Maurin. T. II. P. II. col. 121.

2) Fragmenta ex Origenis Exegeticis in Proverbia et Ecclesiasten curatius collegit *Andr. Gallandius* in sua Bibliotheca PP. T. XIV. p. 25 — 30.

T. III. p. 94—104 leguntur. Scholia porro in *Isaiam prophetam* penitus perierunt; similiter in *Jeremiam*, si quae unquam composuerat; hodie nonnisi selecta in *Threnos* extant T. III. p. 321—351, quae sub Origenis nomine *Ghislerus* in sua Catena in Lamentationes Jeremiae adfert. Excerpta operum exegeticorum in *Ezechielem*, quae in catenis Patrum digesta sunt, Ruaeus operibus Origenis inseruit T. III. p. 406—438. Fragmenta denique Origeni attributa ex *Macarii Chrysocephali Orationibus in Lucam* idem exhibet T. III. p. 979—983.

cc. Scripta paraenetica s. Homiliae.

a) in V. T.

§. 441. Uberrima Origenis, quae in sacris bibliis interpretandis versantur, monumenta nobis extant in *Homiliis*, quarum maximam partem *D. Hieronymus* et *Rufinus* in latinam transtulerunt, et in lucem emiserunt. Et *in Genesin* quidem Origenes mysticarum homiliarum duos composuerat libros,[1]) quas jam sexagenario major c. a. 249 edidit,[2]) et quarum hodie *septemdecim* latine tantum e versione verisimilius *Rufini*[3]) extant in Origenis Opp. omn. editione Delaruana T. II. p. 52—110. *In Exodum* supersunt homiliae *tredecim* ib. p. 129—179; *in Leviticum sedecim* ab eodem *Rufino* p. 184—269, quas et Cassiodorus[4]) commemorat. *In Numeros* Origenem scripsisse homilias *triginta* idem Cassiodorus l. l. refert, verum octo tantum et viginti hodie supersunt ex *Rufini* interpretatione, ut e prologo ad Ursacium praefixo patet; exhibentur in eodem T. II. p. 275—386.

1) *S. Hieron.* Epist. ad Pammach. et Marcellam, s. Apolog. adv. Ruf. Lib. II, in Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 430.

2) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 36, ed. Zimmerm. p. 447.

3) Cf. *Huetii* Origeniana Lib. III. Sect. III. p. 298.

4) *Cassiodor.* Instit div. litt. c. 1, in Bibl. PP. max. Lugdun. T. XI. p. 1278.

Ex octo, quas Cassiodorus item l. l. memorat, *in Deuteronomium* homiliis nulla hodiedum servata est. *In Jesum Nave* triginta Cassiodori tempore exstiterant; nunc extant in hunc librum *sex* tantum *et viginti*, quas cum prologo ad Chromatium episcopum *Rufinus* transmisit., ib. p. 396—457. *In librum Judicum novem* habemus, p. 458—478, quot et Cassiodorus recenset. E quatuor autem in *Libros Regum*, quas idem [5]) commemorat, *duae* duntaxat supersunt, p. 481—499, una ut videtur ex versione *Rufini*, altera e codice Mss. Vaticano eruta et a *Leone Allatio* in sua editione operum Eutsathii (Lugd. 1629. 4) gr. et lat. edita. *In Job* homilias nonnullas quidem exarasse Origenem Hieronymus testatur; [6]) nihil vero earum ad nos pervenit, nisi forte particula illa homiliae in Job, quam *ex Hilario* refert D. Augustinus, [7]) et Ruaeus in Origenis Opp. editione T. II. p. 500 exhibet. Ipsum et *in Psalmos* homilias edidisse testis est auctor *Breviarii in Psalterium* [8]) et *S. Basilius M.*; [9]) imo *Trithemius* De auctoribus ecclesiasticis c. 30 memorat Origenis in Psalmos homilias centum et quinquaginta. Verum omnes prope perierunt excepto homiliae in Psalmum octogesimum secundum *fragmento*, quod habet Eusebius, [10]) et nonnullis ex latina *Rufini* interpretatione, quinque nempe in Ps. XXXVI, duabus in Ps. XXXVII, et duabus item in Ps. XXXVIII, quas exhibet etiam Origenis Operum editio De la Ruaei T. II. p. 657—700. *In Canticum Canticorum* duae latine *S. Hieronymo* interprete ad nos usque translatae sunt, ib. T. III. p. 12—23;

---

5) *Cassiodor.* l. l. c. 2, ibid. pag. ead.

6) *S. Hieron.* (Epist. XXXVI) ad Vigilantium, in Opp. ed. Maur. T. IV. P. II. col. 276.

7) *S. Augustin.* Lib. II adv. Julian. in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. X. col. 543.

8) Cf. §. 440. not. 1.

9) *S. Basil.* in Lib. De Spiritu Sancto c. 29, in Ej. Opp. (ed. Colon. 1617. f.) p. 233.

10) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 38. ed. laud. p. 449.

e viginti quinque homiliis *in Isaiam*, quas Hieronymus recenset,[11]) *novem* nunc latine ex *ejusdem* versione extant, ib. T. III. p. 106 — 124. Nec non *in Jeremiam* homilias quadraginta quinque scripsisse dicitur,[12]) quae *Hrabano Mauro* adhuc cognitae fuerunt.[13]) Ex his *S. Hieronymus* quatuordecim (non servato ordine sed promiscue) in latinam transtulit;[14]) sed et *textus graecus* non solum ad duodecim earum, quas Hieronymus latine reddidit, verum etiam ad alias septem certo genuinas e codicibus Scorialensi et Vaticano erutus est, ita ut nunc *una et viginti* extent, et undeviginti quidem graece et latine, duae vero latine tantum homiliae atque insuper fragmentum ex Origenis homilia XXXIX exhibeantur T. III. p. 125 — 287. Post hasce in Jeremiam homilias etiam *in Ezechielem* prophetam nonnullas in urbe Caesarea composuit. An vero plures fuerint, quam *quatuordecim*, quae ex *Hieronymi* versione unacum Ejusdem prologo latine tantum hodie circumferuntur T. III. p. 353 — 406, parum liquet.

b) in N. T.

§. 442. Pauciores nobis in sacros *Novi Testamenti* libros supersunt tractatus seu homiliae. Etenim viginti quinque, quas *in Matthaeum* scripsit, dudum jam interciderunt.[1]) Ex homiliis autem in evangelium *Lucae triginta novem* ex *Hieronymi* versione[2]) latine hodie su-

---

11) *S. Hieronym.* in Praefat. Commentar. in Isaiam, in Ej. Opp. omn. T. III. p. 5.

12) *Cassiodor.* l. l. c. 3, ed. laud., in Biblioth. PP. max. Lugd. T. XI. p. 12[illegible].

13) *Hrabani Mauri* Praef. Commentar. in Jerem., in Opp. omn. (ed. Colon. Agripp. 1626.) T. IV. p. 1.

14) *S. Hieron.* Praef. ad Commentar. in Ezechiel., in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. III. col. 697.

1) *S. Hieron.* Prolog. in Matth., in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. I. p. 3.

2) *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 135, ed. laud. T. IV. P. II.

pereunt in Origenis Opp. omn. editione laudata T. III. p. 932—979. Ex iis, quas *in Acta Apostolorum* habuit, unum duntaxat *fragmentum* extat T. IV.

2. Scripta supposita.

a. *Dialogus de recta in Deum fide contra Marcionitas.*

§. 442. *Dialogus de recta in Deum fide* vel (ut in aliis exemplaribus legitur) *Dialogus contra Marcionitas* sub Origenis nomine primus quidem sed latine tantum editus est curante *Pico* Senatore Parisiensi, Paris. 1556, dein a *Laur. Humfredo* Anglo apud Hieron. Frobenium Basil. 1557; quae versio postea in editione Operum omnium Origenis anno 1571 Basileae evulgata adjecta est. Aliam item latinam interpretationem curavit *Joach. Periomius* Cormeriacensis O. S. B. monachus, quam *Gilb. Genebrardus* editioni suae Paris. 1574. T. I inseruit. Graece et latine opusculum isthoc una cum alio eidem Origeni attributo, cui titulus *Φιλοσοφούμενα* s. *De placitis Philosophorum* (§. 444), primus in lucem edidit *Jos. Rud. Wetstenius*, Basil. 1674. In editione Origenis *Delaruana* (Paris. 1733 sq. IV. f.) Dialogus contra Marcionitas legitur T. I. p. 803—872. Ad *genuinitatem* hujus operis quod attinet, quamquam Wetstenius omnia, quaecunque potuit, argumenta moverit, ut ipsum Origeni adsereret; hodie tamen fere nemo est, qui cum illo consentiat. Jam enim praefatiuncula, quae in fronte Dialogi hodie exhibetur, in codice, quo Picus usus est, omnino deest, in aliis vero exemplariis longe variat, ut inde certo certius conjicias, illam esse a recentioribus demum

col. 128; *Idem* in Epist. (CVI.) ad Paul. et Eustoch. ib. col. 868. Perperam haec interpretatio olim *Rufino* accensita est. Cf. *Fontanini* Historia liter. Aquilej. (Rom. 1742. 4) T. V. c. 7. §. 7.

pro arbitrio additam. Sed et ipse Dialogus multa habet, quae aperta suppositionis indicia praeseferunt. Dialogi enim auctor, quisquis est, de imperatore sui aevi dicit: „*Quae praecedentes imperatores dissiparunt, iste restaurat; quos oderant illi, iste diligit; quae illi fana et idola in honore habuerunt, haec iste subvertit.*" [1]) Quis quaeso Origenis aetate is fuit imperator, in quem haec verba congruant? Neque enim *Alexander Severus* nec *Philippus Arabs* eo pietatis erga Christianos zelo adductus est, ut deorum templa et idola dirueret. [2]) Imo haec in *Constantinum* demum referri potuerunt. Porro voces *ὁμοούσιος καὶ ἀχώριστος* sequiorem aetatem satis indicant, cum certum sit, ante Concilium Nicaenum I neminem Scriptorum ecclesiasticorum hoc dogma de Filii cum Patre coaeternitate et consubstantialitate *tam diserte* fuisse professum. Certe si haec revera fuissent Origenis verba, mirum sane esset, cur *S. Pamphilius*, Origenis laudator, illa tacuisset, et *S. Athanasius* aliique Nicaenae fidei defensores illa non allegassent verba, Arianae haeresi e diametro contraria. Praeterea nemo Veterum, ne *Eusebius* quidem, qui nihil videtur praeterisse quod ad Origenis laudem spectet, hujus Dialogi uspiam mentionem facit. [3]) Accedit, quod *stylus* toto coelo ab Origeniano

1) Dialog. contra Marcionit. Sect. I. med., in *Origenis* Opp. omn. ed. De la Rue T. I. p. 816.

2) Simile quid in Actis quidem *S. Pontii Martyris* (Bollandi etc. Acta Sanctorum ad 14 Maji T. II. p. 274) de *Philippo* imperatore perhibetur; sed Acta ista procul dubio supposititia, et, quae ibi narrantur, fabulosa esse, VV. DD. dudum exploratum habent. Cf. *Baron.* Annales eccl. ad. a. 246. p. 399; imprimis *Petavii* Doctrin. tempp. Lib. XI. c. 25, ed. laud. p. 338. Quin ipsemet *Wetstenius*, qui Philippum fuisse Christianum conatur demonstrare, ingenue fatetur, se dubitare, an argumenta sua satis illi loco respondeant.

3) Est quidem locus in Philocalia, quam S. Basilius M. et Gregorius Naz. ex operibus Origenis potissimum compilarunt (§. 449), ubi hujus Dialogi mentio facta est. Verum iste locus (sc. sub finem c. 23, al. 24) non ex Origene excerptus est, sed ex Lib. VII Praeparationis

differt, et innumeris vocibus scatet, quas frustra in alii Origenis operibus quaesieris, et quae graecum auctorem aliquanto recentiorem sapiunt. Adde denique, quod in toto dialogo saepius quidem *Adamantii*, at nullibi *Origenis* nomen legitur. His igitur rationibus permoti duos distinguendos esse Adamantios conjicimus, alterum Origenem Adamantium, seculi tertii Scriptorem; alterum autem Adamantium simpliciter sic dictum, qui tempore Constantini M. quarto seculo vixerit, et hunc dialogum adversus Marcionitas scripserit. Id quod aperte comprobare videtur *Theodoretus* dicens, plurimos scripsisse adversus Marcionis impietatem, et in his enumerans Justinum Martyrem, Theophilum Antiochenum, Philippum Gortynensem, Irenaeum, Modestum, et *Origenem*, et Rhodonem, et *Adamantium*, et Hippolytum et Eusebium Emesenum.[4])

b. Philosophumena.

§. 444. Sub ementito Origenis nomine opus extat, quod inscribitur Φιλοσοφούμενα i. e. *Philosophia* seu *De placitis Philosophorum*, quodque primus graece ac latine e codice bibliothecae Mediceae in lucem edidit notisque illustravit *Jac. Gronovius* in suo Thesauro Antiquitatum T. IX. p. 237 sqq. Nec dubitavit vir clarissimus opus istud tanquam genuinum propugnare, sed in-

---

evangelicae *Eusebii Pamphilii,* qui illa verba *S. Maximo* (vd. §. 218) tribuit. Illa vero, quae ad calcem istius capitis jacet annotatio, nempe: „*Haec totidem verbis scripta reperiuntur etiam in Origenis contra Marcionitas et alios haereticos dialogo*" probabilissime non sunt Basilii et Gregorii, sed alterius cujusdam et quidem *recentioris impostoris.* Illi enim viri sanctissimi, si illum dialogum novissent, aut pro genuino habuissent, cur ex Eusebio potius quam ex ipso Origene locum istum desumsissent? Cur Eusebius, qui nullam celebrandi Origenis occasionem praetermisit, in Lib. VII Praeparat. Evangelicae c. 21. non sub Origenis sed sub Maximi nomine, Scriptoris minus noti, proferre maluisset, si de Origenis Dialogo quidquam certi habuisset?

4) *Theodoreti* Haerett. fabb. Lib. I. c. 25.

firma adeo sunt ejus argumenta, ut ea facile disjiceret *Jo. Chph. Wolfius*, qui alteram ejusdem libri editionem graeco-latinam unacum notis suis evulgavit Hamburgi 1706, et aliquot annis post etiam codice Taurinensi collato emendatam novisque annotationibus et praemissa singulari disceptatione denuo recudendam curavit. Is vir eruditissimus contra Huetium, Galeum, Gronovium et Heumannum docuit, nec *Origenem Adamantium*, nec *Aëtium Antiochenum* († c. a. 370), nec *Didymum Alexandrinum* († c. a. 396) hujus operis auctorem esse. Cui sententiae etiam *C. de la Rue* accedit, qui opus illud graece cum Gronoviana versione in sua Origenis Operum editione Parisiana T. I. p. 873—909 inter *supposita* recepit. Palmare autem ac prope ineluctabile argumentum falsitatis inde petitur, quod ipse auctor *Φιλοσοφουμένων* in prooemio aperte se *Episcopum* esse declarat,[1]) qua dignitate nullum eorum potitum fuisse constat. Idem auctor, quisquis est, initio praefationis[2]) profitetur, se jam antea Haereticorum dogmata ex instituto confutasse; jamvero inter Origenis nostri scripta, quorum apud Veteres mentio fit, nullum reperitur, quod istis verbis faciat fidem. Nec attendendus est *Theodoretus*, qui dicit, Origeni a quibusdam *Parvum Labyrinthum*, nempe librum quendam contra haereticos (Unitarios), accenseri;[3]) hoc enim, quod dudum periit, opusculum nunc omnes fere VV. DD. *Caji Presbyteri Romani* fuisse censent.

§. 445. Incertus auctor, prout ipse in Prooemio ait, hoc sibi proposuit, ut *contra omnes haereses* disputaret. Videbatur autem consentaneum, ut Philosophorum apud Graecos sententiis primum expositis singulas deinde sectas cum aliquo eorum compararet.[1]) Unde etiam codex

1) *Pseudo-Origen.* ex edit. Delaruana T. I. p. 876.
2) Ibid. ed. laud. p. 875.
3) *Theodoret.* Haerett. fabb. Lib. II. c. 5.
1) *Pseudo-Origen.* Philosophumen. in Opp. Origen. ed. De la Rue T. I. p. 877.

Ottobonianus inscriptionem exhibet: „(Origenis) *Adversus omnes haereses liber I.*“ Hunc enim titulum *Chph. Wolfius* ab ipso auctore putat profectum; quoniam vero in priore hoc libro, qui solus nobis servatus est, de sectarum refutatione nihil extat, *φιλοσοφουμένων* titulus illi forte a librariis visus est tribuendus. In hoc igitur libro auctor historiam graecae philosophiae quasi in compendio tradit, singulorum philosophorum systemata deinceps paucis exponens. Praemisso libri argumento ac prooemio per capita sex et viginti decurrens de Thalete, Pythagora, Empedocle, Heraclito aliisque Physicis;[2]) tum de Anaximandro, Anaximene, Anaxagora, Archelao, aliis;[3]) de Parmenide, Leucippo, Democrito, Xenophane, Ecphanto, Hippone;[4]) dein ad Ethicos transiens de Socrate, Platone, Aristotele, de Stoicis, Epicureis, Academicis, Brachmanibus, Druidis et de poëta Hesiodo tractat.[5])

c. *Scholia in Orationem Dominicam.*

§. 446. Haec Scholia e codice Italico descripta primus edidit *Frid. Morellus*, Parisiis 1601, eaque, ut pretium iis arrogaret, pro Origenis vel alterius Doctoris coaevi foetu habenda censuit. *Huetius* autem in suis Origenianis longe inferioris aevi scriptorem putat eorum esse parentem, *Petrum* nempe *Presbyterum Laodicenum*, qui septimo seculo vixit. Sub hujus igitur nomine haec Scholia (sed latine tantum) recepta sunt in *Maxima Bibliotheca SS. PP.* (ed. Lugduni 1677. XXVII. f.) T. XII. p. 322. — Nihilo vero minus vir doctus, qui Origenis tractatum *De Oratione* Oxonii 1686. 12. gr. et lat. edidit (§. 425), in Morelli sententiam propensior eadem sub titulo: *Paraphrasis Orationis Dominicae* tanquam ab Ori-

2) ib. c. 1—6, ed. laud. T. I. p. 877—885.
3) ib. c. 6—11, p. 875—890.
4) ib. c. 11—17, p. 890—894.
5) ib. c. 17—26, p. 894—909.

gene profecta libello *Περὶ εὐχῆς* immediate subjunxit. Quod quidem ejus consilium comprobans *Guil. Caveus* in priore editione suae Historiae literariae Scriptorum ecclesiastt. P. I. p. 84 haec scholia ipsius Origenis sibi videri, eaque Libelli de Oratione ἀποσπασμάτιον quoddam esse libere pronuntiavit. Atvero postea ipse in Parte II ejusdem operis p. 60 sententiam mutavit, et in novissima et ab ipsomet auctore ante obitum recognita editione (Basil. 1741 II. f.) T. II. p. 120 ingenue fatetur, *brevissimam expositionem Orationis Dominicae non esse Origenis*, partim ob styli discrepantiam, partim quod in ea quaedam aliter explicantur quam in tractatu suo genuino exponit Origenes; nec quidquam Origenis libro De Oratione affine habet. Recte! Haec Pseudo-Origenis (imo vero *Petri Laodiceni*) Scholia in Orationem Dominicam exhibentur etiam gr. et lat. in Origenis Opp. omn. ed. De la Rue T. I. p. 909—911.

d. Commentarius, Scholia et Homiliae in Job.

§. 447. *Commentarius in Hiob* (imo in tria priora Hiobi capita) latine tantum superstes, et tribus libris comprehensus in vulgatis antea editionibus Origeni tribuitur; sed ipsius revera non esse, invictis argumentis probavit *Huetius* in Origenianis Lib. III. c. 2.[1]) Legitur iste etiam in Origenis Opp. omn. ed. laud. T. II. p. 851—904. Interpretatio autem latina, quam exemplaria exhibent, in Mss. codice monasterii Padolitonensis *S. Hilario* episcopo Pictaviensi tribuitur.[2]) Is enim utique teste Hieronymo tractatus seu homilias Origenis in Job transtulisse dicitur; sed versio isthaec Hilarii jam dudum

---

1) in *Origenis* Opp. ed. De la Rue T. IV. p. 323 sq.

2) *Jo. Mabillonius* in Itiner. et Museo Ital. (Paris. 1687) p. 208.

interiit. Hic vero quem supra diximus commentarius certe non est Origenis, praetereaque nonnulla continet, quod *Arianam* haeresin sapit; unde satis patet, S. Hilarium, acerrimum Arianorum debellatorem, non esse illius interpretem. Imo etiam dubitaverim, an *graecus* textus ullo unquam tempore extiterit, et is omnio fuerit *catholicus*, qui sive versionem adornavit, sive initio latine commentarium conscripsit. Praeter Commentarium etiam *Scholia* in totum librum Hiob latine tantum ex interpretatione *Joach. Perionii* evulgata, item *Homiliae* quatuor in Hiob sub falso Origenis nomine circumferuntur. Sed stylus, qui in Scholiis istis reperitur, plane differt ab Origenis scribendi genere, et suppositionis certissima indicia suppeditat. Homilias vero istas non Origenis, sed *Joannis Chrysostomi* esse, nunc communis fere omnium DD. VV. sententia est.

e. *Alia Pseudo-Origeniana.*

§. 448. Eadem reprobationis sententia ferenda est de Scholiis *in Canticum B. V. Mariae* (Magnificat), *in Canticum Zachariae* (Benedictus) *et Simeonis*, quae una cum scholiis in Orationem Dominicam (§. 446) sub falso Origenis nomine gr. et lat. edidit *Frid. Morellus*, Parisiis 1601. 8; item de *Homiliis novem in diversos*, atque *alia de Maria Magdalena*, et *de lamento sive planctu Origenis*, quae cuncta latine tantum in *latinis* Origenis operum editionibus exhibentur. Accedit *Commentarius in Evangelium Marci*, qui in bibliotheca regia Parisiana et Oxoniensi graece asservari dicitur, et a nonnullis viris doctis *Origeni*, ab aliis *S. Cyrillo Alexandrino* adscribitur, a Theodoro autem Peltano sub *Victoris Antiocheni* nomine latine redditus et evulgatus est. Similiter *libellus De singularitate Clericorum*, a plerisque olim *S. Cypriano* Martyri, a nonnullis vero *Origeni* nostro adcensitus neutri recte tribuitur, sed in quartum imo quintum seculum rejicitur.

f. Philocalia.

§. 449. Cum inscriptione „*Philocalia*" opus ad nos translatum est, quod prisci editores tanquam *peculiarem Origenis librum* nobis insinuarunt. Sed in hoc certe erravere. Quoad *materiam* enim utique Origenis est; quoad *formam* autem et compilationem *Basilium* et *Gregorium Nazianzenum* auctores habet. Selectum videlicet expositionum locorum difficilorum S. Scripturae in se continet, quas ab Origene in diversis ejus operibus factas hi duo sancti viri in unum volumen coëgerunt. Prodiit Philocalia primum latine tantum e versione *Genebrardi*, Paris. 1574; deinde gr. et lat. Parisiis 1618. 4, cum notis *Tarini* ib. 1629. 4; et ad calcem *Cantabrigiensis* editionis librorum contra Celsum (§. 428). In Origenis Opp. omn. editione *Delaruana* exhibetur T. IV. Multa in hoc opere loca, e libris deperditis excerpta, nobis asservata sunt.

3. Operum omnium variae editiones.

§. 450. Singulorum operum editionibus suis locis supra recensitis, reliquum est, ut editiones *omnium operum* junctim factas recenseamus. Et primus quidem, qui de edendo toto Origene cogitavit, *Jac. Merlinus* fuit, cujus cura Origenis Opera omnia sed *latine* tantum prodierunt, Paris. 1512 et Venetiis 1516. II. f. ac saepius. Haec Merliniana editio iteratis curis *Erasmi Roterodamensis* et *Beati Rhenani* castigatius in lucem emissa est Basileae 1626, 1536 etc. Similiter *latinam* tantum sed uberiorem et accuratiorem editionem adornavit *Gilb. Genebrardus* O. S. B. monachus e congregatione Cluniacensi, Paris. 1574. II. f., recus. Basil. 1620 ac saepius. Primus autem *graeco-latinam* adorsus est *Petr. Dan. Huetius* Episcopus Abricensis (Avranches), qui magna cum industria quidquid exegeticorum Origenis reperiri potuit, collegit, et cum latina interpretatione notisque sub

titulo: *Origenis in SS. Scripturas Commentaria* in lucem edidit Rothomag. 1668. II. f., recus. Paris. 1679, Colon. (imo Francofurti) 1685. II. f. Praemissa sunt his commentariis ejusdem Huetii *Origeniana*, quae dicuntur, i. e. opus introductionis instar elucubratum, in cujus libro primo de vita Origenis, in secundo de ejus eruditione ac dogmatibus disseritur, in tertio notitia de scriptis Origenis nobis suppeditatur. Utinam etiam cetera Origenis opera vir doctissimus edidisset! Sed nescio qua re commotus praeter eruditorum exspectationem ab incepto opere remisit. Tandem *Car. de la Rue* (Ruaeus) O. S. B. monachus e congregatione Maurina *Origenis opera omnia*, quae graece vel latine tantum exstant, et sub ejus nomine circumferuntur, e variis tum editionibus tum codicibus manu exaratis Gallicanis, Italicis, Germanicis, Anglicis collecta, recensita, latine versa et annotationibus illustrata edidit Parisiis 1733 — 1759. IV. f. Postremus seu quartus tomus (cum Carolus Ruaeus ao. 1739 diem supremam obiisset) ab ejusdem fratris filio *Vincentio de la Rue* adornatus est Paris. 1759. Hujus tomi pars prior continet Commentarios Origenis a patruo nondum editos, posterior autem varia scripta, quae ad Origenis vitam, res gestas et dogmata spectant, praesertim *Pamphili* Apologiam pro Origene interprete Rufino, *Gregorii Thaumaturgi* Orationem panegyricam in Origenem, *Huetii* Origeniana, alia. Ad hanc editionem recusa sunt Opera Origenis curante *Fr. Oberthürio*, Wirceburgi 1780 — 1794. XV. 8, et denuo recensita et castigata a *C. H. Ed. Lommatzchio*, Berolini 1831 sqq. nunc I — XIV. 8 min.

C. Doctrina Origenis.

1. De christianae religionis veritate et praestantia.

a. *Hagiographorum veracitas.*

§. 451. *Celsus* (cf. §. 428), ut sacris Scripturis fidem auctoritatemque detraheret, primum sibi proposuit adoriri istud nostrae doctrinae, a Judaeorum prophetis praenuntiata esse quaecunque Jesu Christo acciderunt. *Origenes* igitur ad tuendam Prophetarum causam comparationem gentilium oraculorum cum visionibus et vaticiniis Prophetarum instituit. „*Hi vitae genus sectati imitatu difficile, constans, liberum, mortis ac periculorum metu inconcussum, a Providentia electi sunt, quibus divinus Spiritus ejusque colloquia committerentur. Docet enim ratio, tales esse debere summi Dei Prophetas, quibuscum constans Antisthenis, Crantoris Diogenisque gravitas collata pro ludo habebitur.*“ 1) Celsus autem pariter in Scriptores evangelicos insurgit, eosque tanquam homines deceptores corrodit. Quam criminationem ut everteret, Origenes docet, Christianos jure optimo fidem adhibere Evangelistis. „*Ducti scilicet pietate et animi candore, quae in eorum scriptis elucent, quaeque nihil in eis aut spurium, aut dolosum, aut fictitium aut vafrum suspicari sinunt, haec evangelia scripserunt. Pro certo enim habemus, animas, quae nunquam attigerant Graecorum literas,* per se *idoneas non fuisse ad res comminiscendas, quae et fidem ingenerare et ad vitam fidei consentaneam adducere potuissent.*“ Simulque causam ingerit, cúr Christus talibus suae doctrinae magistris uti voluerit; nempe „*tum ut suspicandi locus non esset, cum nisi argumentis ad veri speciem compositis, tum ut intelligentioribus evidens fieret, sinceritatem illam Scriptorum junctam cum multa, ut ita*

1) Contra Celsum Lib. VII. c. 7, ed. De la Rue T. I. p. 696.

dicam, simplicitate donatam fuisse divina potestate, quae multo plura perficeret, quam perficere posse videntur verborum ambitus, dictionum compositio et totus ille Graecanicus divisionum dicendique ornamentorum apparatus." [2]) „*Ecquis enim est, qui, quum videt piscatores et publicanos vel primorum elementorum imperitos confidenter de fide Jesu adjungenda non modo apud Judaeos disputare, sed etiam apud reliquas gentes prospere Jesum annuntiare, non quaesierit, unde illis inesset persuadendi facultas? neque enim erat vulgaris. Ecquis non dixerit, Jesum in Apostolis divina quadam virtute exsecutum fuisse, quod his promiserat:* „„Venite post me; faciam vos piscatores hominum."" [3]) Ostendit deinde, quanta cum injuria Celsus sinceritatem Apostolorum et Evangelistarum in suspicionem vocare ausus sit. Hi enim, „*nisi sinceri et bona fide fuissent, ... de abnegatione Petri, de discipulorum scandalo nunquam fecissent mentionem. Nam etsi haec acciderint, quis ita accidisse probasset? Quin et hujusmodi facta praetermitti oportebat, siquidem Evangelii lectores docere vellent, contemnendam esse mortem, cum agitur de christianae fidei professione. Sed cum scirent, vi atque virtute sermonis homines devictum iri, haec memorare non dubitarunt.*" [4]) Fierine potest, ut conficta habeatur historia, „*quam scripserunt ii, qui rerum omnium oculati testes erant; qui re ostenderunt, sibi explorata esse quae viderant; qui denique, quo animo essent, perferendis alacriter ejus doctrinae causa suppliciis testificati sunt?*" [5])

b. Miraculorum veritas.

§. 452. „*Signa autem Spiritus Sancti extiterunt sub initium praedicationis Jesu, plura post ejus assumptio-*

2) ibid. Lib. III. c. 39, ed. laud. T. I. p. 478.
3) ib. Lib. I. c. 38 med., p. 377.
4) ib. Lib. II. c. 15 med., p. 401.
5) ib. Lib. III. c. 23 in fin., p. 461.

nem, postea pauciora. Hujus tamen vestigia etiamnum sunt apud paucos, quorum animae doctrina christiana agendique ratione huic doctrinae consentanea purgatae sunt.“ [1]) Celsus autem, quam Christianis tum fuisse vidit potestatem, eam ipsos habere ex quorundam daemonum nominibus et incantationibus calumniatus est. Cui Origenes: Minime vero, inquit, ab hujusmodi incantionibus potestatem habent, „*sed pronuntiando nomine Jesu recitandisque euangeliis. Haec enim saepe ex hominibus daemones extruserunt, idque maxime cum ii, qui recitant, puro animo recitant et integra fide. Quin imo tanta nominis Jesu contra daemones vis est et potentia, ut eos aliquando vincat etiam ab improbis pronuntiatum.*“ [2]) *Irrideat licet Celsus aut Judaeus, quem introduxit, quod dicetur, dicam nihilominus, multos ad religionem christianam accessisse velut invitos, spiritu quodam repente sive per visum sive per somnium in illorum animos agente atque ita illos immutante, ut quod in illam conceperant odium deponerent, et pro illa mortem oppetere statuerent. Multa ejusmodi novimus, quae, si scriberemus, tametsi eorum oculati testes fuerimus, benignam risus materiam praeberemus incredulis, qui nos ex eorum ingeniis, quos talia finxisse norunt, judicantes haec etiam a nobis conficta esse existimarent. Testis tamen est Deus, cui arcana conscientiae nostrae patent, nos divinam Jesu doctrinam non falsis narratiunculis, sed variis iisque evidentibus argumentis confirmare velle.* [3]) . . . *Vidimus et nos multos gravibus incommodis liberatos, alienatione mentis, insania, aliisque sexcentis, quae neque homines neque daemonia sanaverunt.*“ [4]) . . . Et sane „*Christiani, qui modo quodam incredibili in societatem coaluerunt, initio quidem*

---

1) Contra Celsum Lib. VII. c. 8 in fin.; Opp. omn. ed. laud. T. I. p. 700.

2) ib. Lib. I. c. 7 init., p. 325.

3) ib. c. 46 med., p. 361 sq.

4) ib. Lib. III. c. 24 in fin., p. 461.

prodigiis potius quam exhortationibus videntur ad relinquenda patria instituta adducti et ad amplectenda aliena traducti. . . . Neque esse probabile dicemus, plebejos et sine literis viros ad religionem christianam hominibus annuntiandam alia re confisos esse, quam collata sibi potestate et gratia, quae eorum praedicationis comes erat, ut annuntiata ab ipsis doctrina reciperetur; nec eorum auditores a patriis institutis iisque vetustate confirmatis abduci, et ad dogmata tam insolita tam aliena ab iis, quibus innutriti fuerant, suscipienda induci potuisse, nisi mirifica quadam potentia rebusque prodigiosis moti fuissent.".[5]) Objicitur autem, ipsum Jesum praemonuisse, fore ut Satanas quoque prodigia faceret. An hoc non sit fateri, prodigia illa nihil habere divinitatis, sed esse sceleratorum hominum opera? Cui Origenes respondet: „*An* igitur *mali daemones praestigiis res miras insolitasque faciunt, et divina beataque natura nullum poterit efficere miraculum? . . . Proinde si quis ponat, quaedam per praestigias effici, id autem de divina potestate negaverit; is mihi videtur similis esse illi, qui concedens, esse sophismata rationesque probabiles, quae, tametsi veritate vacuae, veritatis tamen speciem prae se ferant, nullam apud homines veritatem esse contenderet. Quodsi autem, quia magorum et praestigiatorum artes aliquid efficiunt ope malorum daemonum, . . . idcirca divinam virtutem inter homines aliquid operari confitendum est; cur non eorum, qui miracula pollicentur, vitam, mores aliaque ex miraculis consequentia accurate pensabimus? . . . Posita enim omni de miraculis praejudicata opinione quaeri oportet, bonone an malo consilio quis illa fecerit, utne aut omnia vituperemus, aut omnia tanquam divina admiremur et admittamus.*" [6])

---

5) ib. Lib. VIII. c. 47 med., p. 776.

6) ib. Lib. II. c. 51, p. 425 sq.; cf. Lib. I. c. 38 med., p. 356.

c. *Ipsius doctrinae efficacitas.*

§. 453. Summum autem et extremum divinitatis, quae christianae religionis est, argumentum a mira ipsius *doctrinae efficacitate* petendum. Quid enim? „*cum videmus sermones illos, quos demissos et humiles vocat Celsus, instar incantationum tanta vi et efficacia praeditos; cum videmus, inquam, sermonibus illis a libidinosa ad temperantem vitam, ab iniqua ad justam, a timiditate ad tantam constantiam revocari multitudinem, ut pietatis causa, quam commendatam illis animadvertit, mortem pro nihilo putet; quomodo non merito tantam potestatem admirabimur? Nam sermo eorum, quibus ab initio vulgandae nostrae doctrinae partes datae sunt, quique in constituendis Dei ecclesiis laborarunt, et eorum praedicatio persuasit quidem, sed non ea ratione, qua Platonicae sapientiae doctores aut quilibet alii philosophi, qui nihil supra humanae naturae vires poterant. Sed argumenta, quibus utebantur Apostoli, data illis a Deo fuerant, vimque persuadendi a Spiritu et virtute habebant.*“ 1) Atque hinc sermonis eorum et praedicationis effectus incredibiles et omnem hominum exspectationem longe superantes! 2) Unde concludit: „*Ita ratione, aut potius non ratione sed ita divina operatione nostrum niti institutum, ut ejus principium sit Deus, qui in prophetis homines docet sperare adventum Christi salutem hominibus allaturi . . . quique se multiplici sapientia variisque miraculis manifestans primum Judaismum, postea Christianismum constituit.*“ 3)

---

1) Contra Celsum Lib. III. c. 68, Opp. omn. ed. Delaruan. T. I. p. 492.

2) Cf. ib. Lib. I. c. 26 med. et 27 init., ed. laud. p. 344 sqq.

3) ib. Lib. I. c. 14 med., p. 456 sq.

2. De sacra Scriptura et Traditione.

a. *Sacrarum Scripturarum divinitas.*

§. 454. Origenes aperte docet, „*omnem Scripturam divinitus datam*[1]) ... *et sacros libros scriptos esse divino Spiritu;*“[2]) rursusque alio loco: *Sane*, inquit, *quod iste Spiritus unumquemque Sanctorum et Prophetarum vel Apostolorum inspiraverit, ... manifestissime in ecclesiis praedicatur.*“[3]) ... *Neque Scripturae divinitati per eam totam diffusae quidquam detrahitur ex eo, quod ingenii nostri imbecillitas in unaquaque dictione minime possit pervenire ad arcanum sententiarum splendorem in humili et abjecta dictione delitescentem;*[4]) ... *neque possumus hoc dicere de Sancti Spiritus literis, quod aliquid in eis otiosum sit aut superfluum, etiamsi aliquibus videantur abscurae.*[5]) ... *Sed et arbitror, ... neque unam jotam esse, aut unum apicem in Scriptura, qui opus suum non efficiat in iis, qui virtute literarum uti sciunt.*“[6])

b. *Librorum S. Scripturae canon.*

aa. *Veteris testamenti.*

§. 455. Quoad *canonem librorum S. Scripturae V. T.* Origenes in fragm. sui Commentarii in Psalm. I e numero eorum, quos sacrosancta synodus *Tridentina* recenset, *Prophetas duodecim minores, libros* porro *Ecclesiastici, Sapientiae, Tobiae et Judith* omisit, et *Maccabaeorum libros* aperte tanquam extra censum Hebraeorum

1) Commentar. in Psalm. 1, in Opp. omn. ed. Delaruana T. II. p. 527. nr. 4 init.
2) Contra Celsum Lib. V. c. 60 init., ed. laud. T. I. p. 623.
3) De principiis Lib. I. c. 4 in fin.; ed. l. T. I. p. 48.
4) ib. Lib. IV. c. 7 med., p. 163.
5) Homil. XXVII in Numeros c. 1 sub fin., T. II. p. 375.
6) Homil. XXXIX in Jerem. in med., T. III. p. 286.

positos declarat.[1] Et Prophetas quidem minores quod attinet certissimum est, eos scribarum negligentia excidisse.[2] Alioquin enim numerus, quem initio istius loci posuit Origenes, recte sibi non constaret, cum libros viginti unum solummodo recenset, etsi expresse dicat: *„Sunt viginti duo libri juxta Hebraeos."* Unde etiam *S. Hilarius*, qui censum Origenianum verbo tenus repetit in Prologo ad libr. I Psalm., librum duodecim Prophetarum minorum ante Jesaiam habet. Defectum illum supplevit *Rufinus*, qui in versione historiae Eusebii similiter post Canticum Canticorum i. e. ante Isaiam posuit *librum minorum Prophetarum*. Macchabaeorum autem libros, licet eos extra censum positos fuisse apud Hebraeos dicat, tamen saepius, uti *sacram Scripturam*, laudat.[3] Ita Ecclesiasticum quoque pluries variisque sub nominibus modo Salomonis, modo Prophetae, modo Sapientiae, modo explicita mentione *S. Scripturae* commemorat.[4] Quod autem ad librum Sapientiae attinet, quamquam non ab omnibus eum in auctoritate haberi fatetur,[5] tamen eundem velut canonicum librum suspexisse videtur, siquidem ejus auctorem nunc prophetam, nunc virum sapientia Dei

---

1) E Commentar. in Ps. I, in Opp. omn. ed. Delaruana T. II. p. 529.

2) *Chr. Fr. Schmidt* Historia antiqua et vindicatio canonis V. et N. T. (Lips. 1775. 8) p. 154. not. 27.

3) e. gr. *De princip.* Lib. II. c. 1. nr. 5., in Ej. Opp. omn. T. I. p. 79; *De oratione* c. 11, ib. p. 213; *Exhort. ad martyrium* c. 22—28, ibid. p. 287 sqq.; *Commentar. in Cant. Canticorum* Lib. III., Opp. omn. T. III. p. 75; *Comm. in Joann.* tom. XIII. c. 57, Opp. omn. T. IV. p. 273, etc.

4) e. gr. *Contra Celsum* Lib. IV. c. 12. 75. VII. 12. VIII. 50, in Ej. Opp. omn. T. I. p. 508. 560. 702. 778; *Homil. VIII in Exod.* c. 4, T. II. p. 158; *Hom. XVIII in Numeros* c. 3, ib. p. 340; *Hom. XI in Josue.* c. 2, ib. p. 425; *Hom. I in Regg.* c. 13, ib. p. 488; *Hom. VI in Jerem.* c. 2, T. III. p. 163; *Comm. in Matth.* Tom. XIII. c. 4, T. III. p. 576, et saepius.

5) *De princip.* Lib. IV. c. 33, T. I. p. 192.

repletum, et ipsum librum passim simpliciter tanquam *S. Scripturam* appellat. [6]) Pariter etiam libros Tobiae et Judith quasi non canonicos rejectos esse a Judaeis monet; [7]) atvero ipse eosdem non semel sub *S. Scripturae* nomine allegat. [8])

bb. Novi testamenti.

§. 456. In recensendo *Novi Testamenti codices* Origenes (si interpretationi Rufinianae fides habenda sit, cum graecus textus interierit) *omnes*, quos etiamnum tenent Catholici aeque ac Protestantes, libros tanquam divinos recepisse videtur. [1]) Verum nequid nimis sumsisse videamur interpreti, qui saepe sua magis quam Origenis sensa expressit, id quoque confitemur, Scriptorem nostrum in iis quidem, quae *graece* ad nos pervenerunt, de epistola *Jacobi*, *Petri secunda* et *Joannis secunda atque tertia*, nonnihil dubitationis admovisse, num divinas judicaverit necne. Jacobi enim epistolam his tantum respicit, [2]) Petri unam solummodo superesse agnitam, de altera vero ambigi affirmat; [3]) Joannis secundae tertiaeque epistolae semel tantum meminit, [4]) imo saepius primam, quasi unica

6) e. g. *Homil. VI in Exod.* c. 1, T. II. p. 147; *Hom. XII in Num.* c. 1, ibid. p. 312; *De princip.* Lib. II. c. 9. nr. 1, T. I. p. 97; *Contra Celsum* Lib. III. c. 72, T. I. p. 494; *Comm. in Epist. ad Rom.* Lib. III. c. 2, T. IV. p. 506; etc.

7) *Epist. ad African.* c. 11, in Opp. omn. ed. laud. T. I. p. 26; *De oratione* c. 14, ibid. p. 220.

8) *De orat.* c. 11. 13, T. I. p. 213 et 216; *Contra Celsum* Lib. V. c. 18. 29, ibid. p. 591. 599; *Comm. in Epist. ad Rom.* Lib. III. c. 12, T. IV p. 440; et alibi.

1) Homilia VII. in Josue c 1, in Opp. omn. ed. De la Rue T. II. p. 412.

2) Commentar. in Joann. Tom. XIX. c. 6 et XX. c. 8, Opp. omn. ed. laud. T. IV. p. 306. 318.

3) ib. Tom. IV. p. 95.

4) ib. l. l.

esset, allegat. Nobis tamen persuasum est, Origenem his locis non tam *suam* quam aliorum quorundam dubitationem significare. Denique quod *apocrypha* nonnunquam in canone recepta laudat, inprimis *epistolam Barnabae, Hermae Pastorem, doctrinam et evangelium Petri, Enochi librum*, alia; nihil nos morari debet, cum ipse fere semper (sola Barnabae epistola excepta) moneat, libros istos nullam auctoritatem in Ecclesia obtinere.[5]) Idem procul dubio sentit de *Evangelio Hebraeorum*, de *Mosis Ascensione*, de *Recognitionibus Clementis Rom.*, quae passim allegantur. Alia porro ipse diserte appellat *apocrypha*, qualia sunt libri Jeremiae et Eliae prophetici, libri Jamnes et Mambres, Testamenta XII Patriarcharum, liber qui inscribitur Precatio Joseph, et similia. Ceterum quam parce cauteque locus sit dandus apocryphis, licet ipsi Apostoli vel Evangelistae ex iis quaedam desumserint, bene advertit Origenes. „*Potuit enim fieri*, ait, *ut Apostoli et Evangelistae sancto Spiritu repleti sciverint, quid assumendum ex illis esset scripturis, quidve refutandum; nobis autem non est absque periculo tale quidquam praesumere, quibus non est tanta Spiritus abundantia.*" [6])

b. Divina Traditio, regula fidei.

§. 475. Juxta mentem Origenis Apostoli *primas religionis veritates*, omnibus salvandis scitu credituque necessarias, satis *evidenter* ac *perspicue* sive scriptis sive viva voce tradiderunt, causas vero et rationes dogmatum in obscuro reliquerunt, ut studiosiores quique ex posteris

---

5) *Comment. in Matth.* tom. 14. c. 21, in Opp. omn. T. III. p. 644; *De principiis* Lib. I. c. 8, T. I. p. 49; *Contra Celsum* Lib. V. c. 54, ibid. p. 619.

6) Prolog. in *Cant. Canticorum* in fine, Opp. omn. T. III. p. 36.

suis, qui dignos se et capaces ad investigandam altiorem cognitionem redderent, haberent, in quo ingenii sui fructum ostenderent. In hoc potissimmum labore versari debere doctiores, quos hodie *theologos* vocamus, ut doctrinarum causas rationesque explicent. Haec docta est et solis eruditis propria *cognitio* (γνῶσις), quam probe distinguit a *notitia populari*, omnibus Christianis doctis et indoctis communi ac necessaría, quae vocatur πίστις. Quocirca opus esse putat, „*prius de his singulis certam lineam manifestamque regulam ponere*, *tum deinde etiam de caeteris quaerere.*“ Ut igitur illa ante omnia discamus et sine haesitatione credamus, a quibus recedere nemini licet, ad ecclesiasticam et apostolicam praedicationem ceu regulam christianae veritatis nos transmittit dicens: „*Servetur vero ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita*, *et usque ad praesens tempus in Ecclesia permanens. Illa sola credenda est veritas*, *quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione.*“ [1]) ... *Dicet enim*, *qui seducere voluerit nos*, *et defendere contraria veritati: Ecce*, *hic est Christus*, *demonstrans verbi gratia hunc evangelii locum. Alterius autem erroris auctor dicet: Ecce*, *hic est Christus*, *offerens exempli causa alterum textum*, *qui videtur defendere mendacii illius verbum*, *quod proposuit vindicare.* ... *Erunt autem et alii plures*, *qui ex divinis Scripturis*, *conjungentes eis suum proprium sensum*, *dicturi sunt discipulis: Ecce hic est*, *ecce illic!* ... *Sed nos credere illis non debemus*, *nec exire a* *p r i m a* *e c c l e s i a s t i c a* *t r a d i t i o n e*, *nec aliter credere*, *nisi quemadmodum* *p e r* *s u c c e s s i o n e m* *E c c l e s i a e* *Dei* *t r a d i d e r u n t* *n o b i s.*“ [2])

---

1) De Principiis Praef. in Lib. I. nr. 2, in Ej. Opp. omn. ed. De la Rue T. I. p. 47.

2) Commentar. series in Matth. (al. Tract. XXIX), c. 46, in Opp. omn. ed. laud. T. III. p. 864.

3. De Ecclesia.

a. *Verae Ecclesiae characteres.*

§. 458. Ad mentem Origenis non aliter atque ex ipsis SS. Scripturis totam *Ecclesiam* dicimus esse „*Corpus Christi a Dei Filio animatum; membra autem illius, ut totius, eos esse omnes, qui credunt in eum: quoniam sicut anima vitam et motum impertit corpori, quod a seipso natura moveri non potest; ita Verbum totum corpus seu Ecclesiam ad ea, quae opus sunt, movens et agens etiam singula membra eorum, quae ad Ecclesiam pertinent, movet, ita ut nihil sine Verbo faciant.*“ 1) ... Et „*sicut luna de sole dicitur percipere lumen, ut per ipsam etiam nox possit illuminari; ita et Ecclesia suscepto lumine Christi illuminat omnes, qui in ignorantiae nocte versantur.*“ 2) Ecclesia *sancta* est; etenim „*Dei Filius vitam et motum huic corpori impertit, ac singula Ecclesiae membra movet.*“ 3) Quamvis autem soli *justi* vera sint membra Christi, tamen inde non potest inferri, Ecclesiam ex solis sanctis constare; „*neque enim possibile est ad liquidum purgari Ecclesiam, dum in terris est, ita ut neque impius in ea quispiam neque peccator residere videatur, ... sed sicut dicitur de zizaniis, ne forte eradicantes zizania simul cum illis eradicetis et triticum, ita etiam super iis dici potest, in quibus vel dubia vel occulta peccata sunt.*“ 4) *Unam* porro esse, et Christo in perpetuum eidem assistente *infallibilem* Ecclesiam, Origenes diserte profitetur dicens: „*Omnis sermo profitens, se esse veritatem, cum non sit veritas, sive apud Gentiles sive apud Barbaros, aliquo modo Antichristus est volens*

1) Contra Celsum Lib. VI. c. 48, in Ej. Opp. omn. ed. laud. T. I. p. 670.

2) Homil. I. in Genes. c. 5, Opp. T. II. p. 54.

3) Contra Celsum l. l.

4) Homil. XXI. in Josue c. 1, Opp. T. II. p. 447.

seducere quasi veritas, et separare ab eo, qui dixit: Ego sum veritas. *Propterea non debemus adtendere eis, qui dicunt:* Ecce hic est Christus, *non autem ostendunt eum in Ecclesia, quae plena est fulgore ab Oriente usque ad Occidentem, quae plena est lumine vero, quae est columna et firmamentum veritatis, in qua tota totus est adventus Filii hominis dicentis omnibus, qui ubique sunt:* Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vitae usque ad consummationem saeculi." [5]) Eamque ad salutem esse prorsus *necessariam* ostendit, monens *„ut nemo sibi persuadeat, nemo semetipsum decipiat; extra hanc domum* (quae redemta est Christi sanguine) *i. e. extra Ecclesiam nemo salvatur.*" [6]) Ea quippe singulari privilegio gaudet *peccata remittendi*, prout ait Origenes: *„Ablutio peccatorum circumclusa in sola Ecclesia.*" [7]) Ab hac autem gratia, quae peccata abstergit, seculsos esse dicit omnes Haereticos atque Schismaticos: *„Audiant haec*, inquit, *qui scindunt ecclesiam et peregrinas ac pravas inducentes doctrinas putant sacras carnes extra templum Dei et extra aulam Dominicam posse comedere; profana sunt eorum sacrificia.*" [8]) — *Petrum* autem, principem Ecclesiae, Origenes credit primatum tenuisse inter omnes Apostolos, utpote *„ceteris honorabiliorem;*" eumque vocat *„magnum Ecclesiae fundamentum et petram solidissimam, supra quam Christus fundavit Ecclesiam.*" [9])

b. *Hierarchia divinitus instituta.*

§. 459. Ecclesiam *„divinitus constitutam Rempublicam*" ex imperantibus ac parentibus esse ordinatam; et *hierarchicos ordines a laicis probe differre* docet Orige-

5) Comment. in Matth. Tract. 30, in Opp. T. III. p. 865.
6) Homil. III in Josue c. 5, Opp. T. II. p. 404.
7) Commentar. in Joann. tom. 6, Opp. T. IV. P. I. p. 159.
8) Homil. IV in Levit. c. 8, Opp. T. II. p. 203.
9) Homil. V in Exod. c. 4, Opp. T. II. p. 145.

nes.[1]) *Episcoporum* autem ordinem jam inde *ab Apostolorum aetate* repetit.[2]) Sunt quidem, qui sua contra divinam Episcopatus institutionem argumenta ex ipso Origene petunt, et Adamantium *duos* tantum ordines sacros agnovisse dicunt, *Presbyteratum et Diaconatum*; sed hi meminerint, quod, qui Episcopos et Presbyteros aliis in locis apertissime distinguit, is plane, ubi de solis Presbyteris Diaconisque loquitur, satis indicat, Presbyterorum nomine *duos gradus sacerdotii*, summos nempe sacerdotes, i. e. episcopos, et sacerdotes simplices, contineri. Jam enim vero Origenes adeo Episcopos a ceteris ordinibus distinguit, ut in eos solos *potestatem clavium*, quam Christus Apostolis tradiderit, manasse, ipsosque solos habere potestatem *improbos tradendi satanae ad interitum* fateatur.[3]) Apertius etiam in tractatu suo *De oratione* tres ipsos in Ecclesia ordines, Diaconorum, Presbyterorum et Episcoporum distinguit dicens: „*Praeter haec omnia, quae magis ad universos pertinent, est aliquod debitum viduae, cujus Ecclesia curam gerit; item aliud Diaconi, aliud Presbyteri, Episcopi denique debitum gravissimum est, quod ni reddatur, judicio repetet totius Ecclesiae Salvator.*“[4]) Et alibi: „*Plus a me* (presbytero) *exigitur quam a Diacono, plus a Diacono quam a Laico. Qui vero totius Ecclesiae arcem obtinet, pro omni Ecclesia reddet rationem.*“[5]) Hoc postremo loco episcopum significari eumque re essentiali presbyteris superiorem praedicari, manifestissimum est.

---

1) Contra Celsum Lib. III. c. 30, Opp. omn. ed. Maurin. T. I. p. 466 sq. Cf. Homil. XX in Lucam, ib. T. III. p. 956.

2) Cf. Contra Celsum Lib. III. c. 48, Lib. VIII. c. 75, Opp. omn. T. I. p. 479. 796.

3) Comment. in Matth. tom. 12. c. 14, tom. 16. c. 8; Opp. T. III. p. 531. 725.

4) De Oratione c. 28, in Opp. ed. laud. T. I. p. 253.

5) Homil. XI in Jeremiam c. 3, Opp. T. III. p. 190.

4. De SS. Trinitate.

a. Deus trinunus.

§. 460. Exponens illud: *Bibe aquas de puteorum tuorum fonte* (Prov. V. 15), Origenes inducta allegoria de sacrosancto Trinitatis mysterio loquitur, et *unum* esse Deum, et in hoc uno eodemque Deo individuo existere *tres personas* vere ac realiter distinctas confitetur. „*Sed non otiose requirendum, quomodo possimus pluralem numerum de puteis exponere, et singularem de fonte, quia in Proverbiis dicit Sapientia: Bibe etc. Videamus ergo, quorum puteorum unum dixerit fontem. Ego puto, quod scientia ingeniti Patris unus possit intelligi puteus, sed et unigeniti Filii ejus agnitio alius puteus intelligi debeat. Alius enim a Patre Filius, et non idem Filius qui et Pater, sicut ipse in Evangeliis dicit*: „Alius est, qui et testimonium de me dicit, Pater.“ *Et rursus tertium puto videri puteum posse cognitionem Spiritus Sancti. Alius enim et ipse est a Patre et Filio, sicut et de ipso nihilominus in Evangelio dicitur*: „Mittet vobis Pater alium Paracletum Spiritum veritatis.“ *Est ergo haec trium distinctio personarum in Patre, Filio et Spiritu Sancto, quae ad pluralem puteorum numerum revocatur. Sed horum puteorum unus est fons. Est enim una substantia et natura Trinitatis.*“ 1)

b. Deus Pater, Deus Filius; unus Deus adorandus.

§. 461. Filius a Patre ita inseparabilis est cogitandus, quemadmodum splendor lucis a luce nunquam potest separari. „*Lux autem aeterna quid aliud sentiendum est, quam Deus Pater, qui nunquam fuit, quando lux*

1) Homil. XII in Numer. (ex versione Rufini), in Origen. Opp. omn. ed. Maurin. T. II. p. 312.

quidem esset, splendor vero ei non adesset? Nunquam enim lux sine splendore suo intelligi potest. Quod si verum est, nunquam est, quando Filius non Filius fuit. Erat autem non, sicut de aeterna luce diximus, innatus, ne duo lucis principia videamur inducere; sed sicut ingenitae lucis splendor, ipsam illam lucem initium habens ac fontem, natus quidem ex ipsa, sed non erat quando non erat." [2]) Vehementer itaque errant, qui dicunt, Origenem, dum Filium genitum (*γεννητόν*) non ingenitum praedicat, ita de Filio sensisse quemadmodum *Ariani*. Imo vero, ut unitatem Deitatis strenue defenderet, Patrem tanquam causam Filii, Filium tanquam ordine secundum, praedicavit. Sic contra Celsum: „*Nostra sententia non est, solum rerum omnium Deum ac Patrem esse magnum. Suae enim magnitudinis participem fecit unigenitum et primogenitum omnis creaturae, ut, qui imago est invisibilis Dei, is etiam magnitudinis Patris imaginem referret. Fieri enim non poterat, ut pulchra imago esset, et Deo invisibili responderet, quae magnitudinis imaginem non praeberet.*" [3]) Ergo „*non alius a nobis, quam summus Deus, colitur. . . . Quodsi vero quis ex his verebitur, ne ad illos transeamus, qui Patrem et Filium duas hypostases esse negant, advertat animum ad istud:* „Erat omnium credentium cor unum et anima una," *ut intelligat, quid sibi velit hoc:* „Ego et Pater unum sumus." *Unum igitur Deum, ut explicavi, Patrem et Filium colimus. . . . Colimus enim patrem veritatis et filium veritatem, quae duae res sunt quoad hypostasim, una vero consensione et concordia et voluntatis identitate, ita ut qui vidit Filium, qui est splendor gloriae et figura substantiae Dei, is in illo, qui Dei imago est, viderit et Patrem.*" [4]) Itaque et

---

2) Fragm. Comment. Lib. I. in Genes.; Apolog. pro Origen. c. 3; Cf. Orig. Comment. in Epist. ad Hebr., Opp. omn. T. IV. P. I.

3) Contra Celsum Lib. VI. c. 69, Opp. omn. T. I. p. 694.

4) Ibid. Lib. VIII. c. 12 med., Opp. T. I. p. 750 sq.

Filius cum Patre adorandus, quoniam et ipse consubstantialis Patri.

c. *Deus Spiritus Sanctus.*

§. 462. Similiter Spiritum sanctum docet „*coaeternum*" esse cum Patre atque Filio, [5]) unde „*tres quasi dies simul existentes*" nominat divinas tres personas. [6]) Et Spiritum ait eadem per se sanctitate pollere, quae Patri Filioque convenit, scilicet „*quod ita sanctus est, ut non sit sanctificatus. Non enim ei extrinsecus et aliunde accessit sanctificatio, quae ante non fuerat, sed semper fuit sanctus, nec initium sanctitas ejus accepit. Similique modo de Patre et Filio intelligendum est. Sola enim Trinitatis substantia est, quae non extrinsecus accepta sanctificatione, sed sui natura sit sancta. Omnis vero creatura vel dignatione S. Spiritus, vel meritorum ratione sanctificata sancta dicetur.*" [7]) *Sed cum nos dicimus* „*Spiritum esse Deum,*" *nihil haec nostra sententia cum Stoïcis commune habet, qui docent, Deum esse spiritum* (flatum corporeum) *omnia permeantem et omnia in se comprehendentem.* „*Cura quidem et providentia Dei pervadit omnia, sed non ut Stoïcorum spiritus; et providentia quidem continet omnia, quibus providet, et ea comprehendit; sed non ut corpus continens id quod et ipsum corpus est, sed ut potestas divina, quae complectitur quidquid ipsa comprehenditur.*" [8]) . . . „*Semper enim Deus proprium Spiritum communicat cum iis, qui illius participes esse possunt; et cum Spiritus ille in iis, qui ipso digni sunt, habitat, non idcirco separatur et dividitur.*" [9]) Quodsi vero Origenes S. Spiritum tanquam γεννητόν appellat, nihil

---

5) Comment. in Joann. tom. 13. c. 36, Opp. T. IV. P. I.

6) Comment. in Matth. tom. 12. c. 20 fin., Opp. T. III. p. 539.

7) Homil. XI in Numer. c. 8 init., Opp. T. II. p. 310; Cf. Comment. in Joann. tom. 2. c. 6.

8) Contra Celsum Lib. VI. c. 71 init., Opp. T. I. p. 696.

9) Ib. Lib. VI. c. 70, p. 695.

aliud sensisse videtur, quam quod Spiritus, cum a Patre simul et Filio procedat, non ex se ipse (*οὐκ ἀγέννητος*), sed e Patre Filioque causam existendi habet (quasi *γεννητός ἐστι*), ita ut, si neque Pater neque Filius esset, Spiritus Sanctus quoque non existeret. [10])

5. De Christi incarnatione.

a. *Quem in finem Deus sit homo factus.*

§. 463. Quem in finem Filius Dei incarnatus sit, et humanitus apparuerit, Origenes his verbis dilucide et praeclare docet: „*Deus Λόγος . . . cum esset in principio apud Deum, propter eos, qui carni agglutinati, ima caro sunt, factus est caro, ut capiatur ab eis, qui videre ipsum non poterant, quatenus Verbum erat, et apud Deum erat, et Deus erat; qui voce corporea usus et ut caro praedicans eos ad se vocat, qui caro sunt, ut eos primum Verbo, quod caro factum est, conformes reddat, deinde attollat ad videndum ipsum, cujusmodi erat antequam caro fieret, ita ut meliores facti, et supra hanc secundum carnem introductionem evecti dicant:* „Etsi aliquando Christum secundum carnem cognovimus, sed nunc jam non sic novimus.“ [1])

b. *Qualis Homo-Deus apparuerit.*

aa. *Verus Deus et Homo verus.*

§. 464. „*Etsi igitur Universorum Deus sua ipsius potestate descendat cum Jesu in hanc hominum vitam; etsi quod in principio apud Deum erat Verbum, Deus ipse veniat ad nos, non idcirco e solio egreditur, aut illud re-*

10) Cf. Comment. in Joann. tom. 2. c. 6.

1) Contra Celsum Lib. VI. c. 68 med., Opp. omn. ed. laud. T. I. p. 684.

linquit, ita ut loco vacuo deserto alium impleat, ubi prius non erat. Sed Dei potestas ac divinitas, quo vult, proficiscitur et quocunque locum invenit, non e loco in locum transmigrans.[2]) ... Tota mansit immutata. Similiter humana ejus natura tota, cum corpore scilicet et anima humana persistebat. „*Quodsi enim Deus immortalis, Verbum, mortali corpore humanaque anima susceptis, videtur Celso mutari et aliam formam assumere; sciat ille Verbum, natura manens Verbum, nihil eorum pati, quae corpus aut anima patitur.*"[3]) De divinitate Christi etiam post incarnationem dicit: „*Doctrina haec tanquam verbum Dei confirmatur, Jesusque Dei esse Filius et antequam homo fieret, et postquam homo factus est, demonstratur.*"[4])

bb. Divina natura et humana sine confusione unita.

§. 465. „*Quem*, inquit, *ab initio Deum Deique Filium esse credimus, eum et pro certo habemus esse Verbum ipsum, sapientiam ipsam, ipsam veritatem; mortale autem ejus corpus et humanam, quae in ipso est, animam ad maximam dignitatem evecta fuisse, non societate tantum cum illo, sed etiam in unum concursu et permixtione, ambo in partem vocata fuisse divinitatis, et in divinitatem fuisse conversa.*"[5]) ... „*Dicimus autem animam Jesu tanto Dei filio intima participatione unitam, nec unquam ab illo separandam. Nam in sacris Scripturis reperire licet et alia, quae, quamvis duo natura sua sint, repu-*

2) Ibid. Lib. IV. c. 5 med., Opp. omn. T. I. p. 505.

3) Ib. Lib. IV. c. 15 sub fin., Opp. T. I. p. 511. Et de *corpore* quidem recte sentit Origenes; *animam* vero humanam quod attinet, eum errori *Platonico* de praeexistentia animarum favisse, non est infitiandum. Cf. Contra Cels. Lib. I. c. 32. 33, Lib. IV. c. 18; De principiis Lib. II. c. 6. §. 3.

4) Ib. Lib. III. c. 14 med., Opp. T. I. p. 456.

5) Ib. Lib. III. c. 41, Opp. T. I. p. 474.

tantur tamen et revera sunt unum; cujusmodi est istud de marito et uxore: „Non amplius duo sunt, sed una caro.“ *Et de viro perfecto et adhaerescente vero Domino* . . . (scriptum est:) „Qui adhaeret Domino, unus spiritus est.“ *Jamvero si, qui adhaeret Domino, unus spiritus est; ecquis magis, imo ecquis aeque ac anima Jesu adhaeret Domino, qui est Verbum ipsum, sapientia ipsa, veritas ipsa, ipsamet justitia? Si autem res se ita habet, anima Jesu* (humana) *et Verbum* (divina natura) *duo non sunt.*“ [6]) Et tamen utraque natura sine confusione permanet, ut conjunctio utriusque vere sit hypostatica. Respondens enim ad convicia Celsi, quod Christo, si Deus esset, non convenisset prodi, a suis relinqui, vinctum abduci etc. „*Ad haec*, inquit, *repono, Deum a nobis non existimari corpus illud Jesu, quod sub aspectum cadebat et subjectum sensibus erat. Quid dico corpus? Id ne de anima quidem a nobis creditur, de qua dictum est:* „Tristis est anima mea usque ad mortem.“ . . . *Joannes Baptista praedicens, brevi fore ut Dei Filius adesset, non illo corpore illaque anima circumscriptus, sed ubique praesens, de illo dicit:* „Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.“ . . . *Et Jesus ipse mentem discipulorum ad sublimius de Filio Dei sentiendum erigit, cum ait:* „Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.“ . . . *Haec autem non eo dicimus, ut Filium Dei a Jesu separemus. Verbum enim Dei cum anima et corpore Jesu unum maxime post dispensationem factum est.*“ [7])

6. De peccato originali et humana etiam post lapsum libertate.

§. 466. Nemo unquam hominum *absque peccato* in mundum ingressus est, et peccatum quidem, quo contami-

6) Ib. Lib. VI. c. 47, Opp. T. I. p. 669.
7) Ib. Lib. II. c. 9, Opp. T. I. p. 393 sq.

natus est unusquisque ab initio, factum est per ipsam generationem. „*Quaecunque anima in carne nascitur, iniquitatis et peccati sorde polluitur. . . . Addi his etiam illud potest, ut requiratur, quid causae sit, cum baptisma Ecclesiae pro remissione peccatorum detur, secundum Ecclesiae observantiam* etiam *parvulis baptismum dari; cum utique, si nihil esset in parvulis, quod ad remissionem deberet et indulgentiam pertinere, gratia baptismi superflua videretur.*“ 1) . . . „*Propter quod et Scriptura dicit:* „Nemo mundus a sorde, nec si unius diei fuerit vita ejus.“ *Hac ipso ergo, quod in vulva matris est positus, et quod materiam corporis ab origine paterni seminis sumit, in patre et in matre contaminatus dici potest. . . . Solus vero Jesus Dominus meus in hanc generationem mundus ingressus est, in matre non est pollutus; ingressus est enim corpus incontaminatum.*“ 2). Hoc autem, in quo omnes peccaverunt, peccatum protoparentis est seducti a serpente, „*qui seduxerat Evam, et eloquii sui flatibus peccati in eam venena diffundens omnem posteritatis sobolem contagio praevaricationis infecerat.*“ 3). Propter hoc etiam corpus ipsum corpus peccati nominatur, „*non (ut putant aliqui eorum, qui animarum transmigrationem in varia corpora introducunt) pro his, quae in alio corpore posita anima deliquerit, sed pro hoc ipso, quod in corpore peccati et corpore mortis et humilitatis effecta sit.*“ 4) Nihilo vero minus vim quandam divinam possibilitatis etiam post lapsum permansisse ostendit, docens „*inesse*

1) Homil. VIII in Levit. c. 3 med., Opp. T. II. p. 230. Et alibi: *Parvuli, ait, baptizantur in remissionem peccatorum. Quorum peccatorum? vel quo tempore peccaverunt? aut quomodo potest ulla lavacri in Parvulis ratio subsistere? . . . Quia per baptismi sacramentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur et parvuli.*“ Hom. XIV. in Lucam., Opp. T. III. p. 948. col. 1. fin.

2) Homil. XII in Levit. c. 4 post init., Opp. T. II. p. 251.

3) In Cant. Cantic. Lib. 3, Opp. T. III. p. 83. col. 2. med.

4) Commentar. in Epist. ad Rom. Lib. V. c. 9, Opp. T. IV, P. I. p. 560.

unicuique animae vim possibilitatis et arbitrii libertatem, qua possit agere omne quod bonum est. Sed quia hoc naturae bonum praevaricationis occasione decerptum, vel ad ignominiam vel lasciviam fuerat inflexum, ubi per gratiam reparatur et per doctrinam verbi Dei restituitur, colorem reddit sine dubio illum, quem primus conditor Deus indiderat, sed peccati culpa subtraxerat." [5]) Habemus enim personam „*animae rationalis substantiam aliquam cum Deo habere cognationem.*" [6]) „*Neque enim homines reperies, in quibus communes de honesto justoque, de turpi et injusto notiones prorsus deletae fuerint.*" [7]) Quantacunque igitur est, quae per peccatum originale humano generi accidit destructio et depravatio, tamen tanta non est, ut non possit a Deo, cum voluerit, sanari. „*Id habemus pro certo, malitiam vel illam quasi naturalem non solum posse a divino Verbo mutari, sed etiam id illi omnino non esse difficile.*" [8])

7. De redemtione.

a. Christus Homo-Deus sua sponte passus.

§. 467. Origenes quaerenti, quomodo Christus, qui peccatum nescit, pro peccato dicatur obtulisse sacrificium, et qui ipse pontifex, idem ponatur etiam hostia; hoc modo succurrit: „*Quia Christus peccatum quidem non fecit, peccatum tamen pro nobis factus est; dum, qui erat in forma Dei, in forma servi esse dignatur; dum qui immortalis est moritur, et impassibilis patitur, et invisibilis videtur; et quia nobis hominibus vel mors vel reliqua omnis fragilitas in carne ex peccati conditione superducta est, ipse etiam, qui in similitudinem hominum factus est,*

5) In Cant. Cantic. Lib. IV, Opp. T. III. p. 86. col. 2 fin.
6) Exhort. ad Martyr. c. 47 init., Opp. T. I. p. 306.
7) Contra Celsum Lib. VIII. c. 52 med., T. I. p. 780.
8) Ibid. Lib. III. c. 69 med., T. I. p. 498.

et habitu repertus ut homo, sine dubio pro peccato, quod ex nobis susceperat, quia peccata nostra portavit, vitulum immaculatum h. e. carnem incontaminatam obtulit hostiam Deo.“ 1) Quibus ut ostenderet, quid significaret illud: *Ecce hic positus est in ruinam et resurrectionem multorum!* statim subjungit: „*Hoc modo per peccatum suum h. e. per carnem in crucem actam, in qua nostra peccata susceperat, nos quidem credentes liberavit a peccato, populum vero non credentem peccare fecit, quibus ad incredulitatis malum etiam sacrilegii accessit impietas. Et hoc modo pontifex iste per suum peccatum peccare populum fecit, dum in carne positus et teneri potuit et occidi. Nam ponamus, si Dominus majestatis non venisset in carne, non arguisset Judaeos, non eis fuisset gravis etiam ad videndum, non utique teneri potuisset, neque ad mortem tradi; nunquam sine dubio venisset sanguis ejus super ipsos et super filios eorum. Sed quia venit in carne, et pro nobis peccatum factus est, et haec pati potuit, idcirco ipse dicitur peccare populum fecisse, qui fecit eum in se posse peccare.* 2)

b. In reconciliationem et satisfactionem nostram.

§. 466. Idem, postquam probavit, „*Christum in manus hominum non venturum fuisse, si noluisset,*“ causam mortis Domini ingerens dicit: „*Venit autem, quia voluit, idque propterea, quod pro hominibus moriendo omni creaturae esset profuturus.*“ 3) . . . „*Omnes enim corruimus per peccatum in orbe terrarum. Est autem Dominus, qui erigit elisos et elevavit nos jacentes. In Adamo omnes morimur, atque ita corruit orbis terrarum, et indiget*

---

1) Homil. III in Levit. c. 1 med., Opp. T. II. p. 192.

2) ibid. c. 1 fin., p. 193.

3) Contra Celsum Lib. II. c. 23 fin., Opp. T. I. p. 408. Cf. Commentar. in Joann. tom. 1. c. 22, Opp. T. IV. P. I.

erectione, ut in Christo omnes vivificemur." [4]) ... Propterea „*dicit* (Apostolus) „„quia proposuit eum Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius,"" *quo scilicet per hostiam corporis sui propitium faceret hominibus Deum, et per hoc ostenderet justitiam suam, dum eis remitteret praecedentia delicta.*" [5])

8. De justificatione et gratia.

a. Justificatio nostra per fidem.

§. 469. Igitur per Christi merita nos salvi sumus. „*Propterea, cum ipse sacrificium sit, effusione sanguinis sui nostra est propitiatio, eoquod remissionem antecedentium peccatorum confert, quae tamen propitiatio in quemlibet fidelium per fidem venit. Nisi enim esset antecedentium peccatorum venia, propitiatio item imperfecta appareret.*" [1]) Cum autem ad Apostoli verba (Rom. III. 27 sq.) respiciens dicat: „*solius fidei sufficere justificationem, ita ut credens quis tantummodo justificetur, etiamsi nihil ab eo operis fuerit expletum;*" Origenes tantum abest, ut fidem nudam et absque bonis operibus conceptam sufficere putaverit, ut potius statim subjiciat: „*Justificatus igitur homo per fidem, cui ad justificandum nihil conferunt opera legis. Ubi vero fides non est, quae credentem justificet, etiamsi opera quis habeat ex lege, tamen quia non sunt aedificata supra fundamentum fidei, quamvis videantur esse bona, tamen operatorem suum justificare non possunt, quod eis deest fides, quae est singnaculum eorum, qui justificantur a Deo.*" [2]) ... „*Non enim possibile est, ut habenti in se aliquid injustitiae possit justi-*

4) Homil. VIII in Jerem. c. 1 fin. Opp. T. III. p. 171.

5) Explan. in Epist. ad Rom. Lib. III. c. 8, Opp. T. IV. p. 515 sq.

1) Commentar. in Epist. ad Rom. Lib. III. c. 8, Opp. T. IV.

2) Ibid. Lib. III. c. 9.

tia reputari, etiamsi credat in eum, qui suscitavit Dominum Jesum a mortuis.... Ita ergo et credentibus quidem Christo, nec tamen deponentibus veterem hominem cum actibus suis injustis, fides reputari non potest ad justitiam. ... Si enim propter peccata nostra traditum eum credimus, quomodo non alienum nobis et inimicum ducitur omne peccatum, pro quo redemtor noster traditus memoratur in mortem? ... Si enim hoc credo, quomodo illud amo, pro quo ille pertulit mortem? Si hoc credo, quod ille ad justificationem meam surrexit, quomodo mihi injustitia placet? [3]) Ergo ipsa fides, ut justificet hominem, voluntatem requirit ad omnia bona opera pronam; alioquin mera in Christum confidentia salutem haudquaquam potest consequi. Pariter opera legis siquis absque fide tanquam fundamento suo operatus fuerit, nihil valent. Fides enim quasi germinans opera bona demum fructificat; et haec denique fides viva et vivificans „*perfecta*" est. [4]) „*Sicut* enim *in rebus corporeis neque sufficit agricultura ad fructum collectionem, nisi circumfusus aër ad id conferat, vel potius is, qui aërem certa qualitate instruit, eamque qualem vult facit; neque aër sine agricultura, vel potius is, qui providet, non facit ut ea, quae oriuntur e terra, sine agricultura oriantur; ... ita neque operationes virtutum absque eorum, qui sanantur, fide absolutum opus ad sanitatem conferendam edunt; neque fides, qualiscunque tandem illa sit, sine divina virtute.*" [5]) Itaque justitia Dei, qua vere justificemur, in nobis diffunditur per Spiritum Sanctum, in quo bona nostra opera operamur. „*Quodsi* enim *Spiritus charitatis, et Filius charitatis, et Deus charitas invenitur, certum est, quod ex uno paternae Deitatis fonte et Filius intelligendus est et Spiritus Sanctus, ex cujus abundantia etiam Sanctorum*

3) Ibid. Lib. IV. c. 7.

4) Ib. Lib. IV. c. 1, Opp. T. IV. p. 522 sq.

5) Commentar. in Matth. tom. 10. c. 19 med., Opp. T. III. p. 467.

cordibus ad participationem capiendam divinae naturae (sicut Petrus Apostolus docet) abundantia charitatis infunditur, ut per istud S. Spiritus donum compleatur verbum Domini: „„Sicut tu Pater in me, et ego in te, et isti in nobis unum sint.““[6]) Sic igitur justificatio nostra non *uno actu* absolvitur, sed est regeneratio per *continuam Spiritus Sancti infusionem*, quam ideo infusam et inhaerentem justitiam Theologi appellant.

b. Divinae gratiae necessitas.

§. 470. Absque Dei praeveniente et auxiliante gratia homo nec Deum recte cognoscere, nec quidquam boni facere potest. Origenes licet statuat, quod „*anima rationis particeps ad naturam respicit, et naturalem amorem concipit in Creatorem;*[7]) tamen fieri omnino non posse, ut Deum sine Dei gratia per solam humanam sapientiam cognoscat, praeclare docet. Etenim „*Verbum Dei, cum ait:* „„Nemo novit Patrem nisi Filius revelaverit,““ *Deum divina quadam gratia, animae non sine singulari Dei beneficio sed divino quodam afflatu ingenerata, cognosci declarat. Est enim probabile, Dei cognitionem vires humanae naturae superare, . . . sed Dei bonitate et ejus in homines amore, mirifica et diviniore gratia concedi iis, quos Deus praescientia praevidit vitam victuros cognito ipso dignam, et pietatem in ipsum nunquam adulteraturos, etiamsi mors intentaretur ab iis, qui, quid sit pietas ignari, quidvis aliud pietatem esse fingunt ac pietas est; etiamsi perridiculi esse viderentur.*“[8]) Nos igitur „*affirmamus, Deum a natura humana nullo modo quaeri aut pure inveniri posse, nisi adjuvetur ab eo, quem quaerit; invenitur* autem *ab iis, qui, postquam quidquid in se est fecerunt, confitentur se opus habere illo,*

---

6) Comm. in Epist. ad. Rom. Lib. IV. c. 9.
7) Contra Celsum Lib. III. c. 40 fin., Opp. T. I. p. 473.
8) Ibid. Lib. VII. c. 44 post init., Opp. T. I. p. 726.

qui se notum facit iis, a quibus aequum judicat se videri, quantum scilicet *Deus ab homine cognosci, et quantum humana anima adhuc corperi alligata Deum cognoscere potest.*" [9]) Nec minus ad agenda ea, quae bona sunt, „*necessariam habemus fortitudinem Dei, quia absque ea impossibile est nobis exsequi, quod carni repugnat.*" [10]) Imo *ne credere quidem* et confiteri Deum possumus sine gratia divina. [11])

9. De Sacramentis.

a. S. Baptismus.

§. 471. *Duplicem Baptismum* Origenes agnoscit, „*baptismum aquae*" et „*baptismum sanguinis.*" Nec offenderit quempiam singularis ejus opinio, qua „*hoc baptisma eminentius esse* judicat *illo, quod per aquam traditur.*" „*Illo enim accepto* (baptismo aquae) *valde pauci sunt ita beati, qui id immaculatum usque ad exitum vitae servare potuerint. Hoc vero baptismo* (sanguinis) *qui baptizatus fuerit, peccare jam ultra non potest. Per illud baptisma praeterita peccata purgantur; per hoc vero etiam futura perimuntur.*" [1]) Sacramentalis autem baptismi *materiam* in aqua, *formam* vero in invocatione S. Trinitatis consistere diserte docens: „*Omnes baptizati sumus,* inquit, *in aquis istis visibilibus, et in chrismate visibili.*" [2]) Et hoc „*lavacrum aquae, symbolum exi-*

---

9) ib. Lib. VII. c. 42 fin., T. I. p. 725.

10) Hom. VIII in Jerem. c. 1 post init., Opp. T. III. p. 170.

11) Cf. Comment. in Matth. tom. 12. c. 40 med., Opp. T. III. p. 561; et Comm. in Joann. tom. 20. c. 26, al.

1) Homil. VII in Judic., Opp. omn. ed. Maurin. *De la Rue* T. II. p. 473. col. 2 med.

2) Commentar. in Epist. ad Rom. Lib. V. c. 8, Opp. ed. laud. T. IV. P. I. p. 561. Quo in loco illud quoque egregie explicat, cur S. Paulus in Epist. ad Rom. *solius Christi* in baptismo nomen assumserit.

stans purificationis animae ablutae ab omni sorde malitiae, nihilominus etiam ex se est principium ac fons munerum divinorum propter potentiam invocationum adorandae Triadis." [3]) **Effectum** denique baptismi potissimum in eo ponit, quod „*amputantur et exsecantur ab hominibus peccata, cum in baptismo donatur remissio peccatorum.*" [4]) At non omnes baptizati (de adultis enim loquitur) illico accipiunt gratiam Spiritus Sancti. *Dispositiones* autem in Catechumenis requisitas hoc modo describit: „*Ingentis est difficultatis, cum, qui lavatur, lavari in salutem. Attendite, Catechumeni, audite, et ex his, quae dicuntur, praeparate vosmet ipsos, dum catechumeni estis, ... ne sic lavemini, ut quidam, qui loti sunt, sed non in salutem.*" [5]) „*Tunc vobis remissio peccatorum fit, quando coeperitis et ipsi propria peccata contemnere. ... In remissionem peccatorum ille accipit baptisma, qui peccare desistit; si quis enim peccans ad lavacrum venit, ei non fit remissio peccatorum.*" [6]) Porro „*recordetur unusquisque fidelium, cum primum venit ad aquas baptismi, ... quibus ibi tunc usus sit verbis, et quid* **renuntiaverit diabolo:** *non se usurum pompis ejus, neque operibus ejus, neque ullis omnino servitiis ejus ac voluptatibus pariturum. ... Sed neque aquam de lacu diaboli pollicebantur se esse potaturos; scilicet non ultra sumere potum disciplinae diabolicae, non astrologiae, non magiae, non ullius omnino doctrinae, quae contra Dei pietatem aliquid doceat.*" [7]) Verum non adultos solum baptizatos esse, Origenes monet, sed *morem etiam* **Parvulos baptizandi** omnibus tunc temporis cognitum atque usitatum

---

3) Commentar. in Joann. tom. 6. c. 17, Opp. T. IV. P. I. p. 183.

4) Homil. IV in Cant. Cantic. Lib. IV., Opp. T. III. p. 88. col. 2. med.

5) Homil. VI in Ezech. c. 5 init., Opp. T. III. p. 378.

6) Homil. XXI in Luc., Opp. T. III. p. 957. col. 2. med.

7) Homil. XII in Numer., Opp. T. II. p. 316. col. 1. med.

fuisse testatur. „*Ecclesia enim*, inquit, *ab Apostolis traditionem accepit, etiam Parvulis baptismum dare.*“ [8]) Idem diserte tradit, sacramentum baptismi semel valide susceptum *nullo modo posse iterari.* [9])

b. S. Eucharistia.

§. 472. Apertissime autem multisque locis Origenes testatur, fideles suo aevo firmissime credidisse, in sacramento Eucharistiae Christum *vere*, *realiter* ac *substantialiter* contineri. Sic enim habet: „*Nos, qui hujus universitatis Conditori gratias agimus, cum precibus et gratiarum actione oblatos edimus panes, qui propter orationem fiunt corpus quoddam sanctum, quod sano proposito manducantibus sanctitatem largitur.*“ [1]) Unde alibi fideles his verbis alloquitur: „*Volo vos admonere religionis vestrae exemplis. Nostis, qui divinis mysteriis interesse consuestis, quomodo, quum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela et veneratione servetis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris quid dilabatur. Reos enim vos creditis, et recte creditis, siquid inde per negligentiam decidat.*“ [2]) Ad quid, quaeso, tanta fidelium veneratio et cautela, ne consecrati muneris aliquid deciderit, si solum panem, vel Christum figurate tantum et symbolice adesse credidissent? De *effectibus* autem hujus sacrosancti mysterii Origenes docet: „*Substantialis iste panis, rationali naturae convenientissimus, ipsius substantiae affinis, sanitatem simul et bonam habitudinem et vires in anima efficit, immortalitatemque suam (est enim immortale Verbum Dei) comedenti se com-*

8) Comment. in Epist. ad Rom. Lib. V. c. 9, Opp. T. IV. P. I. p. 565; Cf. etiam loca §. 466 allegata, ubi de *peccato originali* sermo est.

9) Exhort. ad martyrium c. 30, Opp. T. I. p. 292 sq.

1) Contra Celsum Lib. VIII. c. 33 fin., Opp. T. I. p. 766.

2) Homil. XIII in Exod. c. 3 med., Opp. T. II. p. 176.

municat;[3]) modo „*cum acceperis panem mysticum, in loco mundo manduces eum, hoc est, ne in anima contaminata et peccatis polluta Dominici corporis sacramenta percipias. . . .* „„*Sancta enim Sanctorum sunt.*““ *Vides, quomodo non dicit Sancta tantummodo sed Sancta Sanctorum, ut si diceret, cibus iste sanctus non est communis omnium nec uniuscujusque indigni, sed Sanctorum est.*“ [4]) Est quidem Origenis locus quidam prolixior, in quo sibi quendam fingit objicientem, quemadmodum juxta Christi verbum id, quod in os intrat, hominem non inquinet, ita etiam, quod in os intrat, *hominem sanctum non efficere.* [5]) Ad haec igitur Origenes uberius respondet, sed ita verba facit, ut fidem catholicam de reali praesentia Christi in Eucharistia male tenuisse videretur. Sed *Lumperius* [6]) hunc ipsum locum a nonnullis periniqua vexatum tueri, et Origenis orthodoxiam defendere tam egregie conatus est, ut nihil omnino sit, quod ulterius rem discutiamus.

c. *S. Poenitentia.*

aa. *Contritio et Satisfactio.*

§. 473. Ceu veritatem indubiam et Jesu Christi auctoritate firmatam (Joann. XX. 23) Origenes supponit, *Apostolos eorumque successores* accepisse potestatem *remittendi peccata.* [1]) „*Quod autem inaequalia sint peccata Scripturis utentibus nulli dubium est. Alia quippe*

3) De Oratione c. 27 med., Opp. T. I. p. 247.

4) Homil. XIII in Leviticum c. 5 fin., et c. 6 init., Opp. T. II. p. 257.

5) Commentar. in Matth. tom. 11. c. 14 med., Opp. T. III. p. 498—500.

6) *Gfr. Lumperi* Hist. theol.-crit. de vitis etc. Patrum, P. IX. p. 541 sqq.

1) De Oratione c. 28 sub fin., Opp. ed. laud. T. I. p. 255. col. 2. med.

magna, alia minora ab iis esse dicuntur."[2]) "*Quae autem sint species peccatorum ad mortem, quae vero non ad mortem sed ad damnum, non puto facile a quoquam hominum posse discerni.*"[3]) "*Et in gravioribus quidem criminibus semel tantum poenitentiae conceditur locus; ista vero communia* (peccata), *quae frequenter incurrimus, semper poenitentiam recipiunt, et sine intermissione redimuntur.*"[4]) *Modos* autem seu quasi sacrificia varia dinumerat, quibus *leviora* peccata absterguntur. Et remissio "*prima est, qua baptizamur in remissionem peccatorum; secunda remissio est in passione martyrii; tertia est, quae pro eleemosyna datur; quarta nobis fit remissio peccatorum per hoc, quod et nos remittimus peccata fratribus nostris; ... quinta peccatorum remissio est, cum converterit quis peccatorem ab errore viae suae; ... sexta quoque fit remissio per abundantiam charitatis.*" ... *Gravium* vero "*apud nos una tantummodo venia est peccatorum, quae per lavacri gratiam in initiis datur. Nulla post haec peccanti misericordia, nec venia ulla conceditur. Decet* enim *districtioris esse diciplinae Christianum, pro quo Christus mortuus est. ... Et tamen, ne tibi haec non tam erigant animum pro virtute, quam pro desperatione dejiciant, audi, ... est adhuc et septima, licet dura et laboriosa, per poenitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrimis stratum suum, et fiunt ei lacrimae suae panes die ac nocte, et cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum et quaerere medicinam.*"[5]) Et enumerans ejusmodi peccata dicit: "*Fecisti homicidium, diaboli pecuniam suscepisti; ... adulterium commisisti, accepisti diaboli numisma; furtum, falsum testimonium, rapacitas, violentia, haec omnia diaboli census est et diaboli thesaurus.*

2) Homil. IX in Ezech. c. 2 init., Opp. T. III. p. 388.
3) Homil. X in Exod. c. 3 med., Opp. T. II. p. 167.
4) Homil. XV in Levit. c. 2 fin., Opp. T. II. p. 262.
5) Homil. II. in Levit. c. 4 med., Opp. T. II. p. 190 sq.

... *Et tamen si quis forte hujuscemodi pecuniam a diabolo deceptus accepit, non usquequaque desperet; misericors enim est et miserator Dominus, et creaturae non vult mortem, sed ut convertatur et vivat.* ***Poenitendo, flendo, satisfaciendo*** *deleat, quod admissum est.*" 6) Etenim „*quia sicut lux non potest esse cum tenebris, nec cum iniquitate justitia, ita nec vita potest esse cum morte. Et ideo siquis sibi conscius est, quod habeat intra se mortale peccatum, neque id a se per* ***poenitentiam plenissimae satisfactionis*** *abjecit, non speret, quod intret Christus ad animam ejus, qui ad omnem animam defunctam non itrat, quia magnus sacerdos est.*" 7)

bb. Confessio et absolutio.

§. 474. Ex supra jam laudato textu colligere est, Origenem supposuisse necessitatem *confitendi peccata* Presbyteris; sed et alii sunt permulti loci, qui peccatorum confessionem prorsus esse necessariam apertissime docent. Sic Origenes in concione: „*Audi*, inquit, *quid legis ordo praecipiat.* „„Si peccaverit unum aliquid de istis, pronuntiet peccatum quod peccavit."" *Est aliquod in hoc mirabile secretum, quod jubet pronuntiare peccatum. Etenim omni genere pronuntianda sunt, et in publicum proferenda cuncta, quae egerimus; siquod in occulto gerimus, siquod in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri; proferri autem ab illo, qui et accusator peccati est et incentor. Ipse enim nunc nos, ut peccemus, instigat; ipse etiam, cum peccaverimus, accusat. Si ergo in vita praeveniamus eum, et ipsi nostri accusatores simus, nequitiam diaboli, inimici nostri et accusatoris, effugiamus. Sic enim et alibi Propheta dicit:* „„Dic tu iniquitates tuas prior, ut justificeris."" *Nonne evidenter*

---

6) Homil. VI. in Exod. c. 9. sub fin., Opp. T. II. p. 150.
7) Homil. XII in Levitic. c. 3 fin., Opp. T. II. p. 251.

mysterium, de quo tractamus, ostendit, cum dicit: „„Dic tu prior!““ *ut ostendat tibi, quia praevenire illum debeas, qui paratus est ad accusandum. Tu ergo, inquit, dic prior, ne te ille praeveniat, quia si prior dixeris et sacrificium poenitentiae obtuleris, ... et tradideris carnem tuam in interitum, ut spiritus salvus fiat in die Domini: dicetur et tibi, quia et tu percepisti in vita tua mala, nunc vero hic requiesce. ... Vide ergo quia pronuntiare peccatum peccati remissionem meretur. Praeventus enim diabolus in accusatione ultra nos accusare non poterit, et si ipsi nostri simus accusatores, proficit nobis ad salutem; si vero exspectemus, ut a diabolo accusemur, accusatio illa cedit nobis ad poenam.*“ 1) Neque solum publica delicta, sed etiam *occultas* cogitationes sacerdoti revelandas esse tradit. „*Etiam quamdiu absconditae erant cogitationes nec prolatae in medium, impossibile erat, eas penitus interfici. Unde et nos, si peccaverimus, debemus dicere: Peccatum meum notum feci tibi, et iniquitatem meam non abscondi. ... Si enim hoc fecerimus, et revelaverimus peccata nostra non solum Deo, sed et his, qui mederi possunt vulneribus nostris atque peccatis, delebuntur peccata nostra ab eo, qui ait:* „„Ecce delebo ut nubem iniquitates tuas, et sicut caliginem peccata tua.““ 2) Quae verba certo non possunt detorqueri in confessionem, quae soli Deo fiat. Confessionis autem *auricularis* ministrum esse *presbyteros* seu Domini sacerdotes, qui peculiari ordinatione inaugurantur, multoties ostendit. „*Habemus* quidem, inquit, *omnes potestatem remittendi peccata in nos* admissa; ... *sed is, in quem Jesus insufflavit, quemadmodum in Apostolos, quique a fructibus cognosci potest accepisse Spiritum Sanctum, et factus esse spiritualis, ... is dimittit, quae dimitteret Deus, et insanabilia peccata retinet, ministrans sic ... soli dimittendi potestatem habenti Deo. ... Sic itaque*

---

1) Homil. III in Levit. c. 4 sub fin., Opp. T. II. p. 196.

2) Homil. XVII in Lucam, Opp. T. III. p. 952. col. 2. fin.

Apostoli et qui similes apostolis sunt, Sacerdotes, juxta magnum Pontificem disciplina divini cultus instructi et a Spiritu edocti, sciunt, pro quibus peccatis et quando et quomodo offerre sacrificium oporteat, et pro quibus non oporteat etiam norunt.“ 3) Quibus tamen verbis Origenes minime a sola scientia et *morali sacerdotis dispositione* dependere *validitatem absolutionis* dicit, atvero inquit, permultum interesse peccatoris, *qualis* sit minister hujus sacramenti, cui possit quam saluberrime peccata sua confiteri; unde non cuique proximo sacerdoti sed viro utique peritia et pietate conspicuo utendum esse. „*Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum; proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi et compatiendi noverit disciplinam, ut ita demum, siquid ille dixerit, qui se prius eruditum medicum ostenderit et misericordem, siquid consilii dederit, facias et sequaris; si intellexerit et praeviderit, talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiae exponi debeat et curari, ex quo fortassis et ceteri aedificari poterunt, et tu ipse facile sanari; multa hoc deliberatione et satis perito medici illius consilio procurandum est.*“ 4)

d. S. *Extrema unctio.*

§. 475. Origenes, ubi de septimo genere remissionis peccatorum disserit (§. 473), duplex sacramentum conjungit, nempe *Poenitentiam* et *Extremam unctionem*, quae scilicet ex mente antiquorum Patrum quasi perfectio et *consummatio poenitentiae* christianae est. Postquam enim de septimo, duro admodum et laborioso genere poenitentiae dixit, statim annectit: „*In quo impletur*

3) De Oratione c. 28 sub fin., T. I. p. 255.

4) Homil. II. in Psalm. XXXVII. c. 6 post. init. Opp. T. II. p. 688.

et illud, quod Jacobus Apostolus dicit: „„*Siquis autem infirmatur, vocet presbyteros ecclesiae, et imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et, si in peccatis fuerit, remittentur ei.*"" [5]) Licet vero utramque, Poenitentiam et extremam Unctionem, conjungat, tamen alteram ab altera probe distinguit, cum extremae unctioni *propriam* et ab sacramento poenitentiae prorsus *diversam materiam* assignet. Patet igitur, persuasum fuisse Origeni, unctionem illam esse *sacramentum* proprie dictum, seu signum sensibile, quod ex divina institutione gratiam conferat. Nec dubitari potest, quin de hoc sacro ritu *Ecclesia* eandem, ac Origenes, fidem tenuerit, cum ista olei innunctio describitur non tanquam res tunc demum incepta, sed tanquam mos, qui ab Apostoli *Jacobi* tempore in Ecclesia usque obtinuerit.

10. De communione et veneratione Sanctorum.

§. 476. Catholicum dogma de *communione Sanctorum* Origenes praeclare tuetur atque exponit. „*Sed et Sanctorum socios nos dicit Apostolus; nec mirum. Si enim cum Patre et Filio dicitur nobis esse societas, quomodo non et cum Sanctis, non solum qui in terra sunt, sed et qui in coelis? Quia et Christus per sanguinem suum pacificavit coelestia et terrestria, ut coelestibus terrena sociaret.*" [1]) Ex hac nostra cum Sanctis conjunctione consentaneum esse videtur, quod „*cum omnes corpus Christi et membra ipsius dicamur, ... neque decedentes hinc Sancti continuo integra meritorum suorum praemia consequuntur; sed expectant etiam nos, licet morantes, licet desides. Non enim est illis perfecta laetitia, donec pro erroribus nostris dolent, et lugent peccata nostra. ...*

5) Homil. II. in Levit. c. 4 med., Opp. T. II. p. 191.
1) Homil. IV. in Levit. c. 4 med., Opp. T. II. p. 200.

Omnes enim exspectant nos, ut nobiscum perfectam beatitudinem capiant. . . . Unum enim corpus est, quod justificari exspectatur, unum quod resurgere dicitur in judicio." [2]) Atque Angeli „*ceu cognatos et amicos videntes eos, qui ipsorum pietatem in Deum aemulantur, ac Deum invocant, riteque illum precantur, eorum saluti collaborant, illis apparent, putantque sui esse officii, illis obsequium praestare et quasi ex compacto venire ad beneficia salutemque eis conciliandam, qui Deum orant, cui et ipsi preces offerunt.*" [3]) „*Sed et omnes Sancti, qui de hac vita decesserunt, habentes adhuc caritatem erga eos, qui in hoc mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum, et juvare eos precibus sui atque interventu suo apud Deum, non erit inconveniens.*" [4]) Imprimis et „*eorum animae, qui propter testimonium Jesu securi percussi sunt, coelesti altari haud frustra adstant, sed precantibus remissionem peccatorum ministrant.*" [5]) Econtra fideles Sanctos laude et veneratione precibusque prosequuntur. „*Obsecratio, et postulatio et gratiarum actio non absurde potest et Sanctis offerri;* [6]) . . . *sed honorem Deo debitum illis non habemus.*" [7]) *Adorationem* enim soli Deo debitam a *veneratione* accuratissime distinguit Origenes. [8]) Cultus igitur, quo Deum Patrem per Filium prosequimur, omnium creaturarum, hominum, Sanctorum, Angelorum *communis* est, mediante ipso summo Pontifice

---

2) Homil. VII in Levit. c. 2 med., Opp. T. II. p. 222.

3) Contra Celsum Lib. VIII. c. 34 med., Opp. T. I. p. 767.

4) Comment. in Cant. Cantic. Lib. III. Opp. T. III. p. 75. col. 1. med. „*Ego sic arbitror, quod omnes illi, qui dormierunt ante nos, Patres pugnent nobiscum, et adjuvent nos orationibus suis.*" Homil. XVI. in Josue c. 5 med., Opp. T. II. p. 437.

5) Exhort. ad Martyr. c. 30 med., Opp. T. I. p. 293. Cf. Contra Celsum. Lib. VIII. c. 64 med., T. I. p. 789.

6) De Oratione, c. 14 sub fin., Opp. T. I. p. 221.

7) Contra Celsum Lib. VIII. c. 57 sub fin., Opp. T. I. p. 785.

8) Cf. Contra Celsum Lib. VII. c. 13, cum De Oratione c. 14. 15, Opp. T. I. p. 751. 219 sqq.

ac Salvatore Jesu Christo. „*Neque vero Pontifex solus* (Jesus) *orat cum rite orantibus, sed et Angeli gaudentes in coelo, ... Sanctorum item, qui jam dormierunt, animae. ... Una enim e praecipuis virtutibus juxta divinum sermonem est charitas in proximum, quam ii, qui jam dormierunt, Sancti multo magis in eos, qui in vita militant, habere putandi sunt, quam ii qui etiamnum sunt in humana infirmitate, imbecilliorumque pugnam adjuvant.*“ 9)

D. De erroribus Origenis.

§. 477. Ceterum admirandi hujus viri doctrinam omnis erroris immunem asserere vetant SS. Patrum et Ecclesiae de ipso judicia; prohibent et ipsius libri, qui, uti nunc nobis extant, graves utique *errores* repraesentant. Et quamvis minime ambigamus, ejus libros postmodo fuisse ab *haereticis* corruptos; tamen omnes errores refundere in istam corruptionem temerarium esse videatur. Errandi autem causa ei fuit *philosophia*, cui, ut haereticos praesertim Gnosticos ipsorum quasi armis potissimum profligaret, plus aequo indulserat. Platonicae enim philosophiae placitis cum accommodaret mysteria religionis, multa depravavit. Potiores autem, quos Patres in Origene redarguunt, errores hi sunt: 1. Sensit hominum animas ante corpora creatas, et coelestes fuisse virtutes, quae ob peccata vitae ante actae in corpora, velut in carceres quosdam, supplicii causa immissae dein fuerint. 2. Sensit animam Christi praeextitisse, Deo Verbo unitam ante incarnationem; et Christi passionem ipsis quoque daemonibus profuturam; nimirum aliquando daemonum hominumque impiorum suppliciis finem imponendum esse propugnavit. 3. Nec poenarum tantum, sed etiam felicitatis tempus certis circumscriptum terminis esse

9) De Orat. c. 11 init., Opp. T. I. p. 213 sq.

voluit, animasque ad perfectionis culmen evectas ob mobilitatem libertatis rursus a virtute in vitium deflectere posse, easque, cum id fecerint, in corporis carcerem iterum detrudendas. 4. Carnis resurrectionem voce tenus quidem adstruxit; sed illud qualecunque corpus, quod in consummatione mundi recepturae essent animae, aethereum fore existimavit. 5. Astra animata esse affirmavit, et mundorum perpetuam propagationem ac successionem admisit. Ceterum non est infitiandum, nonnulla ex his ipsis erroneis dogmatibus, si non mitiorem aliquam interpretationem, tamen quoad expressiones non mediocrem *excusationem* admittere; eum enim secutus est auctor disserendi modum, qui *dubitantem* potius quam *asserentem* decet. Praeterea permulta, quae in libris Περὶ ἀρχῶν juvenili ac luxuriosiori ingenio indulserat, in aliis et iis quidem posterioribus scriptis *correxit* et *emendavit*. Denique omnes fere, in quibus a vero aberravit, sententiae eas potissimum quaestiones concernunt, quae tunc temporis nondum *Ecclesiae* judicio plane discussae fuerant atque decisae. Erat enim Origenes vir ceteroquin fidei regulae religiosissime adhaerens; unde etiam circa ipsa dogmata probe distinxit, quae sint *fundamentalia*, quae non. Et in iis quidem, quae sunt ejusmodi, ut sine eorum notitia nec in Christum credere nec salutem aeternam consequi valeamus, nemini a Sacris Scripturis et apostolica Traditione recedere licere strenue hortatur. „*Propter hoc*, ait, *necessarium videtur*, *prius de his singulis* (quae principaliter ad fidem pertinent) *certam lineam manifestamque regulam ponere, tum deinde etiam de ceteris disserere; ... servetur vero ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, et usque ad praesens in ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione.*“ [10])

---

10) De Principiis, Praefat. c. 2, Opp. T. I. p. 47.

IX.

S. Gregorius Thaumaturgus.

A. Vita.

§. 478. *S. Gregorius, ob signa et miracula, quae cum multa ecclesiarum gloria perpetravit, Thaumaturgus,* [1]) et a Graecis non immerito cognomine *Magnus* insignitur. *Theodorus* antea dictus, *Neocaesareae* in Ponto nobili quidem genere sed ethnicis parentibus natus est, et amisso per mortem patre suo, cum ipse quatuordecim esset annorum puer, ex voluntate matris unacum fratre suo *Athenodoro* arti rhetoricae operam dedit. Magister autem, quo in adiscenda latina lingua utebantur, facile persuasit adolescentulis, ut etiam juris Romani notitiam sibi compararent, quo facilius sibi ad capessenda publica munera viam aperirent. Quo facto quum jam in eo essent, ut ex more nobilium Graecorum scholam aliquam illustriorem adirent, accidit, ut vir, cui soror eorum nupserat, a praeside Palaestinae Caesaream avocatus aliquam administrationis curam susciperet assessoris nomine, nec ita multo post uxorem quoque ad se arcesseret. Hanc igitur Gregorius et Athenodorus comitantur eo potissimum consilio, ut deinde ex urbe *Caesarea Palaestinensi* Berytum, nobilem tunc Romani juris scholam, se conferrent. Eodem vero tempore *Origenes* Caesareae versabatur (Cf. §. 413), ad quem tantus undique discipulorum concursus fiebat, ut et fratres nostri constituerent ibi remanere, et tanti praeceptoris curae se submittere. [2])

---

1) *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 65, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 119.

2) *S. Greg. Thaumat.* Oratio panegyr. in Origenem c. 5, in *Gallandii* Biblioth. vett. PP. T. III. p. 419, et in Origenis Opp. omn. ed. *De la Rue* T. IV. p. 62.

§. 479. Qui cum eos Graecis Romanisque disciplinis nimium deditos vidisset, in eorum animos instillans philosophiae amorem, abjectis prioribus studiis ad rerum divinarum meditationem traduxit. Itaque quum quinquennio integro (sc. ab anno 231 — 235) in ejus auditorio versati fuissent, tantopere in divinis eloquiis profecerunt, ut ambo adhuc admodum juvenes ecclesiarum in Ponto episcopi fuerint constituti. [8]) Quo vero quantoque desiderio et amore Gregorius Origenem amplecteretur, ipse professus est dicens: „*Velut scintilla quaedam mediam animam nostram invadens accendebatur et inflammabatur tum erga ipsum ineffabili pulchritudine omnes allicientem sacrum sermonem, tum erga virum hunc ejus interpretem amor; quo vehementissime ictus res omnes et disciplinas, quae congruere nobis videbantur, ut spernerem mihi persuasi, quin et patriam et propinquos, tum praesentes qui aderant, tum eos a quibus discesseram; unumque mihi optabile et amandum videbatur Philosophia, ejusque magister Vir hic divinus. Et conglutinata est anima Jonathae animae David.*“ Antequam vero Gregorium fratremque ejus theologia instituendos susciperet Origenes, *dialecticam* eosdem et *physicam*, *geometriam*, *astronomiam*, tum denique *ethicam* docebat, non tam mere theoretica doctrinae expositione quam ejusdem ad vitae usum applicatione. Etenim non sic de virtutibus dicebat, ut verbis solum dissereret, sed ad opera potius incitabat, et incitabat operibus magis factisque quam verbis. Tum demum, postquam Origenes discipulos suos omnibus philosophiae partibus imbuerat, *theologiam* est aggressus, sedulo cavens, ne uspiam in re omnium maxime necessaria, h. e. in primae omnium causae cognitione periclitarentur, et sic philosophari eos jubebat, ut omnia, quotquot extant, veterum tum philosophorum tum poëtarum scripta sive Graecorum sive Barbarorum evolverent, praeter ea, quae

---

8) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 30, ed. Zimmermann. p. 441.

atheorum essent, qui a communi hominum coetu discedentes Deum ac providentiam esse negant. Ne vero a recto veritatis tramite Gregorius noster aberraret, ipse iter Origenes praeibat, eumque quasi manu ducebat. [4])

§. 480. Interea anno 235, interfecto *Alexandro Severo* imperatore gravissima praesertim in clericos a *Maximino* ejus successore commota est persecutio, cujus vi pulsus Origenes Caesarea relicta in Cappadociam secessit, ibique per biennium apud Julianam latitavit (§. 413). Sub idem tempus igitur Gregorius *Alexandriam* profectus esse dicitur, ibique tanta ob vitae puritatem integritatemque laude fulgebat, ut coaequales quidam, quibus juvenis pudicitia probro ac molestiae erat, vafrum quoddam consilium excogitantes (ut nempe illius vitae maculam inurerent) mulierculam quandam, quae corporis usu quaestum faciebat, ad eum mitterent, quasi mercedem turpitudinis ab eo postulaturam. Cum itaque Gregorius more solito cum viris doctis atque delectis in habitu gravi de quadam quaestione philosophica disputaret, ad eum impudica mulier accedens, tanquam in scena ludens, mercede sua se fraudatam fuisse dixit. Qua de re, etsi omnes, qui ejus continentiam bene noverant, indignarentur et irati in mulierculam inveherent, ipse minime perturbatus est; nec quidquam, ut se a calumnia tueretur, protulit, sed sedata voce conversus ad quendam familiarem: „*Heus tu*, inquit, *numera ei pecuniam, ne nos diutius importunitate sua conturbet.*“ Vix autem meretrix manu pecuniam acceperat, cum a spiritu maligno correpta, fremituque immani ingemiscens, prona in medio congregatorum collabitur, spectaculum horrendum praesentibus repente facta. Nec prius a daemonio suffocari desiit, quam Magnus ille Deum pro ea invocasset. Hanc historiolam *Gregorius Nyssenus* ab avia sua, quae et ipsa

---

4) *S. Gregor. Thaumat.* l. l. c. 9. 13; apud *Origen.* T. IV. ed. laud. p. 69. 76; apud *Galland.* T. III. p. 425. 428.

Neocaesareae, ubi Thaumaturgus erat episcopus, vixerat, acceptam memoriae nostrae prodidit. [5]) Sedata vero persecutionis procella, quum post *Maximini* necem regnante *Gordiano* pacem recuperasset Ecclesia, et Origenes Caesaream, quae est in Palaestina, rediisset, Gregorius item illuc reversus, annoque circiter 238 *baptizatus* est. Inde in patriam redux omnium oculos in se convertit; ipse vero ab hominum societate secedens relictis omnibus bonis in solitudinem abiit.

§. 481. At *Phaedimus*, metropolitanae *Amasenorum in Ponto* ecclesiae praesul, divino quodam spiritu ductus, magnum *Gregorium* ecclesiae administrationi praeficere omni studio conatus, cum illum manu capere non posset et ad sacerdotium adducere, loco impositionis manuum sermonem adhibens eundem *Neocaesareae in Ponto episcopum* designavit. Etenim Thaumaturgus diu, sedibus iterum atque iterum latitandi causa mutatis et ex alia in aliam solitudinem recedens reluctatus est, donec Deo animum ejus suaviter disponente non ulterius resistendum putavit, et lubens jugo imposito sibi se submisit. Quo facto, quae in ordinatione legitime fieri solent, super illum sunt peracta. Ne vero praepropera festinatione episcopali ministerio se ingereret, non prius ad munus hoc angelicis humeris formidandum manus admovit, quam per aliquod tempus in secessu animum suum praeparasset. In hac ipsa praeparatione, cum diu multumque, quaenam esset Ecclesiae catholicae vera genuinaque doctrina, anquireret, a divo *Joanne* Apostolo et Evangelista per nocturnam visionem illud accepit *fidei symbolum*, quod postea in ecclesia sua praedicavit (§. 484). [6]) Tum Gregorius ex

5) *S. Gregor. Nyssen.* in Vita Gregorii Thaumaturgi c. 5, in Ej. Opp. omn. (Paris. 1638. III. ed. Morelli) T. III. p. 540, et in *Galland.* Biblioth. PP. T. III. p. 443.

6) *S. Gregor. Nyssen.* l. l. c. 8 sq.; in Ej. Opp. omn. ed. laud. T. III., et apud *Galland.* T. III. p. 446.

secessu suo rediit *Neocaesaream*, qua in urbe ex innumeris incolis nondum plures quam septemdecim Christi fidem tenuerunt. Atvero vir sanctus praedicationem evangelii miraculis confirmans, multosque varii generis languentes sanans effecit, ut brevi tempore magna hominum multitudo crederet. Cumque ejus industria, laboribus atque miraculis fidelium numerus in immensum crevisset, *ecclesiam* in loco civitatis maxime eminente aedificavit. Et haec quidem *prima* est ecclesia, cujus in genuinis Antiquorum scriptis diserta fit mentio. Non solum autem in sua urbe Neocaesareensi sed etiam in vicinis Gregorius fidem catholicam propagavit, pluribusque civitatibus episcopos dedit. In his praesertim *Alexandrum carbonarium* Cumanorum episcopum ordinavit, qui postquam digne admodum ecclesiam suam rexerat, in persecutione Deciana ignibus injectus martyrii palmam consecutus est. 7)

§. 482. Ipse vero Gregorius hac tempestate furorem Ponticae regionis praefecti declinans in solitudinem abiit, verbis et exemplo hominibus ostendens, nullum animae afferri periculum, si fuga fidem servarent. Sub finem anni 251 interfecto *Decio* imperatore Neocaesaream rediit, et postquam plenam ecclesia recepit tranquillitatem, omnem episcopali suae sollicitudini concreditam regionem perambulabat, jubens *reliquias sanctorum Martyrum* in diversa loca adferri, ut in iis, more hactenus consueto, peculiares *anniversarii* dies in memoriam uniuscujusque martyris celebrare possent. Nihil autem ad propaganda sacra christiana iis in regionibus Gregorio opportunius erat, quam *pestilentia*, qua tunc Pontus devastabatur. Tanta enim necessitate pressi gentiles undique ad eum confugerunt, auxilium a thaumaturgo petentes. Et ecce, ubicunque vir sanctus advenit, pestem fugat. Qua re audita ceteris, quae hactenus ex idolorum vani-

---

7) *S. Gregor. Nyssen.* l. l. c. 11 — 23, apud *Galland.* T. III. p. 440 — 461.

tate vel medicorum arte experti fuerant, omissis omnes ad virum admirabilem confugerunt, qui morbum depelleret. Et hi quidem omnes ad fidem conversi sunt, alii ex gratitudine, quod ipso opitulante a morbo praesenti fuissent liberati; alii, ne in illum inciderent.[8]) Praeterea S. Gregorius falsas sua aetate exortas doctrinas, praesertim *Sabellii* et *Pauli Samosateni* errores, constanter oppugnavit. Et coactae adversus Samosatenum *synodo Antiochenae* ao. 265 ipsum interfuisse compertum habemus. Num *alteri* quoque eadem de re convocato concilio, quo Paulus tandem depositus est, interfuerit, merito dubitatur, nec quid post annum supradictum gesserit, aut quousque vitam protraxerit, ullibi memoratur. *Nicephorus* Gregorium nostrum ad tempora Diocletiani usque, qui anno 284 regnare coepit, vixisse putat; verum is Thaumaturgum confundit cum Gregorio *Armenico*. Multo adeo apertius errat *Suidas*, qui eundem pervenisse scribit ad tempora Juliani Apostatae, qui demum ao. 361 Constantio in imperio successit. Imo vero Sanctum Patrem *anno circiter* 266 jam obiisse verisimillimum est. Cum extremum sibi adesse diem praenosceret, totamque regionem perscrutatus quaesiisset, quot adhuc gentiles in sua dioecesi superessent, *septemdecim* esse comperit, qui nondum Christum profiterentur. Totidem dumtaxat, ut supra memoravimus, illius urbis Christiani erant eo tempore, quo ecclesiam suam regendam susceperat.[9]) Cum hoc magno solatio e vita discessit *Gregorius magnus*, qui *ob ea, quae in ipso operabatur Spiritus Sanctus in omni virtute signa et prodigia, ab ipsis veritatis hostibus alter Moyses appellatus esse* perhibetur;[10]) et *cujus gesta sub orientali et septemtrionis axe cunctorum sermone celebrantur.*[11])

---

8) *Idem* eod. c. 23 sqq., ap. *Galland.* T. III. p. 461 sqq.

9) *Id.* eod. c. 28, ap. *Galland.* T. III. p. 466.

10) *S. Basilius M.* De Spiritu Sancto c. XXIX, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. §. 74. p. 62.

11) *Rufinus Aquilej.* in Hist. eccl. Lib. VII. c. 25.

Quantis alii Patres et Scriptores memoriam ejus laudaverint praeconiis, videre est in testimoniis veterum, quae adstruit *Andr. Gallandius* in sua Bibliotheca PP. T. III. p. 379 — 485.

B. Scripta.

1. Opera genuina.

a. *Oratio panegyrica in Origenem.*

§. 483. *Oratio in Origenem panegyrica* in perfectissimis totius antiquitatis libris recensenda,[1]) opus eloquentiae absolutissimum habetur, in quo et ars bene dicendi et ipsius auctoris eruditio admiranda est.[2]) De hujus orationis *genuinitate* nihil uspiam decertatum est; atvero de *tempore*, quo scripta sit, non omnes consentiunt, cum alii illam anno 235, alii demum ao. 239 exaratam censeant. Nos *Hieronymi* sententiam sequentes, qui Gregorium quinquennio ab Origene eruditum, et scholae ejus valedicturum, convocata grandi frequentia atque ipso praeceptore praesente, hunc sermonem panegyricum et charisterium recitasse narrat,[3]) *anno* 239 consignatam fuisse cum viris DD. *Ceillierio, Schroeckhio, Gallandio, Lumpero*, aliis arbitramur. *Argumentum orationis* jam ex inscriptione satis apparet. Gregorius ex eo orditus, quam sit difficile, Origenem pro merito laudare, vitam suam ante actam describens refert, quomodo ex illo tempore, quo divina providentia ductus Caesaream pervenerit, ab Origene susceptus, et ad philosophiae studium excitatus ac divina theologia imbutus fuerit. Maximas illi pro conversione sua gratias agit; ostendit, quam

---

1) *El. Dupinus* in Bibliothèque des auteurs eccl. T. I. p. 286, ed. Colon.

2) *Rem. Ceillier* in Histoire générale des auteurs sacrés, ed. Paris. T. III. p. 312.

3) *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 65.

aegre discedat a magistro, quem summe diligebat; et commendationi ejus piisque precibus se committebat.

b. Symbolum fidei.

aa. Mira ejus origo.

§. 484. *Anno* 240 in secessione illa, qua ad obeundum munus suum episcopale se praeparaverat (§. 481), factum est, ut nocte quadam in doctrinae christianae examine peracta Gregorio senex vultu ac veste venerabilis apparuerit, qui percontanti, quis esset et cur venisset, voce gravi animum confirmat, dicitque a Deo sese missum, ut fidei veritatem ipsum doceret. Tum manu protensa ex adverso stantem mulierem coelesti fulgore circumfusam ei ostendit. Gregorius autem cum miratus utrumque se invicem compellare audisset, *Mariam Matrem Domini* esse comperit, quae *Joannem Apostolum et Evangelistam*, venerabilem illum senem, hortatur, ut juveni auscultanti mysteria verae fidei revelaret. Et locutus est senex, et fidem veram brevi sermone recludit. Quo facto disparuit visio, et Gregorius, quod didicerat, statim literis consignavit. 1) Exiguum hoc *fidei symbolum*, doctrinam de Trinitate exponens, postea semper in ecclesia Neocaesareensi asservatum ac publice praelectum est. Contextum ejus infra (§. 496) reddituri sumus.

bb. Ejusdem genuinitas.

§. 485. *Genuinam* esse hanc perexiguam fidei expositionem, plurimis Antiquorum testimoniis affirmatur. *S. Gregorius Nyssenus* primus omnium hanc formulam descripsit, eamque suo tempore ipsa Thaumaturgi manu exaratam (αὐτόγραφον) vidisse testatur. 2) *S. Basilius*

1) *S. Gregor. Nyssen.* in Vita Gregorii Thaumat. c. 8: 9, apud *Galland.* T. III. p. 446.

2) *Idem* l. l. c. 10, ap. Galland. p. 448.

unacum Gregorio Nysseno fratre suo a beata Macrina, avia sua, quae Thaumaturgum audierat, illam accepisse saepius refert. [3]) His viris sanctis suffragatur etiam *S. Gregorius Nazianzenus*, [4]) et *Rufinus*, qui Gregorii nostri symbolum verisimilius ex Nysseno excerptum suae versioni historiae Eusebianae intexuit; [5]) item Patres in *synodo V oecumenica* congregati, [6]) et *Germanus* Patriarcha Constantinopolitanus in Libro de synodis et de ortu haeresum ad Anthimum Diaconum; [7]) ut *Apocrisiarios Gregorii* IX Papae, ut *Nicetam* aliosque recentiores Graecos omittam, quos Leo Allatius laudat. [8]) Quae quum ita sint, ex solo silentio Eusebii, Hieronymi et Sophronii nemo sane genuinitatem hujus opusculi oppugnare audebit. Scimus enim, Sophronium Hieronymi interpretem dumtaxat fuisse, Hieronymum autem in suo De viris illustribus libro ipsummet Eusebium plerumque adsectari; ipsum vero Eusebium symbolum istud, cum perexiguum sit, et soli Neocaesareensi ecclesiae usitatum, facile fugere potuit; imo si verum est, quod Photius olim observat, Eusebium in sua historia praetermittere consuevisse, quaecunque Arianam haeresim evertere viderentur, nemo non videt, quod Eusebius fortasse etiam ex industria hoc praeclarissimum adversum Arianos argumentum praetermiserit. Majorem forte dubitationem cuipiam incusserit objectio *Chr. Frid. Roesleri*, qui symbolum sive totum supposititium, sive ex parte, praesertim versus finem

---

3) *S. Basil. M.* De Spiritu Sancto c. 29. nr. 74, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. III. p. 63; *Idem* in Epist. CCIV. nr. 6, ibid. p. 306.

4) *S. Greg. Nazianz.* in Orat. XXXI. nr. 28, et Orat. XL. nr. 42, in Ej. Opp. omn. ed. Maur. T. I. p. 574. 725.

5) *Rufini* Hist. eccl. Lib. VII. c. 25.

6) in *Mansi* Coll. Conc. T. XI.

7) in Biblioth. PP. max. (*Lugdun.* 1677) T. XIII. p. 62.

8) *Allatii* Graecia orthodoxa (ed. Rom. 1659. II. 4) T. I. p. 426, II. p. 434. 735. 953.

interpolatum fuisse propterea dicit, quod nemo Patrum in synodo Nicaena I, ne Athanasius quidem illius mentionem fecerit, cum tamen ita omnino compositum sit, ut nemo potuisset quidquam determinatius adversus Arianos perscribere, maxime vero clausula ab alio quodam ex praecedentibus adducta et annexa esse videatur. Verumtamen non tanta mentis confidentia *Gregorius Nyssenus* ad *αὐτόγραφον* in ipsa Neocaesareensi ecclesia asservatum provocare ausus fuisset, si illud ibidem non extitisset; et *Gregorius Nazianzenus* Thaumaturgi verba allegans: „*Nihil in Trinitate servum, nec creatum, nec adventitium*" ... satis probat, se pro certo habuisse, verba haec sub finem symboli occurrentia ab ipso Thaumaturgo perscripta, non (ut *Basnagio* visum est) a Gregorio Nysseno interpretationis gratia apposita fuisse.

c. *Metaphrasis in Ecclesiasten.*

§. 486. Extat sub Gregorii Thaumaturgi nomine etiam magnificentissime conscripta *Metaphrasis in Ecclesiasten*,[1]) brevis quidem sed valde utilis, ut ait *Hieronymus*,[2]) qui et suo commentario in Ecclesiasten nonnulla ex ea intexuit. Et hanc quidem metaphrasin praeter *Hieronymum* et *Rufinum* etiam *Suidas*, *Honorius Augustodunensis*, *Vossius*, *Tillemontius*, *Billius*, *Caveus*, *Ceillierius*, *Bengelius*, et recentiores VV. DD. *Tobenz*, *Lumper*, *Busse*, *Locherer*, *Annegarn*, *Moehler* ad unum omnes nostro Gregorio attribuunt, quamquam eadem in nonnullis Mss. codicibus *Gregorii Nazianzeni* nomen in inscriptione praesefert. Talem enim nominum commutationem saepius in Antiquorum monimentis obviare deprehendimus. Adde quod stylus non usquequaque adeo excultus et elaboratus est, qualis in Nazianzeni libris passim elucet. Ad haec peculiares quaedam in ea locu-

1) *Rufini* Hist. eccl. Lib. VII. c. 25.
2) *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. 65.

tiones occurrunt, quibus etiam in suo panegyrico utitur Thaumaturgus. Totum librum in *duodecim capita* divisum succincta quidem sed accurata interpretatione illustrat auctor. Quo autem *anno* sit exaratus, minus liquet; verisimilius c. a. 262.

d. Epistola canonica.

§. 467. Ex epistolis S. Patris nostri, quae vulgo ferebantur,[1] una tantum superest, in canonicis SS. Patrum epistolis et in conciliorum collectionibus pluries excusa. Nec est, quod de ejus *genuinitate* dubitemus;[2] omnia enim vetustatis habet argumenta, quae in talibus monimentis desideriari possunt. Scripta autem esse ea tempestate videtur, qua *Gothi* Pontum aliasque Asiae provincias crebris incursionibus vastabant, imperante nempe *Valeriano*[3]) *anno c.* 258. In qua Barbarorum incursione cum plures etiam Christiani agmina hostium sequi cogerentur, et multa atque gravia (ut in tanta rerum omnium dissolutione fieri solet) facinora patrassent; episcopus quidam a Gregorio Neocaesareensi consilium petiit, quomodo in hosce peccatores debeat animadvertere. S. Pater igitur epistolam ad eum dedit, in qua per singulos canones suam edixit sententiam, variosque poenitentiae gradus decrevit; qui canones postmodo cum aliis a Concilio *quinisexto* (seu *Trullano* ao. 692) recepti sunt. Et primi quidem *decem* canones omnium Eruditorum consensu Gregorio adscribuntur; ultimus vero, qui est *undecimus*, a plerisque tanquam supposititius et a posteriore manu annexus recte rejicitur. Etenim non est canon,

---

1) *S. Hieronym.* l. l.; *Suidas* sub voce *Γρηγορ.* p. 622; *Honor. Augustodun.* De Scriptt. eccl. c. 66, in Fabricii Biblioth. eccl. p. 77.

2) *Natal. Alex.* Hist. eccl. ed. Paris. T. VI. p. 79; *Dupini* Biblioth. ed. lat. Colon. T. I. p. 287; *Ceillieri* Histoire générale T. III. p. 319.

3) *Zosimus* Hist. Lib. I (ed. Oxon. 1679) p. 29 sq.

sed quasi commentarius, stationes nimirum poenitentium explicans; nec in canonum collectione a *Gregorio* Patriarcha Constantinopolitano, qui reliquos decem Thaumaturgi canones exscripsit, 4) nec in *Zonarae* Commentario, nec in *Nomocanone* graeco 5) invenitur.

2. Scripta spuria.

a. *De expositionibus fidei Gregorio perperam attributis.*

aa. *Expositio fidei prolixior.*

§. 496. Praeter illa, quae tum Veterum auctoritate tum Recentiorum consensu tanquam genuina S. Patris nostri scripta agnoscuntur, alia nonnulla sub Ejusdem nomine sed ea perperam circumferuntur. In his praecertim quaedam *Expositio fidei prolixior*, quae *Fides particulatim digesta* (ἡ κατὰ μέρος πίστις) appellatur, quia singula fidei dogmata explanantur. Primum edita est inter Thaumaturgi opera a *Francisco Turriano* S. J. presbytero, deinde a *Gerardo Vossio* in sua editione omnium S. Gregorii quae extant Operum (§. 495). Eandem vero non Gregorii nostri, sed *Apollinaris haeretici* esse, dudum inter Eruditos constat, siquidem jam *Leontius Byzantinus* diserte id testatus est dicens: „*Quidam ex haeresi Apollinaris vel Eutychetis vel Dioscori, cum vellent haeresin suam confirmare, multos libros Apollinaris Gregorio Thaumaturgo aut Athanasio aut Julio inscripserunt, ut simpliciores fallerent, ... et apud multos ex recte credentibus reperire poteris librum, cui titulus:*

---

4) *Morini* Tract. de administratione sacramenti Poenitentiae Lib. VI. c. 1. §. 9 (ed. Bruxell. 1658) p. 355.

5) *Alb. Fabricii* Biblioth. graec. T. V. Lib. V. c. 1, p. 252.

ἡ κατὰ μέρος πίστις, inscriptum Gregorio." 1) Idem fere judicium tulit *Eulogius Alexandrinus.* 2) Imo jam *monachi Palaestinenses* sub Leone I imperatore operum Apollinaris indicem, quem Timotheus ejus discipulus olim contexuerat, proferentes palam comprobarunt, hanc expositionem fidei genuinum parentem agnoscere illum haeresiarcham.

bb. Duodecim Anathematismi.

§. 499. Loco appendicis ad prolixiorem fidei expositionem supra memoratam annexi sunt *duodecim anathematismi*, qui primum latine ex Turriani versione prodierunt in *Ant. Possevini* Sacro apparatu, tum gr. et lat. in *Henr. Canisii* Lectt., 3) deinde in editione *Vossiana* (§. 495) p. 29—40. Haec vero duodecim capitula cum eorum interpretatione non Gregorii Thaumaturgi esse, satis jam ex eo cognoscitur, quod in iis *Nestorii* et *Eutychetis* haereticorum multo post viventium errores expugnantur. Unde nec ii recte sentiunt, qui hos anathematismos ab *Apollinare* putant exaratos. Etenim is ipse aliquanto ante Nestorium extiterat; imo anathematismus decimus ac praesertim undecimus contra ipsam Apollinaris haeresin diserte scripti sunt. Quisquis igitur auctor est, S. Gregorio Neocaesareensi eos perperam adscribi nunc adeo nemo dubitat, 4) ut potius laudata capitula

---

1) *Leontii Byzantini* Lib. in eos, qui proferunt nobis quaedam Apollinarii falso inscripta nomine SS. Patrum, in Biblioth. PP. max. *Lugdun.* T. IX. p. 707.

2) *Eulog. Alex.* apud Photium in Biblioth. Cod. CCXXX.

3) *Canisii Lectt.* antiqq. (ed. Ingolst. 1603. 4) T. III. p. 1, et in edit. nov. *Basnagii* (Amstelod. 1724) T. I. p. 26.

4) Cf. *Mich. Le Quien* Diss. II, in S. Joann. Damasc. Opp. §. 9. p. XXXVIII. et T. II. p. 571; *Alb. Fabricii* Biblioth. graeca T. V. Lib. V. p. 252; *Rem. Ceillier* Histoire générale T. III. p. 318.

longe *post* Thaumaturgi aetatem edita esse consentaneum sit.[5])

cc. *Expositio fidei ad Aelianum.*

§. **490.** Aliam fidei expositionem, *Aeliano* cuidam quasi a Gregorio nostro nuncupatam, *S. Basilius* commemorat in sua Epistola ad Neocaesareenses.[6]) Quidam enim ejus urbis incolae *Sabellii* erroribus post Gregorii obitum implicati, ut haereticae pravitatis criminationem evitarent, ad illum Thaumaturgi librum provocabant, in quo S. Patrem scripsisse perhibent, Patrem et Filium unum esse *hypostasi* et distinctos sola *mentis abstractione*. Verum illa expositio ab ipsis Neocaesareensibus Sabellianis ad sui erroris patrocinium conficta, et sub Gregorii nomine evulgata esse videtur. Nam neque *Gregorius Nyssenus* alterius a Thaumaturgo editae professionis fidei meminit praeter illam, quam ex revelatione acceperat, nec alii post ipsum meminerunt. *S. Basilius* autem ad Neocaesareenses rescribens, cum imposturae non posset illos convincere, non negavit quidem, illam, quam proferebant, Gregorii esse, attamen benigna interpretatione sententiam emollire conatus est. Ceterum tota haec ad Aelianum expositio fidei *intercidit*.

dd. *Accurata fidei expositio.*

§. **491.** Ejusdem Gregorii Thaumaturgi nomen in fronte gerit alia et ea quidem, ut inscriptio praetendit, „*Accurata expositio fidei*," quae novissime ab *Angelo Majo* le Vaticano codice graeco in lucem protracta,[7]) nec

5) *Natalis Alexandri* Hist. eccl. (ed. laud.) T. VI. p. 79.

6) *S. Basil.* Epist. CCX (al. LXIV) nr. 3, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. III. p. 314.

7) *Ang. Maji* Scriptorum vett. nova collectio e Vatice. Codd. (Rom. 1825 — 33. VIII. 8) T. VII. p. 170 — 176.

cum duabus, quas modo commemoravimus (§§. 488. 490) expositionibus confundenda est. Haec ipsa autem nuper publici juris facta, quamquam minus offensionis in se habet, tamen tuta non est a suspicione vel suppositionis vel saltem depravationis, uti, quicunque eam diligentius perspexerit, haud difficile confitebitur.

b. *Disputatio de anima.*

§. 492. Extat hodiedum sub hoc titulo brevis quidam tractatus *Tatiano* cuidam dedicatus, quem primus *Gerh. Vossius* graece et latinitate donatum scholiisque illustratum in sua editione Opp. S. Gregorii Thaumaturgi (§. 495) p. 135—145 evulgavit. Eundem latine tantum e versione Vossiana *Casp. Barthius* unacum Claudiani Mamerti († 474) De statu animae Libb. III. (Cygneae 1655. 8) p. 460, et posthac alii alibi in lucem ediderunt. Opusculum hoc, toti antiquitati incognitum, plane spurium censetur; nec feliciore conjectura eorum est, qui S. *Maximum* hujus disputationis auctorem esse putant. Neque enim Gregorii nostri neque Maximi aut omnino cujuspiam antiquorum Patrum scriptionem et stylum sapit; imo *Scholasticorum* demum aetate a Graeco quodam etiam supposita fuisse creditur, cum quaestiones et argumenta contineat adeo mere *dialectica*, ut philosophi potius quam episcopi opus esse videatur. [8])

c. *Homiliae.*

§. 493. *Quatuor* denique *Homiliae* sub Gregorii Thaumaturgi nomine in editione *Vossiana* (§. 495) leguntur; et una quidem in *S. Theophania*, tres autem in *Annuntiationem B. V. M.* Verum omnes incassum tanti viri nomen auctoritatemque prae se ferre in aprico est.

---

8) *Ell. Dupini* Biblioth. T. I. p. 200; *Rem. Ceillier* Hist. générale T. III. p. 323.

Non solum enim omnes veteres Scriptores de his altum silent, sed et ipse stylus in homiliis de Annuntiatione valde diversus, humilis, ne dicam puerilis, et a Gregorii nostrii eleganti ac polita dictione prorsus alienus est. Secundam earum esse *S. Procli* Constantinopolitani († 446) suspicatur *Vincentius Riccardus.* 9) Idem *Dupino* et *Gallandio* judicibus etiam de reliquis duabus dicendum est. 10) Homilia autem in Epiphania ceteris quidem elegantior sed ita composita est, ut demum *post* Arianorum et Nestorianorum obortas haereses vixisse auctorem ejus judicari debeat.

3. Operum editiones.

§. 494. Scripta S. Gregorii Thaumaturgi tum simul omnia tum singula seorsim edita habemus. Et *seorsim* quidem emissa est *Oratio panegyrica* in Origenem, Origenis contra Celsum libris subjuncta, studio *Dav. Hoeschelii* cum versione Rhodomanni et nonnullis cum Hoeschelii tum Isaaci Casaubonii notis, Aug. Vindel. 1605, recusa gr. et lat. Antverp. 1613. 8. Optimam vero editionem curavit *Jo. Alb. Bengelius*, Stuttgard. 1722. — *Symbolum Gregorii s. Neocaesareensis ecclesiae* in omnibus fere Conciliorum collectionibus, et in novissima quidem *Dom. Mansi* Coll. T. I. col. 1029 — 1032, necnon in *Fabricii* Biblioth. graeca T. V. p. 249 sq. typis exscriptum est. — *Metaphrasis in Ecclesiasten* latine ex versione Oecolampadii in *Microbresbyteron* (Basil. 1550. f.) p. 119 et in *Heroldi* Orthodoxographa (Basil. 1555. f.) recepta, graece vero et latine cum aliis ejusdem generis opusculis *Antverp.* 1614. 8 prodiit. — *Epistola canonica* primum evulgata est ab *Anton. Augu-*

9) *Procli* Homiliae XX, gr. et lat. edit. Riccardi (Rom. 1630. 4) in hom. VI. observ.

10) *Dupin.* l. l.; *Gallandii* Biblioth. PP. T. III. Prolegg. p. 29.

stino inter ceteros canones poenitentiales, Tarracon. 1584. 4, et post alias deinceps editiones imprimis cum Balsamonis et Zonarae commentariis a *Guil. Beveregio* in Synodic. s. Pandectt. canon. SS. Apostolorum et Conciliorum (Oxon. 1672. II. f.) T. II. p. 24. Eadem Epistola gr. et lat. impressa legitur in *Mansi* Coll. Conc. T. I. col. 1023—1030.

§. 495. *Universa* autem, quae extant, Gregorii Thaumaturgi opera tam genuina quam supposita junctim (et pleraque graece et latine) additis insuper aliorum Veterum scriptis edidit *Gerhardus Vossius* Tangrensis Praepositus, Mogunt. 1604. 4. Hinc latine tantum abierunt in Bibliothecas SS. PP. tam *Coloniensem* quam *Lugdunensem*. Multo autem melior pleniorque est graecolatina editio, qua etiam Macarii Alexandrini et Basilii Seleuciensis scripta et SS. Patrum aliorum Epistolae canonicae cum commentario Zonarae exhibentur, *Paris*. 1621 et 1622 f. Longe vero optime S. Patris nostri Opera, omissis tamen supposititiis, collegit additaque cum Origenis ad Gregorium epistola tum Thaumaturgi vita a Gregorio Nysseno descripta edidit *Andr. Gallandius* in sua Biblioth. vett. PP. (Venet. 1767) T. III. p. 385—469.

C. Doctrina S. Gregorii Thaumaturgi.

1. Symbolum fidei de Trinitate.

§. 469. Totam Ecclesiae fidem de sacrosancto *Trinitatis mysterio* S. Gregorius in symbolo suo (§. 484) paucis his verbis accuratissime exponit: „*Unus* (est) *Deus, Pater Verbi viventis, sapientia subsistentis et potentiae ac characteris sempiterni, perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti. Unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo, character et imago Deitatis, Verbum efficax; Sapientia constitutionis rerum universarum comprehensiva et virtus atque potentia universae creaturae effec-*

tiva; Filius verus veri Patris, invisibilis ejus qui est invisibilis, et incorruptibilis corruptioni non obnoxii, ac immortalis mortis prorsus nescii, et sempiternus sempiterni. Unusque Spiritus sanctus ex Deo existentiam habens, et qui per Filium apparuit, scilicet hominibus; imago Filii, perfecti perfecta; vita, viventium causa, fons sanctus, sanctitatis et sanctificationis suppeditator; in quo manifestatur Deus Pater, qui super omnia est et in omnibus, et Deus Filius, qui per omnia est. Trinitas perfecta, quae gloria et aeternitate ac regno atque imperio non dividitur, neque abalienatur. Non igitur creatum quid aut servum in Trinitate, neque superinductitium aliquid et adventitium, quasi prius non existens, posterius vero adveniens; non ergo defuit unquam Filius Patri, nec Filio Spiritus, sed immutabilis et invariabilis eadem semper manet Trinitas." [1])

2. In specie de Christo Deo.

§. 497. Quamquam S. Gregorius Verbi deitatem et cum Patre consubstantialitatem ita exprimit, ut majori praecisione fieri nequeat, cum nempe eundem dicat Unum Dominum, Deum de Deo, characterem et imaginem Deitatis, effectivam universae creturae potentiam ac vitam, Filium verum veri Patris, Sempiternum Sempiterni; . . . tamen non esse praetermittendas arbitramur alias proprietates personales, quibus S. Doctor actualem Verbi existentiam et ejusdem cum Patre ὁμοουσίαν asserit in sua Oratione panegyrica in Origenem (§. 483). Postquam enim ibi dixerat, Deum Patrem a nulla creatura digne laudari posse, haec de Filio Dei subjungit: „*Sed nos laudationes quidem et hymnos in omnium Regem ac Moderatorem, perennem fontem omnium bonorum, ei, qui et in*

1) *S. Gregor. Thaumat.* Symbolum, ap. *Galland.* T. III. p. 385 sq.

hoc ipso infirmitatem nostram sanat, et quod deest solus explere potest, relinquamus; praesidi, inquam, animarum nostrarum ac Salvatori, primogenito ejus Verbo, omnium Conditori et Gubernatori. Ipsi soli pro seipso et pro omnibus privatim ac universe facile est assiduas atque perpetuas gratias agere; quia, cum sit ipsa veritas, et ipsa Patris universorum et sapientia et potestas, ad haec et in ipso et cum ipso vere atque omnino conjunctus, nullum est periculum, ne vel per oblivionem vel insipientiam aut prae imbecillitate aliqua, sicut quis ab eo sejunctus et alienus esset, vel assequi laudationis modum nequeat, vel ut assequatur quidem, volens tamen (quod nefas est dicere) Patrem sua laudatione destituat: cum ei soli sit in promtu perfectissime omnes congruentium illi laudum numeros adimplere, quem ipse omnium Pater unum secum faciens, per ipsum tantum non sese ipse circumambiens aequali usquequaque cum sua Virtute quodammodo honoret et honoretur; quod quidem primus solusque ex omnibus sortitus est unigenitus ejus, qui in ipso est, Deus Verbum.[2])

X.

S. Dionysius, Episcopus Alexandrinus.

A. Vita.

§. 498. *Dionysius*, cognomine Magnus, genere fuit *Alexandrinus*, parentibus ortus gentilibus sed honore ac dignitate conspicuis. Dum singulas variarum sectarum sententias diligenti examini subjiceret, et veritatem sedulo

2) *Ejusd.* Orat. panegyr. in Origen. c. IV, apud *Galland.* T. III. p. 417; et in *Origen.* Opp. omn. ed. *De la Rue* T. IV. P. II. p. 60.

perquireret, ad Christi fidem conversus est,[1]) *Origenis* imprimis, cujus et ipse discipulus erat,[2]) doctrina non parum adjutus et confirmatus. Presbyter Alexandrinus factus, postquam *Heraclas* Demetrio mortuo illius urbis episcopus constitutus est (§. 412), *scholam catecheticam* obtinuit regendam,[3]) tandemque (ao. 247) mortuo Heraclae in *sede episcopali* successit.[4]) Exorta persecutione *Deciana* (ao. 250) quarto demum die, postquam emissus erat qui eum caperet, et extra urbem latentem, ut putabat, quaesierat, paucis comitantibus fugam instituit. Sed circa solis occasum unacum sociis suis a militibus comprehensus Taposirim perductus est. Rustici vero christiani, ad nuptiale convivium forte congregati, hac re audita confestim quasi signo dato omnes uno impetu consurrexerunt, et celeri cursu in oppidulum irruerunt magno clamore edito. Continuo satellitibus, qui Dionysium ceterosque custodiebant, in fugam versis supervenientes Episcopum suum invenerunt. Qui primo aspectu latrones esse existimans, manens in lecto suo nudus, sola opertus lintea tunica, reliquam vestem, quae juxta posita erat, eis porrexit. At illi consurgere eum, et quam celerrime sequi jusserunt. Invitum et reluctantem comites jam manibus pedibusque comprehensum ex oppidulo exportarunt, et asino impositum in tutum abduxerunt.[5]) Atque ex hoc latibulo plebem sibi commissam literis passim datis commonuit, et ad perseverantiam in perferendis cruciatibus exhortatus est. Hic vir sanctissimus, quo animo miti fuerit et indulgenti erga eos, qui persecutionis tem-

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VII. c. 7. nr. 1, ed. Zimmermanni p. 487 sq.

2) *Idem* eod. lib. VI. c. 29. fin., ed. laud. p. 440.

3) *Euseb.* l. l.; *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 69, in Ej. Opp. ed. Martian. T. IV. P. II. col. 119.

4) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 35, ed. laud. p. 446.

5) *S. Dionys. Alex.* Epist. adv. German. fragm.; in *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 41, ed. laud. p. 452 sqq.

pore prae infirmitate animi lapsi fuerant, luculentum edidit testimonium, in epistola ad *Fabium* Antiochenum episcopum de recipiendis poenitentibus conscripta (§. 500). Idem *Novatianum* schisma molientem mitissimis literis ad eum datis in Ecclesiae sinum reducere adegit (§. 501). Praeterea *Nepotis* cujusdam episcopi errores de chiliasmo, quum late spargeretur, multosque seduceret ista recocta Cerinthi haeresis, colloquio habito restinxit et expugnavit (§. 510). Ortam porro inter *Stephanum* papam et *Cyprianum* de rebaptizandis haereticis controversiam modis quibuscunque potuit sopire studuit, ipse quasi pacis arbiter utrumque ad concordiam resarciendam obire hortatus (§. 502). Eodem tempore contra *Sabellium* haereticum, Ptolemaide Pentapolitana oriundum, qui novam coeperat disseminare haeresin, quam fortissime dimicavit, nimio tamen disputationis ardore abreptus parum aberat, quin in contrarium errorem incideret. Sed recte se ipse, a Romana synodo erroris admonitus, edita apologia defendit dictis incautioribus sensu orthodoxo explicatis (§. 511). *Gallo* imperatore interim e medio sublato, cum vix biennii spatio regnasset, *Valerianus* cum *Gallieno* filio in ejus locum successit. Nec ullus superiorum principum tanta humanitate ac benevolentia Christianos complexus est, quantam ille prae se ferebat initio principatus sui. Verum magister et archisynagogus magorum Aegypti ei tandem persuasit, ut ab hoc instituto desisceret.[6]) De persecutionis autem illius acerbitate, quae et quanta Dionysius unacum aliis ob veri Dei cultum pertulerit, suis ipse docet verbis. Nam post praeclarum Christi confessionem coram *Aemiliano* praefecto factam ipse cum *Maximo* presbytero et *Fausto*, *Eusebio*, *Chaeremone*que diaconis in desertissimam incultissimamque Libyae regionem, cui nomen Cephro, relegatus, statimque quamvis aegrotus proficisci compulsus est, ne diei quidem unius dila-

6) *S. Dionys.* Epist. ad Hermammon. fragm., in *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VII. c. 10. nr. 1. 2, ed. laud. p. 493 sq.

dente conscientia. Apud Cephro vero magna cum eo fidelium multitudo adfuit partim eorum, qui ab urbe sua secuti fuerant, partim aliorum, qui ex reliqua Aegypto confluebant. Ibi quoque januam iis patefecit Deus ad praedicationem verbi sui. Et initio quidem persecutionem passi et lapidibus impetiti sunt, deinde vero non pauci ex Gentilibus relictis simulacris ad Christum conversi sunt. Quo facto Aemilianus eos in asperiora loca magis Libyca ad Mareoticam provinciam transportari jussit, Dionysium vero magis ad viam publicam in Coluthionis regione collocavit, ut, quandocunque voluisset, nullo negotio eum posset capere. Quae tamen res Dionysio multum consolationis attulit, quia locus ille ab Alexandria propius distabat, et Dionysius ob vicinitatem urbis se carissimorum hominum aspectu crebrius fruiturum esse sperabat. Idque ita contigit. 7) Post triennale exilium (ao. 261) Alexandriam rediit. Rediit autem, ut novos dolores inde reciperet. Post bellum enim civile sub *Gallieno* coortum repente ingruit saevissima lues, ut plena essent omnia lamentationum et ob mortuorum hominum ac quotidie morientium multitudinem tota urbs gemitibus circumsonaret. In qua tanta tempestate praeclarissime elucebat Christianorum pietas et dilectio (Cf. §. 506. fin.). Tandem anno 264 Dionysius rogatus, ut ad concilium veniret, quod Antiochiam convocatum est adversus *Paulum Samosatensem* haereticum (§. 499), adventum quidem suum distulit, senectutem et infirmitatem caussatus. Ceterum quod ipse de hac quaestione sentiret, per literas indicavit. At reliqui ecclesiarum pastores undique exciti tanquam adversus gregis Dominici vastatorem simul omnes Antiochiam convenerunt. 8) Dum haec agebantur, Dionysius diem obiit supremum *anno* 265, cum Alexandriae episcopatum septemdecim annis obtinuis-

7) *S. Dionys.* epist. adv. German., in *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VII. c. 11. nr. 1 — 7, ed. laud. p. 496 sqq.

8) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VII. c. 27 fin., ed. laud. p. 537.

omnia refert (Cf. §§. 568 — 571). Insigne et satis amplum hujus epistolae fragmentum nobis conservavit *Eusebius* in sua Hist. eccl. Lib. VI. c. 41. 42 (edit. laud. p. 455 — 464): In fine autem narrationis *Dionysius* nobile quoddam mitioris animi sui specimen ediderat, loquens de iis, qui persecutionis tempore prae infirmitate animi lapsi fuerant. *Ceterum hi*, inquit, *divini martyres, qui nunc assessores sunt Christi et regni illius consortes ac judicii participes una cum ipso judicaturi, dum hic apud nos essent, quosdam e fratribus lapsos et idolis sacrificasse convictos susceperunt, et conversionem illorum ac poenitentiam cernentes, cum judicassent eam placere posse illi, qui peccatoris poenitentiam mavult quam mortem, eos admiserunt et collegerunt, atque in coelum suum receperunt, et in orationibus ac cibo cum iisdem communicarunt. Quid ergo nobis, fratres, hic suadetis? Quid nos agere debemus? Utrum sententiae martyrum accedemus, et rem ab aliis judicatam seu potius gratiam concessam tuebimur, et cum iis, quos illi miseratione prosecuti sunt, benigne agemus? Ancontra judicium illorum irritum faciemus, nosque ipsi sententiae illorum discussores ac judices constituemus, clementiam dolore afficiemus, ordinem constitutum evertemus?* 1)

b) Epist. ad Novatianum schismaticum.

§. 501. *Novatianus*, ecclesiae Romanae presbyter, arrogantia adversus eos, qui in persecutione lapsi fuerant, elatus (quasi nulla spes salutis ipsis posthac superesset, tametsi omnia explerent, quae ad sinceram conversionem puramque confessionem pertinent), propriae cujusdam sectae eorum, qui tumore mentis elati se ipsos *Catharos* cognominarunt, auctor extitit. Ob quam rem cum *Romae congregata* esset *synodus*, in qua sexaginta quidem episcopi, presbyteri vero ac diaconi multo plures conve-

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 42, ed. laud., p. 463 sq.

nerunt, cumque in provinciis antistites, quid agendum esset, seorsim consultassent, hujusmodi *decretum*, cunctis promulgatum est: „*Novatianum quidem et eos, qui una cum ipso sese insolentius extulerant, et quicunque inhumanissimae et a fraterna caritate alienae ejus opinioni consentire praesumserant, alienos ab ecclesia habendos esse; fratres vero, qui in calamitatem inciderant, poenitentiae remediis curandos esse et confovendos.*“ [2]) Quoniam autem Schismaticus iste defectionis suae causam in quosdam fratres conferebat, a quibus se *invitum* eo impulsum fuisse causabatur, sanctus noster sic ad illum scripsit: „*Dionysius Novatiano fratri salutem! Si quidem invitus, ut asseris, eo adductus es, id nobis ostendes, tua sponte redeundo. Satius quidem fuerat, quidvis pati, ne ecclesia Dei discinderetur. Nec minus gloriosum fuisset idcirco subire martyrium, ne ecclesiam scinderes, quam ut ne idolis sacrificares. Imo illud meo quidem judicio illustrius fuisset. Hic enim pro sua unius anima, illic pro omni ecclesia martyrium quis sustinet. Si tamen vel nunc persuaseris fratribus aut eos coëgeris, ut ad concordiam redeant, majus tibi meritum erit, quam culpa. Et haec quidem non imputabitur, illud vero praedicabitur. Quodsi fratribus parere recusantibus id efficere non potes, tuam ipse animam serva. Opto te paci studentem in Domino bene valere.*“ Pauca sunt, sed egregia sane et viro sancto vere digna. Tradita est haec epistola in *Eusebii* Hist. eccl. Lib. VI. c. 45, ed. laud. p. 474 sq. [3])

c) Epistolae de baptismo haereticorum.

aa) ad Stephanum R. P.

§. 502. Primam earum, quas *de baptismo* conscripsit Dionysius, epistolam ad *S. Stephanum Pontificem*

---

2) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 43. nr. 1, p. 464 sq.

3) Ejusdem meminit *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 69, ed. laud. T. IV. P. II. col. 119.

ego de integro renovare non ausim. Porro ut bono animo esset, et cum firma fide bonaeque spei plenus ad Dominici corporis participationem accederet, jussi. Verum ille nullum lugendi finem facit, et ad mensam accedere penitus exhorrescit, vixque rogatus orationibus interesse sustinet.“ Asservatur hoc fragmentum epistolae in *Eusebii* Hist. eccl. Lib. VII. c. 9.; ed. laud. p. 491 sq., et in *Schoenemanni* editione Epistt. RR. PP. p. 190 sq.

cc) ad Philemonem Xysti presbyterum.

§. 504. Una simul illis prioribus ad Xystum literis sc. anno 257 epistolam etiam ad *Philemonem Romanum presbyterum* scripsisse Dionysium Eusebius commemorat, eamque propterea tanquam tertiam designat earum, quas Dionysius omnino de *Baptismo* composuit. Et tria quidem sunt *fragmenta*, quae continuo ordine nobis ex hac epistola ad Philemonem servavit Eusebius. Primo S. Pater narrat, se postquam diu jam libris haereticorum legendis operam dedisset, a fratre quodam, qui verebatur, ne ipse forte eidem nequitiae coeno commisceretur, initio quidem deterritum; deinde vero visione divinitus missa in proposito suo confirmatum fuisse, ut omnia legeret, sed probata tantum teneret. Pauca deinde de universis haeresibus interlocutus Dionysius haec subdit: „*Hanc ego regulam et formam a beatissimo papa nostro Heracla accepi. Eos enim, qui ab haereticis veniebant,*[1] *tametsi defecissent, sed potius non defecissent illi quidem sed in speciem cum fratribus communicantes clam perversae doctrinae magistros adire delati essent, ab ecclesia ejectos post multas tandem preces non prius admisit, quam, quae-*

1) *Tres hominum classes* istic a Dionysio videntur institui; *prima* eorum, qui apud haereticos nati et ab illis baptizati ad Ecclesiam veniebant; *altera* eorum, qui redibant ad Ecclesiam, a qua palam defecerant; *postrema* nonnullorum, qui, licet Ecclesiae coetus frequentare non desisterent, clam tamen conveniebant haereticos, eosque velut magistros audiebant.

cunque ab adversariis audierant, palam exposuissent. Ac tum demum ad communionem eos admittebat, nequaquam existimans iterato baptismate eis opus esse; quippe jam antea sacri per ipsum participes fuerant." Rursus hac quaestione abunde ventilata concludit in hunc modum: „*Illud praeterea didici, non ab Afris solis hunc morem* (sc. rebaptizandi haereticos ad ecclesiam catholicam redeuntes) *nunc primum invectum fuisse, sed multo antea, superiorum episcoporum temporibus, in ecclesiis populosissimis et in conciliis fratrum apud Iconium et Synada et apud alios plurimos idem sancitum fuisse. Quorum sententias et statuta subvertere, eosque ad jurgia et contentiones excitare equidem nolim.*" ... Dicit igitur S. Pater, morem haereticos rebaptizandi, ab instituto Romanae ecclesiae alienum, passim jam dudum et cum bona pace Ecclesiae viguisse; se quidem ad exemplum B. Heraclae decessoris et magistri sui non dubitare, venientes ad ecclesiam haereticos nullo illorum baptismo iterato recipere; atvero sibi non esse in animo, eos, qui aliter facerent, ad jurgia excitare et propterea pacem turbare. [2]) Exhibentur haec fragmenta in *Eusebii* Hist. eccl. Lib. VII. c. 7, ed. laud. p. 487—489; item in *Schoenemanni* Epistt. RR. PP. p. 186—188.

---

2) Haec si ita sunt, equidem non video, quomodo stare possit, quod divus *Hieronymus* in Catal. Scriptt. eccl. c. 69 init. scribit: „*Hic* (Dionysius Alexandrinus) *in Cyprianae et Africanae synodi dogma consentiens de haereticis rebaptizandis ad diversos plurimas misit epistolas.*" Imo ab iterando baptismo seu a Cypriani Africanaeque synodi dogmate quantum abhorreret Dionysius, epistola ao. 158 ad *Xystum* Papam scripta, cujus supra fragmentum dedimus (§. 503) satis comprobavit. Idem de Dionysio nostro testatur *S. Basilius* in Epistola canonica ad S. Amphilochium c. 5. — At in hoc certe erravit S. Pater, quod solo concordiae amore abreptus ita rem totam dijudicari posse censuerit, ac si de re *mere disciplinari* ageretur, et ecclesiae proinde alia alium cum ceterarum pace morem posset inducere. Altius et penitius rem investigavit sancta *Romana ecclesia* sedula dogmatum custos.

bb) *ad Dionysium Romanum presbyterum.*

§. 505. E verbis prioris epistolae ad *Xystum* Papam (§. 503) colligere est, Dionysium Alexandrinum eo ipso anno 256, quo ad *S. Stephanum P. R.* scripserat (§. 502), etiam Dionysio et Philemoni presbyteris Romanis, sed tunc paucis tantum, deinde vero, cum jam Stephano beatus Xystus successisset, i. e. sub finem anni 257, *uberius* rescripsisse, et utrique quidem *separatim*, ut ex eo conficitur, quod epistola, quae ad Philemonem data est, tertia de baptismo, et quae ad Dionysium directa fuit, quarta ab Eusebio appellatur. De hac igitur idem Eusebius ita praeloquitur: „Quarta ejus de baptismo epistola *ad Dionysium* scripta est, tunc quidem *Romanae ecclesiae presbyterum* sed qui aliquanto post tempore ejusdem urbis episcopus est constitutus; ex qua hunc ipsum Romanum Dionysium eruditissimum planeque admirandum virum fuisse licet cognoscere.“ 1) Atque haec praefatus sequens ex eadem epistola fragmentum subnectit: „*Nam Novatianum merito adversamur, quippe ecclesiam discidit, et quosdam ex fratribus ad impietatem blasphemiamque pertraxit; qui nefariam de Deo doctrinam invexit, et clementissimum Dominum Jesum Christum quasi implacabilem calumniatur; qui praeterea sacrum lavacrum obliterat, fidemque et confessionem, quae baptismum praecedunt, evertit; et Spiritum Sanctum penitus ab illis fugat; tametsi spes aliqua subsit, vel quod in illis adhuc maneat, vel quod ad eos reversurus sit.*“ *Euseb.* hist. eccl. Lib. VII. c. 8, ed. laud. p. 490. Idem legitur in *Schoenemanni* Epistt. RR. PP. p. 188 sq.

b) Epistolae quae de persecutionibus et peste tractant.

§. 506. Anno 259, quando jam exul erat in partibus Libyae ad locum, qui dicitur Cephro, epistolam conscripsit S. Dionysius adversus *Germanum* quendam illius

---

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VII. c. 7 sub fin., ed. laud. p. 489.

temporis episcopum, qui calumniari ipsum conabatur. *Duo*, quae etiamnum supersunt, fragmenta narrant, quae Dionysio acciderunt, et alterum quidem de ejus captivitate et insperata redemtione, cum *Deciana* persecutio saeviret; alterum vero de iis, quae Dionysius, et qui cum eo erant, sub *Valeriano* imperatore exulati in Aegypto pertulerant. Haec prolixius relata ex epistola Dionysiana excerpsit *Eusebius* in sua Hist. eccl. Lib. VI. c. 4, ed. laud. p. 452—454 et Lib. VII. c. 11. nr. 1—8, p. 496—502. — Aliam epistolam anno circiter 261 ad *Hermammonem* Episcopum conscripsit de iis, quae sunt gesta sub *Valeriano* imperatore, quem Macrianus quidam Magus odio adversus Christianos impleverat. Fragmenta hujus epistolae tradidit *Eusebius* in Hist. eccl. Lib. VII. c. 10, p. 493—496. — Nonnulla ad persecutionem a Valeriano excitatam spectantia Dionysius etiam in epistola paschali, quam scripsit ad *Domitium et Didymum*, commemorat. Fragmentum hodiedum superstes, quod legitur apud *Eusebium* in Hist. eccl. Lib. VII. c. 11. nr. 8. 9, p. 502—504 inter alia haec habet: „*Id tantum in universum scire vos convenit, viros et mulieres, juvenes ac senes, puellas et anus, milites ac paganos, ex omni denique hominum genere atque aetate alios flagrorum verberibus, alios ferri acie, alios ignibus in certamine superatis coronas retulisse; nonnullis vero longissimum temporis spatium non satis fuit ad hoc, ut Deo acceptabiles viderentur, sicuti nec mihi in hunc usque diem*“ ... et reliqua. — Post persecutionem Valerianam, anno 262, pace vixdum restituta Alexandriam reversus est Dionysius. Verum nova seditione belloque intestino illic exorto literas dedit ad *Hieracem*, unum ex Aegypti episcopis, eique seditionem illam nunciavit. Epistolae hujus fragmentum extat in *Euseb.* hist. eccl. Lib. VII. c. 21, p. 515—518. Secuta dehinc post bellum peste, cum paschalis solennitas immineret, *fratres qui Alexandriae erant*, per literas alloquutus est, in quibus calamitatis illius magnitudinem describit. Insigne nobis hujus

epistolae fragmentum *Eusebius* reliquit in Hist. eccl. Lib. VII. c. 22, p. 518 — 521. Ea tempestate mira elucebat christianae religionis efficacia atque praestantia. „*Plurimi enim*, inquit, *ex fratribus nostris ob nimiam caritatem curam omnem propriae salutis abjicientes, sibique mutuo adhaerescentes, dum aegros secure atque audacter invisunt, eisque assidue ministrant, et curationem adhibent in Christo, unacum illis lubenti animo mortui sunt, aliorum aegritudine sese implentes, et proximorum morbum in semetipsos quodammodo attrahentes, doloresque eorum sponte sua exprimentes atque extergentes. Multique adeo, qui alios aegrotantes curaverant et in pristinam valetudinem restituerant, ipsi interierunt. . . . Et hoc quidem pacto optimi quique ex fratribus nostris, quorum nonnulli presbyteri erant ac diaconi, et ex populo laudatissimus quisque mortem oppetierunt, adeo ut genus hoc mortis ob pietatem fideique constantiam nequaquam inferius martyrio censeatur. Hi ergo Sanctorum corpora supinis manibus gremioque excipientes, oculos illis et ora claudentes, bajulantes eadem humeris suis, componentes, adhaerescentes illis, complectentes, lavacro et vestimentis ornantes, paulo post eadem officia ab aliis consecuti sunt; cum superstites semper eorum, qui praecesserunt, vestigiis insisterent. Gentiles vero prorsus contraria his egerunt. Nam et eos, qui aegrotare incoeperant, exturbabant, et carissimos refugiebant, eos in viis semineces destituebant, aut mortuos insepultos projiciebant, aversantes mortis participationem ac societatem, quam tamen multiplici adhibita cautione ac diligentia evitare non poterant.*“ . . .

ε) ad Basilidem Pentapolitanum.

§. 507. Plures denique epistolas *ad Basilidem* (§. 519) *Pentapolitanum episcopum* exaravit. [1]) Quae ta-

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VII. c. 26 med., ed. laud. p. 536; *S. Hieronym.* Catal. Script. eccl. c. 69 sub fin., col. 120 ed. Maurin.

mea injuria temporum perierunt praeter unam, quae vulgo *Epistola canonica* appellatur. Resolvuntur in ea quaestiones, quas Basilides de re poenitentiali proposuerat. Quo anno scripta sit, non liquet; ego quidem post Decianam persecutionem ao. c. 253 eam exaratam censeo. Genuinam esse hanc epistolam certum est. Prodiit primum, unacum libris *Victoris Antiocheni*, Ingolstadii 1580; deinde cum commentariis, quos in eam scripserunt *Balsamon* et *Zonaras*, in Guil. Beveregii collectione cui titulus: Synodicon s. Pandectae canonum SS. Apostolorum et Conciliorum ab Ecclesia graeca receptorum, Oxon. 1672. II. fol.; porro in *Gallandii* Biblioth. PP. T. III. p. 501—509, et in *Dominici Mansi* Collect. Concil. T. I. col. 1017. sq.

b. Commentarii et tractatus.

aa. Penitus deperditi.

§. 508. S. Dionysius inter alias, quas ad Basilidem Pentapolitanum miserat, epistolas unam quoque exarasse dicitur, in qua ipse testatus sit, etiam *Commentarium* se composuisse in principium libri, qui dicitur *Ecclesiastes.* Et ecce, *Andr. Gallandius* in Appendice suae Bibliothecae vett. Patrum T. XIV (Venet. 1781. f.) ubi nova nonnullorum Patrum et Scriptorum analecta asservantur, Commentarium quendam in *Ecclesiasten* c. 1—3, imo et alterum fragmentum Commentarii in *Lucam* c. 22 sub Dionysii nostri nomine exhibet. Verum haec an genuina sint, jure merito dubitamus. — Praeterea alios plures et eos quidem prolixiores libros epistolari forma ac stylo conscripsit Dionysius, cujusmodi sunt: *Liber de tentationibus*, quem Euphranori nuncupavit; [1]) *Liber de martyrio* ad Origenem, quippe qui tum

---

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VII. c. 26 med., ed. laud. p. 586.

(ao. 250) in carcere detinebatur; [2]) item epistola s. liber *De sabbato*, et alius *De exercitatione*. [3]) Quorum nihil ad nos usque pervenit.

bb. Commentationum deperditarum fragmenta.

a) De natura ad Timotheum filium.

§. 509. Eadem forma epistolari conscripti sunt prolixiores illi *Libri de natura* Timotheo filio dedicati, [4]) quibus figmenta *Epicurea* de mundi ortu et providentia refutantur argumentis ab ordine Universi et hominis natura petitis. Fragmenta hujus operis nobis suppeditat *Eusebius* in Praeparat. Evangel. Lib. VII. c. 19, Lib. XIV. c. 23 — 27, edit. Vigeri (Colon. 1688. f.) p. 333. 772 — 784. Egregie imprimis demonstratur existentia Dei et Mundi creatio.

b) De promissionibus adversus Nepotem.

§. 510. Ad haec anno c. 255. *Libb. duos de Promissionibus* adversus Nepotem quendam episcopum Aegypti composuit, qui promissiones sanctis hominibus factas in SS. Scripturis Judaico sensu exhibendas docebat, et regnum mille annorum corporalibus refertum deliciis in hac terra fore affirmabat. Cumque ex beati Joannis Revelatione opinionem suam stabilire se posse existimaret, librum, quem de hac quaestione composuerat, *Confutationem Allegoristarum* inscripsit. Hunc ergo Dionysius in libris de Promissionibus acriter impugnat. [5]) Et in priori quidem libro suam ipsius sententiam hac de re edisserit,

---

2) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 46. nr. 1, p. 476; *S. Hieron.* Catal. c. 69, col. 120.

3) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VII. c. 22. nr. 5, p. 521.

4) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VII. c. 26 med., p. 535; *S. Hieronymus* l. l.

5) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VII. c. 24. nr. 1, p. 523 sq.; *S. Hieronymus* l. l.

in secundo autem de Joannis Revelatione disputavit. Prior liber totus periit, posterioris autem nonnulla ad nos pervenerunt fragmenta, quae *Eusebius* in sua Hist. eccl. Lib. VII. c. 24. 25, ed. laud. p. 524 — 535 tradit. Ex his comperimus, nonnullos tunc temporis fuisse, qui *Apocalypsin* repudiarent penitus et refutarent, et inscriptionem libri falsam esse assererent; imo non modo neminem Apostolorum, verum ne ullum quidem e sanctis et ecclesiasticis viris hujus libelli conditorem fuisse, sed *Cerinthum*, qui nominis sui sectam conflavit, Joannis titulum operi suo indidisse affirmarent. „*Ego vero*, inquit S. Pater, *librum illum rejicere omnino non ausim, praesertim cum multi ex fratribus eum magni faciant. Sed hujusmodi de illo opinionem concipiens, quasi sensus mei modum excedat, arcanam quandam planeque admirabilem singularum rerum intelligentiam latere existimo. Nam etsi ipse non intelligo, suspicor tamen, altiorem quendam sensum verbis subesse; eaque non meo ipsius judicio metior atque aestimo, sed plus fidei tribuens sublimior esse censeo, quam ut a me percipiantur. Nec ea condemno, quae intelligere non potui, verum inde admiror magis, quod capere non possum.*“ Posthaec integro revelationis libro examinato, „*sancti cujusdam et divino Spiritu afflati viri id opus esse,*“ et „*librum a Joanne scriptum*“ facile fatetur. [6]) Utrum vero *Apostolus* is fuerit Joannes, adeo Dionysius dubitat, ut potius *alium* et ab apostolo ejusdem nominis diversum fuisse auctorem Revelationis multis quidem sed parum firmis argumentis probare conetur.

c) Apologia ad Dionysium P. R.

§. 511. Accidit, ut serpente per Orientem haeresi *Sabelliana* Dionysius Alexandriae episcopus, cum eam epistolis aliquot ad *Ammonem*, *Telesphorum*, *Euphranorem*, *Euporum* transmissis (§. 499 in fin.) confundere studuis-

---

6) *Euseb.* l. l. c. 25. nr. 2. 3, p. 528 sq.

set, a Catholicis nonnullis, quibus non recte de Deitate Christi sensisse visus erat, apud Romanum pontificem propter hoc accusaretur. Hic igitur habita Romae synodo literas statim ad Alexandrinum dedit, rationemque dictorum et sententiae explicationem petiit. Ille enim inter alias similitudines, quibus Filium cum Patre contulit, Christum *Patris opificium* (ποίημα) dixerat. Itaque Dionysius Alexandrinus *Romano Pontifici* primum breviori epistola, aliquanto post vero (sc. anno 262, ut eum Tillemontio statuit Coustantius) prolixioribus literis seu opere apologetico quatuor libros complectente satisfacere studuit, ac plenissime se purgavit. Et hujus operis fragmenta ab *Athanasio* nobis transmissa sunt in *Epistola de sententia Dionysii* c. 15. 17. 18. 20. 23.[7]) Inde collecta et ordine, quem libri inter se servabant, disposita notisque et et observationibus illustrata post epistolam Dionysii Romani exhibuit *Petr. Coustantius* O. S. B. monachus Maurinus in sua editione Epistolarum, RR. Pontiff., Paris. 1721 fol. Operae pretium est, fragmentorum saltem praestantissima loca seligere, ut quivis intelligat, quam luculenter vir sanctus de sanctissimo *Trinitatis* mysterio et de *Filii cum Patre consubstantialitate* disseruerit (§. 514).

c. Fragmentorum quae supersunt editio.

§. 512. Singula, quae Eusebius et S. Athanasius de Dionysii Alexandrini scriptis ad posteritatem transmiserunt, primus in unum collegit *Andreas Gallandius* in sua Bibliotheca vett. Patrum et Scriptt. eccl. T. III. p. 481 — 540, duabus quasi partibus dispositis, quarum altera quidem fragmenta Apologiae et commentationum de Natura et de Promissionibus necnon Epistolam cano-

7) *S. Athanas.* Opp. (ed. *Montfaucon.* Maurin. Paris. 1698. III. f.) T. I. P. I. p. 253 sqq. et (ed. *Giustiniani*, Patav. 1777. IV. f.) T. I. P. I. p. 190 sqq.

nionem; altera vero fragmenta Epistolarum ad diversos continet, adjectis observationibus et notis, quibus *Henr. Valesius* ea, quae in Historia Eusebiana servata sunt; *Petrus Constantius* autem Apologiam ad Dionysium papam commentatus est.

2. Opera spuria.

§. 518. Praeter haec hucusque recensita Opera nonnulla etiam sub ementio S. Dionysii Alexandrini nomine circumferuntur. Cujus generis est *Epistola ad Paulum Samosatenum unacum responsionibus ad Pauli Samosateni quaestiones.* Edita est latine tantum a *Turriano* S. J. Presbytero, Romae 1608, unde abiit in Bibliothecam SS. PP. *max. Lugdunensem* T. XI., et in *Dom. Mansi* Collect. Concil. T. I. col. 1038 sq. Et *Theodoretus* utique in Fabb. Haerett. Lib. II. c. 8. hujus epistolae mentionem facit; verum hoc testimonium jam eo nomine suspectum est, quod Patres Antiocheni in epistola synodica Eusebio teste [1]) diserte affirmarent, Dionysium quidem ad universam ecclesiam Antiochenam literas dedisse, *Paulum vero ne salutatione quidem dignatum esse.* Nec *Eusebius* nec *Hieronymus* aut alius quispiam Antiquorum, imo nec *Athanasius*, cujus maxime intererat, tale quid commemorant. Adde, quod θεότοκος et alia, quae post Nicaenam synodum demum increbuerunt nomina, saepius ibi usurpantur, et auctor, quisquis est, ejus, de qua agitur, rei adeo male peritus est, ut Paulo Samosateno etiam longe alia et ab ejus haeresi plane diversa dogmata tribuat. [2]) — Alind opusculum, quod *Anastasius Sinaita* Quaest. XXIII. p. 266 Dionysio nostro tribuit, inscriptum fuisse dicitur: *De situ Paradisi adversus*

---

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VII. c. 30. nr. 2, ed. laud. p. 541.

2) Rem. Ceillier Histoire générale T. III. p. 277; Gfr. Lumper Hist. theol.-crit. T. XIII. p. 113 sqq.

Origenem. Sed nec in scriptis Antiquorum nec in nostris scriptis tale quid invenitur. Imo verisimile non est, Dionysium peculiari libro adversus suum praeceptorem ivisse dimicatum. — Denique in bibliotheca *Vindobonensi* (Cod. Theol. CXXXV. fol. 123) ad calcem expositionis in libros Regum *duas Epistolas* ejusdem S. Patris *nondum editas* contineri, vir eruditissimus Lambecius monet; alteram ad *Theodosium monachum*, alteram ad *Ursinuphium Anagnosten* fuisse scriptam. At jam ipsa voc „μονάζων“ justam satis suspicionem injicit, et aliquanto sequioris aevi Scriptorem arguere videtur. Praeterea stylus dicendique genus a gravi nobilique Dionysii dictione alienum est. *Guil. Caveus* utramque recte *S. Isidoro Pelusiotae* tribuit. [2]) Est enim in Epistolis ejus verbotenus altera in Lib. I. Epist. XXXIX, altera vero in Lib. III. Epist. CCXIX.

C. Doctrina S. Dionysii.

4. De Deo uno et trino.

§. 314. Quam strenue S. Pater mysterium sanctissimae *Trinitatis* tueatur, testis est S. Basilius M., dum quaedam illius verba profert, quibus eum *tres* in Deitate *personas* apertissime distinguit, tum eandem ipsis gloriam attribuit. „*Deo autem Patri*, inquit, *et Filio Domino nostro Jesu Christo, cum Sancto Spiritu gloria et imperium in secula seculorum, Amen;*“ et alibi de Sabellianis verba faciens: „*Si eo*, ait, *quod tres sunt hypostases, divinas esse dicunt; tres sunt etiam si nolint, aut divinam Trinitatem prorsus e medio tollant;*“ ac deinceps: „*Divinissima enim ob id etiam post unitatem Trinitas est.*“ [1])

2) *G. Cave* in Historia literaria Scriptt. eccl. (Basil. 1741. II. f.) T. I. p. 126.

1) *S. Basil.* De Spiritu Sancto. c. XXIX. §. 72, in Opp. omn. (ed. Jul. *Garnier*, Paris. 1721. III. f.) T. III. p. 60. 61.

Eandem sententiam professus est Dionysius Alexandrinus in Apologia, quam scripsit ad S. Dionysium Papam, ut elucet e fragmentis, quae S. Athanasius locis supra (§. 511. not. 7) laudatis memoriae nostrae prodidit. „*Singula illa nomina, inquit, de quibus locutus sum, inseparabilia a se invicem sunt, nec dividi queunt. Patrem cum dico, etiam sine mentione Filii, Filium sub Patris vocabulo indicatum volui; contra si in mentione Filii Patrem omisissem, tamen illa sub nomine Filii praeintelligi debuit. Spiritum sanctum addidi; sed ita ut pariter adjungerem, undenam ille et per quem venerit. .... In manibus autem illorum est Spiritus, qui neque a mittente neque a ferente separari potest. ... Sic quidem nos indivisibilem Unitatem in Trinitatem dilatamus, et Trinitatem iterum, quae imminui nequit, in Unitatem contrahimus.*“ Praeclara sane et (ut *Montfauconii* verbis utar) aureis apicibus exaranda sententia!

2. De Filii cum Patre consubstantialitate.

§. 516. Docet S. Dionysius, Dei Filium esse Patri *coaeternum* et *ejusdem prorsus cum Patre naturae.* Et illud quidem confirmat exemplo *solis ac lucis*, quae abinvicem separari nequeunt, et eodem tempore exstiterunt. „*Cum ille* (Filius), inquit, *splendor sit lucis aeternae, et ipse omnino aeternus est. ... Si sol est, etiam splendor et dies est. Deus autem aeterna lux est, nec incipiens nec unquam desinens; aeternus ergo splendor ipsi praelucet ac coëxistit, qui absque initio est et ab aeterno genitus. ... Existente igitur aeterno Patre, existit et aeternus Filius; nam si Pater est, necessario et Filius est. Si enim nullus Filius genitus est, quomodo ipse Pater aut cujus tandem pater fuerit? Atqui ambo sunt, et semper sunt. ... Semper Deus Pater fuit, et Filius non absque causa aeternus dicitur; sed quia aeternus est Pater, aeternus est et Filius, illique coëxistit*

quemadmodum splendor luci." [2]) Filii vero cum Patre consubstantialitatem asserens S. Pater itidem similitudines quasdam familiares congerit, quales sunt similitudines derivatae e. gr. ex *planta* cum sua *radice*, ex *fluvio* cum suo *fonte*, quae res sunt abinvicem distinctae, etsi ejusdem omnino sint naturae; et fluvius differt a fonte, propriamque et peculiarem existentiam habent tam fons quam fluvius. Idipsum de Patre et Filio dicendum est; *fontem quasi Patrem esse, Filium vero aquam ex fonte manantem.* Et cum ab aliquibus in crimen vocatus esset, se nunquam de Filio usurpasse vocem „*Consubstantialis*, ὁμοούσιος," fatebatur id quidem Dionysius, quoniam in SS. Scripturis vox ista non reperiatur; asseruit autem se doctrinam tradidisse ab hac sententia et voce haud discrepantem. „*Etsi enim*, inquit, *hanc vocem in Scripturis non inveni, tamen earumdem Scripturarum mentem colligens agnovi, ipsum, cum Filius et Verbum sit, non posse a Patris substantia esse alienum.*" [3]) Ipsum autem Verbum sub hac potissimum similitudine nobis repraesentat: „*Ut enim mens nostra*, inquit, *eructavit ex se verbum*, ... *et utrumque alterum ab altero suum proprium et distinctum locum possidet, cum hoc in corde, illud in lingua et ore commoretur et motum suum habeat, non tamen alterum ab altero distat, nec se invicem privantur; neque mens sine verbo est, neque verbum sine mente; sed mens verbum facit et in ipso apparet, et verbum mentem exhibet, in qua factum est, mensque est quasi Verbum immanens, verbum autem quasi mens prosiliens; mens in verbum transit, verbum autem mentem in circumstantes auditores immittit, et sic mens per verbum in auditorum animis collocatur, et unacum verbo intrat. Ac mens quidem est quasi pater*

---

2) *S. Athanas.* De sentent. Dionysii, nr. 15, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. I. p. 190 sqq.; et apud *Galland.* in Biblioth. vett. PP. T. III. p. 495 sq.

3) *S. Athanas.* ibid. nr. 18. 20, in Ej. Opp. ed. laud. p. 201 sq. et apud *Galland.* l. l. p. 496 sq.

verbi, in seipsa existens; verbum autem quasi filius mentis, non ante ipsam quidem, sed neque extra ipsam factum esse potest, sed cum ipsa existit et ab ipsa germinavit. Eodem quoque modo Pater ille maximus et mens illa universalis ante omnia Filium habet, Verbum, interpretem et angelum suum.“ 4)

XI.

Magnes, Firmilianus. Basilides Pentapolitanus.

1. Magnes presbyter Hierosolymitanus.

§. 516. *Magnes*, quem *Germanus* Patriarcha Constantinopolitanus († 740) synodo *Antiochenae* adversus Paulum Samosatenum interfuisse narrat, *sacerdos* fuit *Hierosolymis* constitutus, scilicet sub Hymenaeo tunc temporis ibidem Episcopo. *Hymenaeum* certe fuisse inter illos pastores, qui tunc undique exciti contra Paulum haereticum Antiochiam convenerant, *Eusebius* testatur; 1) nec paucos etiam *presbyteros* et *diaconos* ad eosdem Episcoporum consessus admissos esse legimus. Itaque consentaneum videtur esse, quod Magnes presbyter episcopum suum illuc proficiscentem comitatus est. De ceteris vitae fatis hujus ecclesiastici viri nihil omnino compertum habemus, nec de tempore, quo vixerit, aliud quidpiam dicere in promtu est, quam quod ad illud concilium *Antiochenum* convenerat, cui S. Gregorius quoque Thaumaturgus interfuit. Id vix de alia synodo, quam quae anno 265 Antiochiae habita est, intelligi potest, si quidem Gregorium Neocaesareensem jam anno proxime

---

4) *S. Athanas.* l. l. nr. 23, ed. laud. p. 204.

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VII. c. 28. nr. 1, ed. Zimmermanni p. 537.

sequenti obiisse verisimile est. Extant hodie haud exigua *fragmenta* e libris quinque Ἀποκριτικῶν seu *Responsionum adversus Theosthenem* hominem ethnicum, discrepantiam Evangelistarum et alia nobis falso in Evangelio objicientem. E quibus libris, quos *S. Damasceni* aevo notissimos fuisse comperimus, [2]) complura excerpta reperiuntur in *Nicephori* Patriarchae Constantinopolitani libris *Antirrheticis adversus Iconomachos.* Imprimis vero *Turrianus* S. J. presbyter egregios aliquot locos e libro III Apologiae evangeliorum adversus Theosthenem exscriptos adfert, [3]) quibus realis Christi in sacramento Eucharistiae praesentia confirmatur. Atque haec fragmenta a Turriano evulgata additis aliis quibusdam, quae *Leo Allatius* et *Zacharias Cretensis* exhibent, denuo excudenda curavit *Andr. Gallandius* in sua Bibliotheca vett. Patrum T. III. p. 541 sq. Extant alia praeterea fragmenta, et ea quidem de *Commentario in Genesin* e codice msspt. Ottoboniano desumta. Quae cuncta fragmenta a VV. DD. *Caveo*, *Lumpero*, *Gallandio*, *Busseo*, aliis *nostro Magneti* attribuuntur. Atvero multa sunt, quibus eandem amplecti sententiam prohibemur. Etenim neminem Antiquorum hujus Scriptoris ecclesiastici fecisse mentionem deprehendimus. Codicis vero inscriptio auctorem diserte prodit non *Magnetem*, ut habet Germanus supra memoratus, sed *Macarium Magnetem;* non *presbyterum Hierosolymitanum*, ut iste diserte notat, sed *Magnetum* (i. e. urbis Magnesiae) *Episcopum.* Magnes igitur Hierosolymitanus quidam sacerdos, qui anno 265 concilio Antiocheno adversus Paulum Samosatenum interfuit, sane longe *alius* ac *diversus* est a *Macario Magnetum episcopo*, eodem fortasse viro, quem *Photius* illis adnumerat episcopis, qui c. a. 403 adversus S. Joannem Chrysostomum in synodo

---

2) *S. Damasceni* Opp. ed. *Le Quien* T. I. p. 271. not.

3) *Turriani* Tract. de S. Eucharistia contra Volanum Polonum (Florent. 1575) p. 93 sq.

ad Quercum, Chalcedonis suburbium, convenerunt. Sed de hoc Macario Magnete uberius infra.

2. Firmilianus Caesareensis in Cappadocia Episcopus.

a. Vita.

§. 517. Iisdem fere cum SS. Dionysio Alexandrino et Gregorio Thaumaturgo temporibus florebat *Firmilianus*, *Caesareae apud Cappadocas Episcopus*, [1]) *vir genere, pietate atque eruditione illustris.* [2]) Qui tam propenso erga *Origenem*, tunc docendi munere Caesareae in Palaestina fungentem, animo fuit, ut modo illum in suam provinciam ad ecclesiarum utilitatem evocaret, modo ad ipsum videndum in Judaeam usque proficisceretur, et una cum ipso aliquamdiu maneret, ut majorem rerum divinarum notitiam perciperet. [3]) Tanti ab omnibus habebatur, ut gravioribus Ecclesiae negotiis eo tempore agitatis semper interfuerit. Sic anno 252 *Antiochiam* profectus est, quo ad *Novatiani* schisma componendum Episcopi concurrerunt. [4]) Magnas autem inprimis ao. 256. coacto Concilio *Iconiensi* cum *Stephano* Romano pontifice ob dogma de haereticis rebaptizandis lites exercuit. Rursus deinde anno 265 synodo Orientalium Antiochiae adversus *Paulum Samosatenum* ejusdem urbis episcopum habitae interfuit, in qua dogmatis a Paulo invecti novitatem quidem damnavit, hominem vero ipsum, quum sententiam se mutaturum promitteret, damnare distulit, deceptus scilicet ab homine, qui Deum ac Dominum suum negabat. Cum

---

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 26 fin., ed. laud. p. 437.

2) *Gregor. Nyss.* Opp. ed. *Morelli,* T. III. in Vita S. Greg. Thaumat. c. 6.

3) *Euseb.* l. l. c. 27 init., p. 437.

4) *Euseb.* l. l. Lib. VI. c. 46. nr. 1, Lib. VII. c. 4. 5, nr. 1, ed. laud. p. 476. 484.

vero anno 269 ad secundam synodum Antiochenam adversus eundem Paulum iter faceret, et Tarsum usque pervenisset, ibi grandaevus decessit. [5])

b. Scripta.

§. 519. *S. Basilius Magnus* plures quidem a Firmiliano confectos esse libros testatur; [6]) quot vero vel quinam fuerint, non dicit. Nunc *una* tantum illius *Epistola ad Cyprianum* extat satis prolixa et initio quidem graece scripta, sed a Cypriano latine reddita. In hisce literis confirmata Cyp iani de Haereticorum baptismo sententia *Stephanum* Papam acerbe perstringit, eumque inhumanitatis atque insolentiae accusat. Quae liberior lingua et excandescentia, etsi minime laudanda sit, tamen non acerbius damnanda videtur, siquis accuratius consideraverit, quanti et quam vehementes soleant esse animi affectus, cum agitur de causa religionis ac fidei. Ita enim Firmilianus in tota epistola summum amorem veritatis declarat, ut eum nonnisi disputationis aestu abreptum esse pateat. Ceterum *Fr. Raym. Missorii* O. S. Francisci Conventualis Veneti sententia, qui non solum hujus epistolae auctoritatem vellicavit, sed etiam Cypriani ad Pompejum epistolam in dubium vocavit, et utrumque a Donatistis confictas prolixo argumentorum agmine demonstrare nisus est, [7]) dudum jam a Catholicis aeque ac Protestantibus explosa est. [8]) Epistola supra dicta legitur inter Epistolas *S. Cypriani*

---

5) *Epist. encycl. Synodi Antioch.*, apud *Euseb.* Lib. VII. c. 30. nr. 3, ed. laud. p. 541.

6) *S. Basil.* De Spirit. Sancto c. 29, in Ej. Opp. omn. ed. *Jul. Garnier.* (Par. 1721—30. III. f.) T. III. p. 63.

7) *R. Missorii* Disputationes criticae etc. Venet. 1734. 4.

8) Cf. *Jo. Ge. Walch*, Hist. eccl. N. T. (Jenae 1744. 4) p. 1233 sq.; J. Jos. Ign. Döllinger Gesch. d. chr. Kirche, Bd. I. Abth. I. S. 308. Not. 5.

(Epist. LXXV edd. Pamelii, Rigaltii, Baluzii) in Ejusdem Opp. genuinis cur. *D. J. H. Goldhorn* (Lips. 1838. II. 8) P. I. p. 229—244; et in *Petr. Coustantii* Epistt. RR. Pontificum ex ed. *C. Tr. Gttl. Schoenemann* (Goetting. 1796. 8) p. 168—183.

3. Basilides Pentapolitanus episcopus.

§. 519. Eodem fere tempore *Basilides*, natione Aegyptius, *Pentapolis in Libya episcopus* claruit. Is ad *Dionysium Alexandrinum*, cui aetate prope aequalis atque admodum carus et familiaris fuit, epistolam scripsit *de tempore resurrectionis Dominicae*, et quando jejunium antepaschale solvendum esset. Et haec quidem epistola interiit; superest autem Dionysii responsoria (§. 507). Nec dubium est, quin *plures* ad eundem epistolas dederit Basilides, cum testetur Eusebius, Dionysium varias ad hunc Basilidem epistolas scriptas reliquisse. [9])

XII.

Eusebius et Anatolius Laodiceni. Malchion.

1. S. Eusebius Episcopus Laodicenus.

§. 520. *Eusebius Episcopus Laodicenus* antea ecclesiae *Alexandrinae diaconus* fuit, cujus ope *S. Dionysius*, gloriosissimus ejus urbis episcopus, ad sublevandos fideles durante *Deciana* persecutione inprimis utebatur. Eusebium enim Deus jam inde ab initio roboravit impulitque, ut Confessoribus in custodia positis ministeria strenue exhiberet, et defunctorum Martyrum cadavera non sine capitis sui periculo sepeliret, et peste laborantibus

9) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VII. c. 26 sub fin., ed. laud. p. 536.

inserviret.[1]) Deinde comes et socius factus est antistitis sui Dionysii, dum in persecutione *Valeriana* coram Aemiliano fidem christianam professus in locum Kephro primum, postea vero in regionem Mareoticam relegatus, ibique usque ad finem fere anni 260 detentus est (§. 498. med.). Anno 262, cum *Bruchium*, urbis Alexandriae castellum, a Romanis obsideretur, maxime eluxit Eusebii in patriam pietas ac sollicitudo. Suo enim et *Anatolii* (§. 521) consilio ac prudentia factum est, ut magna civium multitudo ab interitu servaretur. Cum nempe frumentum obsessis deficeret, adeo ut hostium impetum facilius, quam famem, tolerarent, *Anatolius*, qui cum obsessis erat, hujusmodi quiddam provide excogitavit. Altera pars civitatis cum exercitu Romano societate conjuncta erat, ac proinde minime obsessa. In hac autem versabatur *Eusebius* diaconus, cujus celebre nomen et insignis gloria ad aures etiam Romani ducis pervenerat. Hunc *Anatolius* misso clam nuntio certiorem facit de numero eorum, qui fame in obsidione interirent. Quo comperto *Eusebius* a Romano duce maximi beneficii loco postulavit, ut iis, qui transfugere ab hostibus vellent, incolumitatem concederet. Id cum impetrasset, statim *Anatolio* indicavit. Is autem Alexandrinum convocat senatum, ac primum, quidem suadere coepit omnibus, ut cum Romanis in gratiam redirent. Sed cum illos hujusmodi verbis exasperatos videret: „At hoc certe, inquit, nequaquam vos arbitror repudiaturos, si vobis suasero, ut supervacuam atque inutilem turbam, anus scilicet et infantes ac senes, extra portas abire, quo volent, sinatis? Quid enim istos jamjamque morituros retinemus nobiscum? Cur eos, qui debilitato penitus ac mutilato sunt corpore, fame insuper conficimus, cum viros duntaxat ac juvenes alere oporteat, et necessarium frumentum iis, qui ad urbis custodiam idonei sunt, dispensare?“ Hujusmodi rationibus cum se-

1) *Euseb. Pamph.* Hist. eccl. Lib. VII. c. 11. nr. 9, ed. Zimmerm. p. 503.

natum in sententiam suam pertraxisset, ipse primus exsurgens censet, omnem imbellem multitudinem tam virilis quam muliebris sexus ex urbe emittendam esse, quippe cum iis, si diutius remanerent, et nullatenus reipublicae utiles morarentur, nulla spes sulutis superesset, fame utique perituris. Hanc sententiam cum omnes, qui in senatu erant, comprobassent, universos fere obsessos *Anatolius* servavit. Primum enim operam dedit, ut nostrae religionis viri, deinde ut alii etiam cujuslibet aetatis, nec ii duntaxat, quibus Senatus licentiam dederat, verum etiam alii plures hujusmodi obtentu latenter aufugerent, muliebri veste induti, noctuque extra civitatis portas ejus opera educti et ad Romanorum castra transgressi. Ibi *Eusebius* cunctos excipiens diuturna obsidione maceratos, quasi quidam pater ac medicus, omni cura ac providentia recreavit. Hujusmodi duos pastores continua serie sibi succedentes Laodicensis ecclesia divino nutu sortita est.[2]) Obsidione finita *Eusebius* in Syriam se contulit, ut concilio adversus Paulum Samosatensem *Antiochiae* congregato interesset. Cum autem in Syriam venisset, ab iis, qui rerum coelestium amore illic flagrabant, detentus domumque redire probibitus, et in locum *Socratis*, ea tempestate defuncti, *Episcopus Laodicenus* creatus est.[3]) Postquam vero hanc ecclesiam per annos aliquot sanctissime rexit, anno 269 e vita migravit, et episcopatum ejus octinuit *Anatalius*. — S. Eusebius *Librum sacrarum doctrinarum* exarasse dicitur;[4]) verum opus hoc hucusque lucem publicam nullibi vidit. Neque *Homilias*, quas *Allatius*, *Turrianus*, *Holstenius* proferunt, VV. DD. hodie amplius Eusebio Laodiceno attribunt. Nec

2) *Euseb*. l. l. Lib. VII. c. 32. nr. 3. 4. 5, ed. laud. p. 551 — 553.

3) *Euseb*. l. l. c. 32. nr. 2 med., p. 550.

4) Cf. *Jo. Alb. Fabricii* Biblioth. graec. T. V. Vol. V. c. 1. p. 276.

Antiquorum quispiam de aliquo illius opere mentionem facit. [5])

2. S. Anatolius Laodicenus Episcopus.

a. Vita.

§. 521. *Anatolius*, patria Alexandrinus, *Laodiceae in Syria Episcopus*, sub Probo et Caro imperatoribus floruit. [6]) Hic cum in liberalibus disciplinis tum in philosophia principem inter doctissimos ejus temporis viros locum sine controversia tenuit, quippe qui ad summum apicem *arithmeticae*, *geometriae* atque *astronomiae*, ad haec ad *dialecticae*, *physicae*, ac *rhetoricae* supremum fastigium pervenisset. Qua de causa ab Alexadrinis rogatus est, ut *Aristotelicae successionis scholam* illic institueret. Plurimae quoque res ab eo praeclare gestae Alexandriae in obsidione *Bruchii* referuntur, adeo ut apud omnes magnam sui nominis famam atque inter civitatis suae proceres praecipuam honoris praerogativam omnium consensu fuerit adeptus. [7]) Mira enim ejus industria et rei politicae peritia factum est, ut Alexandria ab uno latere obsessa ab extremis, quae ipsi impendebant, malis liberaretur (§. 520. med.). Post solutam Bruchii obsidionem in *Syriam* migravit, ubi *Theotecnus*, Caesareae Palaestinensis episcopus, illi manus imposuit, eumque *episcopum* ordinavit, successorem illum ecclesiae suae despondens. Ambo certe aliquantisper eandem ecclesiam simul gubernarunt. Postea vero, quum eum synodus adversus Paulum congregata *Antiochiam* evocasset, per urbem *Laodiceam* iter faciens a fratribus illius loci, mortuo tunc *Eusebio*, detentus est. [8]) Hic vir bonus boni viri

---

5) Cf. *Lumper* Hist. theol.-crit. P. XIII. p. 28 sq.
6) *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 73. col. 120.
7) *Euseb.* l. l. c. 32. nr. 2. 3, p. 551.
8) *Idem* ibid. nr. 9, p. 556 sq.

successor,[9]) *Laodiceae episcopatum* ao. 270 suscepit; quamdiu vero sederit, non liquet.

b. Scripta.

§. 522. Anatolius, licet sacris aeque ac profanis literis imbutus, tamen *non admodum multos* composuit libros.[10]) Ut autem excerpta ex ejus *libris X Institutionum Arithmeticarum*, aliaque quae hodie supersunt et a *Fabricio* recensentur,[11]) cum nimirum haec ad institutum nostrum nihil spectent, omittamus; celebratur prae ceteris ejus *Canon paschalis*, cujus aliquod fragmentum nobis servavit *Eusebius*, dicens, ex eo praecique eloquentiam simul et multiplicem illius eruditionem abunde licere cognoscere.[12]) Integri hujus libri *versio latina*, quae hodie extat, certo *antiqua* est, et a viro doctissimo Lumpero non immerito *Rufino Aquilejensi* adseritur; nec sane dubium est, quin accurata sit haec Rufiniana interpretatio, si eam diligentius cum iis, quae ex canonis initio *Eusebius* (l. l.) allegat, et quae ex ejusdem fine adfert *venerabilis Beda* (Libr. de rat. temp. c. 33), conferamus. *Editus est* Anatolii Canon paschalis ex antiqua versione latina ab *Aegidio Buchero* in opere suo *De doctrina temporum* (Antwerp. 1634. f.) p. 439—449; dein (adjectis tum graeco textu fragmenti Eusebiani tum notis Valesii et commentario Bucheriano) ab *Andr. Gallandio* in *Bibliotheca vett. PP.* T. III (Venet. 1767. f.) p. 545—558.

3. Malchion presbyter Antiochenus.

§. 523. *Malchion*, vir disertissimus et secularibus literis vehementer excultus, scholae sophisticae apud An-

9) *Id.* ib. nr. 2 med., p. 551.
10) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VII. c. 32. nr. 6, ed laud. p. 553.
11) *Alb. Fabricii* Biblioth. Graec. Vol. I. p. 274.
12) *Euseb.* l. l. c. 32. nr. 6—9, p. 553—556.

tiochiam praefuit, ibique rhetoricam florentissime docuit. Tandem ob eximiam fidei christianae sinceritatem *presbyterii* honorem in Ecclesia ejus urbis consecutus est. Interfuit etiam concilio *Antiocheno* posteriori (anno 270 habito), ibique adversus *Paulum Samosatensem* suscepta disputatione, excipientibus cuncta notariis, occultos hominis sensus fraudesque detegere solus omnium valuit. Sic auctor ille nefariae haereseos convictus et ab omnibus manifestissime deprehensus falsi dogmatis reus, ab universa, quae sub coelo est, Ecclesia catholica eliminatus est. [13]) Damnato igitur Paulo, et Domno in ejus locum suffecto Patres Antiocheni unam ex communi sententia ad Dionysium Romanae urbis episcopum et ad Maximum Alexandrinum scripserunt *epistolam*, eamque ad omnes deinde provincias transmiserunt, tum ut studium suum ac diligentiam omnibus declararent; tum ut perversum Pauli dogma, confutationes quoque et disputationes adversus illum habitas cunctamque hominis vitam ac mores exponerent. [14]) Hanc autem epistolam ex persona synodi a *Malchione* literis fuisse consignatam, testis est luculentus *S. Hieronymus.* [15]) Legitur epistola synodica prope integra apud *Eusebium Pamphili* in Hist. eccl. Lib. VII. c. 30. nr. 2—9, ed. laud. p. 540—546. Inde eam *Dom. Mansius* in sua amplissima Collectione Conciliorum T. I. col. 1092 sqq. descripsit, et additis insuper aliis ejusdem epistolae, ut videtur, fragmentis, quae apud *Leontium Byzantinum* et *Petrum Diaconum* invenerat, *Andr. Gallandius* in suam *Bibliothecam PP.* T. III. p. 558 sqq. recepit.

---

13) *Idem* ibid. c. 29, ed. laud. p. 539.
14) *Id.* ib. c. 30 init., p. 540.
15) *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 71. col. 120.

XIII.

Archelaus. Alexander Lycopolitanus.

1. S. Archelaus Cascharorum Episcopus.

a. Ejus cum Manete haeresiarcha disputatio.

§. 524. *Archelaus*, *Cascharorum in Mesopotamia Episcopus*, ingentem sibi peperit gloriam habita cum *Manete haeretico* disputatione, cujus sat multi antiquorum Patrum, inprimis *Cyrillus Hierosolymitanus*, *Epiphanius*, *Socrates Scholasticus*, *Heraclianus*, *Petrus Siculus*, *Photius*, alii mentionem faciunt. Etenim cum Manes vinculis, in quae jussu Persarum regis ob acceleratam regii pueri mortem propter temeraria adhibita remedia conjectus erat, elapsus in Mesopotamiam profugeret, ibique impia zizania disseminare niteretur, jamque per epistolam *Marcellum* quendam spectatae probitatis virum corrumpere atque sibi sociare conaretur; contigit opportune, ut eodem die, quo illam a Manete epistolam Dei servus accepit, *Archelaus* ejus urbis episcopus unacum illo domi esset. Hortatur igitur Archelaus, ut Marcellus ad Manetem rescribens eundem ad se invitaret. Interea *Tyrbonem*, per quem haereticus ille literas suas insinuerat, benignissime receptum ac recreatum ambo studiose de Manetis vita, moribus et doctrina inquirebant; ille vero universa lubenter ac dilucide enarrabat. Itaque cum Archelaus penitus omnia cognovisset, ut de quaestione illa disputare posset; cumque ad id esset instructissimus, partim quod e multiplici rerum divinarum scientia paratissimus erat, partim quod a Tyrbone edoctus omnes nefarii hominis praestigias accurate didicerat; ecce cum suorum comitatu *Manes* accessit. Nulla igitur interjecta mora *publicam collationem* instituunt in oppido ipso *Caschara*, statimque concertationis arbitros delegerunt, *Marsipum*,

Claudium, *Aegialium* et *Cleobulum*, quorum primus philosophiae magister, secundus medicus, tertius grammaticus, postremus sophista fuit. His igitur constitutis ex communi consensu *judicibus ethnicis*, ne, si Christiani judices essent, viderentur Archelao favisse, multa ultro citroque jactata sunt, cum hinc Manes fabulas suas proponeret, inde Archelaus velut egregius miles adversarii tela vi sua ac virtute discuteret. Postremo *victus est Manes*, ac de judicum sententia veritati cessit. Quo facto Manes fuga sibi consuluit, et *Diodoridem* (pagus is est in Cascharis) sese contulit, ubi *Diodorus* quidam erat, vir optimus ac tum loci illius presbyter. Ad hunc Manes divertens rursus miscere omnia, ac se arroganter efferre coepit, nactus hominem alioquin bonum et excellenti pietate praeditum, sed artis dialecticae praesidio destitutum. Verum ne sic quidem, uti speraverat, illudere Christi servo potuit. Sed cum iterum cum Diodoro congredi vellet, hic rem omnem per literas *Archelao* significat. Quibus nunciatis Archelaus ad eum rescribit breviter, Manetis errores perstringens, et ut adventum suum praestolaretur adhortans. Interim Manes medium in pagum summo diluculo prodiens Diodorum ad disputandum provocat. Qui cum se stetisset, et ad omnia, quae quaesierat, singulatim pro ea, quam a Deo acceperat, sapientia respondisset, atque impostorem lenius agitaret, apud se nonnihil haesitans; repente Archelaus nec opinato conspectus est, qui tanquam acerrimus paterfamilias suorumque studiosissimus in praedonem fremens incurrit. Quem ut Manes aspexit, simulata blanditia: „*Sine me*, inquit, *cum Diodoro contendere; tu enim me, cum sis episcopus, dignitate superas.*“ Archelaus vero ex eo, quod jam illius dogma confutatum erat, multo magis simulationis eum coarguit, osque illi prorsus occlusit. Tum, quae ab illo proposita fuerant, dissolvens novum ei pudorem incussit, ut ne hiscere quidem amplius auderet. Sub haec populus ardentibus rursum animis scelestum illum opprimere conatus est. Quorum ille manus effugiens ad castellum Arabionis re-

versus est.[1]) Archelaus vero universam haereseos hujus historiam inde a primordiis suis repetitam coram populo exposuit, animosque praesentium adversus eam solide obfirmavit. De reliquis S. Patris nostri rebus gestis mortisve tempore nihil omnino ad nos translatum est. *Obiisse* illum non ita multo *post annum* 280 verisimile est.

b. Archelai disputationis cum Manete editiones.

§. 525. Acta utriusque disputationis cum Manete, primum in urbe *Caschar* deinde in *Diodoridis* vico habitae, ab *ipso* Archelao *syriaco* sermone fuse esse conscripta, S. Hieronymus monet.[2]) Postmodo in *graecam* linguam conversa sunt. Graecum enim exemplar ad manum sibi fuisse S. Doctor l. l. dicit; nec Epiphanium alia quam graeca recensione usum fuisse, insignia quae ab eo referuntur excerpta satis produnt. Quisnam vero in graecum sermonem ea transtulerit, certo affirmari non potest. Cum autem Photius excerpta quaedam librorum, quos Heraclianus Chalcedonensis episcopus adversus Manichaeos conscripsit, referens contendat, eundem Heraclianum in confutandis Manichaeorum erroribus usum fuisse Actis disputationis Archelai cum Manete *ab Hegemonio conscriptis;*[3]) V. D. *Zaccagnius* in praefactione ad suam editionem Actorum illius disputationis non male conjicit, Hegemonium illum ea, quae ab Archelao syriace edita

1) *S. Epiphan.* Haeres. LXVI. Notandum est, ab Epiphanio perperam *Tryphonem* vocari presbyterum illum, qui cum Manete disputavit; imo vero *Diodorus* appellatur. Iterum lapsus est Epiphanius narrans, Archelaum ad Tryphonem (Diodorum) *duos libros* misisse, ut eorum lectione instructus impii haeretici conatus et ipse infringere valeret. *Epistolam* quidem rescripsit, quae in Actis disputationis etiamnum servata legitur, sed librorum ad eundem missorum ne minima quidem mentio facta est.

2) *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 72.

3) *Photii* Biblioth. Cod. LXXXV.

fuerant, meliori ordine digessisse et adjecto exordio et epilogo in graecum eloquium elucubrasse. Verumtamen utramque illius altercationis recensionem tam syriacam quam graecam, exceptis iis, quae SS. Cyrillus Hierosolymitanus, Epiphanius, alii memoriae nostrae asservarunt, fragmentis, jam diu viri eruditi tanquam injuria temporis deperditam lugebant, usquedum vir clarissimus *Laur. Alex. Zaccagnius*, Vaticanae bibliothecae praefectus in *latinum* et satis antiquum *codicem Casinensem* incidit, qui integras Archelai cum Manete disputationes, item Manetis ad Marcellum et Diodori ad Archelaum epistolas una cum Archelai ad eundem responsoria continet, ac nonnulla de reliquis haeresiarchae et sociorum fatis quasi appendicis loco relata exhibet. Hujus *latinae interpretationis auctor* quidem incertus est; sed graecam versionem, non textum syriacum ipsi ad manus fuisse ex universa ejus locutione, quae graecae linguae indolem geniumque redolet, satis demonstratur. De *tempore* autem, quo haec latina translatio prodierit, id tantum monere sufficit, eam *post* Hieronymum demum fuisse exaratam, alioquin S. Doctor non facile eam tacuisset; tamen illam jam *ante* septimum seculum in lucem prodiisse ex eo colligitur, quod latinus interpres in laudandis S. Scripturae locis vulgatam Bibliorum editionem, ab hoc inde seculo in Occidente passim receptam, nondum sequatur. — Ex hoc igitur codicis Casinensis apographo, quod Romae in Vaticana bibliotheca servatur, Acta disputationis Archelai cum Manete *L. A. Zaccagnius* brevibus notis instructa, et ubi per ingenium tuto licuit emendata, publici juris fecit in opere suo, cui titulus: *Collectanea monumentorum veterum* Ecclesiae graecae ac latinae, quae hactenus in Vaticana bibliotheca delituerunt, e scriptis Codicibus nunc primum edita, T. I (et unicus), Romae 1698. 4. Hinc eadem Acta cum Zaccagnii prolegomenis aliisque ad rem pertinentibus adjectis abierunt in *Jo. Alb. Fabricii* editionem *Opp. S. Hippolyti* epic. et mart. (Hamburg. 1716. 19. II. f.) T. II. p.

134—204; deinde in *Andr. Gallandii Bibliothecam vett. PP.* T. III. p. 565 sqq., ubi variae lectiones, quas Zaccagnius e regio-Alexandrino codice descriptas ad suae edititiois calcem rejecerat, suis locis restitutae, et ipsius Gallandii observationes adjectae sunt; denique in collectionem *Matth. Jos. Routh*, c. t. *Reliquiae sacrae* s. auctorum fere jam deperditorum seculi II et III fragmenta quae supersunt, (Oxon. 1814—18. IV. 8). T. IV. App. II. p. 119—282.

c. *De operis genuinitate et exarationis tempore.*

§. 526. Acta ista a Zaccagnio edita *genuina* esse, nemo sane erit qui negaverit. Jam *S. Epiphanius*, qui centum annis circiter post ipsam disputationem habitam scripsit, insigne fragmentum graece protulit, quod latinae versioni nobis asservatae prorsus respondet, et ita accurate exscriptum apparet, ut Epiphanius pauca de suo adversus Manetis errores attulisse videatur. Meminit ejusdem disputationis *Socrates* (c. a. 439), et ea omnia, quae de Manichaeorum haeresi narrat, se ex iisdem Actis hausisse ipse ingenue fatetur.[1]) Mentionem ejusdem facit *Heraclianus* Chalcedonensis episcopus.[2]) Permulta praeterea ex Actorum contextu erui possunt argumenta, quibus eorum antiquitas et sinceritas demonstratur. Illud tamen dissimulari nequit, Acta ista e codice Casinensi latino exscripta nequaquam *integra* videri, sed nonnulla a veteri librario omissa vel mutilata esse, ut e *Zaccagnii* prolegomenis in Collectanea monumenta eccl. graec. videre est.[3]) Nihilominus VV. DD. omnes hoc singulare antiquitatis monumentum plurimi faciunt, excepto *Beau-*

---

1) *Socrat.* Hist. eccl. Lib. I. c. 11.

2) *Photii* Biblioth. Cod. LXXXV.

3) in *Fabricii* edit. Opp. S. Hippolyti T. II. p. 189, et in *Lamperi* Hist. de vitt. et scriptt. SS. PP. T. XIII. p. 357 sqq.

sobrio, qui illud inter apocrypha rejiciendum statuit. [4]) Sed *Georgius*, Eremita Augustinianus in suo opere praestantissimo, quod *Alphabetum Tibetanum* inscripsit, egregie genuinitatem libri defendit. [5]) — De *tempore* autem, quo scripta sunt Acta disputationis, verba Archelai nostri, qui ibi in c. 22 post *trecentos* fere annos a Christi morte advenisse Manetem adserit, benigne sunt interpretanda, et annorum numerus ad exaggerandam Manetis stoliditatem, qui *Paracletum* Spiritum a Christo Domino promissum temere se esse dictitabat, in disputationis aestu auctus fuisse videtur. Accuratius ex ipso c. 37 Actorum apparet, Archelaum sub imperio *Probi* cum Manete disputasse. Idem diserte scribit *S. Cyrillus* Hierosolymitanus, [6]) qui septuaginta tantum annis post detectam novam haeresin se scribere testatur. Imo secundo anno Probi id accidisse *Eusebius* monet, [7]) seu, ut *S. Leo M.* designat, Probo imperatore et Paullino Consulibus, [8]) qui annus est 277.

d. *Exerpta quaedam theologica.*

§. 527. Permulta quidem sunt, quae ex Archelai verbis catholicae fidei argumenta peti possunt. Sed pauca adferentes, attendamus primum, quam funditus evertat moralem hominis naturam is, qui cum Manete neget, *Christum vere incarnatum esse.* „*Si enim*, inquit, *Salvator non est natus, sine dubio nec passus est; pati enim, qui natus non est, impossibile est. Quodsi non est passus, crucis nomen aufertur. Cruce autem non suscepta, nec*

---

4) *Js. Beausobre* Histoire critique de Manichée et du Manichéisme (Amstelod. 1734—39. II. 4) T. I. p. 191. sq.

5) *August. Anton. Georgii* Alphabet. Tibet. (Rom. 1762. 4) p. 363 sq.

6) *S. Cyrill. Hieros.* Catech. VI. ed. Maur. p. 140.

7) *Eusebii* Chronic. Lib. II. ed. Vig. p. 177.

8) *S. Leonis M.* Serm. II. in Pentecost.

ex mortuis resurrexit Jesus. Quodsi Jesus ex mortuis non resurrexit, nec aliquis alius resurget. Quodsi nullus resurget, nec judicium erit; certum est enim, quodsi non resurgam, non judicer. Quodsi non judicium erit, frustra erit observatio mandatorum Dei, nullus abstinentiae locus est; manducemus et bibamus, cras enim moriemur. Haec autem omnia connectis negans, quod de Maria natus est. Si autem confessus fueris eum de Maria natum, et passio subsequatur necesse est, et passionem resurrectio, et rursus resurrectionem judicium; et salva nobis erunt Scripturae praecepta. Non ergo jam vana est quaestio (num scilicet Christus vere natus sit), *sed plurima in hoc verbo sunt. Sicut enim omnis lex et prophetae in duobus sermonibus constant; ita etiam nostra omnis spes in beatae Mariae partu suspensa est.* 1) — Praeclare idem de Angelorum hominumque *libero arbitrio* docens: „*Deus*, ait, *omnia quae fecit, bona valde fecit, liberi arbitrii sensum unicuique dedit, qua ratione etiam legem judicii posuit. Peccare nostrum est; ut autem non peccemus, Dei donum est; ex eo quod in nostro arbitrio sit constitutum peccare vel non peccare. . . . Et certe qui voluerint, observant mandata; qui vero contemserint, et in perversum declinaverint, sine dubio legem judicii ferent. Ex hoc etiam Angelorum quidam, mandato Dei non subditi, voluntati ejus restiterunt, et . . . ignis aeterni poenam suscipere meruerunt. . . . Habet enim et creatura unaquaeque ordinem suum; et alius quidem ordo est humani generis, et alius animalium est, atque alius Angelorum; una vero et sola inconvertibilis est divina substantia, aeterna et invisibilis.*“ 2) — Memorabilis denique inter alia locus est de instituta ab Apostolis, quam usque nunc servamus, *divina Hierarchia.* „*Sed et optimos architectos ei, fundamentum nostrum, i. e. Ecclesiae Paulus posuit, et*

1) *S. Archelai* Disput. c. Manete c. 49, in *Fabricii* Opp. Hippolyt. T. II. p. 187.

2) *Ejusd.* Disp. c. 32, ib. p. 160.

legem tradidit, ordinatis Ministris et Presbyteris et Episcopis in ea, describens per loca singula, quomodo et qualiter oporteat ministros Dei, quales et qualiter fieri Presbyteros, qualesque esse debeant, qui Episcopatum desiderant; quae omnia bene nobis et recte disposita usque in hodiernum custodiunt statum suum, et permanet apud nos hujus regulae disciplina." [3])

2. Alexander Lycopolitanus episcopus.

§. 528. *Alexander*, *Lycopolitanus* dictus, sive quod originem duxerit ab urbe Lycopoli in Thebaide, [1]) sive quod Lycopoleos episcopatum obtinuerit, [2]) primum, prout ipse narrat, [3]) ethnicae superstitioni deditus, deinde relicto gentilium cultu *Manichaeorum* doctrinam amplexus est, tandem divinitus revocatus et ad *Ecclesiam* confugiens non solum Manetis probra detexit, sed etiam insana ejus dogmata solide refutavit singulari edito opusculo *De Manichaeorum placitis*. Librum hunc gr. et lat. primus in lucem extulit *Fr. Combefisius* in Auctario novissimo P. II. p. 3 sqq.; eundem postmodo recepit *Andr. Gallandius* in suam Biblioth. vett. PP. T. IV.

---

3) *Ib.* c. 51 med., l. l. p. 190.

1) Sic statuunt *Fr. Combefisius* in suo Biblioth. graecc. PP. Auctar. noviss. (Paris. 1672. II. f.) P. II. p. 2; *Alb. Fabricius* in sua Biblioth. Graec. T. V. p. 287.

2) Cf. *Photii* Epitom. de Manich., in *Bern. de Montfauc.* Biblioth. Coislinian. p. 349 sq.

3) *Alexand. Lycopol.* De Manich. placit. c. 2.

XIV.

Pierius. Theognostus.

1. S. Pierius Presbyter Alexandrinus.

a. Vita.

§. 529. *Pierius*, scholae *Alexandrinae* magister, [1]) ejusdemque ecclesiae *presbyter*, spontanea paupertate et philosophicis disciplinis illustris, in sacrarum literarum contemplatione atque expositione et in ecclesiasticis concionibus inprimis exercitatus fuit. [2]) Quibus adeo celebris evasit, ut propter accuratam vivendi rationem, multiplicem tum graecarum tum sacrarum disciplinarum scientiam, magnam in concionando diligentiam ac summam in dicendo eloquentiam *Origenes junior* diceretur. [3]) Quamdiu vixerit, et qualem vitae exitum habuerit, ambigitur. *S. Hieronymus* refert, eum Diocletianae persecutioni superstitem reliquum vitae suae tempus Romae fuisse versatum. [4]) Idem *Martyrologium Romanum* affirmat, quod die IV Novembris in pace illum quievisse tradit. Contra vero *Photius* eundem cum fratre suo *Isidoro*, certaminis socio, *martyrii* coronam reportasse narrat; [5]) eique assentire videtur *Epiphanius*, dum ecclesias, quae Alexandriae erant, recensens unam S. Pierio nuncupatam fuisse dicit. [6]) Unde si nudam in re obscura

---

1) *Photii* Biblioth. Cod. CXVIII. CXIX.

2) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 32. nr. 11, ed. Zimmermann. p. 558.

3) *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 76.

4) *S. Hieron.* l. l.

5) *Phot.* l. l.

6) *S. Epiphan.* Haeres. XXIX.

interponere conjecturam licet, beatum virum c. a. 282 munus catecheticum in *Theognostum* successorem (§. 531) transtulisse, ipsum vero ordinarias concionandi ad populum vices suscepisse, ac demum c. a. 311 pro Christo martyrem succubuisse existimo.

b. Scripta nunc deperdita.

§. **530.** Scripsit Pierius *volumen librorum duodecim* teste Photio, 7) in quibus, ut Hieronymus ait, prolixissimus *tractatus in Pascha et Oseam prophetam* erat, quem die Vigiliarum Dominicae Passionis extemporali et diserto sermone habuit. 8) Idem etiam composuisse dicitur *Commentarium in Evangelium Lucae* et *alium librum*, cujus tamen titulum Photius non designat. 9) Huic vero Critico si fides adhibenda est, Pierius in his libris minus caute et orthodoxe de Spiritu Sancto locutus est, dum voluerit ipsius gloriam gloria Patris et Filii minorem esse. Subobscure etiam ex Origenis sententia animarum praeexistentiam docuisse perhibetur. Denique *Commentarium in I Epist. ad Corinthios* ab eo exaratum fuisse, auctor est Hieronymus. 10) Ceterum observante Photio l. l. stylus illius clarus et quasi sponte fluens nihil exquisitum praesefert, sed velut ex tempore fusus placide ac lente sensimque decurrit; enthymematibus autem, siquis alius, maxime abundat. *Omnia* vero haec jam dudum *perierunt.*

---

7) *Phot.* Bibl. Cod. CXIX.

8) *S. Hieron.* Catal. Script. c. 76; *Idem* in Praef. in Oseam ed. Maurin. T. I.

9) *Phot.* cod. laud.

10) *S. Hieron.* in Epist. ad Pammach. pro libris suis adv. Jovinian., ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 243; edit *Valarsii* T. I. P. I. p. 235.

2. Theognostus Alexandrinus catecheta.

a. Vita ejus et Scripta fere deperdita.

§. 531. *Theognostus*, post *Pierium* (§. 529) scholae catecheticae *Alexandrinae* magister, [1]) et sacrorum librorum interpres, [2]) vir erat tum ob doctrinam tum propter vitae sanctimoniam celeberrimus. Unde a magno *Athanasio* semel atque iterum vir disertus et admirandus et literarum studiosus homo appellatur. [3]) Ipsum vel *Origenis* discipulum vel saltem in ejus libris versatissimum fuisse, Photius satis innuere videtur. [4]) Obiisse creditur c. a. 290. — Scripsit autem Theognostus plena dictione et stylo perspicuo *Libros VII* diu jam deperditos, quos inscripsit: *Hypotyposes* seu *Institutiones theologicae*. Eorum singula argumenta sic *Photius* l. l. recenset: Primo libro de *Deo Patre* egit, et materiam ei non esse coaeternam demonstravit. Secundo necessitatem existentiae *Filii*; tertio *Spiritus Sancti* probandam suscepit. In utroque vero Origenis nimium sequax errores immiscuit pessimos, inter SS. Trinitatis personas totidem dignitatis gradus affingens, Christumque pariter ac Spiritum Sanctum ad creaturarum sortem detrudens. Quarto paria fere cum Origene de *angelis* et *daemonibus* docuit. Quinto et sexto de *Incarnatione Dei* disseruit, eam passibilem esse probare satagens; ubi tamen Origenis vestigiis insistens delirare non destitit, circumscriptum esse Christi corpus negans. Ultimo denique libro de *creatione Dei* pie magis atque orthodoxe argumentatus est. Ita quidem de Theognosti libris sensit *Photius*; imo etiam *S. Gregorius Nyssenus*

---

1) *Philipp. Sidetes*, Hist. fragm., in *H. Dodwelli* Dissertt. in Irenaeum Oxon. 1689. 8) p. 488.

2) *Photii* Biblioth. Cod. CVI.

3) *S. Athanas.* De decretis synodi Nicaenae, in Ej. Opp. omn. ed. *Montfauc.* (Paris. 1698. III. f.) T. I. P. I. p. 230.

4) *Photius* l. l.

nonnulla viri nostri dicta minus probat.[5]) At vereor, ne hi durius, quam par erat, libros istos interpretati sint; atque Photium quidem prae acerrimo adversus Origenem odio etiam in Theognostum, ejus discipulum seu asseclam fuisse iniquum, forte non immerito observat *Bullus.*[6]) Potuit nimirum Theognostus utique phrases admodum incautas et satis periculosas usurpare pariter ac omnes paene *Antenicaeni Patres*, qui re nondum penitus discussa ac decisa scripserunt.[7]) Jam vero quod omnem ab eo haereseos suspicionem procul abigit, praeclarissimum est *S. Athanasii* judicium, qui eo ipso, quod a Theognosto sumsit, testimonio Arianos maxime pressit, ideoque virum nostrum satis orthodoxe scripsisse apertissime demonstravit.

b. Operis deperditi fragmentum.

§. 532. *S. Athanasius* nonnulla ex libris Theognosti adfert, et in his praesertim unum locum satis dignum, qui a nobis accuratius exscribatur, ut appareat, quae *de Filii cum Patre consubstantialitate* revera senserit auctor. His enim optime perspicitur, quam inique Photius egerit, dicens, ex Theognosti sententia Filium esse *meram creaturam*. Sunt autem haec concentissima illius verba: „*Non extrinsecus adinventa est Filii substantia, neque ex nihilo educta; sed ex Patris substantia nata est, ut lucis splendor et aquae vapor. Neque enim splendor et vapor ipsa aqua vel sol est; neque rursus est aliquid alienum, sed est aliquid emanans ex Patris substantia, ita tamen ut nullam divisionem*

5) *S. Greg. Nyss.* Contra Eunomium lib. III, in Ej. Opp. omn. (ed. Paris. 1638. III. f.) T. II.

6) *Georg. Bulli* Defens. fidei Nicaenae de aeterna divinitate Filii Dei etc. (Oxon. 1685. 4) p. 135 sq.

7) *Guil. Cave* Hist. literaria Scriptt. eccl. T. I. p. 147. col. 1. med.

eadem Patris substantia sit perpessa. Ut enim sol idem manens radiis ab ipso profluentibus non minuitur, ita neque Patris substantia mutationem nullam patitur, cum Filium sui ipsius imaginem habet." [8]) Nihil profecto orthodoxius proferri potuit. Filius eadem divina cum Patre substantia est et imago Patris, genitus a Patre et ab eodem distinctus quidem, sed absque ulla divisione aut alteratione Patris. — Quod autem praeterea Theognosto crimini vertit Photius, ipsum nempe docuisse, „*Filium Dei solis ratione praeditis praeesse*," nihil sane nos movere debet. Procul enim dubio Theognostus idem voluit, quod *Origenes* magister ejus, qui et ipse testante Photio (Cod. VIII) docebat, „*pervadere Patrem quidem quaecunque sunt; Filium vero duntaxat rationis participes; Spiritum Sanctum ea, quae salutem adepta sunt.*" Sed opus non est prolixius de vero sensu disputare, cum *P. Daniel Huetius* egregie nos docet, quomodo haec intelligenda sint. [9]) Ea pauca, quae S. Athanasius nobis servavit, e Theognosti libris fragmenta descripsit et collecta exhibuit *Gallandius* in sua Biblioth. vett. PP. T. III. p. 662 — 663; et *M. Jos. Routh* in suis Reliqq. sacris Vol. III. p. 219 — 230.

XV.

Theonas. Petrus Alexandrinus.

1. S. Theonas Episcopus Alexandrinus.

§. 533. Cum *S. Maximus*, octodecim annis postquam *S. Dionysio Magno* (§. 489) in ecclesia *Alexandrina*

8) *Theognosti* fragm. ex Hypotypos. Lib. II., apud *S. Athanas.* De decretis Nicaen. synod., in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. I. P. I. p. 230.

9) *Huetii* Origeniana Lib. II. nr. 27, praefix. Origen. Commentar. (Paris. 1679) p. 135.

successerat, diem obiisset supremum, in ejus locum venit *S. Theonas*. De quo nihil paene memoriae nostrae ab Antiquis traditum est. Id unum ex *Eusebio* discimus, sub ejus regimine floruisse *Achillam* et *Pierium* (§. 529) presbyterii honore decoratum; ipsum vero Theonam post annos *undeviginti* in episcopali sede exactos vita excessisse [1]) *anno Domini* 300. — Extat ex antiqua versione *Epistola* sub Theonae nomine primum a *Luc. D'Acherio* in suo Specilegio s. collectione veterum aliquot Scriptorum eccles. nov. edit. a Lud. Fr. Jos. de la Barre)Paris. 1723. III. f.) T. III. p. 297. exhibita. Haec epistola egregiis christianae pietatis et prudentiae documentis referta et primaevam plane redolens simplicitatem ad *Lucianum cubiculariorum praefectum* directa est, qua eum omnesque, qui ei suberant, officiales palatinos scite instruit, quanta cura et diligentia, qua modestia et conscientia, prout Christianos decet, suo quisque munere erga principem fungeretur. De *aetate* VV. DD. omnes fere consentiunt, illam *sub finem tertii seculi* et certe *ante annum* 303, quo nempe Diocletianus furere adversus Ecclesiam inciperet, fuisse scriptam. *Dacherius* quidem Theonam episcopum non Alexandrinum nostrum, sed *Cyzicenum* epistolae auctorem suspicatur, [2]) et *Guil. Caveus* Lucianum, cui epistola nuncupata est, cubicularium fuisse in aula *Constantii Chlori*, non Diocletiani Augusti arbitratur; [3]) verum *Guil. Cuperius* S. J. Presbyter invictis argumentis probavit, S. Theonae nostro episcopo Alexandrino illud antiquitatis monumentum esse adscribendum. [4]) Idem evincere conatus est *Gallandius*; [5]) cui accedunt

---

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VII. c. 32. nr. 12 fin. et 13 init., ed. Zimmermanni p. 559.

2) *D'Acherius* in Specilegio T. III. p. 297.

3) *Cave* Hist. litt. de Scriptt. eccl. T. I. p. 172 sq.

4) Actt. SS. *Bollandi* etc. m. August. T. IV. p. 583 — 585.

5) *Andr. Galland.* Biblioth. vett. PP. T. IV. Prolegg. c. IV. p. 8.

Lumperus, *Routhius*, *Busseus*, *Moehlerus*, alii. Edita est haec epistola post Dacherium inde a Bollandistis l. l., ab *Andr. Gallandio* T. IV. p. 60, et *Jos. Routhio* in Reliqq. sacris T. III. p. 307 — 316.

2. S. Petrus Alexandriae Episcopus Martyr.

§. 534. *Petrus*, praecipuum ac divinum episcoporum decus, cum ob totius vitae sanctimoniam tum ob studium ac peritiam sacrarum Scripturarum venerabilis, tandem *S. Theonae* (§. 533) in sede *Alexandrina* successit. [1]) Qui vir toto sacerdotii sui tempore maximam gloriam est consecutus; et ante persecutionem quidem Diocletianam tribus fere annis ecclesiam rexit. Deinceps vero reliquum tempus aetatis arctiore disciplina semet exercens transegit; et postquam medias inter persecutionis tempestates communi ecclesiarum saluti pro virili prospexit, nullum ob crimen comprehensus et praeter omnium exspectationem subito *Maximini* jussu capite truncatus *coronam martyrii* promeruit [2]) *anno Christi* 311, episcopatus sui duodecimo. — Scripsit S. Martyr *Librum de divinitate*, ex quo opere, nunc ut videtur deperdito, loca quaedam in Actis conciliorum *Ephesini* (Act. I. VII.) et *Chalcedonensis* (Act. I) afferuntur. [3]) Extant et fragmenta alterius ejusdem Patris tractatus *De Paschate*; sed integer hic liber adhuc desideratur. Ea enim diatribe, quam *Dionys. Petavius* edidit, [4]) ipso editore judice perperam Petri Alexandrini nomine inscripta, imo vero Anonymi cujusdam *sequioris aevi* est; idque apertissime jam ex eo patet, quod S. Athanasius illic allegatur, ut alios ejusmodi anachronismos taceam. Scripsit denique

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. IX. c. 6. nr. 2, ed. laud. p. 678.

2) *Idem* ibid. Lib. VII. c. 32. nr. 13, p. 559. sq.

3) in *Labb.* et *Cossart.* Coll. Concil. (Paris. 1672. XVIII. f.) T. III. p. 508. 836, T. IV. p. 286.

4) *Petavii* Uranologium (Paris. 1630. f.) p. 396.

anno 306 eorum causa, qui in persecutione lapsi essent, *Librum poenitentialem*, ex quo hodie supersunt *canones* XV, variis poenitentium casibus accommodati. Editi sunt gr. et lat. cum scholiis Theodori Balsamonis a *Front. Ducaeo*, Paris. 1620 f.; in *Guil. Beveregii* Pandectis canonum (Oxon. 1672. II. f.) T. II; item cum aliis fragmentis supra memoratis in *Andr. Gallandii* Bibliotheca vett. PP. T. IV; novissime in *Jos. Routh* SS. Reliqq. Vol. III. p. 319—372.

XVI.

Pamphilus. Phileas. Lucianus.

1. S. Pamphilus Presbyter Caesareensis Martyr.

a. Vita.

§. 585. *Pamphilus* gente Phoenicius, professione philosophus, nobili genere natus, illustris etiam muneribus in patria publice gestis, vir fuit Dei amantissimus et vere amicus omnium secundum significationem nominis sui, postremo *Caesareensis* ecclesiae ornamentum. In *Beryto* urbe patria sua primam aetatem egit in iis, quae erant puerorum, gymnasiis ibique disciplinarum gentilibus aestimatarum peritiam non mediocrem consecutus est. Postquam vero ingenium ejus ad virilem aetatem maturuit, transivit ad sacrarum literarum studium.[1]) Relicta igitur patria *Alexandriam* se contulit, et *Pierii* eruditi presbyteri (§. 529) magisterio usus[2]) in divinis dogmatibus et coelitus inspiratis Scripturis prae ceteris omnibus,

---

1) Acta martyrii S. Pamphili, apud *Papebroch.* in Actt. SS. mens. Jun. T. I. p. 64 sq.; apud *Fabricium* in edit. Opp. S. Hippolyti T. II. p. 218. 220, nr. II. III. VIII; apud *Galland.* in Biblioth. PP. T. IV. p. 41. 43.

2) *Photii* Biblioth. Cod. CVIII. CXIX.

qui cum eo versabantur, apparebat versatus; insuper autem pollebat praerogativa propriae seu potius a Deo donatae intelligentiae ac sapientiae. [3]) Deinde vero *Caesaream*, quae est in *Palaestina*, contendit, ubi post obitum *Theotecni*, qui ecclesiam illam summa cum cura gubernaverat, *Agapius* successit. Hujus igitur tempore Pamphilus, vir disertissimus vitaque et operibus vere philosophus, in ecclesia eadem *presbyterii honore* decoratus est. [4]) Tanto autem erga divinas literas studio exarsit, ut *Bibliothecam Caesareae* exstruxerit, in eaque celebriorum Ecclesiae Scriptorum libros, quos undecunque collegerat, tanquam in nobilissimo armario reponebat; [5]) praecipue vero *Origenis* opera, quorum maximam partem sua manu descripsit. [6]) Testatur *Hieronymus*, se viginti quinque Exegeseon in Prophetas XII volumina, ab Origene elaborata, Pamphili vero manu exarata in bibliotheca Caesareensi reperisse, quae tanto gaudio amplexus est, ut Croesi opes se reperisse gloriaretur. [7]) Sic Pamphilus vir extitit toto vitae suae tempore in omni virtutis genere spectatissimus, seu fugam et contemtum seculi consideres, seu bonorum largam in pauperes erogationem, seu secularium honorum ad quos adspirare poterat despicientiam, seu denique arctioris et philosophiae cujusdam vitae exercitationem; sed prae cunctis nostrae aetatis hominibus eminuit in eo ardentissimum studium sacrarum literarum, et in iis rebus, quas sibi perficiendas proposuerat, indefessa laboris assiduitas ac diligentia; ad haec singularis in proximos cunctosque, qui ad ipsum accesserant, bene-

---

3) Act. mart. S. Pamphili, apud *Fabric.* T. II. p. 220. nr. II. fin.

4) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VII. c. 32. nr. 10, ed. laud. p. 557 sq.

5) *S. Hieron.* Epist. ad Marcell., in Ej. Opp. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 711; Cf. *Ejusd.* Catal. Scriptt. eccl. c. 3.

6) *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 75.

7) *S. Hieron.* l. l.

ficentia. [8]) Si quos viderit ad victum necessariis indigere, praebebat large quae poterat; nec id solum, sed et multos sacrae Scripturae codices sumtu suo praeparabat, quos tam viris quam feminis lectioni deditis promptissime largitus est. [9]) Anno exeunte 307 post acerbissima tormenta ab *Urbano* praeside cum aliis in carcerem conjectus est. Ac primum quidem Urbanus ejus tum in arte dicendi tum in philosophia peritiam experimento aliquo cognoscere voluit; deinde sacrificare illum jubens, cum renuentem minasque ipsius aspernantem videret, supra modum efferatus gravioribus eum tormentis cruciari praecepit. Post haec ungularum, quibus latera ejus persulcaverat, crebritate ac pertinacia tantum non carnibus illius pastus vir immanissimus, cum ex his omnibus nihil praeter dedecus atque ignominiam retulisset, tandem illum ceteris, qui in carcere erant, confessoribus aggregavit. [10]) Exacto illic prope biennio, cum *Firmilianus* interea in Urbani locum successisset, S. Pamphilus unacum servo *Porphyrio* aliisque *anno* 309 ultimo supplicio affectus est. [11]) Eorum sacrosancta cadavera jussu praesidis per quatuor continuos dies totidemque noctes additis militaribus excubiis exposita sunt, ut a carnivoris bestiis laniarentur. Sed quum praeter omnium exspectationem nec fera nec volucris ulla nec canis ad ea accederet, tandem divina ordinante providentia integra atque illaesa asportata sunt, omnique funebri cultu, ut par erat, ornata et curata consuetae tradita sunt sepulturae. [12]) — *Vitam* S. Pamphili praeter ea, quae in sua historia ecclesiastica et libro de Martyribus Palaestinae tradidit, prolixius

---

8) *Euseb*. Lib. de Martyribus Palaestinae, c. 11. pr., (insert. *Ejusd*. Lib. VIII. Hist. eccl.) ed. *Zimmermanni* T. II. p. 649.

9) Ex *Euseb*. Vita Pamphil. Lib. III., apud *S. Hieron*. Lib. I. in Rufin., Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 850.

10) *Euseb*. Lib. de Mart. Palaest. c. 7. nr. 4. 5, l. l. p. 636.

11) *S. Hieronym*. Catal. Scriptt. eccl. c. 75.

12) *Euseb*. De martyr. Palaest. c. 11. nr. 12, ed. laud. p. 658.

Eusebius in peculiari opere tribus libris complexus est;[13]) verum istud dudum jam intercidit. *Acta passionis* S. Martyris collecta ex libris Eusebii Caesareensis *Papebrochius* evulgavit in Actis Sanctorum Bollandi etc. mens. Jun. T. I. p. 64 sqq.; item *Gallandius* in sua Biblioth. PP. T. IV.

b. Scripta.

§. **536.** S. Pamphilus, Eusebii ipsius amantissimi ope adjutus, ex *Origenis Hexaplorum* autographo, quod in Caesareensi bibliotheca asservabatur, *graecam Septuaginta Interpretum versionem*, prout ab Origene emendata et suppleta olim fuerat, descripsit, et corruptelis sordibusque, quibus ex librariorum incuria et temeritate indies magis coinquinata est, repurgatam *seorsim* adornavit, et in ecclesiarum Palaestinensium usum (unde *versio Palaestina* dicta est) evulgavit.[1]) Praeterea S. Martyri nostro V. D. *Montfauconius* eam *expositionem capitum Actuum Apostolorum* adscribit, quae sine auctoris nomine in *Oecumenii* Patriarchae Commentarios in Acta Apostolorum atque inde in meliores editiones N. T. abiit.[2]) Hanc quidem dispositionem et inscriptionem capitum *Laurent. Alexand. Zaccagnius* Euthalio Sulcensi Episcopo (c. a. 462) vindicat.[3]) Sed ipse *Euthalius* diserte testatur, se usum esse codicibus e bibliotheca Caesareensi, quam S. Pamphilus primum magno studio instruxit, Eusebius autem ejusque successores episcopi

---

13) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VII. c. 32. nr. 11, ed. laud. p. 558; *Idem* in libro de Martyr. Palaest. c. 11. nr., 1, p. 649.

1) *S. Hieron.* Praefat. in Libr. Paralipom.

2) *Bern. de Montfaucon.* in Biblioth. Coislin. p. 78.

3) *Zaccagnii* Collectanea Monument. vett. (Rom. 1698. 4.) p. 209. Idem sentiunt *Jo. Jac. Wetstenius* in Prolegg. ad N. T. graec. (Amstelod. 1752. II. f.) I. p. 45. 76; *Nath. Lardner* in suo opere »Glaubwürdigkeit der evangel. Geschichte« (Berlin 1749. V. 8) Th. II. S. 321 ff.

Caesareenses servarunt auxeruntque. Hinc itaque etiam capitum dispositionem, qualem S. Pamphilus digesserat, jam ex illis codicibus mutuatus esse, et duntaxat *versiculorum divisionem* ipsemet *Euthalius* addidisse videtur.[4]) Hanc Pamphili dispositionem capitum Actuum Apostolorum cum annotatione interpretis Bern. Montfauconii typis excudendam curavit *Fabricius*[5]) in sua editione Opp. S. Hippolyti T. II. p. 205 — 209, et post eum *Gallandius* in Bibliotheca vett. SS. PP. T. IV. p. 1 sqq. — Praeclarissimum autem opus, quod Pamphilus carcere inclusus, praesente etiam et subveniente eodem Eusebio, conscripsit, *Libri* V sunt *Apologetici pro Origene*, quibus testante Photio post Pamphili mortem sextum adjecit Eusebius. Pro *genuinitate* hujus operis loquuntur *Eusebius*,[6]) *Socrates*,[7]) *Photius*,[8]) *Nicephorus Callistus*,[9]) et recentiores VV. DD. *Huetius*, *Tillemontius*, *Fontaninus*, *Nourrius*, *Fabricius*, *Caveus*, *Vinc. Ruaeus*, *Ceillierius*, *Tobenzius*, *Wiestius*, *Gallandius*, *Lumperus*, *Walchius*, *Routhius*, *Busseus*, *Lochererus*, *Annegarnius*, *Moehlerus*, ceteri fere ad unum omnes. Solus *Hieronymus* a communi sententia recedit, innixus in Eusebii verbis, quibus Pamphilum nihil scripsisse, nec proprii quidquam condidisse sermonis praeter epistolas nonnullas ad amicos datas subinnuit.[10]) Verum cum Eusebii verba de scrip

---

4) Cf. *Alb. Fabricii* Opp. S. Hippolyti T. II. p. 209 in fin.; eandem cum Fabricio sententiam amplectuntur, et Montfauconium recte judicasse censent *Schroeckh* Kirchengeschichte P. IV. p. 436; *Galland.* Biblioth. PP. T. IV. in Prolegg. p. 4; *Lumper* Hist. theol.-crit. P. XIII. p. 534; *Moehler* Patrologie, p. 674.

5) Idem etiam expositionem Euthalianam e Pamphili libro depromtam aliasque, quas reperit ab illa numero capitum ac divisione discrepantes adjunxit l. l. p. 209 — 217.

6) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 33 in fin., ed. laud. p. 445.

7) *Socratis* Hist. eccl. Lib. III. c. 7.

8) *Photii* Biblioth. Cod. CXVIII.

9) *Niceph. Callist.* Hist. eccl. Lib. X. c. 14.

10) *S. Hieron.* Lib. I Apolog. contr. Rufin., nr. 9, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 465.

tis proprio Marte compositis intelligi debeant, et ipse porro alibi scriptum a Pamphilo *Apologeticum* esse diserte testetur;[11]) sane non est, quod in hac re diutius moremur. Argumenta D. Hieronymi, quibus probare conatus est, Apologeticum istum pro Origene non Pamphili sed *solius Eusebii* esse, *Vincentius Ruaeus* solide refutavit;[12]) eadem exscribere operae pretium duxit *Gottfr. Lumperus* in Historia theol.-crit. de SS. Patrum vita, scriptis etc. T. XIII. p. 545—559. Hodie *primus* duntaxat liber hujus Apologiae, et is quidem nonnisi *ex versione Rufini* superest, et modo inter opera Origenis a Vinc. Ruaeo T. IV. P. II, modo inter B. Hieronymi scripta T. IV. P. II, saepius invenitur; postremo a *Gallandio* in sua Bibliotheca PP. T. III receptus extat. Ceteri ejusdem Apologiae libri perierunt, exceptis paucis, quae Photius Cod. CXVIII servavit, fragmentis. — Pariter *Epistolae ad amicos*, quas Pamphilus teste *Eusebio* exaraverat,[13]) interciderunt.

2. S. Phileas Thmuitanus episcopus Martyr.

a. *Ejus Vita.*

§. 537. *Phileas* de urbe Aegypti, quae vocatur *Thmuis*, vir cunctis in patria honoribus ac muneribus summa cum laude perfunctus et in philosophiae studiis admodum clarus et in Graecorum disciplinis apprime versatus, vere philosophus nec minus Dei quam sapientiae amator fuit.[2]) Tandem virtutum suarum splendore ad

11) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 33, p. 445.

12) *Origenis* Opp. ed. Car. et Vinc. *de la Rue* T. IV. P. II. p. 7—13.

13) *S. Hieron.* Epist. LXXXIII (al. Epist. 84) ad Magnum, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 656.

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VIII. c. 9. nr. 5 in fin., ed. *Zimmermann.* p. 583; *S. Hieronym.* Catal. Scriptt. eccl. c. 78.

2) *Euseb.* l. l. c. 10. nr. 1 et 7 sub fin., ed. laud. p. 581. 588.

sedem *episcopalem ecclesiae patriae* evectus, fervente sub *Maximino* persecutione *anno* 310 *vel* 311 in urbe *Alexandria* unacum *Philoromo* ibidem procuratore martyrii palmam adeptus est. Qui viri, cum innumeri cognati atque amici, quidam etiam ex magistratibus atque honoratis eos rogarent, ut sui ipsorum misereri, ut uxoribus ac liberis suis consulere vellent, nunquam his omnibus adduci potuerunt, ut vitae suae conservandae causa divinas leges de confessione et negatione nominis Christi latas contemnerent, sed virili ac philosophico animo seu potius religiosa ac Deo dicata mente adversus omnes judicis minas et contumelias ambo praestantes securi percussi sunt. [3])

b. Scripta.

§. 538. S. Phileas, suscepto jam episcopatu elegantissimum librum *De Martyrum laude* composuit, [4]) partim quo in statu fratres versarentur exponens, partim eos adhortans, ut pietatem in Christum etiam post obitum suum jamjam imminentem retinerent. [5]) Inde elucet, librum exaratum fuisse c. a. 310. Hujus libri epistolari forma contexti et *ad Thmuitas* directi insigne fragmentum nobis servavit *Eusebius* in Historia sua eccl. Lib. VIII. c. 10, ed. Zimmermanniana p. 585 — 588; unde illud exscripserunt *Theod. Ruinartus* in Actis sinceris primorum Martyrum (ed. Veron. 1732. f.) p. 273 sq.; *Andr. Gallandius* in sua Biblioth. vett. PP. T. IV. p. 65 sqq.; *Jos. Routh.* in Reliqq. sacris T. III. p. 375 sqq. — Alia ejusdem S. Phileae epistola *Meletio Lycopolitano episcopo* nuncupata priori demum seculo ab eruditissimo *Sci-*

---

3) *Euseb.* l. l. c. 9. nr. 6, ed. laud. p. 584. De *tempore*, quod diximus, et *loco* martyrii videsis *Lumperi* Hist. theol.-crit. de SS. PP. T. XIII. p. 598 sqq.

4) *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 78.

5) *Euseb.* l. l. c. 10 sub fin., p. 588.

pione Maffeio e vetustissimo codice latino Veronensis Capituli evulgata et a *Gallandio* l. l. T. IV. p. 67 sq. recepta est. Perantiquam esse hanc e graeco adornatam versionem, manifestum est. Inscriptos autem in fine ejus legimus quatuor episcopos, eosdem nimirum, quos Eusebius commemorat dicens: Ex iis, qui Alexandriae et per totam Aegyptum et Thebaidem nobili martyrio perfuncti sunt, recensentur ... *Phileas*, *Hesychius*, *Pachomius et Theodorus*, diversarum in Aegypto ecclesiarum episcopi. [6]) Phileas autem, qui heic *primo* loco nominatus est, in epistola nostra *postremus* inscribitur. Scilicet epistolam Phileas *ipsemet* perscripsit, quippe qui Eusebio Hieronymoque testantibus ceteris eloquentiae et doctrinae laude praestaret; ultimo propterea loco modestiae causa seipsum nominavit. Quae laudatissimi editoris conjectura sane non est contemnenda. Scripta est autem epistola, dum *S. Petrus* Alexandrinus episcopus (§. 534) adhuc in vivis ageret, ipse vero Phileas cum supra nominatis in carcere detineretur, i. e. *anno circiter* 310.

3. S. Lucianus Presbyter Antiochenus Martyr.

a. Vita.

§. 539. *Lucianus* in urbe *Samosata* nobili familia ortus, vir tum vitae continentia tum literarum sacrarum scientia conspicuus. [1]) In prima aetate *Macarium* quendam Edessenum, sacrae Scripturae libros interpretantem, studiosissime audivit, a quo pulcherrima quaeque brevi edoctus ad vitam asceticam et solitariam inclinavit. [2]) Tandem *ecclesiae Antiochenae presbyter* fac-

---

6) *Euseb.* l. l. c. 13. nr. 4, p. 596.

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. IX. c. 6. nr. 2 med., ed. laud. p. 678.

2) *Guil. Cave* Scriptt. eccl. hist. literaria, Vol. I. p. 154. et ibid. citt.

tus,[3]) *scholam* illic instituit, e qua multi non infimae notae discipuli, inque iis *Eusebius Nicomediensis*, *Maris Chalcedonensis*, *Theognis Nicaenus*, alii prodierunt, qui, cum sectae *Arianae* postmodum fautores evaderent, nefandae suae haereseos suspicionem haud difficile in eum quoque, quo olim praeceptore usi erant, excitare potuerunt.[4]) At *Epiphanius*, *Hieronymus*, *Chrysostomus*, reliqui S. Martyris laudatores, ne verbo quidem illum erroris arguunt. Nec possum, quin in illius gratiam huc traham, quae habet *Suidas*, nempe divinorum dogmatum puritatem apud hunc prae omnibus illius aetatis viris pulcherrime summoque studio conservatam fuisse, ejusque de rebus divinis sententiam ex epistolis, quas scripsit, sane praestantissimis cuivis apertissime liquere.[5]) Anno 311 *Nicomediam* perductus, ubi tunc *Maximinus* Augustus morabatur, et postquam professionem christianae fidei coram praeside ediderat, in carcerem conjectus ac trucidatus est[6]) die 17 Januarii *anno* 312. Divus *Joannes Chrysostomus* nonnulla ex ejus passione cum magnis S. Martyris encomiis memoriae nostrae prodidit.[7])

b. Scripta deperdita.

§. **540.** S. Lucianus e *S. Scriptura V. T.*, collatis variis versionibus adhibitisque vetustioribus ac probatae fidei codicibus, crebras, quae ex librariorum incuria aut temeritate irrepserant, labes sustulit et *Septuaginta interpretum* textum graecum ex hebraicis exemplaribus ad primaevam puritatem restituere conatus est. Haec S.

---

3) *Euseb.* l. l. Lib. VIII. c. 13. nr. 1, et Lib. IX. c. 6, ed. laud. p. 595. 678; *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 77.

4) *Theodoreti* Hist. eccl. Lib. I. c. 3.

5) Cf. *Cave* Hist. litt. Scriptt. eccl., Vol. II. p. 154.

6) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. IX. c. 6. nr. 2, ed. laud., p. 678.

7) *S. Chrysost.* Homil. in S. Lucianum, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. II. p. 524 sq.

Scripturae versio emendata *Lucianea* apud omnes ecclesias orientales ab Antiochia Constantinopolim usque obtinuisse, *Hieronymus* testatur. [8]) — Scripsit item *Libellos fidei*, [9]) et in iis fortasse etiam brevem illam *fidei expositionem*, quam Patres in synodo Antiochena anno 341 congregati protulerunt, seque ipsius S. Martyris nostri autographum reperisse affirmabant. Ejus symboli multi quidem Scriptores mentionem faciunt, sed tecto Luciani nomine. [10]) Teste *Sozomeno* formula ista, excepto verbo ὁμοούσιον, quod deerat, in reliquis cum fide Nicaena consensit. [11]) Quorum omnium nihil ad nos usque pervenit. Neque ex *Epistolis*, quas scripsit Lucianus, hodiedum quidquam asservatum est, excepta extrema clausula illius epistolae, quam de Anthimi episcopi martyrio e carcere Nicomediensi *ad Antiochenos* dederat. Hoc perexiguum fragmentum in *Chronico Alexandrino* ad 271 Olymp. exhibetur p. 648.

VXII.

S. Methodius Episcopus Martyr.

A. Vita.

§. 541. *S. Methodius* vir fuit apprime doctus acerrimusque veritatis patronus. [1]) Alii eum *Olympi* pri-

---

8) *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 77; *Idem* in Praefat. in Libb. Paralipom. et in Evangg., Opp. omn. ed. Maurin. T. I. col. 1023. 1426; *Idem* in Apolog. adv. Rufin. Opp. T. IV. P. II; *S. Augustin.* De civitate Dei, Lib. XVII. c. 43.

9) *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl l. l.

10) *S. Athanas.* De synod. Arimin. et Seleuc., in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. p. 735; *S. Hilar. Pictav.* De synod. fid. cath., in Ej. Opp. omn. p. 21; *Socrates* in Hist. eccl. Lib. II. c. 10; *Sozomen.* Hist. eccl. Lib. III. c. 5.

11) Cf. Joh. Adam Möhler Athanasius der Große (Mainz 1827. II. 8) S. 57 ff.

1) *S. Epiphan.* Haeres. LXIV. nr. 63.

mum, quae urbs in Lycia est, deinde *Tyri* in Phoenicia episcopum fuisse tradunt; [2]) alii *Pataris* in Lycia primam habuisse sedem suam putant; [3]) alii denique Olympi *tantum* curam episcopalem tenuisse narrant, nulla de Tyri episcopatu mentione facta. [4]) Utrum igitur duo ejusdem nominis episcopi, Olympicus et Patarensis, ab Antiquis confundantur; an unus idemque fuerit utriusque loci episcopus; an denique Olympi nomen heic non aliam quam urbem Patara significet, siquidem teste *Suida* [5]) haec ipsa urbs, quoniam in monte sita fuit, vulgo etiam Olympus audiverit; id, inquam, pro certo statuere difficile est. Quare factum est, ut etiam a Recentioribus aut *Olympi* tantum, [6]) aut *Tyri* duntaxat, [7]) aut *Olympi* primum dein *Tyri*, [8]) aut primum quidem *Olympi sive Pataris*, postea vero *Tyri* [9]) episcopus appelletur. In tanta igitur ambiguitate primo monendum est, quod *unum* solum *Scriptorem ecclesiasticum* sub Methodii nomine agnoscat S. Hieronymus, *unum* tantum recenseat Epiphanius, *unum* Leontius Byzantinus ceterique fere omnes, qui Scriptores ecclesiasticos enumerant; secundo, quod non sit verisimile, Olympensem ecclesiam et Patarensem ab *eodem* episcopo fuisse administratam, cum praesertim civitas *Myrensis*, quae jam a primo seculo episcopum habuit,

---

2) *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 83.

3) *Leont. Byzant.* De sectis, ed. Leunclav. Act. III. p. 431; *S. Joann. Damascen.* De SS. Imagin., in Ej. Opp. omn. ed. Le Quien T. I. p. 307 sqq. Orat. III.

4) *Socrat.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 13; *S. Maxim. Confess.* in scholiis ad Dionys.-Areopagit. De Eccles. Hierarch. c. 7.

5) *Suidas* s. v. Methodius, in Ej. Lexic. T. II. p. 509 ed. *Kusteri.*

6) Ita *Tillemontio* placuit et *Basnagio.*

7) Sic habent *Steph. Wiest, Ge. Walch, Jac. Ruttenstock.*

8) *Gfr. Lumper, Jo. Nep. Locherer, Jos. A. Annegarn.*

9) *Leo Allatius, Guil. Caveus, Mich. Lequienius, Jo. Andr. Sixtus, Car. Sardagna, Bern. Jos. Busse, Ad. Moehler.*

illis urbibus ferme intermedia sit.[10]) Unde nobis jam verisimilius apparet, posteriores Graecos, qui episcopatum Patarensem *Scriptori nostro Methodio* attribuunt, a vero aberrasse. Primus enim, qui hanc sententiam protulisse scitur, *Leontius Byzantinus* est, scriptor tribus totis seculis Methodio posterior. Quaenam autem ejus erroris causa fuerit, difficilius est conjicere. Tandem vir sanctissimus pro Christi nomine *trucidatus* esse unanimi omnium consensu perhibetur. Verum iterum nec de *tempore* nec de *loco martyrii* ejus satis certi sumus. *Hieronymus* eum in *Chalcide Graeciae* passum memorat;[11]) *Sophronius* autem eundem occubuisse scribit in *Chalcide Orientis* (i. e. Syriae), quae sententia nonsolum propter locorum propinquitatem verisimilior (ista enim Chalcis propinquior Tyro est), sed etiam a *Suida*[12]) diserte confirmata nobisque probabilior est. *Tempus* vero martyrii quod attinet, sunt, qui sub *Decio* aut *Valeriano* imperatore; alii, qui sub *Diocletiano*, imo ad extremum ejus persecutionis, Methodium supplicio affectum arbitrantur, cum praesertim ne Hieronymo quidem l. l. res satis explorata fuerit. Attamen plerique VV. DD. inprimis *Baronius*, *Holstenius*, *Allatius*, *Possevinus*, *Vossius*, *Pearsonius*, *Tillemontius*, *Sardagna*, *Locherer*, *Annegarn*, *Moehler*, sub finem demum *Diocletianae* persecutionis, *anno* 311 aut 312 Methodium martyrio coronatum fuisse censent, quod et nobis magis accedere ad veritatem videtur, siquidem monente *Tillemontio*[13]) S. Martyr adversus *Porphyrium* scripserit, quem sub Diocletiano demum contra Christianos calamum strinxisse constat. Itaque nobis cuncta, quae hucusque exposuimus, retractantibus tum

---

10) *Le Quien* Oriens christianus (Paris. 1740 III. f.) T. I. p. 976.

11) *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 83.

12) *Suidas* in Lexic. ed. *Kusteri* T. II. p. 520.

13) *Tillemontii* Memoires eccl. T. V. Not. sur S. Method. p. 343.

demum plana omnia et expedita videntur, si ponamus, *duos* quidem fuisse *Methodios Martyres*, quorum alter Olympi primum deinde Tyri episcopus in Diocletiana persecutione c. a. 311 trucidatus; alter Patarorum episcopus, jam sub Decio aut Valeriano anno 251 vel 257 coronatus sit. *Scriptorem* vero ecclesiasticum ejus nominis, de quo nobis quaestio est, *unum* tantum et eum quidem *Tyri* episcopum fuisse, non Patarensem, nobis persuasum est. — Ceterum de Methodii nostri sede episcopali, de passione ejus et libris, quos reliquit, aliquanto enucleatius disserunt *Leonis Allatii* Diatribe de Methodiorum Scriptis, ed. unacum S. Methodii Episc. et Martyris Convivium X Virginum, Rom. 1656, eadem diatribe recepta est ab *Alb. Fabricio* in editione Opp. S. Hippolyti (§. 385) Voll. II. p. 75 — 95. *Gfr. Henschenii* Sylloge hist. de S. Methodio, in *Bollandi* etc. Actt. SS. m. Junii T. IV. p. 5 sqq. *Jo Andr. Sixti* Diss. de Methodio Tyri quondam episcopo, Altorf. 1787. 4; quae eadem dissertatio typis recusa est in *Lumperi* Hist. theol.-crit. de SS. PP. P. XIII. p. 912 — 922.

B. Scripta.

1. Genuina tam ex parte quam penitus deperdita.

a. *Convivium decem Virginum.*

aa. De genuinitate et sinceritate operis.

§. 542. Hoc verum et *genuinum* Methodii opus esse, ambigi non potest. Laudatur enim a *Gregorio Nysseno*, [1]) *Hieronymo*, [2]) *Andrea Caesareae* in Cappado-

---

1) *S. Gregor. Nyss.* Orat. de eo, quid sit ad imaginem et similitud. Dei, in Ej. Opp. omn. (ed. *Front. Ducaei*, Paris. 1615. II. f.) T. I. p. 868.

2) *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 83.

cia *episcopo*, [3]) *Joanne Damasceno*, [4]) *Photio*; [5]) ut *Aretam Caesareensem*, *Honorium Augustodunensem*, *Joannem Trithemium* taceam. Imo omnes antiquitatis notas praesefert, et loca, quae Gregorius Nyssenus et Photius inde exscripserunt, ibidem *ad verbum* cuncta reperiuntur. Unde et *Recentiores* fere omnes illius genuinitatem agnoscunt. Atvero non ita omnes *de sinceritate* consentire videntur. Jam enim *Photius* Dialogum istum magnam partem adulteratum esse monet, et adjectas in illo reperiri Arianas vanasque opinatationes. Eandem Photii censuram adducit *Fr. Combefisius*, subjungens deinde, esse in eo revera aliqua, quae vix sensum catholicum faciant, quantumvis quis emolliat, nisi prorsus vim verbis afferat. [6]) Longe vero aliter sentit *Leo Allatius*, et in Methodii symbosio, quale nunc extat, nullibi Arianas fabulas insertas dicit, nec esse omnino quidquam, quod non possit catholice catholicis auribus exponi. [7]) Et reapse hoc plane, quod prae manibus est, Symposii exemplar nihil in se continet, quod Arianam haeresin propugnet. Itaque *Lumperus* ausus est candide edicere, crisin Combefisii iniquiorem S. Methodio videri. [8]) Photii vero censura fortasse de corrupto aliquo, quod tum ad manus habuit, exemplari dicta est. Nam si Methodius revera usus fuisset quibusdam loquendi modis, qui Arianos errores saperent, tales absque dubio in aliis quoque ipsius operibus fuissent reperti. At Photius quatuor diversa Martyris nostri opera legerat, et de solius Convivii corruptione conqueritur.

3) *Andreae Caesar*. Serm. XI. in Apocalyps. c. 35, in Biblioth. PP. max. *Lugdun*. T. V. p. 609.

4) *S. Joann. Damasc*. Sacra Parallel., in Ejusd. Opp. omn. ed. *Le Quien*. T. II. p. 643.

5) *Photii* Biblioth. Cod. CCXXXVII, ed. *Hoeschel*. p. 950.

6) *S. Methodii* Opp. ed. *Combefis*. (Paris. 1644. f.) p. 143.

7) *Leonis Allatii* Diatribe de Methodiorum scriptis. nr. XI, in *Fabricii* Opp. S. Hippolyti Vol. II. p. 80 sq.

8) *Gfr. Lumperi* Hist. theol.-crit. de SS. PP. vita etc. P. XIII. p. 444 sq.

bb. Symposii argumentum.

§. 543. Convivium decem Virginum dialogus est in laudem *virginitatis*. Virginum, quae loquentes introducuntur, nomina sunt: *Marcella*, *Theophila*, *Thalia*, *Theopatra*, *Thalusa*, *Agatha*, *Procilla*, *Thecla*, *Tysiana* et *Domnina*. Cum virginibus vero non raro colloquitur *Arete* (Virtus). Dialogum hunc *S. Methodius* composuit, aemulatus notum illud *Platonis Symposion*. Et quemadmodum Apollodorus, narrator convivii Socratici, quae retulit, ex Aristodemo, qui ipse interfuerat, se accepisse profitetur; ita in Methodii libro *Gregorion*, puella quaedam in convivio subministrans, omnia in muliebri coetu peracta narrat *Eubulio* ejusque sociis, et relata habere se a *Theopatra*, una e sodalibus, dicit. Haec igitur Gregorion puella in familiarem reversa domum, describit locum conventus illarum virginum fingitque, Areten, in cujus horto conventus erat, singulas adhortatam esse, ut, quaeque earum vellet, de virginitate orationem habert, orationesque eas suo ordine digestas refert. Dialogus plenus est allegoriis et Scripturae locis sensu maxime mystice explanatis. Ita virginitatem laudat, ut tamen non improbet matrimonium.

b. *Liber s. Dialogus de Resurrectione.*

aa. Operis geminitas.

§. 544. *Liber De resurrectione, opus egregium, contra Origenem* [1]) directus est, quem duos ejusdem argumenti libros composuisse supra memoravimus (§. 420). Is enim, quum hominum animas ante corpora creatas, et ob peccata vitae anteactae in corpora velut in carceres quosdam purgationis causa inclusas esse sentiret, resurrectionem voce tenus quidem adstruxit, tamen corpora, quae in consummatione mundi recepturae essent animae,

1) *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 83.

aetherea fore existimavit. Opus autem Methodii non *integre* quidem, attamen *maximam partem* servatum est. Tam enim prolixa sunt, quae *S. Epiphanius* [2]) ex eodem adfert, ut non ita multa deesse nobis videantur. Ad haec non pauca *Photius* [3]) et nonnulla etiam *S. Joannes Damascenus* [4]) memoriae nostrae tradiderunt. Quae fragmenta quod *vere S. Martyris nostri* sint, non solum virorum, quos supra diximus, auctoritate sed locis etiam singularibus, qui in *Convivio X Virginum* iisdem verbis occurrunt, praetereaque toto *dicendi genere* adeo confirmatur, ut nemo fere recentiorum dubium unquam moveret. Sunt tamen, qui genuinum quidem at *minus purum* hunc librum et fragmenta non absque omni extraneo additamento pervenisse ad nos censeant. Primo enim locus Methodianus de aureis imaginibus Angelorum, Principatuum et Potestatum ad Dei gloriam factis, quem *S. Joannes Damascenus* l. l. profert, in textu graeco manifeste mancus et corruptus est. Sed non immerito *Caveus* videtur suspicari, illum locum non Methodio tribuendum esse, cujus tempore cultus imaginum nondum usu venerat, sed potius a Damasceno in hunc sensum fuisse detortum. Secundo alius locus a *Photio* excerptus extat, in quo allegatur S. Gregorius Nazianzenus his verbis: „*Enimvero quomodo hac in parte intelligendus Gregorius Theologus et alii plures?*" [5]) Neque in excerptis tantum libri de Resurrectione sed etiam in excerptis ex Symposio Virginum ille S. Doctor Ecclesiae apud Photium citatur. Quomodo, inquit *Oudinus*, allegare Methodius potest Gregorium Nazianzenum tunc temporis vixdum natum? necessarium ergo est, etiam ante Photium interpolatos fuisse

---

2) *S. Epiphan.* Haeres. LXIV. ed. *Petav.* T. I. p. 534—590.

3) *Photii* Biblioth. Cod. CCXXXIV.

4) *S. Jo. Damascen.* Orat. III. de Imagg., in Ej. Opp. ed. *Le Quien.* T. I. p. 389.

5) SS. PP. Amphilochii, *Methodii* et Andreae Cret. Opp. omn. ed. *Fr. Combefis.* p. 305.

libros et dialogos S. Methodii Martyris et Episcopi. [6]) Ita Oudinus. Imo vero observante *Roeslero* verba illa potius glossema sunt ipsius Photii, non verba S. Methodii. [7])

bb. Opusculi dispositio et analysis.

§. 545. Hunc quoque librum ad formam *dialogi* composuit S. Pater, inscripsitque, ut videtur, *Theophilo* cuidam, quem *κράτιστον* appellat. [8]) Inducuntur autem in eo *Methodius* et *Auxentius* cum Origenistis *Proclo* et *Aglaophonte* disputantes, unde in plures forsan ad interloquentium numerum partes seu orationes divisus fuisse dialogus videtur. Certe Joannes Damascenus ex *secundo*, ut ait, *de resurrectione libro* locum adfert; et Eustrathius presbyter Constantinopolitanus († c. a. 590) in opusculo suo *De vita functorum statu* [9]) Methodii orationem ad Aglaophontem allegat, quae nihil aliud quam hujusce operis pars erat. Docet autem S. Martyr in hoc dialogo, malum ex abusu liberi arbitrii ortum suum habere; Adamum cum vera carne creatum fuisse, corpusque haud esse carcerem seu vinculum animae. Dein probat, hominem creatum esse immortalem; mortem initium cepisse a peccato, cujus fuit punitio; peccatum autem ortum esse ex invidia diaboli, atque ipsum diabolum cecidisse peccato invidiae et immodico puellarum amore. Peccata quidem omnia deleri per baptismum, radicem tamen semper superesse, ex qua germinat in hac vita infelix propago. Voluisse itaque Deum, hominis efformatorem, opus

6) *Casim. Oudini* Commentar. de Scriptt. eccl. (Paris. 1722. III. f.) T. I. p. 301.

7) *C. F. Roesler* Bibliothek der Kirchenväter in Uebersetzungen und Auszügen (Lips. 1776 — 86. X. 8) Th. II. S. 297. not. 2.

8) S. *Method.* De resurr., ap. *S. Epiphan.* in Opp. ed. Petav. T. I. p. 540. 560. 590.

9) in *Leon. Allatii* De utriusque Ecclesiae occid. et orient. de purgatorio consensu (Rom. 1655. 8) p. 319—361.

suum peccato deturpatum per mortem destrui, ut per resurrectionem restauraretur. In resurrectione homines corpore et carne, at immortali et incorruptibili praeditos fore. Ad haec Methodius alia plura, quae sunt Platonis et Origenis, refellit, variaque S. Scripturae loca explicat. Ceterum dubitare vix quisquam poterit, quin Methodius in hoc libro *S. Athenagoram* imitatus sit.

c. *Tractatus de libero arbitrio et unde mala.*

§. 546. *Hieronymo* teste Methodius noster elucubrationem quoque *De libero arbitrio et unde mala* exaravit[1]) adversus *Valentinianos* inprimis et *Origenem*. Ex hoc libro excerpta quaedam et ea satis quidem ampla habes apud *Photium*.[2]) Plura dedit *Combefisius* in sua Methodii Operum editione (§. 556) credens totum paene opusculum se edere constans ex tribus partibus. Prima pars jam ante publici juris facta erat a *Jo. Meursio*,[3]) secundam continent fragmenta e *Photii* Bibliotheca excripta; tertiam habuit ex mscr. *Sirmondi* S. J. presbyteri, ac in fine modicum addidit fragmentum e *S. Damasceno*. Est autem tractatus hujusmodi ad formam dialogi conscriptus inter hominem haereticum e secta *Valentiniana* et *Orthodoxum*; quare *Gallandius* in sua editione, quo clarius orationis contextus procedat, personas colloquentes distinxit. Valentinianus affirmat, aeternam materiam mali seu peccati caussam esse. Cui Orthodoxus opponit, fieri non posse, ut duo sint principia aeterna; imo etsi ab aeterno materia foret, non tamen malum esse aeternum, quia materiae qualitates non possint esse aeternae. Neque mali causam esse materiam,

---

1) *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. l. l.

2) *Photii* Biblioth. Cod. CCXXXVI.

3) *Jo. Meursii* edit. in collectione c. t. *Varia sacra*, Lugd. Batav. 1619. 4.

neque Deum auctorem peccati, quia quid reale non est, sed in solo libertatis abusu totum illud esse. Ipsum ideo hominem peccare, cum ex pravo libertatis abusu res agat legi divinae contrarias.

d. *Alii adversus Origenem libri.*

§. 547. Extant apud *Photium* etiam fragmenta quaedam libri S. Methodii, cujus titulus *De creatis.* [1]) Verum Antiquiores de hujusmodi libro nullam faciunt mentionem. Unde *Caveo* visum est, non distinctum aliquod opus hujus tituli scripsisse Methodium, sed excerpta, quae profert Photius l. l. ex Methodii *in Genesin Commentario* (§. 549) desumta esse. [2]) Utut est, in eo S. Martyr iterum adversus *Origenem* disputat, et sanctiora Christi Ecclesiae dogmata ethnicis placitis ipsum intexuisse queritur. Fragmenta sex e Photio collecta edidit *Combefisius* l. l. p. 336. — Aliud Methodii opus contra Origenem, nunc sive penitus deperditum sive adhuc latitans in bibliothecis, inscriptum fuisse *De Pythonissa, S. Hieronymus* tradit. [3]) Pythonissa haec quaenam fuerit, de qua scripserat Origenes, et de qua suum tractatum concinnaverat Methodius, fuse egit *Leo Allatius.* [4]) — Rursus alium S. Martyri nostro librum tribuit *Socrates* sub titulo *Xenon Dialogus,* in quo Methodius Origenem adeo non increpasse dicitur, ut potius summa admiratione eum prosequatur. *Leo Allatius* dubitat, an peculiaris sit is liber, creditque, se vestigia manifesta hujus dialogi invenire in opere *De creatis* supra memorato, ex quo nonnulla Photius exhibuit fragmenta. [5]) At certius videtur

1) *Photii* Biblioth. Cod. CCXXXV.

2) *Guil. Cave.* Hist. lit. de Scriptt. eccl. T. I. p. 152.

3) *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 83.

4) in *Eustathii Antioch.* Commentar. in Hexaëmer. Ludg. 1629. 4.

5) *Leon. Allatii* Diatrb. de Methodiorum Scriptt. nr. XVII, in *Fabricii* ed. Opp. S. Hippolyti, Vol. II. p. 84.

esse, *duos* et distinctos fuisse libros, et unum quidem *de Creatis*, alterum vero *Xenon* inscriptum. Quid autem, quod S. Pater, qui Origenem libris suis diu multumque insectatus fuerat, in hoc dialogo eundem testante Socrate summis laudibus prosecutus sit? Num Methodius sententiam priorem de erroribus Origenis mutavit, et quasi palinodiam cecinit, prout Socrates innuere videtur? Minime vero. Potuit enim Methodius justa ratione laudare Origenem tanquam acerrimum Christianorum adversus Celsum defensorem; potuit laudare eum ab ingenio et eloquentia, nec opus erat mutatione opinionis, ut in eum alibi severius animadverteret de erroribus, si quos deprehenderet.

e. Libri contra Porphyrium paene jam deperditi.

§. 548. *Porphyrius* erat philosophus gentilis, scholae Neoplatonicae a Plotino conditae magister, qui inter varia, quae condidit, volumina etiam c. a. 270 *quindecim libros contra Christianos* edidit, in quibus id potissimum pensi habebat, ut S. Scripturae auctoritatem convelleret. Hunc igitur hominem christiano nomini infensum primus S. Methodius refutare coepit, emisso opere *Contra Porphyrium* ad decem millia versuum extenso. [1]) Haec *D. Hieronymus* refert, qui et in praefatione commentarii sui in Danielem prophetam memorat, Eusebium et Apollinarem (juniorem) Porphyrio solertissime respondisse, et „*ante hos ex parte Methodium.*“ Quibus postremis verbis innuisse videtur, opus Methodii contra Porphyrium non fuisse absolutum. Quapropter non est incredibile, beatum Martyrem his libris esse immortuum, ideoque imperfectos

1) *S. Hieronym.* Epist. ad Magnum Orat., in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. Ep. LXXXIII. col. 656. *Versuum* voce *periódos* totidem significare Hieronymum putat *Caveus* in sua Hist. liter. Scrippt. eccl. T. I. p. 152.

eos reliquisse. Totum vero opus injuria temporis excidit exceptis perexiguis fragmentis in *S. Joannis Damasceni* Sacris Parallelis et in *Nicetae* Catena in Job servatis, quae *Fr. Combefisius* in editione operum Methodii (§. 556) collecta evulgavit p. 442.

f. Alia penitus fere deperdita opuscula.

§. 540. S. Methodius praeterea scripsisse dicitur *Sermonem de Martyribus*, cujus operis unus inter Veteres *Theodoretus*, quod quidem sciam, meminit. [2]) Dicit S. Pater, adeo admirandum martyrium esse adeoque expetendum, ut Christus Filius Dei illud honorare voluerit, et, *cum esset Patri suo aequalis*, tam excellenti dono naturam humanam, quam assumserat sibi, coronaret. Hoc fragmentum e Theodoreto primus exscripsit *Gallandius* in sua Bibliotheca vett. PP. T. III. p. 804. — Methodium denique adornasse etiam *Commentarios in Genesin* et *in Canticum Canticorum*, *Hieronymus* testatur. [3]) Utrumque vero opus hodie desideratur, etsi forte fragmenta hinc inde, praesertim in Catenis Patrum, reperiri possint. — *Allatius* alios insuper recenset a *Possevino* allegatos commentarios sc. *in Apocalypsin*, *in Evangelia* etc., quos S. Patri nostro adscribere non dubitat. Verum cum is nulla argumenta alicujus auctoritatis proferat, nec alius quispiam Scriptorum unquam de hisce libris aliquid memoriae tradiderit, non ulterius in his morandum duximus.

---

2) *Theodoreti* Dialog. I. seu Immutabil., in Ej. Opp. omn. ed. *Schulze* et *Noesselt* (Hal. 1769—74. V. 8) T. IV. p. 37.

3) *S. Hieron.* Catal. Scriptt. eccl. c. 83.

2. Opera dubia.

a. *Sermones nonnulli s. Homiliae.*

aa. *Oratio de Simeone et Anna.*

§. 550. Circumferuntur hodie sub S. Methodii nomine nonnullae queque orationes seu homiliae, de quarum genuinitate inter Eruditos valde controvertitur. Harum in censum primo venit ea, quam *Petrus Pantinus Tiletanus* in lucem edidit hoc titulo: *S. Methodii Episcopi Patarensis et Martyris De Simeone et Anna . . . ac de S. Deipara* gr. et lat. Antwerp. 1598. 8. *Leo Allatius*,[1]) *Fr. Combefisius*,[2]) *Natalis Alexander*,[3]) *Albert. Fabricius*,[4]) *Andr. Gallandius*[5]) ex phrasi, elocutione reliquisque dicendi formulis hanc homiliam Methodio nostro vindicant; inprimis vero hoc argumento innixi, quod in principio hujus orationis etiam *Convivii* ab ipso in laudem castimoniae compositi (§. 542) fit mentio his verbis: „*Cum olim, quantum quidem breviter licuit, quae de virginitate dicenda erant, in Symposiis de castitate abunde explicuerimus etc.*" . . . Contra *Gfr. Henschenius*,[6]) *Jo Stiltingus*,[7]) *Jac. Gretserus*,[8]) *Seb. Tillemon-*

---

1) *L. Allatius* in Diatrib. de Methodiorum Scriptt. nr. XXI, p. 341; Idem in Fabricii edit. Opp. S. Hippolyt. Vol. II. p. 85.

2) *Fr. Combefisius* in sua edit. Opp. S. Methodii (§. 556) p. 469.

3) *Natal. Alex.* Hist. eccl. Secul. IV. c. 6. p. 198 sq.

4) *Alb. Fabricius* in sua Biblioth. graeca T. V. p. 257.

5) *Andr. Galland.* in sua Biblioth. vett. PP. T. III. Prolegg. p. 53 sq.

6) *Gfr. Henschenius* in Actt. SS. Bollandi etc. mens. Junii. T. II. p. 973.

7) *Jo. Stilting.* in Actt. SS. m. Septb. T. V. p. 773.

8) *Jac. Gretseri* De Cruce (Ingolst. 1616 III. f.) T. II. p. 404. not.

tius, 9) *Guil. Caveus*, 10) *Casim. Oudinus*, 11) *Rem. Ceillierus*, 12) *Ell. Dupinus*, 13) quibus assentire videntur *Gfr. Lumperus*, 14) *Fr. X. Reithmayrius* 15) ceterique recentiores, pluribus iisque non contemnendis argumentis contendunt, hanc non esse nostri Methodii sed *junioris* cujusdam, qui seculo IX patriarcha fuit Constantinopolitanus. Neque enim cum aliis Methodii nostri monumentis ista homilia a Veteribus citata, neque a Photio adlata est. Doctrina item tempora Methodio Martyre longe sequiora sapit. De Trinitate, de Incarnatione, de Verbi divinitate auctor adeo enucleate loquitur ac iisdem plane verbis formulisque, quibus Patres *quarti* imo *quinti* demum seculi uti solent. Dei Filium semel atque iterum Patri *consubstantialem* (ὁμοούσιον) et Virginem Mariam multoties *Deiparam* (θεότοκον) vocat, quae voces inde a Conciliis Nicaeno demum et Ephesino frequentius coeperunt usurpari. De cantu, quem *Trisagion* appellamus; de Mariae post partum virginitate plane et apertissime verba facit. *Cultum publice religiosum* adscribit B. Virgini, ipsamque et *Simeonem* interpellat, ut pro nobis intercederent apud Deum. Praeterea tota dictio longe distat a nitore et puritate Methodii nostri, tantumque accedit ad stylum recentiorum Graecorum, ut difficile fuerit intelligere, quomodo Allatius tantum styli similitudinem reperire potuerit inter homiliam de Simeone et Anna atque Symposium Methodii de castitate. Imo vero tanta

---

9) *S. Tillemont*. Memoires eccles. ed. Bruxell. T. V. not. 6. p. 343.

10) *Guil. Caveus* in sua Hist. liter. Scriptt. eccl. T. I. p. 152.

11) *Cas. Oudini* De Scriptt. eccl. (Lips. 1722. III. f.) T. I. p. 304.

12) *R. Ceillier* Histoire générale de auteurs eccl. T. IV. p. 35.

13) *Ell. Dupini* Biblioth. auctt. eccl. (edit. lat. Colon.) T. I. p. 310 sq.

14) *Gfr. Lumper* Histor. theol.-crit. de Scriptt. eccl. P. XIII p. 476 sq.

15) *Ad. Moehleri* Patrologie, T. I. p. 686. nr. 7.

est observante *Oudino* styli affinitas inter hanc et aliam junioris Methodii orationes, ut ovum ovo similius non sit. Sane quod huic auctori maxime singulare est, ut nimirum in hac oratione auditores alloquens hos *Patres* simul et *Fratres* appellet, invenitur similiter expressum in oratione in laudem *S. Agathae*, quae procul dubio junioris Methodii Confessoris et *Patriarchae Constantinopolitani* († 846) est. Argumentum denique, quod ineluctabile credunt, qui illam orationem S. Martyri nostro tribuunt, nimirum quod initio homiliae ad Symposiaca de castitate provocet auctor; hoc, inquam, argumentum non tanti faciendum est. Vox enim *Symposion* ea est, ut saepe pro sermone ad populum habito per metaphoram adhiberi soleat. Dicit igitur auctor, se jam in variis orationibus seu breviter de virginitate locutum esse. Unde etiam plurali numero „*in simposiis*“ utitur, cum tamen unum tantum Methodius noster symposion scripserit. Dicit adeo, se *breviter* egisse de virginitate, cum tamen admodum prolixe ea de re disputaverit S. Martyr. Observat praeterea doctissimus Oudinus allegationem illam de symposio absque dubio ab impostore aliquo fuisse additam, quo speciosius fortasse sub ementito nomine opusculo suo fidem faceret. Et sane admodum insuetum apud concionatores est, ut sub sermonum suorum initia opera a se composita allegaverint; imo allegatio haec plane absurda est, cum in homilia nostra neque de virginitate neque de virginibus speciatim agatur, sed de Christo Domino, Maria Matre, Simeone et Anna, senibus festum occursus facientibus. His igitur probe consideratis mihi recte fecisse videantur, qui homiliam de Simeone et Anna Methodio juniori supra memorato aut alteri cuidam sequiori Scriptori, non nostro Methodio, accensendam putarunt.

bb. Homilia in Ramos palmorum.

§. 551. *Homiliam in Ramos palmarum* sub Joannis Chrysostomi nomine primus ediderat *Henricus Savil-*

Nunc inter Opera S. Chrysostomi (Etonae 1612. VIII. f.) T. VII. Eandem deinde *Fr. Combefisius* sub Methodii nomine in sua editione Opp. SS. Amphilochii, Methodii et Andreae Cretens. (§. 556) recepit. Et de dictione si quaeras certum est, eam potius Methodii quam Chrysostomi stylum sapere. Verum nec ad Methodium nostrum pertinere istam orationem, non uno tantum argumento probari potest. Etenim nemo antiquioris aetatis eam recenset. Porro ita clare ac perspicue mysterium *SS. Trinitatis* alicubi enarratur, et adeo aperte in haereticos, qui Verbi divinitatem oppugnabant, invehitur, ut omnino verisimilius sit, vel locum illum fuisse adjectitium, vel illius homiliae auctorem certe Methodio juniorem. Sed ne nimium hoc argumento urgere videamur, lubenter id quidem concedimus, fieri posse ut ejusmodi locutiones non tam adversus *Arianos* quam in *Artemonem* et *Paulum Samosatenum* aliosve Unitarios uteretur auctor. Attamen una residet et ea quidem maxima dubitandi ratio, cum nimirum homilia scripta sit *iis temporibus, quibus festa festis in Ecclesia succedebant*, ut ipse auctor sub orationis initium testatur. At festorum frequentiam et publicam eorum celebrationem non fuisse in Ecclesia, dum persecutiones imperatorum saevirent, nemo erit qui neget. His igitur aliisque rationibus persuasi VV. DD. *Caveus*, [1] *Dupinus*, [2] *Bollandistae*, [3] *Oudinus*, [4] reliqui supra (§. 550) nominati, quibus et *Fabricius* [5] accedit, in eam inclinant sententiam, ut Methodio nostro eam abjudicandam putarint. Quod etiam nobis consentaneum visum est.

---

1) *Caveus* l. l. p. 152.

2) *Dupinus* l. l. p. 311.

3) *Bolland.* l. l. m. Septb. T. V. p. 773.

4) *Oudin.* l. l. p. 305.

5) *Fabricius* l. l. p. 287.

cc. *Homilia de cruce D. N. Jesu Christi.*

§. 552. *Tria* hodie sub singulis inscriptionibus fragmenta in *Gallandii* Bibliotheca Patrum leguntur, quae ex *homilia de Cruce D. N. Chr.* videntur excerpta. Et duo quidem e codice mss. bibliothecae Augustanae primus in lucem protulit *Jac. Gretserus*; 1) tertium vero ex eadem bibliotheca *Leo Allatius.* 2) Et *Gretserus* quidem de horum fragmentorum auctore dubitat, imo adeo exploratum habere putat, eum non fuisse veterem illum Methodium, Tyri episcopum et sub Diocletiano Martyrem, cum nostra homilia meminerit *vexillorum* a christianis imperatoribus in formam *crucis* mutatorum; unde aliquem hujus nominis *Patriarcham Constantinopolitanum* (forsitan illum Confessorem, cui S. *Ignatius* Martyr ao. 846 successit) verum esse auctorem suspicatur. 3) *Allatius* vero isthaec fragmenta omnia *nostro* Methodio asserere non dubitat, et Gretsero dubitanti opponit, jam ante Constantinum M., prout *Tertullianus* et *Minucius Felix* affirmarint, militaria ethnicorum vexilla figuram crucis prae se tulisse; unde non sit, quod alium Methodium a Patarensi *(Tyrio)* quaeramus auctorem. 4) Huic accessit et *Tillemontius.* 5) Ast *Fabricius* 6) et *Bollandistae* 7) homiliam de Cruce Domini Methodio *Constantinopolitano Patriarchae* attribuunt. Ego vero, si non eundem certe tamen Methodio nostro sequiorem fuisse illius auctorem censeo. Etenim de christianis demum *post Constantinum* impera-

---

1) *Jac. Gretserus* De S. Cruce, T. II. p. 401—404.

2) *Leon. Allatii* Diatribe etc. nr. XXV, ed. unac. Conviv. X Virgg. p. 349—352, et inter Opp. S. Hippolyti ex edit. *Fabricii*, Vol. II. p. 87.

3) *Gretserus* l. l. p. 404.

4) *Allatii* Diatribe l. l. in edit. Rom. p. 349 sq., et apud Fabricium p. 86 sq.

5) *Tillemont.* Memoires hist. ed. Bruxell. T. V. p. 201.

6) *Fabricii* Biblioth. graec. T. V. p. 260.

7) Actt. SS. m. Junii. T. II. p. 973. nr. 20.

toribus Romanis loqui mihi videtur locus iste ab Allatio male vexatus. Sunt autem verba haec: „*Unde imperatores nostri, cum viderent figuram crucis assumi ad universa mala propellenda*, (ea signa) *quae Romano sermone Vexilla nuncupantur, excogitarunt etc.* [8])

b. Chronicon.

§. 553. S. Methodium inter alia *Chronicon* quoque exarasse, *Trithemius* refert. [9]) Et nonnulla, quae sub Methodii nomine exhibentur, fragmenta *Marianus Scotus* († 1086) in suo Chronico ad a. Chr. 29 recepit. At valde dubium est, an tale S. Patris nostri unquam extiterit opusculum, cujus omnino non meminerint veteres Scriptores. Imo vero longe similius est, *alium* Methodium fuisse auctorem illius, ex quo fragmenta ista desumta sunt, libelli. In *Hottingeri* codice Chronicon quidem immediate post *Revelationes* Methodio nostro perperam accensitas (§. 554) subjungitur. Verum hoc Hottingero teste desinit in novissimis demum *Joannis Cantacuceni* temporibus seu c. a. 1355, ideoque ab illo, ex quo jam Marianus fragmenta sua depromsit, prorsus diversum apparet.

3. Opera certo supposita.

a. Revelationes S. Methodii.

§. 554. Sub ejusdem S. Patris nomine circumferuntur etiam *Revelationes*, seu (ut *Trithemius* habet) S. Methodii *Liber de novissimis diebus*; vel (ut *Allatius* ex Cod. Mss. Vaticano refert) Methodii Patarensis *In extrema tempora*. Prodierunt autem istae Revelationes latine primum cum *Aytingeri* commentario Augustae

8) Homil. de Cruce, in *Galland.* Biblioth. PP. T. III. p. 827.
9) *Joann. Trithemius* De Scriptt. eccl. c. 60.

Vindel. 1496. 4; deinde Basileae, Viennae, aliis locis; sine commentario autem in *Jo. Heroldi* Orthodoxographis (Basil. 1555. f.) p. 387. Inde in SS. PP. Bibliothecam *Parisiensem* (Paris. 1654) T. XV. p. 611—618, et in alias ejusmodi bibliothecas abierunt. Postmodo vero gr. et lat. in posteriore editione ejusdem *Heroldianae* collectionis (Pasil. 1669. II. f.) T. I. p. 93 evulgatae sunt. In his revelationibus multa de *Turcis*, multa de *Antichristo* et extremo *Judicio* praedicta habentur; omnia vero profecto talia sunt, ut plane conficta esse falseque attributa sanctissimo Methodio minime ambigendum sit. Itaque VV. DD. *Pererius*, *Bellarminus*, *Torniellus*, *Spondanus*, *Tillemontius*, *Dupinus*, *Caveus*, *Oudinus*, *Fabricius*, *Ceillierus*, *Walchius*, *Lumperus*, *Moehlerus*, reliqui denique omnes falsas censent et supposititias has revelationes. Imo in codice *Hottingeri* diserte Patriarchae cuidam Constantinopolitano hujus nominis tribuuntur. *Caveus* sive Methodium Confessorem Constantinop., qui sedem patriarchalem intra annos 842—846 tenuit, sive illum, qui floruit c. a. 1240, verum esse auctorem opinatur. Equidem, si cui omnino Methodio, malim eorum posteriori hoc ineruditum ac futile commentum attribuere.

b. Opuscula alia.

§. 555. Sunt, qui Methodio nostro nescio quam *Exegesin in Apocalypsin Joannis* adscribant, quae neque in lucem usquam prodiit, neque apud Veteres memoratur. *Andreas* quidem, Caesareensis in Cappadocia Episcopus, quem alii seculo sexto, alii nono demum floruisse tradunt, in suo Commentario in Apocalypsin, a *Frid. Sylburgio* primum gr. et lat. (Heidelberg. 1596. f.) evulgato, nonnulla ex Methodio repetiit; sed ea aperte ex Ejusdem *Symposio X Virgg.* (§. 542) desumta sunt. Quod autem *Simlerus* aliique dicunt, extare in bibliothecis Augustana et Vindobonensi Methodii quandam elucubrationem in Apocalypsin, id unice de *Revelationibus*

modo recensitis (§. 554), quae multo sequiorem aetatem redolent, intelligendum est.

4. S. Methodii Operum editiones.

§. 556. S. Methodii nec non SS. Patrum Amphilochii Iconiensis et Andreae Cretensis Opera omnia, quae reperiri potuerunt, a *Franc. Combefisio*, Ord. Praedicatorum presbytero, tunc primum magnam partem e tenebris eruta, latine reddita ac recognita notisque illustrata evulgata sunt Paris. 1644. f. Sed ex opere Methodii praestantissimo, quod *Convivium X Virginum* inscribitur, fragmenta tantum et excerpta dedit. Integer autem hic *dialogus* primum e codice msscr. Vaticano unacum *Diatribe de Methodiorum scriptis* a *Leone Allatio*, Gregorii XV. Rom. Pontif. a bibliotheca, editus est Romae 1656. 8. Idem ex interpretatione *Petri Possini* S. J. presbyteri cum variis lectionibus et nonnullis observationibus *Henrici Valesii* prodiit Parisiis 1657. Posthaec *Fr. Combefisius* supra laudatus denuo manum admovit, atque Methodiana iterum aucta et emendata, collatis etiam Allatii et Possini versionibus in suo *Bibliothecae graecc. Patrum Auctario novissimo* (Paris. 1672. II. f.) T. I in lucem emisit, quae inde latine in Bibliothecam SS. PP. maximam (Lugduni 1677. XXVII. f.) T. III. p. 676 sqq. recepta sunt. Postremo *Andr. Gallandius*, Venet. Oratorianus, Combedisum secutus Methodiana auxit, et meliori ordine digesta cum DD. Virorum Combefisii, Allatii, Valesii ac suis alicubi insertis annotationibus edidit in sua *Bibliotheca vett. PP.* (Venet. 1765—88. XIV. f.) T. III. p. 670 sqq.

C. Doctrina S. Methodii. *)

1. De SS. Trinitate.

§. 557. *Tres* esse *divinas personas* a se invicem distinctas, S. Methodius docet, dum ostendit, quomodo in hoc dogmate haeretici a veritate deerrassent, et „*aliquando quidem circa Patris personam, ut Sabellius, qui ipsum Omnipotentem passum asseruit; aliquando vero circa Filii, ut Artemas et qui nudo spectro seu apparentia eum natum esse dixerunt; quandoque circa Spiritus Sancti, ut Ebionaei, qui Prophetas motu proprio locutos esse contendunt.*“ [1]) Idem alibi *Patrem* et *Filium* duas affirmat esse *effectrices potentias* (i. e. φύσεις seu οὐσίας, sed eas personaliter sumtas); *unam, quae ex non extantibus nuda voluntate, nulla cunctatione, simulac vult, omnia faciat, quae velit; est autem virtus illa Pater. Alteram vero, quae ad prioris imitationem perficiat, distinguatque ac perpoliat, quod jam factum est; et hic Filius est, omnipotens illa firmaque Patris manus, qua materiam ex nihilo prius creatam postmodo exornat ac perficit.*“ [2]) Quae verba, si cui forte minus catholice sonare videantur, a Petavii reprehensione strenue defendit *Lumperus.* [3])

2. De Christi deitate et incarnatione.

§. 558. Speciatim vero de Filii cum Patre *coaeternitate* ad locum Psalmistae (Ps. II. 17) respiciens

*) Egregia doctrinae S. Patris nostri expositio in *Moehleri Patrologia* ab editore hujus operis praestantissimi, *Dr. Fr. X. Reithmayrio,* concinnata est Bd. I. S. 688 — 700.

1) *S. Methodii* Conviv. X Virgg. Orat. VIII. nr. 10, in Ej. Opp. omn. ed. in *Gallandii* Biblioth. vett. PP. T. III. p. 720.

2) *Idem* De creatis, fragm. ap. Photium Cod. CCXXXV; in *Gallandii* Biblioth. l. l. nr. VII. p. 802.

3) *Lumperi* Hist. theol.-crit. SS. PP. P. XIII. p. 501 — 505.

observandum esse dicit, quod *Deus Filium suum esse indefinite pronunciavit, et sine ulla temporis determinatione. Es enim, ait, non autem fuisti aut factus es; significans, nec, cum recens esset, in adoptionem eum Filii venisse; neque rursus, cum ante extitisset, postmodum finem accepisse; sed qui ante genitus sit, eundem et fore et esse. Quod vero addit: Ego hodie genui te, hoc sibi vult: Qui ante secula illisque antiquior in coelis eras, jam in hominum cognitionem adducere volui teque illis manifestare.*“ [4]) Similiter alibi, ejusdem Filii cum Patre *consubstantialitatem* docens: *Principium, ait, Pater ille fuerit et Creator universorum, ex quo germinavit quod erat in ipso, Verbum rectissimum. Illud autem: Hoc erat in principio apud Deum, Verbi principatum illum, quem apud Patrem, priusquam mundus crearetur, liberum habuit, significare videtur, velut Principium dicat auctoritatem ac liberum principatum.*“ [5]) Hic igitur Christus, *verus Deus*, in plenitudine temporis incarnatus et *verus Homo* factus et. „*Eo* enim, S. Methodius inquit, *eo consilio Verbum elegit, humanam carnem, Deus ipse cum esset, induere, ut velut in tabula divinum vitae exemplar propositum cernentes nos quoque auctorem imitari possemus.*“ [6]) Et rursus alio loco: „*Verbum, quod est ante secula, in illum* (Adamum) *venit, seque illi conjunxit. Decebat enim Primogenitum Dei ac unigenitum germen, i. e. Sapientiam, primum formato primoque ac primogenito hominum generis homini admixtum hominem fieri. Id enim Christum esse, hominem pura perfectaque deitate plenum, et Deum, quin in homine capiatur.*“ [7])

---

4) *S. Methodii* Conviv. X Virgg. Orat. VIII. nr. 9, apud *Galland.* p. 959.

5) *Idem* De creatis, nr. VIII, ap. *Galland.* p. 802.

6) *Idem* in Conviv. Virgg. Or. I. nr. 4, ap. *Galland.* p. 677.

7) *Id.* ibid. Orat. III. nr. 4, ap. *Galland.* p. 686.

3. De Angelis bonis et malis.

§. 559. Quae S. Methodius de *Angelis* et *daemonibus* disseruit, ea maxime cum Athenagora habet communia. „*Diabolus*, inquit, *est Spiritus* (Angelus) *circa materiam a Deo factus, ut et Athenagorae placuit, cui materia et quae ad materiae formas pertinent, administratio commissa est. Ad hoc enim Angeli creati a Deo, ut rebus ab ipso effectis praeessent, ut Deus quidem communem et generalem omnium providentiam gerens, qua rerum omnium potestas et imperium ab ipso pendet. Et reliqui quidem Angeli in iis officiis, ad quae Deus illos fecit et praefecit, manserunt; diabolus vero arrogantia elatus, et in rebus suae fidei commissis, invidia adversus nos concepta, perfidus factus est. Quemadmodum et ii, qui postea corporum amore capti cum filiabus hominum per amorem sunt congressi. Nam et ipsis Deus, uti et hominibus, liberum dedit (ad bonum eligendum aut malum) arbitrium.*“ 1) Hic naevus est Methodio cum aliis antiquis Patribus communis, quod Angelos mulierum amatores, eoque amore lapsos esse putarit. Id autem praecipue notandum est, quod S. Martyr e divinis literis se accepisse dicit, *omnes homines, etiam ex adulterio susceptos, Angelis custodibus a Deo commendatos esse.* 2)

4. De hominis libero arbitrio.

§. 560. Uberius *de libero hominis arbitrio* exponens S. Pater hominem non ad interitum sed propter meliora fuisse creatum docet. „*Nam si factus esset velut aliquod de elementis sive aliis sic insensate servien-*

1) *S. Method.* De resurrect. fragm. ap. Photium Cod. CCXXXIV, et ap. S. Epiphan. Haeres. LXIV, ex ed. Petavii T. I. p. 544; in *Gallandii* Biblioth. PP. T. III. p. 783. nr. VII.

2) *Idem.* in Conviv. Virgg. Orat. II. nr. 6, apud *Galland.* l. l. p. 682.

tibus Deo, non jam praeposito dignam mercedem reciperet, sed esset velut auctoris instrumentum nulli ob male gesta reprehensioni obnoxius; causa enim horum esset is, qui homine tanquam instrumento *uteretur. Imo neque quod est melius homo cognosceret, nisi illius cognovisset auctorem, sed illum tantum, ad quod esse natus est. Quare dico, cum Deus hominem honorare et scire eum meliora vellet, dedit ei potestatem, qua posset facere, quae vellet, ejusque potestatem ad meliora hortatur, non quod rursus auferat potestatem liberam quam dedit, sed tanquam, quod melius est, declarare velit adinstar patris hortantis filium ad addiscendas literas. . . . Dico autem hominem factum liberum non velut malo aliquo jam existente, cujus eligendi si vellet potestatem acceperit, sed propter concessam facultatem, qua pareret vel non pareret praecipienti Deo; est hoc enim, in quo erat posita facultas arbitrii. Creatus autem homo praeceptum a Deo accipit, jamque inde inchoat malum; nam non paret divino praecepto, hocque et unum malum erat, inobedientia, qua tunc incepit; nequis enim eam dixerit ingenitam, genito et creato eo, qui fecit.“* [3]) Itaque *malum facere aut non facere esse in nostra potestate* docet, *nam alioquin non poenas lueremus pro male actis, nec praemia reciperemus pro meritis; at cogitare vel non cogitare mala, non esse in nostra positum potestate;* [4]) *sed ut utamur vel non utamur cogitatis. Nam ne nobis istiusmodi cogitationes obrepant, quae probandi nostri causa extrinsecus immittuntur, prohibere non possumus; at non assentire et non uti possumus. Quocirca ejusmodi ne cogitare quidem velle nostrae est potestatis; id autem assequi, ut penitus extinguantur neque nobis amplius occurrant, mi-*

3) *Idem* De libro arbitrio, fragm. ap. Photium Cod, CCXXXIV; apud *Galland.* l. l. p. 770 sq.

4) *Idem* De resurrect. fragm. ap. *Epiphan.* Haeres. LXIV. ed. Petavii p. 575; apud *Galland.* l. l. p. 784.

nime. [5]) . . . *Est enim hoc in potestate nostra positum, non ut improbitatis radices penitus evellamus, sed ut ne amplius illam excrescere ac fructus edere patiamur. Siquidem absoluta radicum ipsarum extinctio ac profligatio tum, cum dissolvitur corpus, a Deo perficitur. Quae autem ex parte fit, ut a pullulando coërceatur, opera nostra praestari debet; ex quo fit, ut qui malam eam stirpem ad amplitudinem et magnitudinem educando perduxerit, neque quoad potuit sterilem illam effecerit, atque compresserit, poenas illum persolvere operteat, quod, cum facere istud posset ac facultatem haberet, certe animi consilio utilitati damnum praetulerit.*“ [6])

5. De peccato originali et nostra per Christum redemtione.

§. 561. Inprimis autem elegans est sententia Methodii de *peccato orginali* nonnisi per Christum delendo. „*Eo namque consilio*, inquit, *susceptus a Verbo homo est, ut devicto serpente suo munere atque opera hominis exitio latam condemnationem dilueret. Consentaneum quippe fuit, non ab alio vinci diabolum, quam ab illo ipso, quem a se seductum suae se tyrannidi subjecisse gloriabatur. Nam neque aliter solvi peccatum et damnationem aboleri possibile erat, nisi rursus ille ipse homo, ob quem dictum erat: Terra es, et in terram reverteris, reformatus illam, quae ejus reatu in omnes pervaserat, sententiam antiquasset, ut, sicut prius in Adam omnes moriebantur, sic et in Christo rursus, qui Adamum assumsisset, omnes vivificarentur.*“ [7]) Sed quantacunque

5) *Idem* De lib. arbitr., ap. Phot. l. l.; in *Galland.* Biblioth. l. l. p. 786.

6) *Id.* De resurrect., ap. Epiphan. l. l., ed. *Petav.* p. 551. nr. 28.

7) *Idem* in Conviv. Virgg. Orat. III. nr. 6, in *Galland.* Biblioth. PP. T. III. p. 687. Cf. *Id.* ibid. nr. 4. 7.

sit vis et efficacia divinae gratiae, remanet tamen semper in nobis, quamdiu in hoc terrestri corpore versamur, *radix peccati* progerminans surculos gladio Verbi Dei saepius amputandos. „*Quamdiu enim corpus vivit, nec adhuc mortuum est, cum eo vivere peccatum necesse est, et occultas in nobis radices agere, quantumvis quibusdam velut castigationum reprehensionumque putationibus coërceantur; alioquin post baptismum jam nullum scelus perpetraremus, postquam peccatum a nobis funditus esset sublatum. Atqui etiam post susceptam fidem ac postquam ad aquam illam sanctificantem accessimus, saepe peccatis obnoxii invenimur, neque enim adeo se immunem ab omni peccato gloriari quispiam potest, ut ne cogitatione quidem scelus ullum admittat. Quare accidit, ut modo quidem peccatum fide reprimatur et consopiatur, ut ne perniciosos fructus emittat; non tamen ut omnino ac radicitus extinguatur. Quocirca nunc quidem illius germina, pravas nimirum cogitationes, inhibemus; nequa radix amaritudinis sursum germinans molestiam nobis afferat; atque nec apertas ad pullulandum vias ac spiramenta dehiscere ac patefieri sinimus, divino Verbo, securis instar, fruticantes identidem ab radice stirpes excidente. At in futuro illo statu mali omnis vel futura cogitatio tolletur.*“ 8)

6. De Ecclesia - Christi Sponsa.

§. 562. Praeclare S. Methodius *Ecclesiam* de *Christi carne et ossibus* natam dicit. Quemadmodum enim Dominus Deus soporem immisit in Adam, cumque obdormisset, unam tulit de costis ejus, eamque in mulierem aedificavit, et adduxit ad Adam: ita Christus alter Adam, immisso a Patre somno mortis, obdormivit in cruce, et ex ejus substantia procedente Spiritu Sancto Paraclito Ecclesiam sibi de carne sua comparavit, et tanquam in

---

8) *Idem* De resurrect., ap. *Galland.* l. l. nr. 5. p. 773 sqq.

uxorem sibi assumsit. Unde, ait, „*Apostolus recte ad Christum direxit, quae de Adamo dicta erant. Sic enim maxime ex ossibus et ex carne ejus Ecclesiam extitisse convenit, cujus scilicet gratia relicto Patre, qui est in coelis, descendit Verbum, ut adhaereret uxori, et dormivit ecstasin passionis, sponte pro illa moriens, ut ipse sibi exhiberet Ecclesiam gloriosam et immaculatam, mundans eam lavacro ad spiritale semen suscipiendum, quod seminat ipse insusurrans plantansque in mentis penetralibus, concipit vero et format instar uxoris Ecclesia ad generandam virtutem et nutriendam. Per eum namque modum convenienter impletur, quod ita praeceptum est: Crescite et multiplicamini; dum ipsa Ecclesia per Verbi copulam et communionem etiam adhuc se nobis inclinantis et per passionis commemorationem ecstasin facientis in magnitudinem et decorem ac multitudinem augeretur.... Non enim aliter Ecclesia in sinu materno fideles posset concipere et regenerare per lavacrum regenerationis, nisi et Christus ejus causa se ipsum exinaniret, ut, quemadmodum diximus, iterata passione conciperetur, nisi denuo de coelo descendens moreretur, et cum uxore sua Ecclesia unitus e proprio suo latere virtutem quandam recipi pateretur, ut omnes, quicunque in eum aedificati sunt, augerentur, ii nempe, qui per lavacrum regenerati carnem de carne et ossa de ossibus ejus, i. e. de sanctitate et gloria ejus acciperent.*" [1]) Ecclesiae autem decorem per similitudines egregie depingit, dicens: „*Quae apparuit in coelo amicta sole mulier et coronam habens stellarum duodecim, cui ad pedes luna subsidet, quae parturit et cruciatur, ut pariat: ipsa proprie est mater nostra, nempe virtus quaedam in seipsa ac vere existens a filiis distincta, quam Prophetae quandoque quidem Hierusalem appellant, interdum vero Sponsam, aliquando Sion montem, nonnunquam Templum et Tabernaculum Dei, et Eccle-*

1) *S. Method.* Conviv. Virgg. Orat. III. nr. 8, in *Galland.* Biblioth. vett. PP. T. III. p. 688.

siam, cujus filii magno undique concursu post resurrectionem venientes in ejus confluent sinum. Haec nimirum suscepto, quod nullum novit occasum, lumine velut stola Verbi splendore induta gloriatur.“ [2]) . . . Et alibi: „*Florentissimo et maxime variegato prato comparari Ecclesiam habet propheticus sermo, non modo virginitatis distinctam et coronatam floribus, sed et conjugii et continentiae; in fimbriis enim aureis variegata adstat regina a dextris Sponsi.*“ [3])

7. De sacramento Baptismi.

§. **563.** Quodsi igitur Ecclesia genus divinum est a divino Verbo regeneratum, „*necesse est, in regeneratorum animis, velut sigilli ritu, Verbum veritatis exprimi et efformari. . . . Porro*, ait, *hac de causa dictum existimo gigni matrem ab Ecclesia, quod nempe ii, qui illuminantur, Christi effigiem ac virilem vere animum aspectumque assumunt, Verbi forma, quae secundum similitudinem est, illis impressa, et per certam scientiam fidemque in eis progenita, ita ut in unoquoque spiritualiter nascatur Christus. . . . Unde alicubi in Scripturis: Nolite tangere Christos meos. Quocirca igitur ii omnes quodam sensu Christi facti sunt, qui secundum essentialem communionem Spiritus Sancti in Christum baptizati sunt.* [4]) . . . *Qui autem imperfecti adhuc tirones disciplinis incipiunt imbui, hi a perfectioribus uti a matribus parturiuntur, donec et illi maturo partu editi in virtutis magnitudinem et decus regenerentur.*“ [5])

---

2) *Idem* ibid. Orat. VIII. nr. 5, apud *Galland.* l. l. p. 717.

3) *Idem* ibid. Orat. II. nr. 7, ap. *Galland.* p. 683.

4) *Id.* ibid. Orat. VIII. nr. 8, ap. *Galland.* p. 719.

5) *Id.* ib. Orat. III. nr. 8, ap. *Galland.* p. 689.

8. De Virginitate et Matrimonio.

§. 564. Universus prope dialogus, qui inscribitur *Convivium X Virginum* (§. 542) *virginitatis* laude resonat. Jam, quae primo ordine inducitur, *Marcella* virgo hujus virtutis sublimitatem atque excellentiam fuse prosequitur. „*Rara quippe admodum arduaque*, inquit, *hominibus castitas, ac quanto principalior magnificentiorque, tanto etiam majoribus obsepta periculis est. . . . Neque solum incorrupta servánda sunt corpora, uti neque templorum quam statuarum major habenda est ratio; sed animabus, quae sunt corporum statuae, justitia perornandis omnis adhibenda est diligentia.*“ [6]) Praecipue vero *Thalusa* virgo probare conatur, nihil posse offeri Deo gratius eoque dignius Virginitate. „*Sacris videlicet*, inquit, *institula libris ac literis plane mihi persuasi, maximum et spectabilissimum, quod divinis appendi tholis possit (pulcherrimum, inquam, quod ab homine unquam Deo offerri possit) munus esse virginitatem; . . . et maximum votum inter omnia vota castimoniam esse statuo.*“ [7]) Et profecto, cum *Christus*, totius humani generis parens, humanam *e Virgine incontaminata* carnem susceperit, et homo factus *incorruptam carnem in virginitate* servarit; omnes ad virginitatis suae imaginem regenerati sumus, quemadmodum protoparentis *Adami* imaginem *e carnali et contaminata nativitate* reportavimus omnes. [8]) Denique virginitatis status futurae nostrae post resurrectionem conditioni est conveniens, quando quidem tum *neque nubent* amplius *neque nubentur*. [9]) Unde intelligitur, cur *Ecclesia catholica* tam propenso in virginitatem animo non solum *clericos* in sacris ordinibus constitutos coelebes esse jubeat, sed etiam alios utriusque sexus homines, siqui

---

6) *Id.* ib. Orat. I. nr. 1, ap. *Galland.* p. 674.
7) *Id.* ib. Orat. V. nr. 1, ap. *Galland.* p. 698. 700.
8) *Id.* ib. Orat. I. nr. 2—5, ap. *Galland.* p. 676 sq.
9) *Id.* De resurrectione, nr. 9. 10. apud *Galland.* p. 785 sq.

sua sponte sacratiorem vitam voverint, illaesae *castitatis* regulae adstringat.[10]) — Quantis vero cunque laudibus virginitatem extollit S. Pater, tamen *matrimonium* adeo non contemnit, ut potius *sanctitatem* ejus et *indissolubilitatem* ex eadem *Christi incarnatione* eruat ac tueatur. Dicit, Apostolum recte ad Christum direxisse verba, quae de Adamo dicta sunt; et egregie totum S. Pauli locum in *Epist. ad Ephes.* V. 28 — 32 exponens pristinum illud *Adamiticum* cum novo *christiano* matrimonio comparat, et hominem christianum per lavacrum regenerationis sanctificatum nonnisi *sacramentale* et *indissolubile*, quo Christus ipse cum Ecclesia copulatus est, inire posse conjugium demonstrat.[11])

9. De Resurrectione.

§. 565. Insigne illud, quod hodie suppeditat nobis, fragmentum de *Resurrectione* S. Methodium eadem fere sensisse atque *Irenaeum* ostendit. *Totum* nempe hominem, non solum animam, sed etiam corpus jam ab initio a peccato obsideri; et animam quidem per lavacrum regenerationis mundari, *corpus* autem, quamdiu vivat, *occultas semper peccati radices agere*. Itaque expedire nobis, ut corpus tandem intereat, scilicet ut peccati fons, i. e. residens in corpore *concupiscentia*, denique omnino ac *radicitus* extinguatur (cf. §. 561. med.). Quapropter Deus hominem *ad mortem et corruptionem* condemnavit, ne immortale malum ac perpetuum maneret, cum nempe *peccatum residens in corpore incorruptibili et immortali nutritum alimento* novos usque esset germinaturum surculos peccandi. Neque tamen *solam* animam resurrecturam credit S. Pater, neque fore ut unacum anima corpus qui-

10) Cf. *Moehleri* Patrologie T. I. p. 696. not. b.

11) Cf. *S. Method.* Conviv. Virgg. Orat. III. nr. 4. 8. 9, ap. *Galland.* l. l. p. 685.

dem sed prorsus *aliud* et *tum pristino nihil omnino commune habens* suscitetur; verum corpus in tantum mutari ac glorificari, *in quantum ante a peccato fuisset deformatum et destructum.* [12])

XVIII.

Acta SS. Martyrum Ecclesiae Orientalis, qui seculo tertio passi sunt.

A.

SS. Leonidae, Plutarchi, Serenorum, Heraclidis, Heronis et Heraïdis martyrii compendium.

§. **566.** *Septimio Severo* annum imperii decimum agente, Alexandriae et totius Aegypti praefecturam obtinente *Laeto*, Episcopatum vero ecclesiarum illarum post Juliani obitum *Demetrio* recens adepto, persecutionis ardentissimum flagrabat incendium, atque innumerabiles martyrio coronabantur, praecipue Alexandriae atque in universa Aegypto ac Thebaide. [1]) In iis autem, qui lectissimi pugiles eo tanquam in amplissimum Dei stadium deducti et cujusquemodi tormenta mortesque invicto animo perpessi immortales a Deo coronas acceperunt, prae omnibus observatur *Leonides* (§. 407), qui, ut verbis S. Epiphanii utamur, amittendo caput pro Jesu Christo diadema aeternum acquisivit. [2]) Hujus S. Martyris natalitia adsignantur 22 April. 203. Ex eo autem tempore, quo patrem suum ita amiserat, Origenes divinas humanasque

---

12) Cf. *Method.* De resurrect. fragm. nr. 4. 5. 6, 9—14; ap. *Galland.* p. 772 sqq.

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 2. nr. 1. med., ed. Zimmermann. p. 386.

2) *Idem* ibid. c. 1. med., ed. laud. p. 385.

scientias Alexandriae docens majorem indies ad se attraxit discipulorum numerum, e quibus durante adhuc persecutione quidam usque adeo inclaruerunt, ut comprehensi pro Christi fide martyrio perfuncti sint. Horum primus fuit *Plutarchus*, frater Heraclae, qui S. Demetrio in episcopatu successit. Illi, cum ad mortem duceretur, Origenes ad extremum usque vitae terminum individuus adhaerebat, atque parum abfuit, quin ab illius occideretur civibus, utpote qui ejus necis auctor fuisset. Post Plutarchum secundus ex Origenis discipulis martyr fuit *Serenus*, qui fidem, quam acceperat, igne examinatam ac probatam exhibuit. Tertius ex eadem schola martyr extitit *Heraclides*, ac deinde quartus *Heron;* ambo securi percussi, prior dum adhuc esset catechumenus, alter vero neophytus. Praeter hos quintus ex eodem auditorio christianae pietatis athleta renunciatus est *Serenus* priori illi cognominis, qui, cum plurimos cruciatus fortissime pertulisset, tandem capite truncatus fuisse dicitur. Sed et ex mulierum numero *Heraïs* quaedam adhuc catechumena per ignem, ut ipse Origenes alicubi dicit, baptismum adepta ex hac luce migraxit.[3]) Septimus inter hos recensetur *Basilides*, is, qui celeberrimam illam Potamiaenam ad supplicium abduxit.[4]) Sed de his statim plura referre operae pretium erit.

B.

88. Potamiaenae, Marcellae et Basilidis martyrium.

§. 567. In eadem persecutione gloriso martyrio nobilitata est S. *Potamiaena*, quae pro castitate corporis et pro virginitate, qua praecipue excelluit, conser-

---

3) *Idem* ib. c. 4, ed. laud. p. 394 sq.

4) *Idem* ib. c. 5 init., ed. laud. p. 395.

vanda innumera adversus amatores certamina subiit (nam praeter animi pulchritudinem mirabilis quoque totius corporis venustas corporis in ea efflorescebat), innumera etiam pro Christi fide pertulit, tandemque post acerbissimos ac vel dictu ipso horribiles cruciatus unacum matre Marcella igne consumta est.[1]) Potamiaena herum habuit moribus perditissimis hominem, qui, cum castissimam virginem nullis blanditiis flectere posset, ut in flagitium consentiret, eam Alexandrino Praefecto, *Aquila* nomine, tradidit accusans eandem, quod Christiana esset, et in imperatores ac magistratus contumeliosa loqueretur. Simul magnam ille dare pecuniarum summam promiserat, rogans praefectum, nequid mali inferret ei, si suae voluntati satisfacere parata esset; sin autem pertinaciter repugnaret, occideret eam, ne irrisus a mancipio videri posset. Videns autem praefectus, quod verbis operam perderet, tormenta adhibuit, tandemque flagranti rogo grande ahenum imponi jubet, et pice impleri, eaque jam effervescente ad Potamiaenam conversus: *En*, ait, *jam elige, aut domino tuo obedi, aut te actutum in hanc picem immergendam scias.*" Cui virgo: „*Avertat Deus*, inquit, *ut iniquus judex ad committendum turpe facinus sua sententia me condemnet.*" Tum Aquila interminatus, se eam gladiatoribus violandam traditurum, nihilque proficiens spoliari vestibus, ahenoque immitti virginem jubet. At illa clamavit: „*Per vitam imperatoris adjuro te, ne me nudam conspici patiaris; jube potius, ut vestita sensim pici immergar, et videbis, quantam patientiam mihi largitus sit Jesus Christus, quem tu ignoras.*"[2]) Annuit judex et damnatam *Basilides*, unus ex apparitoribus, ad supplicium abducit. Cumque vulgus eam vexare et obscoenis verbis illudere ei conaretur, Basilides quidem eos, qui contumeliam virgini faciebant, absterrens propellebat, multaque misericordiae et humanitatis erga illam praebe-

---

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 5 post init., ed. laud. p. 306.
2) *S. Palladius* in Historia ad Lausum c. 3.

bat indicia. Illa vero benignitatem hominis erga se libenter amplectens bono animo eum esse jussit; se namque post obitum salutem ipsius a Domino impetraturam, et collata in se beneficia brevi remuneraturam esse. Haec cum dixisset, ferventi pice per varia corporis membra ab imis pedibus ad ipsum usque capitis cervicem lente ac paulatim circumfusa mortem constanti animo pertulisse memoratur. Et hujusmodi quidem certamen nobilissima virgo decertavit. (Mater ejus *Marcella* eodem die flammis combusta est). Brevi autem postea *Basilides*, cum ob nescio quam causam a contubernalibus suis sacramento adigeretur, nefas sibi esse affirmavit omnino jurare, quippe Christianum se esse, idque palam profiteri. Illi primo quidem hominem jocari arbitrabantur. Verum cum id constanter asseveraret, ad judicem est perductus. Apud quem fidei suae constantiam professus in vincula conjicitur. Cumque quidam in Domino fratres eum audiissent, et causam subitae illius atque insperatae conversionis interrogarent, dixisse fertur, Potamiaenam tertio post martyrium die noctu sibi assistentem coronam capiti suo imposuisse, dixisseque se ipsius causa Dominum orasse, atque id quod petierat impetrasse, nec diu postea ipsum ad superos migraturum. Posthaec signaculo Domini (i. e. baptismo) a fratribus accepto postridie Christum gloriose confessus capite truncatus est. *Plures quoque alii* ex Alexandrinis civibus eodem tempore ad fidem Christi subito transiisse memorantur, quos scilicet Potamiaena in somnis apparens ad id faciendum provocaverat. [3]) Quin imo admodum verosimile est, quod Deus non raro ejusmodi visionibus ad convertendos plurimos infideles usus fuerit. Certe *Tertullianus* testatur, quod permulti non aliunde ad notitiam Dei pervenerint, quam per visiones et somnia. [4]) *Origenes* quoque refert, multos

---

3) *Euseb.* Hist. Eccl. l. l. c. 5 tot., p. 396—398.

4) *Tertullian.* De anima c. 47, in Ej. Opp. omn. cur. *E. F. Leopold,* (Lips. 1839. IV. 8) P. IV. p. 233.

paene invitos attractos esse ad Christianam religionem, Spiritu quodam repente mutante intellectum eorum, ut non cunctarentur mortem oppetere post visiones oblatas ipsis vel dormientibus vel vigilantibus. „*Multa enim*, inquit, *talia vidimus, quae si memorarentur duntaxat gesta in nostra praesentia, cachinum tollerent, rati, nos quoque sicut illos, de quibus male suspicantur, fingere. Testis autem est Deus nostra conscientiae, conari me non falsis narrationibus sed veris exemplis commendare Jesu doctrinam.*“ 5)

C.

SS. Alexandri, Babylae, Metrae, Quintae, Apolloniae, Serapionis, Juliani, Chronionis, aliorumque martyria.

§. 568. Saeviente atrocissima, quam *Decius* Ecclesiae intulit, persecutione in Palaestina *Alexander, Hierosolymorum episcopus*, rursus propter Christum ad praesidis tribunal adductus, cum ex secunda hac confessione magnam gloriam retulisset, Caesareae in carcerem conjectus est, vir decora senectute et veneranda canitie conspicuus. Qui cum post praeclaram atque illustrem Christianae fidei confessionem in praesidiali judicio editam tandem in custodia animam exhalasset, Mazabanes in ejus locum episcopus Hierosolymorum renuntiatus est. Eodem modo aqud *Antiochiam Babyla* post confessionem in cinculis mortuo Fabius Ecclesiae illi praeficitur. 1) Quae autem *Dionysio Alexandriae episcopo* acciderunt, ex ipsius adversus Germanum epistola supra jam commemoravimus (§. 498). Idem *Dionysius* magnus

5) *Origenis* Contra Celsum Lib. I. in Ej. Opp. omn. ed. *De la Rue* (Paris. 1733—59. IV. f.) T. I. p. 35.

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 39. nr. 1, ed. Zimmermanni p. 450.

in epistola ad Fabium Antiochenum eorum, qui imperante Decio martyrium *Alexandriae* subierunt, certamina refert hoc modo: „Jam antequam ex imperatoris edicto persecutio coepta est, infaustus quidam vates ac poëta, quisquis ille fuit, commoverat atque incitaverat adversus nos gentilium turbas, ad innatam genti superstitionem animos eorum incendens. Ab hoc igitur homine stimulati, omnemque ad patranda scelera licentiam nacti hanc solam pietatem existimabant, si caedibus adversus nostros saevirent. Primum itaque senem quendam, *Metram* nomine, correptum impia verba proferre jubent. Quod cum ille abnueret, fustibus hominem verberantes et acutis arundinibus vultum ejus oculosque pungentes deductum in suburbium lapidibus obruerunt. Posthaec fidelem quamdam mulierem, *Quintam* nomine, ad idoli templum perductam adorare illud coëgerunt. Quod cum illa aversaretur atque exsecraretur, constrictis pedibus eam per totius civitatis vicos aspero silice constratos rapientes, saxis illisam molaribus, flagris insuper verberantes ad suburbium itidem abducunt, ibique lapidibus interficiunt. Omnes deinde uno impetu in domos Christianorum irruere coeperunt, et quos quisque ibi vicinos noverat, eos illico properantes agebant, spoliabant ac diripiebant; ea quidem, quae maxime pretiosa essent, in sinum suum congerentes; viliora autem et lignea quaeque disjiciebant, ac per vias concremabant, captae ab hostibus urbis speciem exhibentes atque imaginem." 2)

§. 569. „Fratres vero declinabant, et subducebant se fuga, ac direptionem bonorum suorum perinde ac illi, de quibus Paulus (Hebr. X. 34) testificatus est, cum gaudio exceperunt. Nec eorum quisquam, quod equidem sciam, nisi fortasse unus aliquis in illorum manus incidens, hactenus quidem Deum negavit. Sed et admiran-

---

2) *S. Dionysius Alex.*, apud *Euseb.* l. l. c. 41. nr. 1. 2., ed. laud. p. 455 sq.

dam illam provectae jam aetatis virginem *Apolloniam* tunc comprehenderunt, et maxillas quidem ejus verberantes cunctos ei dentes excusserunt. Accenso autem extra urbem rogo minabantur, vivam se illam combusturos, nisi una cum ipsis impia verba pronuntiaret. At illa veniam deprecari paulisper visa, atque interim dimissa, celériter in ignem insiliit et conflagravit. Praeterea *Serapionem* quendam, cum in aedibus suis deprehendissent, acerbissimis tormentis excruciarunt, et membris omnibus confractum ex coenaculo praecipitem dejecerunt. Porro nusquam, non per viam publicam, non per angiportus incedere aut noctu aut interdiu nobis licebat, cum omnes ubique et assidue clamitarent: quicunque impia illa verba proferre abnuisset, eum illico trahendum esse et flammis ultricibus absumendum. Secuta deinde post certamina ista seditio et bellum civile crudelitatem, qua in nostros grassati fuerant, in ipsos mutuo convertit. Ac nos quidem paululum respiravimus, dum illorum cessaret furor. Sed continuo imperii illius erga nos benignissimi mutatio nobis nunciata est, et gravissima nobis minarum terror intentabatur. Jamque aderat edictum imperatoris illud ipsum fere, quod a Domino nostro praedictum est (Matth. XXIV. 24), horrificum ac terribile exhibens, adeo ut ipsi etiam electi, si fieri posset, scandalum paterentur. . . . Ac multi quidem ex illustrioribus per metum statim occurrerunt. Alii, qui rempublicam administrabant, ipsa actuum suorum necessitate pertracti veniebant. Alii familiaribus adducebantur, et nominatim citati ad impura et profana sacrificia accedebant; nonnulli quidem pallidi ac tremebundi, quasi non sacrificaturi, sed ipsi potius victimarum loco idolis imolandi essent, adeo ut a circumstante multitudine deriderentur, quippe qui palam omnibus ostenderent, se tum ad moriendum tum ad sacrificandum pusillo animo esse. Alii vero promptius ad aras accurrebant, audacter affirmantes, nunquam se antea Christianos fuisse; de quibus verissime praedixit olim Dominus (Matth. XIX. 23), ejusmodi homines aegre salutem consecuturos. Ceteri autem partim

alterutros eorum, quos diximus, sequebantur; partim se in fugam dabant; partim comprehendebantur. Ex quibus nonnulli, cum usque ad vincula et custodia progressi essent, quidam etiam plusculos dies in carcere perstitissent, prius tamen, quam in judicium inducerentur, fidem ejurarunt. Nonnulli vero, cum aliquamdiu tormenta fortiter sustinuissent, ad reliqua, quae intentabantur, supplicia animos desponderunt. Verum beati illi ac stabiles columnae Domini, ab ipso confirmati, et fidei suae robori congruentem et ex aequo respondentem vim atque constantiam nacti, admirabiles regni illius testes effecti sunt." [3])

§. 570. „Quorum primus *Julianus*, vir podagrae doloribus constrictus, qui nec stare poterat nec incedere, unacum duobus aliis, qui ipsum portabant, adductus est. Horum alter statim negavit. Alter, nomine *Gronion*, qui Eunus cognominabatur, nec non et senex ipse Julianus, cum Christum confessi essent, per universam urbem, quae quidem (ut nostis) maxima est, camelis insidentes, flagris sublimes verberati, tandem ardentissimo igne circumfusa totius populi multitudine consumti sunt. Miles vero, qui ipsis, dum ad supplicium ducerentur, adstabat, et contumeliam inferentes propulerat, *Besas* nomine, conclamante adversus eum populo in jus adductus est. Ubi fortissimus Dei pugnator, cum in magno illo pro pietate certamine strenue se gessisset, securi percussus est. Alius item, oriundus ex Libya, et vocabulo, et divina benedictione vere *Macar*, cum a judice omnibus modis sollicitatus, ut Christum negaret, flecti nunquam potuisset, vivus comburitur. Post hos *Epimachus* et *Alexander*, cum post diurnum carceris horrorem, in quo vincti permanserant, ferreos ungues, flagra ac mille dolorum genera pertulissent, ardentissimo incendio etiam ipso colliquefacti perierunt. Eundem cum ipsis exitum

3) *Idem* ibid. c. 41. nr. 3. 4. 5, l. l. p. 458—460.

sortitae sunt quatuor mulieres. Et *Ammonarium* quidem virgo sanctissima, cum a judice diutissime torta fuisset ingenti cum pertinacia, propterea quod praedixerat, nihil eorum, quae judex jusserat, prolaturam se esse, pollicationem suam executiori mandans ad supplicium abducta est. Residuae vero, *Mercuria* scilicet, anus inprimis veneranda, et *Dionysia*, plurimorum quidem liberorum mater, sed quae pignora sua minori quam Dominum caritate complexa est, et *alia* rursus *Ammonarium*, cum praefectum jam puderet, eas ulterius incassum torquere et a feminis superari, gladio caesae sunt, nullis prius tormentis subditae. Etenim earum princeps et antesignana Ammonarion pro omnibus tormenta pertulerat. *Heron* etiam et *Ater* et *Isidorus* Aegyptii cumque illis *Dioscorus*, puer annos circiter quindecim natus, judici oblati sunt. Et cum judex primum ante alios adolescentem Dioscorum partim sermonibus ut flexibilem decipere, partim tormentis ut mollem ac tenerum cogere tentasset, ille nec persuasionibus cessit nec tormentis. Reliqui crudelissime verberati, cum cruciatus fortiter sustinuissent, igni etiam ipsi sunt traditi. Dioscorum vero, qui in omnium conspectu inclaruerat, et ad omnia interrogata sapientissime responderat, admiratus judex dimisit, spatium se illi ad poenitentiam concedere affirmans ob aetatis infirmitatem. . . . Sed et *Nemesion* quidam, Aegyptius, primum quidem falso accusatus fuerat tanquam socius et contubernalis latronum. Postea vero cum apud centurionem hanc calumniam a se utique alienissimam depulisset, delatus, quod Christianus esset, ad praefectum vinctus adducitur. At ille iniquissimus judex, postquam eum duplo gravioribus quam reliquos latrones tormentis ac verberibus affecisset, inter latrones jussit incendi; et sic vir beatissimus similitudine Christi honoratus est. Porro universus simul militum manipulus, *Ammon* scilicet, *Zenon*, *Ptolemaeus* et *Ingenuus*, cumque illis senex *Theophilus*, ante praetorium stabant. Et cum quidam ob christianam religionem in judicium inductus

jam jamque negaturus Christum videretur, illi adstantes dentibus stridere, vultu innuere, manus extendere, ac totius simul corporis motus gestusque edere coeperunt. Cumque omnium in se oculos convertissent, priusquam ab aliquo comprehenderentur, ipsi ad subsellium accurrentes, Christianos se esse confessi sunt. Quo facto praefectus et assessores, qui in consilio aderant, metu perterriti sunt. Ac rei quidem ipsi ad ea, quae perpessuri erant promptissimi et confidentissimi cernebantur; judices autem ipsi contremiscebant. Isti igitur ex praetorio ovantes processerunt, exultantes ob fidei confessionem, cum Deus per ipsos gloriose triumpharet.“ 4)

§. 571. „Sed et alii complures per oppida et vicos a gentilibus discerpti sunt; ex quibus unum exempli gratia commemorabo. *Ischyrion*, mercede conductus procurator erat cujusdam magistratum gerentis. Hic ab eo, cujus rem procurabat, jussus idolis immolare, cum minime obtemperaret, primum injuria affectus est. Postea cum in eadem sententia perstaret, variis ab eo vexatus est contumeliis. Quae omnia cum patienter sustineret, ille pergrandi sude correpta transfixum per media viscera hominem interfecit. Jam quid opus est commemore multitudinem eorum, qui in montibus ac per solitudinem oberrantes, fame et siti, frigore ac morbis, et latronum aut bestiarum incursu oppressi interiere? Ex quibus hi, qui superfuerunt incolumes, testes sunt electionis illorum atque victoriae. Unicum duntaxat facinus ad declarandam rei veritatem hic adjiciam. *Chaeremon* erat quidam grandaevus, Nili urbis episcopus. Hic unacum conjuge in Arabicum montem fuga delatus non ulterius reversus est. Et fratres, quamvis accurate omnia perscrutati, nec ipsos posthac nec ipsorum cadavera reperire potuerunt. Porro multi in Arabico illo monte e barbaris Saracenis capti et in servitutem redacti sunt; ex quibus

4) *Idem* ibid. c. 41. nr. 6. 8. 9, l. l. p. [illegible].

alii soluto ingenti pretio vix tandem redemti, alii nondum hactenus redimi potuerunt." ... Et reliqua. [5])

D.

SS. Prisci, Malchi, Alexandri, Marini Caesareensium martyrium.

§. 572. De *Valeriano imperatore* et de persecutione ab eo excitata quae *S. Dionysius Alexandrinus* tradit, ex epistola ejus ad *Hermammonem* licet cognoscere. De persecutionis autem illius acerbitate, quae et quanta ipse cum *Fausto*, *Maximo*, *Marcello* et *Chaeremone* diaconis suis pertulerit, docent ejusdem Dionysii verba, quibus *Germano* cuidam illius temporis episcopo respondet. Atque haec in vita ejus paucis exposuimus (§. 498 med.). Idem alia in epistola, quam scripsit ad *Domitium* et *Didymum*, nonnulla ad persecutionem illam spectantia in universum commemorat (§. 506 med.). Eadem porro tempestate tres viri post insignem Christi confessionem apud Caesaream Palaestinae ad bestias damnati divino martyrio coronati sunt. Horum unus dicebatur *Priscus*, alter *Malchus*, tertius autem *Alexander*. Qui cum in agro degerent, primum quidem seipsos insimulasse dicuntur tanquam ignavos ac desides; quod, cum occasio ipsa coelesti amore flagrantibus praemia distribueret, ipsi cessarent, nec coronam martyrii praeriperent. Inito deinde inter se consilio Caesaream profecti, judicem ipsum adorti sunt, eamque, quam diximus, sententiam exceperunt. [1]) Ibidem *Marinus* quidam militari dignitate decoratus et splendore generis atque opibus clarus, ob confessionem Christi capite truncatus est hac de causa. Honor quidam est vitis apud Romanos, quam qui adepti sunt, Centuriones dicuntur. Hic locus cum vacaret, Marinus ordine gradus sui ad

5) *Idem* ib. c. 42. nr. 1. 2, l. l. p. 462 sq.
1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VII. c. 12, ed. laud. p. 505.

eam promotionem vocabatur. Verum cum honore illo jamjam potiturus esset, quidam ad tribunal accedens Marinum accusare coepit, asserens, illi quidem, utpote Christiano homini, et imperatoribus sacrificare renuenti, Romanam dignitatem capessere legibus non licere, sibi vero gradum illum competere. Ea re commotus judex, *Achaeus* nomine, primum quidem Marinum interrogavit, cujusnam esset sententiae. Cognito deinde, quod Christianum se esse constantissime profiteretur, trium horarum spatium ad deliberandum ei concessit. Proinde cum ex praetorio egressus esset, *Theotecnus* civitatis episcopus ad illum accedens et sermocinando longius eum abstrahens, prehensa manu ad ecclesiam perducit. Cumque interius ad ipsum altare eum statuisset, reducta tantispet ejus chlamyde, gladium illi, quo praecinctus erat, ostendens mox sacrorum Evangeliorum codicem ex adverso locat jubens, ut ex duobus, utrum mallet, eligeret. Marinus nihil cunctatus protensa dextra codicem cum apprehendisset, his eum verbis Theotecnus compellavit: „Adhaere igitur, adhaere Deo, ejusque virtute coroboratus consequere, quod elegisti. Vade in pace!“ Posthaec regredientem illum ab ecclesia praeco pro foribus praetorii evocare coepit. Jam enim praestitutum tempus effluxerat. Admotus igitur tribunali, cum majorem quam antea alacritatem fidei ostendisset, statim inde, ita ut erat, ad supplicium abductus martyrio coronatus est. [2]) Tunc et *Astyrius* ob religiosam fiduciam ac libertatem celeberrimum nomen est consecutus, vir ex Romanae urbis senatoribus, imperatoribus unice carus, et cum ob splendorem generis tum propter divitias omnibus notus. Qui cum supradicti martyris supplicio interesset, humeris suis impositum cadaver candida ac pretiosa amictus veste bajulavit, et magnifico cultu ornatum decenti tradidit sepulturae. [3])

---

2) *Id.* ibid. c. 15, ed. laud. p. 508 sq.
3) *Idem* ibid. c. 16, p. 510.

Dr. *Michaelis Permanederi*,

Rdss. Archiepiscopi Monaco-Frisingensis Consiliarii eccles. atque Juris ecclesiast., Historiae sacrae nec non Patrologiae Professoris in Lyceo Frisingensi,

Patrologia Specialis.

Volumen primum.

Pars III,

Patres et Scriptores Seculi III complectens ecclesiae latinae.

Landishuti, 1844.

J. G. Wölfle.

Sumptibus Bibliopol. literar. Universit. Krülliani.

Vindobon.
ap. Carol. Gerold et Fr. Wimmer.

Colon Agripp.
ap. Du Mont. Schauberg.

Conspectus.

Pars III.

Sectio secunda.

§§. pag.

II. Tertullianus Presbyter Carthaginiensis.

Appendix.

§§. pag.

Scripta dubia vel omnino supposita.

SS. Rom. Pontificum literae decretales quae feruntur.

Pars III.

SS. Patres ceterique tertii seculi Scriptores.

Sectio II.

Ecclesiae occidentalis.

---

§. 572. Recensitis igitur graecis, qui tertio Ecclesiae seculo floruerunt, Patribus jam ad *latinos ejusdem aevi Scriptores* animum advertamus. Quorum licet non tanta sit multitudo, quanta Graecorum tunc virorum illustrium, tamen nonnullos vel maxima aestimatione dignos Scriptores invenies, si facundiam, qua pollebant, et omnigenam eorum cum in sacris tum in profanis literis eruditionem consideraveris. Neque hi paulatim demum, quemadmodum Graeci, et a parvis conatibus studiis suis incrementa sumserunt; sed e pleno quasi gurgite statim delibarunt doctrinae christianae fluenta; neque ex una et ea simplicissima scripturae forma, qua illi coeperunt, ad majora conamina variaque scribendi genera pedetentim progressi sunt, sed cum primum scriptis voluminicus de Ecclesia bene mereri inciperent, jam protinus veluti plenam maturitatem adepti in omnibus fere disciplinis mire se exercuerunt, emissis nimirum libris *apologeticis*, *exegeticis*, *polemicis*, aliis, quibus de singulis capitibus *disciplinae* morum praecipitur; denique *epistolis*, in quibus res omnino maxime variae, praesertim controversiae, quae tum in Ecclesiis obtinebant, accuratius discutiuntur. Atque ita in his rebus nonnulli versati sunt, ut plerisque graecis illius aevi Scriptoribus merito possint aequiparari, inprimis *Minucius*, *Tertullianus*, *Cajus*, *Cyprianus*, *Novatianus*, *Commodianus*.

I.

M. Minucius Felix.

A. Vita.

§. 573. *Quis* et *unde* fuerit Marc. Minucius Felix a *Lactantio* et *Hieronymo* satis certo comperimus. Hi enim eum non ignobilis inter *causidicos* loci fuisse, et in ipsa urbe *Roma* floruisse tradunt. 1) Gentilis erat, et aetate jam provectior christianam religionem amplexus est, neque etiam post conversionem suam causidicina se abdicavit. 2) Quo autem potissimum *tempore* vixerit, non adeo in aprico est. Sunt enim, qui eum *Tertulliano* aequalem aut paulo inferiorem aetate fuisse statuunt 3); alii contra eodem fere, quo *Athenagoras* scripsit, tempore ideoque intra annos 160—190 elucubrasse librum suum conjiciunt. 4)

---

1) *Lactant.* Divv. Institt. Lib. V. c. 1; *S. Hieronym.* De vir. illustr. c. 58, et Epist. (LXXXIII) ad Magnum, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 117. 656.

2) *Minucii Felicis* Octavius c. 1. 5. 28, ed. *Jac. Gronov.* (Roterodam. 1743. 8.) p. 7. 84. 285.

3) *Baronii* Annales ad a. 211; *Rem. Ceillier* Histoire générale des auteurs sacrées et eccl. T. II. p. 222; *Schroeckh*, Christl. Kirchengeschichte T. III. p. 418; *Andr. Galland.* Biblioth. vett. PP. T. II. Prolegg. p. XLII; *Gfr. Lumper* Historia theologico-critica de SS. PP. P. VII. Sect. IV. p. 180 sqq.; *Henr. Gottl. Tzschirner* Gesch. der Apologetik (Lips. 1805. 8.) Bd. I. p. 257 sqq.; *J. H. B. Lübkert* Minuc. Felix herausgeg., übersetzt und erkl. (Leipzig 1836. 8.) Einleit.; *J. Chr. Fel. Baehr* Gesch. d. röm. Literatur, Suppl. Bd. I. Abthl. II. Die christl. röm. Theologie (Carlsruhe 1837. 8.) §. 18. p. 39; *Jo. Ad. Moehler* Patrologie, herausgg. v. *Fr. X. Reithmayr* (Regensburg 1840. 8.) Bd. I. p. 791.

4) *Jo. Dan. ab Hoven* Epist. ad Gerh. Meermann De vera aetate etc. Minucii Fel. (Campis. 1762. 4) p. 4; *C. F. Roesler* Bibliothek der Kirchenväter (Lips. 1776—86. X. 8.) T. III. prooem.; *Jo. Ge. Arn. Oelrichs* Commentarius de Scriptoribus eccl. latt. (Lips. 1791. 8.) p. 15. not. 1; *A. Kestner* Die Agape od. der geheime Weltbund d. Christen (Jena 1819. 8.) p. 356; *H. Meier* Commentatio de Minucio Felice, Turici 1824. 8.; *J. G. Russwurm* Minucius Felix übers. (Hamburg 1824. 4.)

Et hi quidem ex stylo puriori, quo Minucius omnes seculi tertii Scriptores post se reliquerit; ex facie Ecclesiae christianae, utpote admodum diversae ab ea, quam in Tertulliani et Cypriani libris deprehenderis; ex similitudine, quae Minucium inter et Justinum Athenagoramque tum ratione methodi, tum argumentorum, tum etiam calumniarum, a quibus defenduntur Christiani, intercedat; ex his igitur, inquam, aliisque sententiam suam non inepte conati sunt defendere. Nobis vero argumentis ex utraque parte probe discussis ea potissimum arridet opinio, qui Scriptorem nostrum *eodem fere cum Tertulliano tempore* vixisse dicunt, ita tamen ut librum suum paulo ante Tertulliani *Apologeticum* (§. 586), *anno* verisimilius 196 exarasse videatur. [5]) Quanta vero Minucii in dicendo sit suavitas, omnium DD. Virorum unanimi consensu probatur. „*Dialogus* ejus *lactea sermonis ubertate Lactantio nihil cedit; est enim mirabili ubique perspicuitate etiam in acute dictis; nihil argutiarum obscuritate molestarum* habens, *nihil intempestiva eruditionis ostentatione insolens aut arcessitum, nihil verborum novitate aut transferendi improbitate aut compositionis habitudine durum, horrens, abruptum* etc. [6]) *Minucius adeo omnes tertii seculi Scriptores puritate et venustate post se reliquit, ut ne verbulum quidem exciderit, puod Ciceronis aut Quintilliani, Plinii et aequalium auctoritate tueri nequeat.*“ [7]) . . . Quibus encomiis etiam novissimus Minucii editor superaddit, illum *multo meliore jure, quam ipsum Lactantium, esse dignum, qui „Cicero christianus“ cognominetur.* [8])

Einleit. p. XVII sqq.; *Ed. de Muralto* De Minucii Fel. aetate etc. in fronte edit. (Turici 1836. 8.) p. 1 sqq.

5) Cf. *Moehler* l. l.

6) *Jo.Frid. Gronovii* Obervatorum in Scriptoribus eccles. Monobiblos (Daventr. 1651. 12.) Obs. VII. p. 71.

7) *van Hoven* Epist. laud. §. 1 in fin.

8) *Ed. de Muralto* Diss. laud. sub princ.

B. Scripta.

1. Dialogus Octavius.

a. *De genuinitate libri ejusque forma.*

§. 574. Marcum Minucium Felicem hujus libri auctorem esse, tam invicta Scriptorum, *Lactantii* potissimum et *Hieronymi* (ll. ll.) omni suspicione majorum auctoritate confirmatur, ut huic quaestioni non sit cur diutius immoremur. Unde liber iste et a recentioribus, nemine unquam reclamante, jure merito *genuinus* censetur. Dialogus inscriptus est *Octavius*, quemadmodum *Plato*, *Cicero*, alii ejus generis libris, in dialogi formam compositis, illius nomen praefixerunt, qui praecipuas in eis partes agit. Virorum enim colloquentium alter est *Caecilius*, qui et *Natalis* nomine saepe nuncupatur, homo domi forisque lateri Minucii Felicis inhaerens [9]); alter vero *Octavius*, qui et *Januarius* a Caecilio nonnunquam audit, vir eximius et sanctus, itemque Minucio amicissimus fidelissimusque contubernalis, ita ut crederes mentem unam in duobus fuisse divisam. [10]) Quinam autem horam uterque fuerit, parum liquet. Sunt, qui mere *fictos* personatosque homines putant; alii contra *Caecilium* natione Afrum, Romae aliquamdiu versatum, postquam ab Octavio victus suos ejuraverit errores, Carthaginem rediisse ibique presbyterum ordinatum *S. Cypriano* (§. 665) viam salutis aperuisse dicunt. [11])

---

9) *Minucii Fel.* Octav. c. 3 init., ed. Gronov. p. 19.

10) Ibid. c. 1 init. et med., ed. laud. p. 1. 6.

11) Ansam hujus conjecturae non admodum insulsae dederunt verba *Pontii* et *Hieronymi*. Ille enim: „*Erat sane*, inquit, *Cypriano etiam de nobis contubernium viri justi et laudabilis memoriae, Caecilii, et aetate et tunc honore presbyteri, qui eum ad agnitionem verae divinitatis a saeculari errore correxerat.*“ ... Pontii Diaconi Vita S. Cyprian. c. 3, ed. anac. *Opp. Cypr.* (ed. Wirceburg. 1782. II. 8.) T. I. p. V. — Cum his cf. *S. Hieronymi* De vir. illustr. c. 67, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 119.

Sed aliquid prorsus certi et indubitati inde concludere non audeo. Pariter *Octavius* utrum et ipse ille, qui Cypriani tempore floruit, *Januarius*, *Episcopus quidam Africanus*, fuerit; an alius aliquis, difficile est dijudicare. Certe nihil in hoc libro occurrit, quo nec veros homines disputasse, nec ea omnia, quae narrantur, vera esse credere possimus.

b. Dialogi dispositio et summa.

§. 575. Liber hic in *duas* distinctus est partes, quarum prior *Caecilii pro Ethnicis*, posterior *Octavii pro Christianis* orationem complectitur. *Minucius* autem disceptantium quasi arbiter electus medius inter ambos consedit. Et *Caecilius* quidem superstitiosis ethnicorum vanitatibus addictus patrium et avitum Deorum cultum religiosissime observandum esse, omnibus quibus potest rationibus probare conatur. Quamvis nobis nondum sit exploratum, utrum Deo auctore facta sint omnia, Deique providentia mundus regatur, an sublata legibus fortuna rebus omnibus dominetur; tamen satius esse, traditis antiquis religionibus adhaerere, Deosque vereri et adorare, quam aliam de illis ferre sententiam (c. 1—7). Minime igitur tollerari debere illicitam et desperatam Christianorum factionem, lucifugamque eorum nationem ex infima faece hominum collectam. Isti enimvero, inquit, templa ut busta despiciunt, Deos respuunt, rident sacra, honores floccifaciunt, tormenta denique sic spernunt, ut, dum mori post mortem timent, mori interim non vereantur. Dicuntur adorare caput asini, colere sacerdotis genitalia, atque hominem crucifixum, imo ipsum hujus supplicii instrumentum venerari. Quid plura? Ad epulas solemni die coëunt, atque ibi epoto infantis crudelissime occisi sanguine ictum foedus sanciunt, et eorum tirunculi initiantur. Posthaec immanissimae feritatis convivium extinctis a cane luminibus per impudentes tenebras incerta sorte omnes permiscentur, atque ita aut re ipsa aut conscientia fiunt incesti. Ceterum quidquid colunt, magno studio occultare nituntur; nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra.

Deus porro illorum, quemadmodum Judaeorum, unicus esse fertur, omniscius, ubique praesens, praepostere curiosus; futurum quoque asserunt totius mundi incendium, corporum resurrectionem, et justis aeterna gaudia, injustis vero poenas perpetuas repromittunt. Comites igitur Caecilius hortatur, desinant mundi secreta coelique plagas rimari, hancque sequantur Socratis sententiam: „Quod supra nos, nihil ad nos" (c. 8—13). Ad haec cum *Minucius* Caecilio modeste respondisset, de sermonis sui concinnitate, subtili orationis varietate suaque haud mediocri eloquentia ipsi non esse exsultandum; *Octavius* refutationem orditur, docens, falsos et commentitios esse Gentilium deos, impios omnino et absurdos eorum cultus; unum esse Deum, ubique praesentem et omnibus ac singulis providentem. Sanctos esse illibatosque Christianorum mores et conventus; Ethnicos eorum criminum reos esse, quorum falso accusabant Christianos, quosque contra jus omne propter suum solum nomen quolibet suppliciorum genere cruciabant (c. 14—38). Cum Octavius perorasset, Caecilius victas protinus manus dedit; et laeti hilaresque discesserunt amici; Caecilius, quod crediderit; Octavius, quod vicerit; Minucius gaudens de utroque (c. 39. 40).

c. *Hujus dialogi editiones.*

§. 576. Minucii nostri *unum* duntaxat codicem superesse, eum nempe, qui olim Romae in *Vaticana bibliotheca* fuisse asservatus, deinde a Leone X. R. P. regi Galliae christianissimo Francisco I dono datus *Parisios* migrasse dicitur; omnes post Rigaltium VV. DD. sibi persuadebant, donec *Ed. de Muralto* perquam scite demonstravit, *Vaticanum* illum codicem a codice regio *Parisiensi*, qui nono seculo adornatus videtur, et a Muralto in sua Minucii editione diligentissime typis exscriptus est, longe esse *diversum*.[1]) Idem alium codicem sub finem decimi aut

1) *Minucii Felicis* Octavius, ed. *Muralt.*, Prolegg. c. I. pag. I. V. IX.

initio undecimi seculi exaratum, et *Bruxellis* hucusque latitantem reperit, eumque cum prioribus accurate contulit.[a]) — Princeps igitur editio ad Vaticani codicis fidem prodiit *Romae* 1543 fol. per *Faustum Sabaeum*, qui tamen titulo Octavii deceptus tunc librum tanquam *octavum* eorum septem librorum, quos adversus gentes scripsit *Arnobius*, emisit. Post hanc aliae deinceps perperam sub ejusdem *Arnobii* nomine editiones apparuerunt, velut *Basileae* 1556 e recensione Sigism. Gelenii, *Lugduni Batavorum* 1552, *Basileae* iterum 1560 a Desid. Erasmo Roterodamensi. Primus autem, qui hunc errorem deprendit, et Octavium genuino suo parenti Minucio Felici restituit, *Franciscus Balduinus* Atrebatis Jureconsultus extitit, illumque seorsim excudi curavit *Heidelberg*. 1560. 12. Deinceps igitur a reliquis omnibus hic liber *Minucii* nomine evulgatus est; praecipue Romae 1584. 4. cum epistola *Fulv. Ursini*; deinde unacum Cypriani libro de Idolorum vanitate a *Jo. Wowero* Jur. Consulto et Philologo Lovaniensi, *Basil.* 1603. 8.; porro ex recensione et cum commentario *Geverh. Elmenhorstii* Philologi Hamburgensis, *Hannov.* 1603. 8., et 1612. fol., porro emendatus per *Desid. Heraldum* Ictum Parisiensem, *Lutet. Paris.* 1605. 8., et 1613. 4.; item una cum Cypriani De idolorum vanitate e recensione et cum observationibus *Nicol. Rigaltii* Icti, *Lutet.* 1643. 4., et 1645. 8.; unacum Firmici Materni op. a *Jac. Ouzelio* (seu Oiselio) Icto et Philologo Groningiano, *Lugd. Batav.* 1652. 4., et 1672. 8.; in usum scholarum a *Chph. Cellario*, Prof. histor. et eloquent. Halensi, *Halae* 1699. 8.; e recensione *Jo. Davisii* Collegio regio ap. Cantabrig. Praefecti, *Cantabr.* 1707. 8., et 1712. 8.; deinde cum variis notis a *Jo. Gronovio* Archaeologo Lugduno-Batav. academiae, *Lugd. Bat.* 1709. 8., et exinde unacum Cypriani De idolorum vanitate et Firmici Materni De errore profanarum religionum, recus. *Roterodami* 1733. 8.; rursus cum

a) *Muralt.* l. l. p. VII.

varr. nott. a *J. G. Lindner*, *Longosalissae* 1760. 8. (una cum Cypriani De idol. vanit.) et cum praefatione J. A. Ernesti *ibid.* 1773. 8. Nostro denique seculo Minucii Octavium e lat. in ling. german. versum edidit *J. G. Russwurm*, *Hamburg.* 1824. 4.; recentissime vero textum latinum ad fidem codd. regii Paris. et Bruxell. recensuit *Eduard. de Muralto* c. praef. J. C. Orelli, *Turici* 1836. 8.; et cum vers. German. et annott. *J. H. B. Lübkert*, *Lips.* 1836. 8.

2. Libri de fato s. contra Mathematicos deperditus.

§. 577. Praeter dialogum supra memoratum alium Minucii librum *De fato* vel *Contra Mathematicos* S. Hieronymus laudat,[1]) subjungens tamen, librum hunc, cum sit et ipse diserti hominis, non sibi videri cum superioris libri (sc. *Octavii*) stylo convenire. Utrum Minucius noster ejusmodi librum omnino scripserit, dubitari quidem potest, simile tamen vero est. Ipse enim indicat, se de fato commentari voluisse.[2]) Fac autem Minucium in alio libro proposito suo stetisse, id tamen incertum est, utrum tractatus, quem Hieronymus ad manum habuit, is esset, quem ille promiserat, an potius inde ansam arripuisset aucter aliquis, ejusmodi librum sub Minucii nomine supponendi.[3]) Utut vero res se habet, hoc ingenii monumentum *interiisse* omnes adeo unanimi recentiores Scriptores affirmant sententia, ut sane mirum sit, quod *Seb.*

---

1) *S. Hieronym.* De viris illustrib. c. 58, *Idem* in epist. ad Magnum Orat. (ep. LXXXIII); in Ej. Opp. omn. edit. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 117. 656.

2) „*Ac de fato satis, vel si pauca pro tempore, disputaturi alias et uberius et plenius.*“ Octavius. c. 36. p. init., ed. *Gronov.* (Roterodam. 1743. 8.) p. 356.

3) *Ell. Dupini* Nouvelle bibliothéque des auteurs eccl. T. I. p. 189.

Natus Tillemontius opusculum illud typis exscriptum esse in quadam Arnobii editione asseruerit.[4])

C. Doctrina Minucii.

1. De Deo.

a. Quod sit manifestus per ea quae facta sunt.

§. 578. Quae sit religiosa Gentilium conditio, quam flebilis increduli animi desperatio, *Caecilius* testis est, id unum pro viribus agens, ut ostendat, omnia esse in rebus humanis dubia, incerta, suspensa. „Itaque, inquit, indignandum omnibus, indolescendumque est, audere quosdam, et hoc studiorum rudes, literarum profanos, expertes artium nisi sordidarum, certum aliquid de summa rerum ac majestate decernere, de qua tot omnibus seculis sectarum plurimarum usque adhuc ipsa philosophia delibrat.[1]) ... Homo et animal omne, quod nascitur, inspiratur, attollitur, elementorum ut voluntaria congretio est! in quae rursus homo et animal omne dividitur, solvitur, dissipatur. Ita in fontem refluunt, et in semet omnia revolvuntur, nullo artifice, nec judice, nec auctore.“[2]) ... Ad quae respondens *Octavius*, nefas esse, inquit, ignorare ingerentem sese oculis et sensibus nostris coelestem claritatem. „*Quo magis mihi videntur, qui hunc mundi totius ornatum non divina ratione perfectum volunt, sed frustis quibusdam temere cohaerentibus conglobatum, mentem, sensus, oculos denique ipsos non habere. Quid enim potest esse tam apertum, tam confessum, tamque perspicuum, cum oculos in coelum sustuleris, et quae sunt infra circaque lustraveris, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur? Coe-*

---

4) *Seb. Tillemont.* Mémoires pour servir à l'histoire eccl. T. III. p. 73.

1) Octavii c. 5 med., ed. *Gronov.* (Roterodam. 1743) p. 36 sq.

2) Ibid. p. 44.

lum ipsum vide, quam late tenditur, quam rapide volvitur, vel quod in noctem astris distinguitur, vel quod in diem sole lustratur; jam scies, quam sit in eo summi moderatoris mira et divina libratio. Vide et annum ut solis ambitus faciat; et mensem vide ut luna auctu, senio, labore circumagat! Quid tenebrarum et luminis dicam recursantes vices, ut sit nobis operis et quietis alterna reparatio?... Quid? cum ordo temporum ac frugum stabili varietate distinguitur, nonne auctorem suum parentemque testatur? Ver aeque cum suis floribus, et aestas cum suis messibus, et autumni maturitas grata et hiberna olivitas necessaria; qui ordo facile turbaretur, nisi maxima ratione consisteret. Jam providentiae quantae, ne hiems sola glacie ureret, aut sola aestas ardore torreret, autumni et veris inserere medium temperamentum, ut per vestigia sua anni revertentis occulti et innoxii transitus laberentur. Mari intende, lege litoris stringitur. Quidquid arborum est vide, quam e terrae visceribus animatur. Aspice Oceanum, refluit reciprocis aestibus. Vide fontes, manant venis perennibus. Fluvios intuere, eunt semper exercitis lapsibus. Quid loquar apte disposita recta montium, collium flexa, porrecta camporum? Quidve animantium loquar adversus sese tutelam multiformem? ... Ipsa praecipue formae nostrae pulchritudo Deum fatetur artificem, status rigidus, vultus erectus, oculi in summo velut in specula constituti, et omnes ceteri sensus velut in arce compositi.“[5])

b. Quod sit unus et solus Deus.

§. 570. Deinde ad Dei monarchiam demonstrandam exempla de terra mutuamur: „*Vide*, inquit, *cetera; rex unus apibus, dux unus in gregibus, in armentis rector unus. Tu in coelo summam potestatem dividi credas, et scindi veri illius ac divini imperii totam potestatem? cum palam sit, parentem omnium Deum nec principium habere nec terminum; qui nativitatem omnibus praestet, sibi per-*

---

5) Ibid. c. 7, p. 150 sqq.

perpetuitatem; qui ante mundum fuerit sibi ipse pro mundo; qui universa, quaecumque sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi, tactu purior est; nec aestimari, sensibus major est; infinitus, immensus, et soli sibi tantus quantus est notus. Nobis vero ad intellectum pectus angustum est; et ideo sic eum digne aestimamus, dum inaestimabilem dicimus. . . . Nec nomen Deo quaeras, Deus nomen est. Illic vocabulis opus est, cum per singulos propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est; Deo, qui solus est, Dei vocabulum totum est; quem, si patrem dixero, terrenum opineris; si regem, carnalem suspiceris; si dominum, intelliges utique mortalem. Aufer additamenta nominum et perspicies ejus claritatem!"[4])

c. *Invisibilis, tamen ubique praesens.*

§. 580. „*At enim quem colitis Deum, nec ostenditis, nec videtis.*" Ad hanc Caecilii objectionem respondens Octavius: „*Immo ex hoc ipso*, ait, *Deum credimus, quod eum sentire possumus, videre non possumus. In operibus enim ejus et in mundi omnibus motibus virtutem ejus semper praesentem aspicimus, cum tonat, fulgurat, fulminat, cum serenat. Nec mireris si Deum non vides; vento et flatibus omnia impelluntur, vibrantur, agitantur, et sub oculis tamen non venit ventus et flatus. In sole adeo, qui vivendi omnibus causa est, videre non possumus; radiis acies submovetur, obtutus intuentis hebetatur, et si diutius inspicias, omnis visus extinguitur. Quid, ipsum solis artificem, illum luminis fontem possis sustinere, cum te ab ejus fulgoribus avertas, a fulminibus abscondas? Deum oculis carnalibus vis videre, cum ipsam animam tuam, qua vivificaris et loqueris, nec aspicere possis nec tenere? Sed enim Deus actum hominis ignorat, et in coelo constitutus non potest aut omnes obire aut singulos nosse. Erras, o homo, et falleris. Unde enim Deus longe est, cum omnia*

4) Ibid. c. 18 med., p. 166 sqq.

caelestia terrenaque, et quae extra istam orbis provinciam sunt, Deo cognita, plena sint? Ubique non tantum nobis proximus, sed infusus est. In solem adeo rursus intende, caelo adfixus, sed terris omnibus sparsus est; pariter praesens ubique interest, et miscetur omnibus; nusquam enim claritudo violatur. Quanto magis Deus, auctor omnium ac speculator omnium, a quo nullum potest esse secretum, tenebris interest, interest cogitationibus nostris quasi alteris tenebris! Non tantum sub illo agimus, sed et cum illo, ut prope dixerim, vivimus.“ [5])

2. De daemonibus hominum seductoribus.

§. 581. Diabolicam nequitiam Minucius ceu fontem ipsum Gentilium erroris et pravitatis designat, unde omnis caligo mentis et impietas manavit. „*Sunt*, inquit, *spiritus insinceri, vagi, a caelesti vigore terrenis labibus et cupiditatibus degravati. Isti igitur spiritus, posteaquam simplicitatem substantiae suae onusti et immersi vitiis perdiderunt, ad solatium calamitatis suae non desinunt perditi jam perdere, et depravati errorem pravitatis infundere, et alienati a Deo inductis pravis religionibus a Deo segregare. Eos spiritus daemonas esse poëtae sciunt; philosophi disserunt, ... magi quoque non tantum sciunt daemonas, sed etiam quidquid miraculi ludunt, per daemonas faciunt. Illis aspirantibus et infundentibus praestigias edunt vel quae non sunt videri, vel quae sunt non videri.* [6]) ... *Isti igitur impuri spiritus, daemones, ut ostensum a Magis, a philosophis et a Platone, sub statuis et imaginibus consecrati delitescunt, et afflatu suo auctoritatem quasi praesentis numinis consequuntur, dum inspirantur interim vatibus, dum fanis immorantur, dum nonnunquam extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt falsis pluribus involuta. Nam et falluntur et fal-*

5) Ibid. c. 32 med., p. 329 sqq.
6) Ibid. c. 26 med., p. 267 sqq.

lent, ut et nescientes sinceram veritatem, et quam sciunt, in perditionem sui non confitentes. Sic a caelo deorsum gravant, et a Deo vero ad materiam avocant, vitam turbant, somnos inquietant, irrepentes etiam corporibus occulte, ut spiritus tenues, morbos fingunt, terrent mentes, membra distorquent, ut ad cultum sui cogant." 7) ...

3. De carnis resurrectione et impiorum igne perenni.

§. 562. Caecilio, cui fieri nullo modo posse videbatur, ut cum corporibus resurgamus, Octavius: „*Quis, ait, tam stultus aut brutus est, ut audeat repugnare, hominem a Deo, ut primum potuisse fingi, ita posse denuo reformari; nihil esse post obitum, et ante ortum nihil fuisse; sicut de nihilo nasci licuit, ita de nihilo licere reparari? Porro difficilius est id, quod non sit, incipere, quam id quod fuerit reparare. Tu perire et Deo credis, si quid oculis nostris hebetibus subtrahitur? Corpus omne, sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis; sed Deo, elementorum custodi, reservatur. ... Vide adeo, quam in solatium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditetur! Sol demergit et nascitur; astra labuntur et redeunt; flores occidunt et reviviscunt; post senium arbusta frondescunt; semina nonnisi corrupta revirescunt. Ita corpus in seculo, ut arbores in hiberno, occultant virorem aridate mentita. Quid festinas, ut cruda adhuc hieme reviviscat et redeat? exspectandum nobis etiam corporis ver est.*" 8) ... Impios a Deo suppliciis excruciari docet, quibus tormentis nec modus ullus nec terminus. „*Illic sapiens ignis membra urit et reficit; capit et nutrit; sicut ignes fulminum corpora tangunt, nec absumunt. Sicut ignes Aetnae et Vesuvii et ardentium ubi-*

---

7) Ib. c. 27 init., p. 278 sqq.

8) Ibid. c. 34 med., p. 355 sqq.

quae terrarum flagrant, nec erogantur; ita poenale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inesa corporum laceratione nutritur.“ 9)

II.

Tertullianus Presbyter Carthaginiensis.

A. Vita.

§. 563. *Quintus Septimius Florens* **Tertullianus** natus est *Carthagine* in Africa patre *centurione* proconsulari. 1) Etsi certis quidem indiciis ipse annus, quo lucem aspexerit, quove decesserit, non liquet; tamen a vero non ita procul aberrare videntur ii, qui *medio secundo seculo*, aut aliquot annis ante, *natum*, diem vero supremum *obiisse* illum anno circiter *vigesimo seculi tertii* statuunt. 2) *Gentilem* se fuisse ipsemet satis aperte innuit, 3) nec moribus tunc candidissimis excelluit, prout passim in libro de *Poenitentia* testatur; tametsi rigidiores hominis mores facile nobis persuadeant, ut ei, vitam anteactum respicienti, coloribus tantum non deterrimis, quaecunque fecisset, apparerent. 4) Tempus autem, quo fidem christianam secutus, et

---

9) Ib. c. 35 med., p. 261 sq.

1) *S. Hieronym.* De vir. illustr. c. 53 init., in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 115. — Cf. *Tertullian.* Apologet. c. 9 sub init., in Ej. Opp. omn. ed. *Leopold* (vd. §. 622) P. I. p. 67; item De pallio c. 1 init., ib. P. II. p. 219.

2) *Car. Traug. Gottl. Schoenemann*, reg. biblioth. acad. Gotting. a secret., Bibliotheca hist.-litt. PP. latt. (Lips. 1792—94. II. 8.) T. I p. 2. — *Fr. Münter* in suis Primord. ecclesiae Africanae (Havniae 1829. 4.) p. 128 Tertullianum jam sub *Hadriano* imperatore c. a. 135; *Seb. Tillemontius* (memoires de l’histoire eccl. T. III. p. 196) et *Ad. Moehlerus* (Patrologie, ed. Fr. X. Reithmayr, p. 701) anno demum 160 fuisse natum arbitrantur.

3) Cf. *Tertull.* De spectacul. c. 19, Apologet. c. 18 med., De poenit. c. 1 init., De resurrect. carnis c. 59; in Ej. Opp. omn. ed. laud. P. I. p. 22. 81, P. II. p. 47, P. IV. p. 104.

4) *Schoenemann* l. l. T. I. p. 2 not.

qua potissimum ratione ad eam amplectendam impulsus fuerit, minus nobis exploratum est. *Rhetoricam eum esse professum*, et *causas etiam in foro dixisse*, antequam Christo nomen daret, una doctorum virorum paene omnium sententia est. Etenim vir *legum Romanarum peritissimus* fuit,[5]) maximamque qua pollebat juris scientiam in libris suis adeo praesefert ubique, ut alio modo quam studio ad certos usus accommodato assequi illam non potuisse videatur. Inde forsitan *Cujacius* aliique Tertullianum nostrum Carthaginiensem *presbyterum* cum Romano ejusdem nominis *jurecunsulto*, cujus Corpus juris civilis Justinianeum passim meminit,[6]) sed vereor an non perperam confuderunt.[7]) Certe id, quod de Senatusconsulto Tertylliano ibidem legitur,[8]) minime ad Scriptorem nostrum Christianum referendum est.[9]) Quantis vero ingenii dotibus quantaque eruditione eluxerit Tertullianus noster, *Lactantius*, *Eusebius*, *Hieronymus*, *Rufinus*, *Augustinus*, alii summis laudibus praedicarunt. Quae tamen cuncta encomia latius multo prosequitur *Vincentius Lirinensis*, qui, postquam de Origene verba fecit, ad Tertullianum digrediens: *Hic*, ait, *apud Latinos nostrorum omnium facile princeps judicandus est. Quid enim hoc viro doctius? quid in divinis atque humanis rebus exercitatius? Nempe omnem philosophiam et cunctas philosophorum sectas, auctores adsertoresque*

---

5) *Euseb.* Hist. eccles. Lib. II. c. 2. nr. 2, ed. *Zimmermann.* p. 74.

6) In libb. *Digestt.* Tertulliano Icto adscribuntur: fr. 27 Dig. De legibus, Seltis (I. 3), fr. 23. 33 Dig. De testam. milit. (XXIX. 1), fr. 28 Dig. De acquir. vel amitt. possess. (XLI. 2), fr. 4 Dig. De castrensi peculio (XLIX. 16).

7) Cf. *J. H. Blumbach* Epist. de Selto, Qu. Sept. Florente Presb. et ICto Tertullianis (Lips. 1735. 4.) c. 4; *Just. Car. Wiesenhavern* Disput. de Jureconsulto et Qu. Septimio Florente Tertullianis, Hildesheim 1743. 4.

8) *Digg.* Lib. XXVIII. tit. XVII. (ad SCt. Tertyllianum et Orphitianum), et *Cod. Justin.* Lib. VI. tit. LVI (de eod.).

9) *Jo. Chr. Fel. Baehr* Gesch. d. röm. Literatur (ed. II. Carlsruh. 1832. 8.) §. 274. p. 751 sq.

sectarum, omnesque earum disciplinas, omnem historiarum ac studiorum veritatem mira quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio vero nonne gravi ac vehementi excelluit, ut nihil sibi paene ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere eliserit? Jam porro orationis suae laudes quis exsequi valeat? quae tanta nescio qua rationum necessitate conserta est, ut ad consensum sui, quos suadere non potuerit, impellat; cujus quot paene verba, tot sententiae sunt; quot sensus, tot victoriae. Sciunt hoc Marciones, Apelles, Praxeae, Hermogenes, Judaei, Gnostici, Gentiles, ceterique, quorum ille blasphemias multis ac magnis voluminum suorum molibus velut quibusdam fulminibus evertit." [10])

§. 584. *Conjugium* iniisse Tertullianum, ex *libris II ad uxorem* (§. 608) perspicuum est; fortassis quod nondum sublata esset lex Papia Poppaea et Julia, quae liberos suscipi cogebant, quamquam liberorum illius nulla uspiam fit mentio. Tum vero abdicata re uxoria ac missis secularibus negotiis *sacerdotio* initiatus [11]) complures annos *Romae* transegit. [12]) Postquam vero aliquamdiu ingenio suo subtili et in paucis eximio Ecclesiam mire ornaverat, et rara insuper morum severitate collustraverat, idem ille vir protinus ad *Montani dogma* delapsus est. Cujus tam subitae commutationis neque tempus neque causas

---

10) *Vincentii Lirinensis* Commoniter. c. 24, in Bibliotheca PP. maxima (*Lugdun.* 1677. XXVII. f.) T. VII. p. 257.

11) Sunt quidem, qui *Romae* illum fuisse sacro presbyteratus ordine initiatum, e. gr. *J. S. Semlerus* in Dissert. I in Tertull. (in Ejusd. edit. opp. Tertull. T. V. p. 222 sq.); *Gfr. Lumper* in sua Hist. theol.-crit. de SS. PP. P. VI. p. 7 sqq.; alii. Verum *Carthagine* potius illum fuisse ad sacerdotium promotum, multo probabilius est. Cf. *Petr. Allix.* De Tertulliani vita et scriptt. (in Ejusd. Dissertt. tres, Lutet. Paris. 1680. 8.) Diss. III. p. 18 sq.; *Aug. Neander* Antignostikus p. 6; *Ejusd.* Allg. Gesch. der chr. Relig. u. Kirche (Hamburg 1825 ff. 8.) Bd. I. Abth. III. p. 1164.

12) *Rem. Ceillier* Histoire générale des auteurs eccl. T. II. p. 376.

omnino cognitam atque penitius exploratam habemus.[13]) *S. Hieronymus* quidem invidia atque contumeliis clericorum Romanae ecclesiae illum in Montani partes propulsum fuisse narrat.[14]) Atvero non desunt viri eruditi, qui Hieronymi indignationi in Romanos clericos, quorum malignitatem post Damasi Papae obitum ipse expertus esset, haec verba maxime tribuant, eumque vehementius quam verius scripsisse patent.[15]) In his imprimis *Jo. Aug. Noesseltus* D. Hieronymi sententiam credibilem non esse censet propterea, quod Tertullianus in libro, quem post defectionem suam scripsit, *adversus Praxeam* c. 1, ubi vehementer eum tanquam adulterantem Romanam ecclesiam insectatur, omnino nihil contumeliarum in hanc ecclesiam ejusve clerum projecerit.[16]) Imo satis utique esse potest, hominis austerum ac rigidae severitatis ingenium nosse, quo intelligamus, quam valde omnia Montanistarum placita grata ei esse deberent.[17]) Unde equidem cum *Schroeckhio* sentire malim, Tertullianum non machinationibus quidem clericorum Romanorum loco suo pulsum; attamen, cum montanizantem fortasse in libellis suis non sine contumelia objurgassent, incitatum esse, ut, quorum errores adhuc tantum degustasset, eorum jam partes penitus sequeretur.[18]) Ad *tempus* autem defectionis quod attinet, doctorum virorum praestantissimi id jam in nostra disquisitione conse-

---

13) Cf. *Jo. Joach. Zentgravii* Exercit. de lapsu Tertull. ad Montanistas, Argentor. 1704. 4.

14) *S. Hieronym.* De vir. illustr. c. 53, in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 115.

15) *Semler* l. l.; alii.

16) *Jo. Aug. Noesselt* De vera aetate ac doctrina scriptorum quae supersunt Tertulliani (Halae 1757), recus. in *Ejusd.* Tres Commentationes ad hist. eccl. pertinentes (Hal. 1817. 8.) I. p. 8 sq.

17) *Allix.* l. l. c. V. p. 39; *Lumper* l. l. P. VI. p. 15 sq.; *Schoenemann* l. l. T. I. p. 3; *Neander* Antignostikus p. 9; *Baehr* Die christl. röm. Theologie p. 16; *Moehler* Patrologie T. I. p. 703.

18) *J. M. Schroeckh* Christl. Kirch. Gesch. (Lips. 1768—1810. XLIII. 8.) T. III. p. 319.

cuti sunt, ut *anno ducentesimo primo aut secundo* pro certo paene eam assignare liceat. Ubi vero primum Tertullianus ad Montanistas desivisset, catholicae Ecclesiae mores institutaque prava atque corrupta ducere, et acerbissime insectari coepit, nec ab eo rigore ante vitae finem destitit. Certe illum ante obitum ad Ecclesiae unitatem ejurata haeresi rediisse, nec Veterum quisquam memoriae prodidit, nec simile vero videtur esse in tanta hominis pertinacia. Vixisse autem usque ad decrepitam aetatem,[19]) ac demum post annum 216, imo probabilius *circa* annum 220 diem obiisse supremam perhibetur. De hujus Scriptoris ecclesiastici vita, ingenio, stylo et existimatione egregie prae caeteris commentati sunt *De la Motte* Histoire de Tertullien et d'Origenes, Paris. 1675, Lugdun. 1691. 8.; *Nic. de la Fayolle* Le genie de Tertullien, Paris. 1658. 1662. 4.; *Lud. Ell. Dupin* in Nouvelle bibliotheque des auteurs eccl. T. I. p. 104 sq.; *H. C. Ballenstaedt* Tertullians Geistesfähigkeiten, Religionskenntnisse und Theologie, Helmstadt. 1786. 8.; *Tricaleti Abb.* Bibliotheca manual. PP. (Bassan. 1783. VI. 8.) T. I. p. 93 sq.; *Chr. Fr. Roessler* Bibliothek der Kirchenväter T. III. p. 32 sq.; *Gottfr. Lumper* Hist. theol.-crit. de SS. PP. P. VI. p. 18 sq.; *Aug. Neander* Antignosticus, Geist des Tertullian und Einleit. in dessen Schriften, Berolin. 1825. 8.; *Baehr* Geschichte d. röm. Literatur, Supplementband I. Abth. II. Die christl.-röm. Theologie §§. 5. 15. 16, p. 15—17. 33 sqq.; *Jo. Ad. Moehler* Patrologie, ed. *Reithmayr*, Bd. I. p. 701 sqq.

B. Scripta.

1. Genuina quae supersunt.

§. 585. Scriptorum Tertulliani, licet multa jam sua aetate periisse testetur *D. Hieronymus*, magnus tamen numerus etiam nunc extat, sed quibus a tempore, quo con-

19) *S. Hieronym.* l. l.

dita sint singula, non parum tenebrarum offunditur. Quamquam enim non defuerunt VV. DD., qui in illustranda hac caligine studium et doctrinam còllocarent, vix tamen ab omni dubitatione liberari planeque explicari haec res videtur, quum nec *aetatis* nec *doctrinae* librorum ubivis certa satis expressa sint vestigia. Placet igitur nobis ante omnia recensum dare *ex ordine materiarum*, de quibus singuli tractant libri, atque inde cuncta dispescere in *tres classes*, quarum prima operibus *apologetico-polemicis* contra Gentiles et Judaeos, secunda *dogmatico-polemicis* adversus Haereticos, tertia *moralibus et asceticis* continetur. Deinde vero cum plurimi intersit, utrum opus Tertulliani lapsum praeverterit an sequatur, (cum nempe posteriora majori cum cautela legenda sint); cujusvis classis libros iterum ad *duplicem* revocare ordinem nisi sumus, defectionem scilicet *antecedentium* et eandem *subsequentium*. Certa autem, quibus libri *post lapsum* ab aliis distinguantur, indicia haec sunt praecipua, cum nempe auctor prophetias *Montani*, *Priscae*, *Maximillae* cum laude commemoraverit; cum *jejunia* catholico more frequentiora, aut aliquanto majori cum aestimatione, quam catholica Ecclesia, commendarit; cum *secundas nuptias* non solum improbaverit, sed penitus damnarit; cum *fugam in persecutione* omnino scelestam duxerit, aut *lapsos nullo* pacto posse reconciliari contenderit; cum porro etiam *feminas* ad praedicationem verbi divini vel sacramentorum administrationem admiserit; cum Catholicos *Psychicorum* nomine notaverit, aut in catholicam Ecclesiam tanquam *erroneam* aut a prisca severitàte deflexam exprobraverit etc.; denique cum alia aliqua et probabili ratione possit demonstrari, opusculum *post annum* 201 demum fuisse exaratum. Hoc enim anno aut sub initium proxime sequentis *Liber de corona* (§. 610) in lucem prodiit, qui certa jam defectionis indicia praesefert. De tempore, quo singuli Tertulliani libri lucem aspexerint, eruditius et copiosius disseruit *Jo. Aug. Noesselt* De vera aetate scriptorum quae supersunt Qu. Septimii Florentis Tertutliani, Dissertt. Sectt. III. Halae 1757—59. 4.

a. Opera apologetico-polemica.

aa. ante lapsum scripta.

a) Apologeticus.

§. 586. *Apologeticus adversus gentes* seu *Liber christianae religionis apologeticus*[1]) tanti ab Antiquis jure meritissimo fiebat, ut jam *Eusebii* tempore in linguam graecam transferretur.[2]) Scriptus est eo tempore, quo *Septimius Severus* bellum adversus *Pescennium Nigrum* et *Albinum* prope jam compositurus erat,[3]) i. e. *anno ineunte* 198. Hanc autem apologiam Tertullianus *ad Antistites imperii Romani* direxit, hoc nimirum nomine designans provinciarum praefectos, qui, licet ipse imperator saevire in Christianos tunc nondum coepisset, legibus tamen poenalibus ab antecessoribus ejus emissis necdum sublatis pro lubitu illos vexare, et cruciatibus supplicioque afficere non destiterunt. Itaque pro summa, qua tunc pollebat, facundia Tertullianus Christianorum patrocinium suscipiens communi malo ac publico occurrere, et erumpentem indies tempestatem, quantum in se erat, compescere conatus est, missaque hanc ob causam ad provinciarum praesides apologia effrenatos adversariorum impetus fregit tantisper ac debilitavit. Eo quippe vigore eaque eruditione suorum causam agit, ut, si rationibus et veritate disceptandum fuisset, Gentiles omnes redegisset ad incitas. „*Si non licet vobis ... palam dispicere et coram examinare, quid sit liquido in causa Christianorum; si ad*

---

1) Cf. *Lumper* Hist. theol.-crit. de SS. PP. P. VI. p. 186 sqq.; *C. W. Flügge* Versuch einer Gesch. d. theolog. Wissenschaften (Halae 1796—98. III. 8.) Th. I. p. 187 sqq.; *Neander* Antignosticus p. 58 sq.; *Baehr* Die christl.-röm. Theologie (Carlsruhe 1837. 8.) §. 7. nr. 4. p. 20 sq.; *Moehler* Patrologie, Bd. I. p. 706 sqq.

2) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. II. c. 2. nr. 2, ed. *Zimmermann.* p. 74.

3) *Laur. Moshemii* Comment. chronol.-hist. de aetate Apologetici Tertulliani, in *Ejusd.* Dissertt. ad hist. eccl. pertinent. (Alton. 1767. II. 8.) Vol. I. p. 1 sqq.; eadem recus. in Tertulliani Opp. omn. ed. Venet. (typis Gasp. Girardi 1744. f.) Diss. ult. p. 5—21.

hanc solam speciem auctoritas vestra de justitiae diligentia in publico aut timet aut erubescit inquirere; ... liceat veritati vel occulta via tacitarum literarum ad aures vestras pervenire. Nihil de causa sua deprecatur, quia nec de conditione miratur; scit, se peregrinam in terris agere; inter extraneos facile inimicos invenire; ceterum genus, sedem, spem, gratiam, dignitatem in coelis habere. Unum gestit interdum, ne ignorata damnetur. Quid hic deperit legibus in tuo regno dominantibus, si audiatur? An hoc magis gloriabitur potestas earum, quo etiam auditam damnabunt veritatem? Ceterum inauditam si damnent, praeter invidiam iniquitatis etiam suspicionem merebuntur alicujus conscientiae, nolentes audire, quod auditum damnare non possint." Tum injuste pravis legibus obsequentes saevire Gentiles in Chrisianos ostendit (c. 1—6). Calumniationes, quibus mores et instituta eorum ab Ethnicis dilacerari solebant, a Christianis removet, easque ex parte in Gentiles potius eorumque sacra quadrare probat (c. 7—16). Jam brevem summam doctrinae christianae exhibet eo consilio, ut dignitas ejus ac veritas clarius appareat (c. 17—22). Inde ad Gentilium sacra regreditur, et quid de iis sentiendum sit docet (c. 23. 24). Christianam religionem Christianorumque mores et coetus nullius mali causam esse imperio Romano, sed omnia bonorum civium officia a Christianis non minus sancte, imò sanctius quam a Gentilibus, praestari domonstrat; et instituta Christianorum solemnia moresque eorum lectoribus brevi imagine ante oculos ponit (c. 25—39). Criminationes quasdam recenset et confutat, quae Christianorum sanguinem flagitare solent (c. 40—46). Postremo disserit de re christiana, Gentilium sapientiae fonte, de resurrectione mortuorum, deque Christianorum constantia in morte subeunda (c. 47—50). Exhibetur Apologeticus in variis Tertulliani Opp. omn. editionibus (§. 622), novissime in *E. G. Gersdorfii* Biblioth. PP. latt. sel. Vol. VI. cur. *E. F. Leopold* P. I. (Lips. 1839. 8.) p. 53—128. *Seorsim* autem editus est primum Venetiis (1483) f. per *Bern. Benatium*; melius

Venetiis in aedibus *Aldi* et *Andreae* soceri 1515. f.; emendatius a *Desid. Heraldo* (una cum Minucii Felicis Octavio) Lutet. Paris. 1613. 4.; item cum Minucii Octavio et adjecto Tertulliani libro Ad Scapulam, Cantabrig. 1686. 12.; dein cum Gallic. vers. et compend. Diss. Petri Alixii a *Lud. Giry*, Amstelod. 1701. 12.; denique ad Codd. mss. et editt. vett. summa cura recognitus, castigatus, emendatus, ut et perpetuo commentario instructus, studio et industria *Sigeberti Havercampi*, Lugd. Batav. 1718; recus. Venet. 1744. f. Recentissime vero editus est a *Jo. Casp. Orellio*, Turici 1827. 8.; et c. varr. lectt. a *Jos. Ign. Ritter*, Elberfeld. 1828. 8. — De Tertulliani ingenio, Scriptori apologetico maxime conveniente, optime agit *Car. Jos. Hefele*, theol. in acad. Tübing. Prof., Comm. Tertullian als Apologet, in DD. *Drey*, *Mack*, *Kuhn*, *Hefele* Tübing. Theolog. Quartalschrift, Jahrg. 1838. Hft. I. p. 30—82.

b) Ad nationes.

§. 587. *Ad nationes libri duo* 4) consilium et argumentum commune habent cum *Apologetico* (§. 586); quamquam iis, qui Apologeticum nihil aliud quam retractationem librorum ad nationes esse suspicantur, 5) minime consentiam. Etenim in *priore* quidem libro fere eadem exponuntur, quae in Apologetico occurrunt, sed plenius alia, alia contra brevius, pleraque vero novo et meliori ordine ac consecutione digesta; in *posteriore* autem libro auctor ipsam aggreditur Gentilium superstitionem, irridens cum plebis tum poëtarum atque philosophorum insulsas de deorum origine opiniones. Librorum *genuinitas*, quam *Semlerus* subdubitare coepit, satis utique auctoritate SS.

4) *Nic. le Nourry* Apparat. ad Biblioth. PP. max. Lugdun. (Paris. 1715. II. f.) T. II. p. 1173 sq.; *Lumper* l. l. P. VI. p. 186 sqq.; *Neander* Antignostic. p. 58 sq.; *Flügge* l. l. T. I. p. 187 sq.; *Baehr* l. l. p. 21; *Moehler* l. l. T. I. p. 709.

5) *Neander* l. l.; *Münter* Primordia eccl. Afric. p. 213 sq.

Hieronymi[6]) et *Augustini*[7]) confirmata est. Exarati sunt autem verosimiliter *anno* 198 vel 199. Nam internecionem *Pescennii Nigri* ao. 196 in Syria, et *Albini* ao. 197 in Gallia tamquam non longo tempore praeteritam Tertullianus commemorat. Apologetico autem posteriores, quamquam non multo sequiores, videntur esse, cum in Apologetico *ad praesides*, in hisce vero libris *ad plebem* sermo dirigatur; prius autem magistratum quam populum compellare voluisse auctorem rationi consentaneum sit. Ceterum hujus operis Tertulliani unus tantum *Agobardi* codex, is vero vetustissimus, extat, quem typis primum exscribi curavit *Jac. Godofredus* Ictus, Genev. 1625. 4. Dolendum autem, quod istius exemplaris paginas complures adeo sint vetustatis injuria seu potius barbarorum incuria foede corrosae correptaeque, ut lacunae saepenumero occurrant, quas nisi ope codicis integrioris expleri unquam posse non est sperandum. Optime, quantum fieri potuit, libri duo ad Nationes evulgati sunt in novissima *Tertull.* Opp. omn. editione supra memorata curante *E. F. Leopold* P. I. p. 129—177.

c) De testimonio animae.

§. 588. In *Libro de testimonio animae*,[8]) qui velut appendicis loco prioribus subjungitur, latius persequitur auctor, quae in Apologetico c. XVII obiter tantum affirmaverat. Ostendit enim, animae ipsius, quamvis rudis et impolitae, testimonio nos edoceri, esse Deum unum, et animum post mortem corporis vivere. Praecipua igitur

6) *S. Hieronym.* in Epist. ad Magnum, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. epist. LXXXIII. col. 656.

7) *S. Augustin.* De civitate Dei Lib. VII. c. 1, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. Venet. T. VII. col. 166.

8) *Lumper* l. l. P. VI. p. 195 sq.; *Jo. Ge. Arn. Oelrichs* Commentar. de Scriptt. eccl. lat. (Lips. 1791. 8.) p. 19; *Neander* l. l. p. 84; *Baehr* l. l. Supplbb. 1. Abth. II. §. 7. nr. 6, p. 21 sq.; *Möhler* l. l. [illegible] I. p. 769 sq.

christianae religionis dogmata, scilicet de *Deo uno* et *animae immortalitate* (quibus *carnis resurrectionem* adnectit) jam sola ratione innotescere, cunctisque hominibus velut innata esse. Ecce enim, inquit, domi ac foris audimus vos pronunciare: „*Quod Deus dederit*, ... *Si Deus voluerit*; ... *Deus bonus*; ... *Deus benefacit*, *sed homo malus*." ... Hinc ergo tibi, anima, de conscientia suppetit domi ac foris, nullo irridente vel prohibente praedicare: „*Deus videt omnia*," et: „*Deo commendo*," et: „*Deus reddet*," et: „*Deus me judicabit*." Quomodo, anima, licet nondum christiana, ejusmodi vocem emittis? „*O testimonium veritatis, quae apud ipsa daemonia testem efficit Christianorum!*" Opusculum hoc perexiguum quidem sed praestantissimum scriptum est *anno* 199, et evulgatum in omnibus, quae deinceps prodierunt, Tertulliani Opp. edd. editionibus ac novissime in Biblioth. PP. latt. *Gersdorfiana* Vol. IV. P. I. p. 178—185.

b) Adversus Judaeos.

§. 589. Libri *adversus Judaeos* conscribendi occasionem dedisse videtur habita disputatio *Christianum* inter et *proselytum Judaeum*. Cui cum interfuisset Tertullianus, sed propter frequentiam et spectatorum strepitus suam aperire sententiam dilucide non potuisset, reversus ab illo coetu librum hunc exaravit. Praemittit pauca, quibus populum Christianorum praestare genti Judaeorum evincere conatur, idque jam subtilius discutiens ostendit, ritus legis Mosaicae ad tempus tantum esse institutos (c. 1—6). Disquirit deinde, num, qui venturus Christus annuntiabatur, jam venerit, an venturus adhuc speretur (c. 7—13). Postremo originem erroris Judaeorum ex duplici adventu Christi minus recte distincto derivat (c. 14). Sunt quidem inter recentiores, qui priores *octo* tantum capita esse *genuina*, reliqua vero aliena manu ex Tertulliani opere *adversus Marcionem* (§. 598) apposita fuisse

contendant.[9]) Attamen authentiam hujus libri non evertit, quod magnam partem ex libro III adv. Marcionem contextus sit, quum indignum auctore non sit, seipsum opportuno loco exscribere; et id ab aliis quoque Scriptoribus ecclesiasticis passim factum reperiamus. Quodsi vero tam magnae exscriptionis exempla proferri forte nequeant, hoc tamen argumentum Veterum auctoritatem, qui hunc librum *Tertulliano* tribuunt,[10]) nullatenus aequat, nec quoad stylum identitatis criterium destruit, qui in Tertulliano propriam faciem habet, unde possit cognosci.[11]) Recentissimus operum Tertulliani editor librum nostrum in *Gersdorfii* Bibliotheca PP. latt. Vol. VII. inter illius scripta P. IV. p. 294—329 inseruit. Defectionis porro notae in eo nullae apparent; quod enim aiunt, *militiam* in hoc libro prohiberi (c. 9), de periculis militiae rectius, quam de ejus condemnatione intelligitur. Hinc nos cum *Nesselto* et *Moehlero*[12]) eodem fere cum Apologetico tempore, ac proinde *ante annum* 200 conscriptum fuisse librum arbitramur.

bb. post lapsum scriptus

c) Liber ad Scapulam.

§. 590. Mortuo *Septimio Severo* atrocissima Christianorum persecutio non plane quidem est sopita, sed ita

9) *Semler* Dissert. in Tertull. I. §. XI. p. 262 sq.; *Neander* Antignost. p. 505. 511 sqq.; *Baehr* l. l. §. 13. nr. 31. p. 32; *Leopold* Notitia literaria de editt. etc. Tertulliani, ad calcem P. IV. Opp. p. 33. not. 1.

10) *S. Hieronym.* Commentar. in Daniel. c. 9, in *Ejusd.* Opp. omn. ed. Maurin. T. III. col. 10; *Vincent. Lirin.* Commonit. c. 24 med., in Biblioth. PP. max. *Lugdun.* T. VII. p. 257; *Auctor incertus* Quaestt. in V. et N. T., inter Opp. *S. August.* ex ed. Maurin. T. III. Append. col. 1042.

11) *Daniel. Tobenz* Institt. usus et doctr. PP. (Ed. III. Vindobon. 1819. 8.) §. CXXXI. p. 191 sq.; *Moehler* Patrologie Bd. I. p. 711. nr. 5.

12) *Nesselt* De vera aetate et doctr. Tertull. l. l. V. §. 2; *Moehler* l. l.

tamen remissior, ut sub ejus filio *Antonino Caracalla* etiam magistratus nonnulli in Christianos paulatim mitescerent. Alii vero provinciarum praesides, edictis poenalibus nondum sublatis, pristina in Christianos crudelitate animadvertere perrexerunt, et in his praesertim *Tertullus Scapula* proconsul et Africanae provinciae praeses Christianos miserrime premebat. Ut igitur eum, si posset, ab hac immanitate avocaret, literas apologeticas ad eundem direxit Tertullianus. Monet, ut tandem desistat Christianos omnibus cruciatibus persequi, ne, dum sibi hoc impune facere videatur, venturus sit in diem judicii (§. 1—5). De *genuinitate* hujus libri nemo unquam dubium movebat.[13]) Scriptus est autem *non ante annum* 211, quo Caracalla patri suo in regno successit. Etenim sic de *Severo* imperatore loquitur auctor, ut tunc jam e vita illum discessisse appareat. Optime recusa est haec apologia in *Gersdorfii* Biblioth. PP. Vol. IV seu Tertull. Opp. cur. *Leopold.* P. I. p. 247—292.

b. *Opera dogmatico - polemica.*

aa. ante lapsum scripta.

a) De praescriptionibus Haereticorum.

aa. Libri hujus argumentum et synopsis.

§. 591. *Liber de praescriptione haereticorum*[1]), solidum criterium suppeditat, veram Ecclesiam a falsa inter plures, quae christianum nomen profiteantur, secernendi, quin operosa doctrinae disquisitio instituatur;

13) *Le Nourry* Apparat. ad Biblioth. PP. Lugdun. T. II. p. 1282 sq.; *Lumper* l. l. P. VI. p. 228; *Oelrichs* l. l. p. 22; *Neander* l. l. p. 144; *Baehr* l. l. p. 23; *Moehler* l. l. p. 710. nr. 4.

1) Ita hic liber inscriptus est in editione *Rigaltii* (Paris. 1664. f.). *Beatus Rhenanus* habet: *De praescriptionibus haereticorum*; ceteri (minus recte): *De praescriptionibus adversus haereticos.* Cf. *E. F. Leopold* in sua editione Opp. Tertull. P. III. p. 1. not. 1.

nimirum ut originem suam ab *Ecclesia apostolica* aut ejus sobole deducat. Praescriptionem haereticorum dicit *ex usu forensi*,[2]) quia nempe Tertullianus haereticis antiquitatem verae religionis opponens, jam hoc ipso, quod illi nova tradant dogmata, haec falsa esse atque erronea demonstrat. Primo igitur docet, haereses, quamquam ad probandam fidem utiles, tamen omni cura esse fugiendas. Ostendit deinde, quomodo haereses oriantur, quidque imprimis in iis vituperandum sit; esse quidem inquirendum in iis, sed salva *regula fidei*, quam exhibet (c. 1—14). Non admittendo haereticos ad ullam de Scripturis disputationem dicit, imo potius ad veritatem et disciplinae, et fidei christianae provocandum esse, eam nimirum, quae cum illis ecclesiis *apostolicis matricibus* et *originalibus* fidei conspiret. Veritatem enim errore antiquiorem esse, certum est. Ergo id primum, id solum disputandum est, quibus competat fides ipsa, a quo et quando et quibus sit tradita disciplina christiana. Ubi enim apparuerit esse antiquitatem doctrinae apostolicae, illic veritas. Nos cum *apostolicis* ecclesiis communicamus, eoquod nulla nobis nova ideoque *diversa doctrina* est. Hoc primum est criterium veritatis, quo Catholici adversus Haereticos utuntur, quos eo ipso, quod sint novae doctrinae sectatores, antiquae et apostolicae fidei regulam amisisse jure censemus. Sed contra hunc dimicandi modum cum varia artificia ab haereticis usurpari soleant, eadem Tertullianus indicat, et lectores contra ea praemunire studet, telisque novis adversus haereticos instruere (c. 15—36). Acriter posthaec invehit in instituta et mores haereticorum, praesertim in disciplinam eorum ecclesiasticam, lectoresque ab haereticis extremi judicii metu deterrere studet. Concludit denique his verbis: „*Sed nunc quidem generaliter actum*

2) Aliter sentit *Oelrichs* (Comment. de Scriptt. Eccl. latt. p. 26. not. 2), qui vocem praescriptio pro *praecepto* accipit, non ex usu fori explicat. Vide etiam *Roesler* in d. Bibliothek d. Kirchenväter B. III. p. 104.

est nobis adversus haereses omnes. . . . De reliquo, si Dei gratia adnuerit, etiam specialiter quibusdam respondebimus" (c. 37—45 med.).[3] — Quae vero post haec in nostris nunc exemplaribus leguntur a cap. 45 usque ad c. 53, ea non sunt Tertulliani, sed aliena manu adjecta, et inter *apocrypha* amandanda (§. 620).

bb) *Ejusdem genuinitas et nativitatis tempus.*

§. [illegible]. *Genuinitatem* hujus libri (prout ab exordio ejus usque ad praedictam clausulam: „*De reliquo... etiam specialiter quibusdam respondebimus*" extat) nemo unquam ausus est subdubitare. De *tempore* autem, quo scriptus sit, inter Eruditos multum controvertitur, cum alii *ante* lapsum,[4] alii demum *post* Tertulliani defectionem[5]) illum exaratum putent. Equidem *priori* malim assentire sententiae. Primo enim nullum defectionis vestigium hoc opus sibi impressum habet. Deinde Tertullianus in illo asserit, se communionem cum omnibus ecclesiis apostolicis ac ipsa Romana habere, eamque insuper insigniter laudat; quod nescio an de schismatico homine et a clericis Romanis acriter impugnato credibile sit. His adde, quod ipsemet Tertullianus in fine hujus libri diserte promittit, se post hanc *generalem* omnium haereticorum confutationem etiam quibusdam *specialiter* esse responsurum,[6]) qui-

3) In *Rigaltii* editionibus haec insuper addita legitur clausula: „*Haec in fide veritatis legentibus pax et gratia Domini nostri Jesu Christi in aeternum. Contra haereses explicit.*" — Sed ea a librario quodam adnexa esse, vix poterit dubitari. *Leopold* l. l. p. 31. not. *

4) *Theod. Katerkamp* Kirchengeschichte. Abth. I (Münster 1823. 8.) p. 253; *Baehr* Gesch. d. röm. Literatur, Supplementband I. Abth. II. Die christl.-röm. Theologie (Carlsruhe 1837. 8.) p. 28 sq.; *Möhler* Patrologie Bd. I. (Regensb. 1840. 8.) p. 712.

5) *Tobenz* Institt. PP. edit. III. §§. CXXIII. CXXVI sq., p. 180 sq.; *Noesselt* De vera aetate scriptt. Tertull. p. 90 sq.; *Oelrichs* Commentar. de Scriptt. eccl. latt. p. 26.

6) *Tertull.* De praescriptt. haerett. c. 45 med., in Ej. Opp. cum. cur. *Leopold*. P. III. p. 31.

hus verbis satis innuit, librum de praescriptionibus ante omnes illos polemicos, quos post defectionem scripsit, libros adversus *Hermogenem*, *Praxeam*, *Valentinianos*, *Marcionem*, fuisse exaratum. Specialiter in libro I *contra Marcionem* c. a. 207 composito opus hoc de praescriptione haereticorum praesupponit.[7]) Nec minus in *Libro adversus Praxeam*, c. a. 204 conscripto, ad argumentum praescriptionis redit,[8]) et ita quidem, ut tantum non expresse lectores suos ad librum de praescriptione remittat, in quo fuse, solide et ex proposito hanc materiam pertractavit. Hinc mihi persuasum habeo, librum de Praescriptt. haerett. ante annum 203, imo verosimilius jam *ante a.* 201 ideoque *ante lapsum* fuisse elaboratum.

cc) *Editiones hujus libri singulares.*

§. 593. Liber de praescriptionibus haereticorum cum reliquis ejusdem scriptis in generalibus operum Tertulliani editionibus novissime in *Gersdorfiana* Bibliotheca PP. latt. selecta Vol. VI. cur. *E. F. Leopold* P. III (Lips. 1841. 8.) p. 1—31 evulgatus est. *Peculiares* autem libri nostri editiones prodierunt primum c. notis *Quintin. Hedui*, Paris. 1561; c. nott. *Jac. Pamelii*, Bruxell. (seu Colon.) 1594. 4.; Lugduni 1622. 12.; deinde scholiis notisque illustr. per *Christ. Lupum*, Bruxell. 1675. 4.; cur. *Corbin. Thomas*, Salisburg. 1752. 4.; unacum Vincentii

7) „*His fere*, ait, *compendiis utimur, quum de Evangelii fide adversus haereticos expedimur, defendentibus et temporum ordinem posteritati falsariorum praescribentem et auctoritatem ecclesiarum traditioni Apostolorum patrocinantem; quia veritas falsum praecedat, a quibus tradita est.*" Contra Marcionem Lib. IV. c. 5 in fin., ed. laud. P. III. p. 152. Eequis enim non videt, hoc loco ad librum De praescript. haerett. provocari? Idem alibi innotescit his verbis: „*Soleo in praescriptione adversus haereses omnes de testimonio temporum compendium figere, priorem vindicans regulam nostram omni haeretica posteritate.*" Contra Marcion. Lib. V. c. 19 princ., l. l. p. 311. Nec obstat Lib. I contra Marcion. c. 2; cf. *Katerkamp* l. l., *Moehler* l. l. p. 712 not. a.

Lirin. Commonitoria, Neapoli 1780. 12.; Libri de praescriptione, de baptismo, de poenitentia, de oratione, Ingolstad. 1834. 8. — Eundem librum de praescript. *anglice vertit Jos. Berty* Oxon. 1722. 8.; *gallice: Andr. Maceré* Paris. 1562, *De la Brosse* ib. 1612. 8., unacum libro Apologetico *D. de Gourcy*, ib. 1780, alii; *germanice:* s. t. Verjährungsrechte der Kirche gegen die Ketzer, Wien 1797. 8., longe vero elegantius *Fr. Ant. de Besnard*, cui germ. versionem omnium Tertulliani operum debemus (§. 622 fin.).

b) De baptismo.

§. 594. *Liber de baptismo*, quem auctor antehac *graeco* jam sermone ediderat,[8] eo consilio scriptus est, ut haeresin *Quintillae*, e secta Cainanorum feminae Carthagine degentis et lavacri regenerationis efficaciam et necessitatem negantis profligaret.[9] Celebrat Tertullianus primum virtutes baptismi ita, ut doceat, quid sit, quid efficiat, unde dignitatem suam et vim habeat, quibus figuris olim adumbratus sit (c. 1—9). Hactenus de universis, quae baptismi religionem struunt. Progreditur deinde ad quaestiunculas quasdam singulares, quae partim ad rem dogmaticam partim ad disciplinam spectant (c. 10—20).[10] Hunc librum a Tertulliano *antequam* a catholica Ecclesia deficeret, atque ideo c. a. 199 exaratum fuisse, certius jam inde evincitur, quod summum in Ecclesia gradum Episcopis constituat, eosdemque honorifice appellarit.[11]

---

8) *„Sed de isto plenius jam nobis in graeco digestum est"* Tertull. De baptism. c. 15 sub fin., in Ej. Opp. omn. ed. laud. P. II p. 43.

9) *Tobenz* Institt. Patr. (ed. III.) §. CVIII. p. 186; *Schroeckh* Christl. Kirch. Gesch. T. III. p. 354 sq.; *Oelrichs* Comment. de Scriptt. eccl. p. 23; *Neander* Antignost. p. 192 sq.; *Baehr* Die christl. röm. Theologie p. 24. nr. 13; *Moehler* Patrologie Bd. I. p. 713. nr. 2.

10) Cf. *Fr. Nielsen* De vi et effectibus baptismo ab Ecclesiae Patribus tributis P. I. (Havniae 1836. 8.) p. 65 sqq.; *Moehler* Patrol. l. l.

11) *Tertull.* De baptismo, c. 17 sub init., in Ej. Opp. omn. ed. *Leopold* P. II. p. 41.

Montanistae enim teste D. Hieronymo Episcopos *tertio* demum loco in hierarchia ecclesiastica posuerunt; et quam valde Tertullianus, postquam ad Montani sectam descivisset, ab illa Episcoporum reverentia deflexerit, ipsi libri, quos post lapsum suum scripsit, satis produnt. Liber de baptismo recentissime evulgatus est in Biblioth. PP. eccl. latt. *Gersdorfiana* Vol. V inter liturgg. et ethica Tertulliani scripta P. II. p. 32—47. *Singularem* ejusdem libri unacum Tertull. *De poenitentia* editionem nott. perpett. illustratam adornaverat *Corbin. Thomas*, Salisburg. 1755, 4.; et adjectis libb. *De praescriptione haerett.* et *De oratione*, Ingolstadii 1834. 8.

bb. post lapsum exarata.

a) adversus Hermogenem.

§. 595. *Hermogenes* pictor, natione Afer, Christianum se primum professus, postea in Gentilium philosophiam degener incurrit, et Gnosticorum deliramenta, qui materiam Deo coaeternam fingebant, secutus est. Hujus igitur commenti refellendi causa Tertullianus librum scripsit *adversus Hermogenem;* [1]) et initio quidem mores hominis insectatur, et errorem ejus describit (c. 1—3). Rejicit deinde Hermogenis opinionem, ostendens primum, quantopere sit istud commentum Dei ejusque Filii naturae contrarium; tum etiam exponens, quae de creatione mundi S. Scriptura docet (c. 4—34). Quibus postremo alia nonnulla addit, quae ad profligandum adversarium conducere ipsi videbantur (c. 35—45). Quo anno compositus sit his liber, inter Eruditos multum ambigitur. *Pamelius* illum anno 206 exaratum putat; *Noesseltus* eundem iis adscribit Tertulliani libris, quos, quamvis incertae aetatis sint, tamen constat scriptos *post* defectionem fuisse. Certum ta-

---

1) *Schroeckh* l. l. T. III. p. 181 sq.; *Oelrichs* l. l. p. 25; *Neander* l. l. p. 424 sq.; *Baehr* l. l. p. 29. nr. 28; *Moehler* l. l. p. 714, nr. 3.

non Montanismi vestigium in hoc opere nullibi deprehendi, nisi forte, quod cum nimia quadam acerbitate disceptare videatur; unde *non ita multo post defectionem* elucubratum suspicor. Ex ipso autem Tertulliano id unum comperimus, librum contra Hermogenem jam extitisse, dum alium adversus *Valentinianos* (§. 597) exarabat. [2]) Itaque illum *circa* 203 lucem aspexisse verosimile est. *Peculiaris* hujus libri editio nullibi, quantum scio, curata est. Extat typis exscriptus (ut alias omittam editiones) in *E. F. Gersdorfii* multoties laudata Bibliotheca PP. Vol. VII (Lips. 1841. 8.) seu Tertull. Opp. cur. *Leopold* P. IV. p. 1—36.

b) adversus Praxeam.

§. 596. *Liber adverus Praxeam*, qui e Phrygia probabilius oriundus atque carceris squalores pro Christo perpessus ex Asia Romam venerat, ibique sub *Victore P. R.* in novum errorem incidens omne personarum in divina natura discrimen impie sustulerat, *circa annum* 204 videtur exaratus, siquidem in eo passim *Psychicorum* nomine Catholici appellantur, et *Paracleti* mentio fit, aliaque, quae aperte Montanistam denotant, indicia occurrunt. Nihilo vero minus doctrina, quae in hoc praestantissimo tractatu continetur, ad sacrosanctum catholicae Ecclesiae *de Trinitate mysterium* stabiliendum perquam apta est, cum videlicet Tertullianus disceptationis summam inter se et Catholicos, nequaquam in *fidei* doctrina sed in *disciplina* reposuerit, ut ipse passim diserte commemorat. Cum autem nonnulla hujus libri loca cum *S. Hippolyti* adversus Noëtum (§. 371) tractatu ita fere consonent, ut nonnisi inde translata esse videantur, *Semlerus* sibi in animum induxit, ut genuinitatem ejus

---

2) „*Haec erit materia, quae nos commisit cum Hermogene ceterisque, qui Deum ex materia, non ex nihilo, operatum cuncta praesumunt.*" Tertull. adv. Valentinianos c. 15 in fin., in Ej. Opp. cur. ed. *Leopold* P. III. p. 50.

in dubium vocaret.[3]) Aut neminem doctorum virorum post se traxit; adeo inviste clamat totum, quod in Tertulliano usus venit, scribendi genus et propria ac singularis ejus eloquentia.[4]) Auctor paucis praemissis, quae ad vitam Praxeae ejusque res pertinent, ad regulam fidei provocat, secundum quam unitatem et monarchiam Dei ita teneri posse ostendit, ut *tres* in Dei substantia personae non tollantur (c. 1—4). Docet deinde ex iis, quae in sacris libris de *Sermone* (Verbo) sive *Ratione* ejusque generatione ex Patre leguntur, esse alium quidem a Patre Filium, sed utrumque tamen unum; alium item esse Spiritum, et a Patre et a Filio distinctum, eundem tamen cum utroque unum, et tantum ordine in Deitate tertium (c. 5—10). Necessitatem plures in Deo personas defendendi, vario modo e locis sacrae tum V. tum N. Testamenti Scripturae demonstrat, continuoque ea refutat, quae haeretici objicere consueverunt (c. 11—31). Tractatus noster, ut alias editiones taceam, legitur in *Jo. Chr. Guil. Augusti* Chrestomathia patristica (Lipsiae 1812. II. 8.) Vol. II, et in novissima Opp. Tertulliani editione, quam curavit *Gersdorf* in sua Bibliotheca PP. latt. Vol. VII. ex rec. *Leopold* P. IV. p. 247—291.

c) adversus Valentinianos.

§. 597. *Liber adversus Valentinianos*[5]) *post* Tertulliani lapsum exaratus ex eo videtur, quod insignem *Proculi* laudem contineat,[6]) qui alius a Proclo Montanista[7]) esse vix potest. Pamelius, quocum consentit Nös-

3) *Semleri* Dissert. in Tertull. I. §. XVII. p. 365 sq.

4) *Neander* Antignost. p. 481 sq.; *Münter* Primordia eccl. Afric. p. 123; *Baehr* Die chr.-röm. Theologie §. 13. nr. 31. p. 32.

5) *Oelrichs* Comment. de Scriptt. eccl. latt. p. 26; *Neander* Antignost. p. 366; *Baehr* Die christl.-röm. Theol. I. p. 20 sq.; *Moehler* Patrologie p. 714. nr. 4.

6) Tertull. adv. Valentinianos c. 5 med., in Ej. Opp. omn. ed. *Leopold* P. IV. p. 46.

7) Cf. *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 20 med., ed. *Zimmermann*. p. 427.

seltus quoque, c. a. 205 aut 206 opusculum hoc evulgatum conjecturat. Praemissis paucis, quae ad instituta et originem Valentinianorum spectant, propositum suum declarat, quod in enarrandis eorum delitiis potissimum versatur (c. 1—6). Deinde susceptum laborem aggreditur, quo Valentini errores et figmenta non tam serio expugnat, quam lepide potius et cum irrisione describit (c. 7—39). Videsis hanc disceptationem in *Tertull.* Opp. *novissima* editione laud. P. IV. p. 37—60.

b) Libri V adversus Marcionem.

§. 693. *Marcion*, in urbe Ponti celeberrima Sinope natus, ob varia crimina ecclesia pulsus Romam confugit, ibique Cerdonis Syri haeresin amplexus miserum fidei naufragium fecit. Coepit enim docere, duo esse principia, duos deos dissimiles omnino, bonum unum et mitem, alterum vero saevum ac ferocem; A bono novum testamentum, a malo, qui et hujus mundi opifex, vetus testamentum esse promulgatum. Ut igitur haec aliaque ejusmodi somniorum deliramenta refutaret, Tertullianus *libros quinque adversus Marcionem* exaravit.[8]) Habes eos recentissime typis recusos in editione Opp. Tertulliani, quam curavit *Leopold* in *Gersdorfiana* Bibliotheca PP. eccl. latt. sel. Vol. VI (Lips. 1841. 8.) P. III. p. 42—316. *Liber I* tertiam ab ipsa auctoris manu editionem expertus est. Primam enim, quam evulgaverat, recensionem, cum ipsi properata visa esset, pleniore postea compositione rescidit; sed et hanc novam fraude fratris dehinc apostatae amisit; unde tertio eandem rem aggredi coactus est. In hoc igitur libro paucis de patria Marcionis deque doctrina

8) *Tobenz* Institt. PP. (edit. III) §. CXXI. p. 160; *Schroeckh* Kirchengeschichte, P. III. p. 395; *Lumper* Hist. theol.-crit. de SS. PP. P. VI. p. 207 sqq.; *Oelrichs* Comm. de Scriptt. eccl. p. 86 sq.; *Neander* Gesch. d. chr. Rel. u. Kirche, Bd. I. Abth. III. p. [illegible] sqq., *Ejusdem* Antignosticus p. 448 sq.; *Baur* Die [illegible] Theologie §. 12, nr. 24, p. 29; *Moehler* Patrologie nr. 9, p. 719 sqq.

ejus praesentiam ad disceptationem accedit, an duos deos liceat induci. Quid de secundo Marcionis principio cogitandum sit, examinat (Lib. I. c. 1—29). In *libro II* quidquid a Creatore factum est, id sapientissime et benignissime factum docet; Creatorem igitur, qui veteri testamento nobis innotuit, esse bonum, justum etc., et quaecunque ut pusilla et infirma et indigna colligunt Marcionitae ad destructionem Creatoris, refutat et e medio tollit (Lib. II. c. 1—29). *In Libro* III probat, Christum non alterius Dei intelligendum quam Creatoris, eundemque, qui a prophetis praenunciatus sit, assumta vera humana carne in mundo apparuisse, id quod potissimum ex effatis prophetarum collatis cum rebus Christi iisque, quae post eum facta sunt, evincit (Lib. III. c. 1—23). *Liber IV* conjunctus est quodammodo cum tertio, neque alia re diversus nisi quod eandem materiam respectu ad antitheses Marcionis habito retractat. Haereticus enim iste, ut deos veteris et novi testamenti diversos esse ostenderet, Evangelium Lucae, quod unum pro vero haberi volebat, misere depravarat, et antitheses conflarat, ut comparatione Evangelii cum veteri Testamento instituta commentum suum confirmaret.[9]) Contra id impostoris artificium primum de Antithesibus pauca monet, deinde evangelium Marcionis suppositiitum esse ostendit, ac denique tam ex nonnullis ipsius Marcionis evangelii locis quam ex genuino Lucae evangelii textu demonstrat, Jesum Christum prophetarum doctrinis, sententiis, affectibus, sensibus, virtutibus, passionibus, etiam resurrectione non esse alium, quam Creatoris (Lib. IV. c. 1—43). *Liber* V eundem cum priori finem habet. Marcion enim, ut diversitatem veteris et novi

9) Cf. ea de re *Aug. Hahn* Dissert. de gnosi Marcionis antinomi, Regiomonti 1820 sq. II. 4; *Ejusdem* Das Evangelium Marcions in seiner ursprüngl. Gestalt, Königsberg 1823. 8.; *Ejusd.* Diss. de canone Marcionis antinomi, Regiomont. 1824. 26. II. 4; *Ejusd.* Evangel. Marcionis ex auctoritate vett. monumentorum descriptum, in: *Jo. Car. Thilo* Codex apocryph. N. T. (Lips. 1832. 8.) T. I. p. 401 sqq.

testamenti probaret, etiam S. Pauli epistolas depravaverat. Itaque Tertullianus hanc haeretici operam irritam redditurus docet, nec in epistolis B. Pauli alium praedicari Christum, quam Creatoris (Lib. V. c. 1—21). — Hi libri quo tempore scripti sint, non liquet; certo tamen post auctoris lapsum; nam manifesta *Montanismi* indicia produnt.[10]) Primus quidem, prout ipse monet, anno decimo quinto imperii Septimii Severi i. e. *anno Chr.* 207 s. 208 consignatus est;[11]) de ceteris autem (conjunctim enim non sunt omnes editi) nihil constat, nisi quod quintus non sit cum reliquis tempore *aequalis*.[12])

e). De anima.

§. 599. *Liber de anima* adversus eundem *Hermogenem* haereticum, quem supra (§. 595) diximus, dirigitur. Cum enim haereticus iste animas, ut cetera quaeque, ex materia cum Deo coaeterna formatas esse, ac nonnisi communicato divino quodam afflatu (*τὸ πνεῦμα*) ad immortalitatem evectas dixisset, Tertullianus hoc commentum singulari libello, *De censu animae* inscripto sed dudum jam deperdito (§. 619) refutavit, et divinam atque immortalem animae naturam defendit. Postea vero de eadem materia fusiorem tractatum concionavit sub titulo *De anima*, ubi res ad doctrinam de anima pertinentes atque in libro adv. Hermogenem supra recensito nondum penitus discussas enodare conatur.[1]) Disputat primum de instituto libri et de iis, qui eandem rem tractare solent

---

10) e. gr. „*Nubendi jam modus ponitur, quem quidem apud nos spiritalis ratio, Paracleto auctore, defendit, unum in fide matrimonium praescribens.*“ Tertull. adv. Marcion. Lib. I. c. 29 med., in Ejus Opp. omn. ed. *Leopold* P. III. p. 74. — „*De quo* (sc. dono prophetiae) *inter nos et Psychicos quaestio est.*“ Idem ib. Lib. IV. c. 22 med., ed. laud. P. III. p. 199; — alia.

11) *Tertull.* adv. Marcion. Lib. I. c. 15 init., ed. l. p. 56.

12) *Noesselt* De vera aetate et doctr. Scriptt. Tertull. p. 54 sq.

1) *Oelrichs* l. l. p. 26; *Neander* Antignost. p. 447; *Baehr* l. l. p. 31, nr. 29; *Moehler* l. l. p. 715, nr. 5.

(c. 1—3). Deinde varias gentilium philosophorum de natura animae opiniones enarrans, animam esse aliquatenus corporalem, effigiatam, substantia simplicem etc. defendit (c. 4—22). Eandem disquisitionem collatis philosophorum placitis instituit circa quaestionem, quomodo animae ex una propagentur (c. 23—41). Denique examinat, qualis animae conditio in somno, in morte ac post mortem sit (c. 42—58). Librum hunc *post lapsum* scriptum esse, cum ibi *Paracleti* summopere extollatur auctoritas, dubitari nequit, et *anno* quidem probabilius 209 *aut* 210. Etenim ex iis, quae *ipse* Tertullianus adfert, testimoniis hoc opusculum *post* [2]) *libros adversus Hermogenem* (§. 595) et *Marcionem* (§. 598), sed *ante* [3]) *Librum de carnis resurrectione* (§. 601) exaratum fuisse erudimur. Exhibetur autem liber De anima inter alia in novissima *Gersdorfii* Bibliotheca PP. latt. Vol. VII (Lips. 1841. 8.) seu Tertull. Opp. cur. *Leopold* P. IV. p. 169—247.

f) De carne Christi.

§. 600. In opusculo *De carne Christi* (vd. Tertulliani Opp. omn. ex nov. rec. *Leopold*. P. IV. p. 60—92) auctor errores *Marcionis*, *Apellis*, *Valentini*, *Alexandri* et ejus generis Gnosticorum profligat, qui, quum materiam tanquam malorum sedem et originem existimarent, Christum humanum corpus induisse et incarnatum esse, velut Deitate indignum facinus negabant. Primum igitur singulos illorum errores recenset et impugnat (c. 1—16). Deinde Christum ex virgine carnem induisse, ac hominem vere factum fuisse invictissime probat, et hanc incarnatio-

2) „*Inesse autem nobis τὸ αὐτεξούσιον naturaliter, jam et Marcioni ostendimus et Hermogeni.*“ Tertull. De anima c. 21 post med., in Ej. Opp. omn. ed. laud. P. IV. p. 198.

3) „*Nos autem animam corporalem et hic profitemur et in suo volumine probamus.*“ Id. De resurr. carnis c. 17. post init., ed. laud. P. IV. p. 130 ... „*Quod docuimus in commentario animae*“. Id. ibid. c. 45 med., l. l. p. 144 ac saepius.

nem et passionem Filii Dei totius religionis christianae quasi centrum esse docet (c. 17—25). Scriptus est hic liber *post* opusculum *De praescriptione haereticorum* (§. 591), imo et *post libros V adversus Marcionem* (§. 598), cum ad eos heic diserte provocet;[4]) ideoque *circa annum* 210 exaratum censeo, quo tempore diutius jam Montani erroribus addictus fuit Tertullianus.[5])

g) De carnis resurrectione.

§. 601. *Liber De carnis resurrectione* (inter Tertulliani opera ed. laud. P. IV. p. 93—168) quodammodo conjunctus est cum praecedente,[6]) et *post* illum exaratus[7]) ut auctor aperte innuit. Inde *circa annum* 211 illum in lucem emisisse videtur, cum ipse diu jam a partibus *Montani* staret. Praefatus pauca de consilio disserendi, deque philosophorum circa carnis resurectionem opinionibus, cum haeretici de carne tanquam re vilissima loqui soleant, disquirit, an ea sit caro, cui dilapsae salus competat (c. 1—10). Deinde de potentia Dei disputat, an tanta sit, ut dilapsae rei salutem conferre possit; porro an sit aliqua causa tam digna, quae resurrectionem carnis necessariam et rationi plane debitam vindicet (c. 11—17).

---

4) „*Sed plenius ejusmodi praescriptionibus adversus omnes haereses alibi jam usi sumus.*" Tertull. De carne Christi c. 2 in fin., in Ej. Opp. omn. ed. *Leopold.* P. IV. p. 62. — „*Audiat igitur et Apelles, quid jam responsum sit a nobis Marcioni eo libello, quo evangelium ipsius provocavimus.*" Idem ibid. c. 7 sub init., ed. laud. P. IV. p. 70.

5) *Schroeckh* Kirchengesch. T. III. p. 404; *Oelrichs* l. l. p. 27; *Neander* Antignost. p. 393 sq.; *Baehr* l. l. p. 30. nr. 26; *Moehler* l. l. p. 716 sq. nr. 6.

6) „*Propterea et nos volumen praemisimus de carne Christi ... Obducti dehinc de Deo carnis auctore et de Christo carnis redemtore, jam et de resurrectione carnis revincentur.*" ... Tertull. De carn. resurrect. c. 2 med., ed. laud. P. IV. p. 94.

7) „*Resurrectio nostrae carnis alio libello defendenda.*" ... Idem De carne Christi c. 25 sub fin., ed. laud. P. IV. p. 92.

Denique ex SS. Scripturis veram carnis resurrectionem probat, et testimonia inde petita contra malas haereticorum interpretationes tuetur atque defendit (c. 18—63). [8])

c. *Opera moralia, ascetica, disciplinaria.*

aa. *ante lapsum composita:*

a) De oratione.

§. 602. *Liber de Oratione* orationis Dominicae laudes exponit, ejusque singulas partes subtilius explicat (c. 1—9). Docet deinde, qua interna mentis affectione, quo externo habitu, quo loco, quo tempore etc. orandum sit (c. 10—24). Hoc coelestis gratiae pignus Patres antiqui certatim praedicavere. Nemo Tertulliano doctius orationem dominicam explicavit, nemo sanctiore cultu posteris colendum demonstravit. [1]) A Tertulliano adhuc *catholico* confectum esse librum, *S. Hilarius Pictaviensis* testatur,[2]) et insuper interna criteria confirmant. Nam *Hermae Pastorem* summis ibi encomiis laudat, [3]) quem post defectionem suam omni genere vituperii commaculat. [4]) Praeterea longe aliam circa *jejunium* et *statas orationis horas* disciplinam attendit, [5]) quam post lapsum suum praescrip-

---

8) *Oelrichs* l. l. p. 28; *Schroeckh* l. l. T. III. p. 405; *Neander* l. l. p. 404; *Busse* l. l. p. 26. nr. 27; *Möhler* l. l. p. 717 sq.

1) *Rigaltius* in Not. ad libr. de Orat. (Opp. Tertull. ed. Venet. 1744. f.) c. 1. not. a. p. 129.

2) *S. Hilarii Pictav.* Comment. in Evang. Matth. c. 5, nr. 1 in fin., in Ej. Opp. omn. cur. *Fr. Oberthür* (Wirceburg. 1785. IV. 8.) T. III p. 239.

3) e. gr. De oratione c. 12 med., in Ej. Opp. omn. ed. laud. P. II, p. 8.

4) Vocitat eundem „*Scripturam, quae sola moechos amat,*" et rursus „*apocryphum Pastorem moechorum.*" Tertull. De pudicitia c. 10 med., et c. 20 post init., ed. laud. P. II. p. 152. 172.

5) Lib. de Oratione c. 14. 20, ed. laud. p. 9. 14.

sit.[6]) Hinc VV. DD. prope omnes librum nostrum inter prima et *antemontanistica* Tertulliani opera recensent, imo adeo *jam anno* 196 illum exaratum fuisse existimant.[7]) Diu mutilus circumferebatur, donec studio V. Cl. *Antonii Muratorii* quae deerant e tenebris primum eruta, et liber integer in *Ejusdem* Anecdotis ex Ambrosianae bibliothecae Codd. evulgatis (Mediol. et Patav. 1697—1713. IV. 4.) T. III. p. 1 sqq. cum Guid. Panciroli suisque notis publici juris factus est. Inde in *Semlerianam* aliasque Tertulliani operum omnium editiones abiit, et novissime in *Gersdorfiana* Bibliotheca PP. latt. select. Vol. V (Lips. 1839. 8.) inter Tertull. Opp. cur. *E. F. Leopold.* P. II. p. 1—16 evulgatus est.

5) Ad martyres.

§. 603. Eodem fere, quo *Apologeticum* (§. 586) conscripsit, tempore Tertullianus etiam *Librum ad Martyres*, novissime typis exscriptum in Biblioth. supra laudata Vol. IV. seu Opp. Tertull. P. I. p. 1—6, exarasse videtur. Etenim duorum *Septimii Severi* aemulorum, qui cum eo de summa imperii contendebant, non obscure meminit, et utramque partem dimicantium contrariae factionis homines persecutam fuisse adserit; [8]) id quod cum anno 196 et 197 congruit. Vidit hoc primus *Moshemius*,[9]) novisque argumentis adjectis idem confirmavit vir eruditissimus *Noesselt*, et libellum hunc omnium Tertulliani operum primum fuisse, *annoque* 197 *verosimilius* editum

6) e. gr. Lib. de jejuniis c. 2. 10, ed. l. p. 181. 198 sq.

7) cf. *Tobenz* Institutt. usus et doctr. PP. (Ed. III) §. CII. p. 184; *Lumper* Hist. theol.-crit. de SS. PP. P. VI. p. 169 sq.; *Neander* Antignosticus p. 172; *Baehr* Die chr.-röm. Theologie p. 24. nr. 12; *Moehler* Patrologie Bd. I. p. 724. nr. 4.

8) *Tertull.* Ad martyres c. 6 fin., ed. laud. P. I. p. 6.

9) *Laur. Moshemii* Diss. chron.-crit. De aetate Apologetici Tertulliani et initio persecutionis Christianorum sub Severo, §. V (in fine Opp. Tertull. ed. *Venet.* 1744) p. 10.

contendit; [10]) quam sententiam reliqui deinceps recentiorum Scriptorum secuti sunt. [11]) In hoc libello perexiguo quidem sed egregie composito auctor Martyres felices praedicat, quamvis in vincula conjectos. Omnibus quibus potest rationibus eos adhortatur ad constantiam in fide et alacritatem in subeundis, quae jam perpetiantur aut in posterum perpessuri sint, cruciatibus et suppliciis (c. 1—6).

c) De spectaculis.[a])

§. 604. Post victoriam, quam Septimius Severus de *Pescennio Nigro* et *Albino* reportaverat (i. e. sub finem anni 197), quum magni ludi seculares in urbe et per provincias pararentur, Tertullianus hunc librum emisit, ut fratres a *frequentatione spectaculorum* deterreret. Fuerunt enim, qui ethnicorum blandimentis adverterent auditum, nihil obstrepere religioni in animo et conscientia tanta solatia extrinsecus oculorum vel aurium, nec vero Deum offendi oblectatione hominis, qua salvo erga Deum metu et honore suo in tempore et suo in loco frui scelus non sit; idque eo facilius sibi persuadebant, cum in sacris Scripturis diserte spectacula illis non interdicta esse intelligerent. Tertullianus vero duabus potissimum de causis, ut a ludorum pompa abstineant, commonuit Christianos; primo quod spectaculorum origo et natura arcte conjunta sit cum *idololatria* (c. 1—13); secundo, quod *vitiorum incitamenta* in iis occurrant, et *daemonum*

10) *Jo. Aug. Noesselt* De vera aetate ac doctrina scriptorum, quae supersunt, Qu. Sept. Flor. Tertulliani (Halae 1768. 4.) p. 8 sq.

11) *Lumper* l. l. P. VI. p. 179 sq.; *Oelrichs* Commentar. de Scriptt. eccl. latt. p. 17; *Schoenemann*, Car. Traug. Gottl., Biblioth. hist.-lit. PP. latt. (Lips. 1792. II. 8.) T. I. p. 8; *Neander* Antignosticus p. 15 sq.; *Baehr* l. l. p. 20. nr. 1; *Moehler* l. l. Bd. I. p. 723 sq.

a) Prinsquam hunc librum latine composuit, alium jam ejusdem argumenti opusculum sed id *graeco sermone* scriptum evulgaverat, prout ipse Tertullianus diserte ingerit, dicens: „*Sed et huic materiae* (sc. De spectaculis) *propter suaviludios nostros graeco quoque stylo satisfecimus.*“ De Corona militis c. 6 in fin., in Opp. omn. ed. *Leopoldian.* P. I. p. 191.

vis maligna in spectatores non raro insigni ratione operetur. (c. 14—30). De *genuinitate* libri et *anno* ejus *conscriptionis* (197) inter viros eruditos hodie paene nihil controvertitur.[12] Evulgatus est junctim cum lib. *Onuphrii Panvinii*, Parisiis 1601; novissime autem in *E. G. Gersdorfii* Bibliotheca supra memorata Vol. IV. unacum reliquis Tertulliani opusculis curante *Leopold* P. I. p. 6—29.

b) De idololatria.

§. 605. *Liber de Idololatria*, qui in novissima Tertulliani editione supra laudata exhibetur P. I. p. 29—53, cum superiore opusculo arctissime quodammodo cohaeret, et nonnisi ejusdem sententiae uberior est expositio. Auctor quippe in eo versatur, ut ostendat, crimen istud non solo idolorum cultu, sed aliis quoque iisque variis rationibus committi. Primum igitur monet, artifices idolorum eorumque venditores, locatores, denique quibuscunque ulla cum idolis res est, a crimine idololatriae non esse liberos (c. 1—12); deinde docet, quomodo Christianus in commercio cum Gentilibus atque omni vitae conversatione sibi caveat, ne idololatriae reatu se commaculet (c. 13—24). Tractatus hic, absque dubio *genuinus*, post librum *De spectaculis* (§. 604) sub *finem anni* 197 et *Apologetico* (§. 586) nondum edito compositus est, cum nimirum in libro nostro publicae ob salutem imperatoris solemnitates tanquam *praesentes* describuntur,[13] quas ipsas jam *transiisse* Apologeticus testatur.[14] Hinc VV. DD., qui operum Tertulliani catalogum chronologico ordine texuerunt, libros *De spectaculis*, *De idololatria* et *Apologeticum*, ita ut alius alium excipiat, deinceps recensent.[15]

---

12) *Noesselt* l. l. p. 22 sq.; *Lumper* l. l. P. VI. p. 102 sq.; *Neander* l. l. p. 22 sq.; *Baehr* l. l. p. 20. nr. 3; *Moehler* l. l. p. 725 sq.

13) Cf. *Tertull.* De idololatr. c. 15 init., ed. laud. p. 44.

14) *Idem* in Apologet. c. 35 sub fin., ed. laud. p. 106.

15) e. g. *Noesselt* l. l. p. 22 sq.; *Oelrichs* l. l. p. 18; *Baehr* l. l. p. 20; alii.

ε) De patientia.

§. [illegible]. *Librum de Patientia* (adi Bibliothecam supra laudatam Vol. V, complect. Tertulliani Operum P. II. p. 16—32) mira elegantia concinnatum eo consilio scripsit Noster, ut de sui animi impatientia ipse erubesceret, et pudor non exhibendi, quod aliis suggestum iret, sibi ipsi quasi magister fieret. Hortatur primum ad patientiam in animo constitutam, quam ipsius Dei ejusque Filii exemplo commendat (c. 1—6). Ad eam quo magis lectores incitet, impatientia quomodo oriatur et quantum inde mali nascatur, ostenditur (c. 6—12). Transit deinde ad patientiam in corpore exercendam, et miros hujus virtutis effectus describit (c. 13—16). Non desunt quidem, qui hanc elucubrationem inter eos Tertulliani libros recensent, quibus notae *Montanismi* non sint leviter impressae.[16]) Atvero quod dicunt, in hujus libri capite duodecimo veniam lapsis negari, et secundas nuptias adulterii instar sugillari, hoc omnino falsum est. Machina opus foret, ut *Tobenzius* ait, ad eum sensum extorquendum, quo veniam negari lapsis intelligamus; imo *contrarium* inde potius esset eruendum. Quod autem „*adulterum*“ vocem attinet, posito ut ista lectio justa sit (nam in controversiam adducitur, an non melius „*ad alterum*“ legatur); certe tamen in hoc loco non de eo, quod nuptias secundas dicimus, sed de *vero adulterio*, utraque scilicet conjugum parte superstite, sermo instituitur. Multo rectius judicant, qui hoc opusculum *ante defectionem* Tertulliani scriptum[17]) ex eo colligunt, quod *fugam in persecutione* haud obscure permittit,[18]) et, quod est maximum, tantam in hoc libro *humilitatem* praesefert,[19]) quanta nullibi in operibus defectionem sequen-

---

16) *Noesselt* l. l. p. 81; *Oehlrichs* l. l. p. 23.

17) *Tobenz* l. l. §. CX sq., p. 196; *Baehr* l. l. p. 24. nr. 11; *Moehler* l. l. p. 722 sq.

18) Tertull. De patientia c. 13 post med., in Bibl. Opp. cum. ed. laud. P. II. p. 29.

19) *Idem* ib. c. 1 init., ed. cit. p. 16 sq.

tibus animadvertitur. Cum his igitur doctissimis viris equidem librum hunc praestantissimum *anno circiter* 198 exaratum fuisse censeo.

f) De poenitentia.

§. 607. *Librum de Poenitentia* (edit. laud. P. II. p. 47—62) *Noesseltus* et post eum *Schoenemannus* et *Oelrichs* ad eos Tertulliani libros referunt, quorum nec aetas nec doctrina satis tute dignosci potest;[20]) alii vero, et in his maxime *Tobenzius*, *Baehrius*, *Moehlerus* eundem inter prima et *ante lapsum* scripta recensendum putant,[21]) cum praesertim auctor Ecclesiae potestatem *remittendi peccata* sine omni delictorum discrimine agnoscat, quam distinctionem postea demum a Montanistis mutuavit. Praeterea difficilis ille et concisus dicendi modus, quo pleraque post ejus lapsum scripta horrent, multo *minus* in hoc libello apparet; unde illum *intra annos* 197—199 reponendum duxerim. Illa tamen styli differentia minime ea est, quae *Desiderium Erasmum* Roterodamensem debuisset commovere, ut hoc opusculum Tertulliano prorsus abjudicaret. Ejus enim genuinitas *S. Paciani* episcopi Barcinonensis († c. a. 390) auctoritate ac Mss. Codicum fide satis stabilitur, et contra Erasmi dubitationes defenditur.[22]) Praecipit auctor, qualis affectus sit poenitentia, ad quales actiones pertineat, cujus boni causa sit, et quisnam exercere illam debeat (c. 1—6). Deinde agit de poenitentia peccatorum post baptismum, quam secundam dicit poenitentiam, eam scilicet quae fit per exomologesin. Actum hunc describit, et ad arripiendum ultimum hoc salutis remedium

---

20) *Noesselt* l. l. 95; *Schoenemann* l. l. T. I. p. 8; *Oelrichs* l. l. p. 28.

21) *Tobenz* l. l. §. CXII. p. 187; *Baehr* l. l. p. 25. nr. 14; *Moehler* l. l. p. 722 sq.

22) Cf. Dissert. intercal. in Tertull. *Libb. de Baptismo et de Poenitentia*, ed. a *Corbin. Thoma* (Salisburg. 1756. 4.) §. V. p. 112 sq.

omni qua potest exhortatione Christianos excitat (c. 1—11).

g) Libri II ad Uxorem.

§. 608. *Libri duo ad uxorem*, qui cum reliquis Tertulliani operibus recentissime typis excusi sunt in editione multoties laudata P. II. p. 62—78, eo consilio exarati sunt, ut *secundas nuptias* tanquam sanctiori vitae repugnantes reprehenderit quidem, tamen non penitus damnaverit. In *priori* igitur libro uxorem pari utriusque consensu a se separatam monuit, ne, si ipse prius e vita discessurus esset, nuptias iterum cogitaret. Viduitatem non inferiorem esse virginitate, licet difficiliorem, docet (Lib. I. c. 1—8). In *altero* libro humanae fragilitatis memor eandem adhortatur, ut, si secundas nuptias aliquando cogitaverit, saltem a matrimonio cum gentili homine abstineat, et, quae ex tali dispari matrimonio oriri soleant, incommoda evitet (Lib. II. c. 1—8). Opus hoc a *Noesselto* in ea monimenta recensetur, quae Tertullianum ostendunt nondum plane Montanistarum partibus addictum;[23]) attamen *plerique VV. DD.* nihil haesitantes et absque ullo dubio *ante defectionem* scriptum censent,[24]) cum non solum *fugam in persecutione* pro circumstantiarum ratione permittat,[25]) sed etiam *secundas nuptias* ab Apostolo concessas esse licitas fateatur.[26]) Utrumque enim Tertullianus *penitus* damnavit, cum primum rigidiorem Montani

---

23) *Noesselt* l. l. p. 65 sqq.; *Oelrichs* l. l. p. 23; quin imo *Annegarnius* (Handb. d. Patrologie — Münster 1839. 8. — p. 87. nr. 2) istud post lapsum demum exaratum fuisse pro certo habet, sed futilissimo sane argumento usus.

24) *Tobenz* l. l. (Ed. III) p. 186. §. CIX; *Schoenemann* l. l. T. I. p. 8; *Wiest* Institutt. patrolog. p. 132. nr. 9; *Lumper* l. l. P. VI. p. 173; *Neander* Antignost. p. 218; *Baehr* l. l. p. 25. nr. 15; *Moehler* l. l. Bd. I. p. 724. nr. 5.

25) *Tertull.* Ad uxor. Lib. I. c. 3 med., in Ej. Opp. omn. ed. laud. P. II. p. 64.

26) *Idem* ib. Lib. I. c. 3 sub init. et Lib. II. c. 2 med., ed. laud. P. II. p. 63. 72.

disciplinam sequeretur. Unde opus hoc *sub annum* 198 *vel* 199 fuisse concinnatum judicamus.

bb. post lapsum exarata.

a) De exhortatione castitatis.

§. 609. *Liber de Exhortatione castitatis* (in Opp. Tertulliani novissima editione laudata P. II. p. 97—112) ad amicum quendam, hominem catholicum, cujus uxor fato functa erat, directus in eo versatur, ut viduo persuaderet, ne novas nuptias iniret (c. 1—13). Qui libellus a Tertulliano, si non *post* ipsum lapsum, ut viris eruditis fere cunctis visum est,[1] tamen eo tempore, quo *jamjam* defecturus erat, scriptus esse videtur;[2] etenim secundas nuptias non absolute ac prorsus, quemadmodum Montanistae, damnat, sed velut minus malum ad majus evitandam permittit, ita tamen ut non multo mitius, quam in stupri speciem, in eas invehat, ac proinde ea de re jam longe aliter disputet atque in *Libris ad uxorem* (§. 608), quos *ante* lapsum scripserat. Haec potissimum ratio me possit movere, ut opusculum isthoc vel *sub finem* 200, vel *ineunte anno* 201 crediderim exaratum.

b) De corona.

§. 610. Cum *Septimii Severi* et *Aurelii Caracallae* imperatorum solemnia peragerentur Romae, donum militibus decretum est. Quidam igitur eorum ad tribunum accessit, qui donativum unicuique erogabat, coronam castrensem in *manu* gestans, dum ceteri *caput* laurea redimitum

---

1) *Wiest* Institt. patrolog. p. 183. nr. 16; *Schroeckh* Kirchengesch. T. III. p. 378; *Noesselt* De vera aetate ac doctr. librorum Tertulliani p. 83; *Oelrichs* Commentar. de Scriptt. eccl. latt. p. 24; *Neander* Antignosticus p. 236; *Baehr* Gesch. d. röm. Literatur, Supplem. Bd. I. Abth. II: Die christl.-röm. Theologie p. 26. nr. 18; *Moehler* Patrologie Bd. I. p. 730. nr. 10.

2) *Tobenz* Institt. usus et doctrina PP. (edit. III) §. CXXXII. n. 192.

accedere solebant. Qui interrogatus, cur id faceret, velit gerere christianum ejus sibi causam fuisse, respondit. Quare post ictus bene multos in carcerem traditur. Ipsi vero commilitones etiam christiani facinus istud tanquam imprudentis ac praecipitis et intempestivae fortitudinis exemplum vituperabant, deque eo sermones ferebant, ut de homine nimis mori cupido, qui nomini christiano invidiam fecisset, periculumque creasset, et pacem, qua tunc fruebatur Ecclesia, temeritate sua prope evertisset. Hujus igitur christiani militis defensionem suscepit Tertullianus in hoc *Libro de Corona militis*, [3]) qui unacum reliquis Ejusdem opusculis novissime ex recensione E. F. Leopold in lucem prodiit in *E. G. Gersdorfii* Bibliotheca PP. eccl. latt. selecta Vol. IV (Lips. 1839. 8.) p. 186—202. [4]) De paucis narrata movet discutitque quaestionem, an liceat Christiano corona caput ornare (c. 1—10). Huic aliam adnectit, num in genere Christianis militia conveniat (c. 11—15). Hunc librum *intra annos* 198—202 scriptum fuisse satis constat. Cum enim Tertullianus liberalitatis „*praestantissimorum imperatorum*" meminerit, [5]) non *ante* annum 198, quo demum Caracalla imperii socius assumtus est, librum exaratum innuit; neque tamen *post* annum 202 compositum illum fuisse conjicimus, quia Christiani, illud militis factum increpantes, dicuntur mussitasse, „*tam bonam et longam pacem periclitari.*" [6]) At vero eo ipso *anno* 202 Severus lege adversus Christianos emissa pacem turbare primum coepit. Adde, quod *Spartianus* in vita

---

3) Cod. Agobard. inscriptionem generaliter „*De corona*" exhibet, eaque *Rigaltio* magis placet, quod nimirum non solos milites sed *omnes* omnino Christianos a coronae gestamine depellat auctor.

4) Cf. *Tobens* l. l. (ed. III) §§. CXIII—CXVI. p. 187; *Lumper* Hist. theol.-crit. de SS. PP. P. VI. p. 196 sq.; *Wiest* l. l. p. 132. nr. 12; *Schroeckh* l. l. T. III. p. 370; *Oelrichs* l. l. p. 32 sq.; *Neander* l. l. p. 97 sq.; *Baehr* l. l. p. 22. nr. 7; *Moehler* l. l. p. 781. nr. 2.

5) *Tertull.* De corona c. 1 princ., in Ej. Opp. omn. ed. laud. P. I. p. 186.

6) *Idem* l. l. c. 1 post med., ed. laud. p. 186.

Severi c. 14. 16. *trium* largitionum sub hoc imperatore meminit; quarum prima anno 198, altera 201, tertia 202 contigit. Et in prima quidem *congiarium populo* datum, in tertia *militum stipendium auctum* fuisse refert, quarum neutram auctor noster designasse videtur, siquidem is diserte „*militibus in castris* (non populo) *donativum distributum* (non stipendium auctum) *esse*“ *asserit.* 7) Unde Tertullianum *secundam* distributionem respexisse, librum vero, in quo hujus rei tanquam *paulo praeteritae* mentionem facit, eodem *anno* 201, quo scilicet lapsus est, elucubratum verisimile est. 8) Nec desunt aperta Montanismi indicia; notat enim episcopos orthodoxi populi ceu tempore persecutionis *fugitivos;* 9) et Catholicis exprobrat, quod sancti spiritus prophetias (puta *Montani vaticinia*) repudient. 10)

[illegible]

c) De cultu feminarum libri II.

§. 611. *De cultu feminarum*, opusculum *bipartitum*, ac saepius perperam pro *duobus* peculiaribus libris, alterum sub titulo: *De habitu muliebri*, alterum cum inscriptione: *De cultu feminarum* editum, paulo *ante* persecutionis Severianae procellam prodiit, quam proxime jam inundaturam praesagit Tertullianus. 1) Ambos igitur libros, cum eodem tempore aut exiguo ab invicem intervallo conscripti sint, *sub finem anni* 201 aut *initio insequentis*, et consequenter *post* defectionem fuisse elucub-

---

7) *Id.* l. l.

8) *Noesselt* De vera aetate ac doctr. scriptt. Tertull. §. 19, p. 36 sq.

9) „*Novi et pastores eorum* (Catholicorum) *in pace leones, in proelio cervos.*“ *Tertull.* De corona c. 1 med., ed. laud. P. I p. 187.

10) „*Plane superest, ut etiam martyria recusare meditentur, qui prophetias ejusdem spiritus sancti respuerunt.*“ Idem l. l. p. 186.

1) *Tertull.* De cultu feminarum lib. II. c. 13 sub fin., in Ej. Opp. omn. ed. laud. P. II p. 97.

ratos, simillimum vero est.[2]) Id quod Montanisticus rigor severrimus, quem libri ubique fere spirant, satis confirmat.[3]) In libro primo Tertullianus feminas christianas a vestimentorum luxu absterrere conatur (I. c. 1—8); in secundo easdem, quae fas esse sibi ornamentis uti putabant, modo castitatem servarent, acerbe perstringit, et fuci vultus ac capillorum insaniam ostendit (II. c. 1—13). Recentissime editi sunt hi libri in *Bibliothecae* supra memoratae Vol. V (Lips. 1839. 8.) q. e. Tertull. Opp. P. II. p. 78—97.

b) De fuga in persecutione.

§. [illegible]. *Liber de Fuga in persecutione*, Fabio cuidam nuncupatus, cum *Libro de Corona* (§. 610) quodammodo cohaeret,[4]) et communi doctissimorum virorum judicio *circa annum* 202 exaratus est.[5]) S. *Hieronymus* illum inter eos libros enumerat, quos „*contra Ecclesiam*" fuisse scriptos diserte commemorat.[6]) Docet autem auctor, fugam tempore persecutionis omnino non licere (c. 1—11); nec aequum esse, tormenta et carceres pecunia redimere (c. 12—14). Hic cum reliquis Tertulliani libris optime editus est studio supra memorati *E. F. Leopoldi*, P. I (Lips. 1839. 8.) p. 203—220.

---

2) *Noesselt* l. l. p. 46 sq.; *Oelrichs* l. l. p. 20; *Neander* l. l. p. 282; *Baehr* l. l. p. 26. nr. 16.

3) *Moehler* l. l. p. 732 sq.

4) *Baehr* l. l. p. 22. nr. 8; *Moehler* l. l. p. 729. nr. 9.

5) *Noesselt* l. l. p. 46 sq.; *Lumper* l. l. P. VI. p. 196; *Oelrichs* l. l. p. 20; *Neander* l. l. p. 121 sq.; *Baehr, Moehler* ll. ll.

6) „*Hic* (Tertullianus) ... *ad Montani dogma delapsus in multis libris novae prophetiae meminit, specialiter autem adversus Ecclesiam texuit volumina: De pudicitia, De persecutione* (= de fuga in persecutione), *De jejuniis, De monogamia, De ecstasi libros sex, et septimum, quem adversus Apollonium composuit.*" S. Hieronymus De vir. illustr. c. 53, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 115.

f) De velandis virginibus.

§. [illegible]. *Librum de Virginibus velandis* (in Opp. Tertulliani ed. noviss. curante *Leopold* P. II. p. 200—218) *post* lapsum esse compositum, in hoc omnes VV. DD. facile consentiunt; 7) usque enim adeo *Paracletum* suum extollit auctor, et totum *praescriptionis* argumentum, quo ipse catholicus olim adversus Haereticos usus erat, ita penitus evertit, 8) ut, quin *Montani* partibus se adjunxerit, ne dubitari quidem possit. Annus autem conscriptionis hujus libri tutius definiri haud potest. *Noesseltus* eum anno 202, *Annegarnius* Pamelium secutus c. a. 210, neuter tamen ulla addita firmiore ratione, statuendum censet. Nobis cum propter vehementiorem quem spirat rigorem, tum ob materiae similitudinem proxime accedere videtur ad *annum* 202, quo *Libros de cultu feminarum* (§. 611) exaratos esse verisimile est. Scribendi vero occasionem sumsit auctor ex more, quo virgines aperto capite in ecclesiam ventitabant, quum feminas omnino velato capite oporteat comparere. Et primum quidem ea de re graece, ut innuere videtur, deinde „*latine quoque*“ 9) contra illas

---

7) *Tobens* l. l. (ed. III) §. CXVI. nr. 2. p. 188; *Wiest* Institut. patrolog. p. 133. nr. 15; *Lumper* l. l. P. VI. p. 197; *Noesselt* l. l. p. 82; *Oelrichs* l. l. p. 24; *Neander* l. l. p. 299; *Baehr* l. l. p. [illegible] nr. 17; *Annegarn* Hdb. d. Patrologie p. 38. nr. 11; *Moehler* l. l. p. 731. nr. 12.

8) *Tertull.* De velandis virgg. c. 1, in Ej. Opp. ed. laud. P. II. p. 200 sq.: „*Dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem, cognominavit. ... Haereses non tam novitas, quam veritas revincit. Quodcunque adversus veritatem sapit, hoc erit haeresis, etiam vetus consuetudo.*“ ... Et nonnullis interjectis: „*Cum propterea paracletum miserit Dominus, ut, quoniam humana mediocritas omnia semel capere non poterat, paulatim dirigeretur et ordinaretur et ad perfectum deduceretur disciplina ab illo vicario Domini, spiritu sancto.*“ ... Et infra: „*Sic et justitia ... primo fuit in rudimentis, natura Deum metuens; dehinc per legem et prophetas promovit ad infantiam; dehinc per Evangelium efferbuit in juventutem; nunc per paracletum componitur in maturitatem.*“

9) *Idem* ib. c. 1 init., p. 200.

alterum scripsit. Consuetudinem, quamvis inveteratam, abrogandam esse omnino velandasque virgines, cum primum annos pueriles excesserint, non minus quam mulieres, ex *SS. Scripturis* (c. 1—3), ex *rei natura* (c. 4—8), et ex *disciplina ecclesiastica* (c. 9—17) contendit, acerrimeque propugnat.

f) Scorpiace.

§. 614. Inscriptio hujus libri „*Scorpiacum*“ seu „*Scorpiace*“[1] a scorpio desumta est, quo nomine *Valentiniani* aliique *Gnostici* designantur, qui martyrii decus vilipendunt, et *scorpionum* instar virus suum latenter instillant simplicioribus. Hoc igitur opusculo sane eleganti, quod velut *antidotum contra venenum scorpionum* scripsit Tertullianus, utilitatem martyrii necessitatemque probat (c. 1—12). Novissimam ejus editionem curavit *Leopold* inter Opp. Tertull. P. I. p. 220—247. Librum *media fervente persecutione* fuisse exaratum, ipsa Tertulliani verba monent.[2] Idem alibi asserit, se tunc jam demonstrasse, calamitates religionis causa perferendas Deum auctorem habere,[3] quod in *Libro de fuga* (§. 612) praesertim c. 3, nec alio aliquo opere, quantum sciam, praestitit. Cum igitur illa persecutio post *edictum imperiale* an. 202 emissum vehementius statim grassari coepisset, liber autem *De fuga in persecutione* c. a. 202 aut 203 probabilius compositus sit; ii non a vero longe aberrasse

1) *S. Hieronymus* adv. Vigilantium hunc librum dicit inscriptum fuisse „*Scorpiacum*;“ *Rigaltius*, vett. membranas secutus, eundem appellavit „*Scorpiacen antidoton.*“ Codex Agobardi exhibet: „*Adversus Gnosticos Scorpiacum de bono Martyrii.*“ *Leopold* in sua Tertull. Opp. editione P. I. p. 220. not. 6.

2) „*Et in praesentiarum est medius ardor ... Alios igne, alios gladio, alios bestiae Christianos probaverunt; alii fustibus interim et ungulis insuper degustata martyria in carcere esuriunt.*“ *Tertull.* Scorpiace c. 1 sub fin., in Ej. Opp. omn. ed. laud. P. I. p. 222.

3) *Idem* ibid. c. 4, p. 227.

mihi videntur, qui Scorpiacum in *anno* 204 collocant.[4]) Dicet fortasse quispiam, librum nostrum ipso Tertulliano teste scriptum demum esse, postquam jam *contra Marcionem* dimicasset,[5]) primum autem librum adversus hunc haereticum c. a. 207 demum prodiisse. Attamen non omnes quinque contra Marcionem libros *simul* editos, et primum quidem, prout nunc in manibus nostris est, anno supra dicto *tertia* jam vice ab auctore elaboratum esse supra (§. 598) jam ostendimus. Itaque fieri utique potuerat, ut *secundus* adversus Marcionem liber (is enim potissimum de Deo uno eodemque bono disputat) jam anno 204 in lucem prodiisset, cum *Scorpiace* emitteretur.

g) De monogamia.

§. 615. *Liber de Monogamia* (inter Opp. Tertull. ed. ex rec. *Leopold.* P. II. p. 112—134) in secundis nuptiis reprobandis totus versatur; sed fusiore sermone, quam in libro *De exhortatione castitatis* (§. 609), atque etiam multo severius easdem damnat, quas vix differre ab adulterio contendit (c. 1—17). Praeterea Montanum passim *paracletum* vocitat, haereticumque esse negat,[6]) et *spiritales* esse se suosque gloriatur, Catholicos vero tanquam *psychicos* contemnit.[7]) Unde omnes VV. DD.[8]) cum *D. Hieronymo* consentiunt, qui *haereticum* hunc librum appellat,[9]) eumque cum iis Tertulliani opusculis recenset, quae

---

4) *Noesselt* l. l. p. 49 sq.; *Oelrichs* l. l. p. 20; cf. *Lumper* l. l. P. VI. p. 205; *Neander* l. l. p. 140 sq.

5) „*Longum est, ut Deum meum bonum ostendam, quod jam a nobis didicerunt Marcionitae.*" *Idem* ib. c. 5 post init., p. 227. Cf. *Moehler* Patrologie Bd. I. p. 719. nr. 8.

6) *Tertull.* De monogam. c. 4 init., c. 15 init. etc., Opp. omn. ed. laud. P. II. p. 116. 132.

7) *Idem* ib. c. 1, p. 112 ac saepius.

8) *Noesselt* l. l. p. 88; *Tobeus* l. l. §. CXVIII. nr. 5. p. 192; *Wiest* l. l. p. 133. nr. 17; *Oelrichs* l. l. p. 24; *Neander* l. l. p. 246; *Baehr* l. l. p. 26. nr. 19; *Moehler* l. l. p. 731. nr. 11.

9) *S. Hieronym.* Commentar. in Epist. ad Titum c. 1, in Ejus Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. I. col. 415.

„*contra Ecclesiam*" elucubraverit.[10]) Prodiisse videtur *circa annum* 205.

h) De pudicitia.

§. 616. *Liber de Pudicitia* (in editione Opp. Tertull. laudata P. II. p. 135—179) item circa annum 205 aut 206, quo liber *De monogamia* (§. 615), parique vehementia et rigore scriptus,[1]) eandem quidem, quam liber *De poenitentia* (§. 607), materiam, sed longe aliter ac penitus mutato consilio tractat. Etenim totis viribus Ecclesiae auctoritatem evertit,[2]) eamque acerbissime reprehendit, quod idololatriam et homicidium quidem non remittat, *moechiae* vero veniam faciat. Ipse autem adulteros et fornicatores, tanquam criminum ipsa idololatria paene graviorum reos, veniam delictorum nec ab ecclesiae antistite nec ad preces martyrum ullo modo impetrare posse, sed soli Deo remissionem eorum criminum relinquendam esse contendit (c. 1—22).

i) De jejuniis.

§. 617. Sub idem tempus, scilicet *circa annum* 206, ac perinde absque dubio *post* lapsum [3]) compositus est etiam *Liber de Jejuniis*, quem inter reliqua Tertulliani opera novissime edidit *Leopold* P. II. p. 180—200. *D. Hieronymus* hunc librum velut Ecclesiae catholicae adversantem designat,[4]) quod et opusculi argumentum et totum genus disputationis sufficienter declarat. Auctor enim nova et austeriora Montanistarum *jejunia*, *xerophagia*, *stationesque* ita defendit, ut Catholicos, quos semel

10) Cf. §. 612. not. 6.

1) *Wiest* p. 188. nr. 17; *Tobenz* p. 188. nr. 7; *Oelrichs* p. 25; *Neander* p. 262; *Baehr* p. 26. nr. 20; *Maehler* p. 733. nr. 14.

2) *S. Hieronym.* De vir. illustr. c. 53, cf. supra §. 612. not. 6.

3) *Tobenz* §. CXIX. p. 188; *Oelrichs* p. 24; *Neander* p. 280; *Baehr* p. 27. nr. 21; *Maehler* p. 733. nr. 15.

4) Cf. §. 612. not. 6.

atque iterum *Psychicos* exprobrat, tanquam gulae nimis indulgentes acerbissime cavilletur (c. 1—17).

f) De pallio.

§. 618. *Liber de Pallio* uno omnium consensu *post* lapsum demum *nec ante annum* 208 scriptus est, siquidem auctor *tres* simul per orbem Romanum regnantes commemorat, quibus illorum temporum felicitatem in acceptis refert,[5]) quod aliis quam *Septimio Severo* ejusque filiis, *Bassiano Caracallae* et *Septimio Getae*, haud convenit; Getam vero anno demum supradicto in imperii communionem admissum fuisse, ex numis vetustis comperimus.[6]) Satis lepidum hujus libri *argumentum*. Tertullianus nempe deposita toga, quam Romani gestabant, pallium, habitum Graecorum induit, quo uti etiam philosophi christiani solebant vitae austerioris disciplinam professi. Qua re derisus, ut qui scilicet „*a toga ad pallium*" descendisset, auctor rationem ingerit, cur id fecerit, et perquam lepida disputatione praerogativam pallii prae toga ostendit (c. 1—6). Editus est hic libellus cum notis *Fr. Junii*, Lugduni Batav. 1595; dein ab *Edm. Richerio*, Paris. 1600. 8.; item c. interpret. notisque criticis et historicis *Theod. Marcili*, Paris. 1614. 8. Eundem postmodo recensuit notisque illustravit *Claud. Salmasius*,[7]) Lut. Paris.

5) „*Quantum urbium aut produxit aut auxit aut reddidit praesentis imperii triplex virtus! Deo tot Augustis in unum favente quot census transscripti!*" ... Tertull. De pallio c. 2 sub fin., in Ej. Opp. omn. ed. laud. P. II. p. 223.

6) *Noesselt* l. l. II. §§. 12. 13; cf. *Wiest* §. 73. nr. 29. p. 134; *Tobenz* §. CXXIX. p. 191; *Oelrichs* p. 22; *Neander* p. 307 sq. *Baehr* p. 27. nr. 22; *Moehler* p. 734. nr. 16.

7) *Claudii Salmasii* (imo vero ejus soceri, *Josiae Merceri*,) notas in Tertulliani librum *De pallio* acriter impugnavit *Dionys. Petavius* in *Libro animadversorum*, quem sub nomine *Ant. Kerkoëtii Aremorici* in lucem emisit, Rhedonis (Rennes) 1622. 8. Cum autem Salmasius ficto nomine *Francisci Franci* usus *Confutationem Animadversorum Kerkoëtii* edidisset Middelburgi 1622. 8., Petavius iidem

1622. 8., Lugd. Batav. 1656. 8. etc. Una vero cum reliquis Tertulliani operibus (ut ceteras editiones taceam) novissime prodiit in editione multoties laudata cur. *Leopold.* P. II. p. 219—232.

2. Opera deperdita.

§. 619. Temporum injuria multa Tertulliani opera perierunt,[1]) quae partim ipse *Tertullianus* in iis, quae supersunt, libris; partim *S. Hieronymus* commemorat. Et in illis quidem fuerunt, quos *graece* primum scripsit, liber *De baptismo* (cf. §. 594), — *De spectaculis* (§. 604), — et *De virginibus velandis* (§. 613), — qui nunc nonnisi latine extant. Alia jam initio *latino* sermone consignata opuscula, quorum ipse meminit, conscripta fuerunt *De eo, quod Deus sit judex*, adversus eos, qui severitatem judici secundum merita caussarum congruentem pro saevitia exprobrabant;[2]) — *De spe fidelium*, qui liber fusius de millenario Christi regno terrestri egit;[3]) — *Adversus Apellem*, qui pariter ac Marcion carnis ignominiam praetendit, et idcirco Christi incarnationem negavit;[4]) — *De censu animae*, in quo libro Tertullianus contra Hermogenem disputat, qui animam ex materiae suggestu constare opinatus est, suamque

---

Mastigophorum seu Elenchum I. II. III. Paris. 1622 sqq. opposuit; Salmasius vero *Refutationem I et II elenchi Cerco-Petaviani* in lucem emisit Parisiis 1623. 8.

1) Eorum indices texuerunt *J. Nic. Funccius* in libro De veget. linguae latinae senectute (Marburg. 1744. 4.) c. X. §. 3 init; *Gottfr. Lumperus* in sua Hist. theol.-crit. de SS. PP. P. VI. p. 281 sq.; *E. F. Leopold* in Notitia literaria ad calcem Opp. Tertulliani a se editt. P. IV. p. 330. not. 1.

2) *Tertull.* Adv. Marcion. Lib. II. c. 27 in fin., in Ej. Opp. omn. ed. Leopold. P. III. p. 107.

3) *Idem* Adv. Marcion. Lib. III. c. 24 post pr.; ed. laud. P. III. p. 142.

4) *Id.* De carne Christi c. 8 post pr., ed. laud. P. IV. p. 73; cf. *Vincentii Lirin.* Commonitorium c. 24.

sententiam, quod anima ex Dei flatu orta sit, defendit; [5]) — *De fato*, ubi de Dei providentia, de necessitate et arbitrii libertate disseruerat; [6]) — *De paradiso*, ad defendendum Montani de chiliasmo dogma. [7]) Praeter hos B. *Hieronymus* alios complures recenset Tertulliani libros: *De molestiis nuptiarum* (B. Hieronym. Epistt. 22. 5. 146, Adv. Jovinian. Lib. I. c. 7, in Opp. Ejusd. edit. Valarsi); — *De virginitate.* (Ejusd. Epp. 18. 22 ed. laud.); — *De animalibus puris et impuris* (Ej. Ep. 124); — *De circumcisione* (Ep. 125); — *De Aaronis vestibus* (Ep. 128); — *De ecstasi libri septem* (Idem De vir. illustr. c. 53, vd. §. 612. not. 6). — Praeterea in tabula codici *Agobardi* praefixa Tertulliano tribuuntur *Liber de animae submissione; Liber de superstitione;* Liber *de carne et anima.* [8])

3. Opera supposita.

a. prosaica.

§. 620. Tertulliano absque dubio suppositus est *Catalogus Haereticorum*, qui a Simone Mago usque ad Praxeam notatis eorum erroribus enumerantur. [1]) In libro *De praescriptionibus Haereticorum* perperam subnexus non solum in vetustissimo Agobardi codice aliisque melioris notae manuscriptis desideratur, verum etiam alias suppositionis notas exhibet. [2]) — *Liber de Trinitate*

5) *Id.* De anima c. 1 princ., ed. laud. P. IV. p. 160.

6) *Id.* De anima c. 20 post med., ed. l. P. IV. p. 197.

7) *Id.* De anima c. 55 in fin., P. IV. p. 242.

8) cf. *Leopoldi* Notitia literaria l. l.

1) Editus est, ut in omnibus fere vetustioribus Opp. Tertull. editionibus, ita etiam in novissima per *E. F. Leopold.* adornata velut continuatio libri genuini *De praescriptionibus haereticorum* (§. 591) a med. cap. 45 usque ad c. 53, Opp. omn. P. II. p. 32—41.

2) *Tobenz* Institt., usus et doctr. PP. (ed. III) §. CXXXVII. p. 193; *Semler* Diss. I in Tertull. §. XIII. p. 351 sq.; *Oelrichs* Com-

pariter apertissime spurius est, quod non solum styli diversitas, sed et haeresis *Sabellianae*, Tertulliano recentioris, bis ibi occurrens mentio satis evincit.[3]) — Idem sentiendum circa aliud opusculum *De cibis judaicis*. Utraque commentatio DD. Virorum uno consensu hodie *Novatiano* presbytero Romano postmodo schismatico (§. 658) tribuitur.[4]) — Liber itidem, qui passim sub Tertulliani nomine circumferebatur *De definitionibus fidei et dogmatum ecclesiasticorum*, *Gennadio* potius Presbytero Massiliensi († c. a. 496) adcensetur.[5])

b. poëtica.

§. 621. Sub Tertulliani nomine nonnulla etiam carmina exhibentur; et in his primum *Georgius Fabricius* poëma quoddam didacticum epico metro conscriptum c. t. *Libri V adversus Marcionem* edidit,[6]) ejusdem fere argumenti opus, de quo genuini Tertulliani adversus eundem libri (§. 598) agunt. Inde in varias Tertulliani operum editiones abiit.[7]) At neque forma, neque stylus

---

mentar. de Scriptt. eccl. latt. p. 27. not. 1; *Baehr* Die christl.-röm. Theologie §. 11. p. 29; *Leopold* in sua edit. Opp. Tertull. P. II. p. 31. not. *; *Moehler* Patrologie Bd. I. p. 713.

3) *Tobenz* §. CXXXVIII. p. 193; *Baehr* §. 14. nr. 1. p. 48; *Moehler* p. 730.

4) Libros *De Trinitate* et *De cibis judaicis* antiquiores Tertull. Opp. editiones exhibent; in his etiam *Rigaltiana*, quae Venetiis 1744 prodiit, sed ea jam praefixo *veri* auctoris nomine, p. 709—742. 743—748.

5) *Leopold* Notit. liter., Opp. Tertull. P. IV. p. 330. not. 1. — Typis impressus est hic liber tanquam *S. Augustino* suppositus in Opp. August. ed. Maurin. T. VIII. Append. p. 75 sqq.; et sub veri auctoris nomine seorsim editus a *G. Elmenhorst*, Hamburg. 1614. 4.

6) Poëtarum vett. eccl. opera christiana operumque reliquiae et fragmenta, studio *Ge. Fabricii* Chemnicensis (Basil. 1564. fol. min.) p. 256 sqq.

7) Edd. *Jac. Pamelii* (Antwerp. 1584), *Fr. Junii* (Franequer 1597. f.); *Rigaltii* (Paris. 1634. 1641), rebusa *Venet*. (1744. f.) p. 690 —[illegible],

dicendique ratio neque argumentandi methodus Tertulliano digna sunt, aut aliis hujus Scriptoris opusculis conveniunt; imo etiam opiniones passim occurrunt a Tertulliani sententiis longe alienae. Saepe insuper vitia prosodiaca atque metrica obrepunt ejus generis, quae excusari vix ullo modo possint. [8]) Longe similius vero est, libros hosce a *sequiore Scriptore* fuisse exaratos seu potius ex genuino Tertulliani opere in ligatum sermonem translatos. [9]) — Extant et alia praeterea et eodem quidem metro composita carmina, quae aliquamdiu pro genuinis illius operibus circumferebantur, nunc vero absque dubitatione tanquam *spuria* rejiciuntur, quamvis in Africa confecta, et partim quarto partim quinto vel sexto seculo videantur prodiisse. Et libri quidem *De judicio Domini,* [10]) *De genesi,* [11]) et *Sodoma* [12]) narrationes in sacro codice descriptas imitantur, nec generis valde abinvicem diversi sunt. Hi saepius unacum alio poëmate epico *Ad Senatorem ex christiana religione ad idola conversum,* et alio rursus eodem metro composito hymno *De cruce Domini* etiam inter Cypriani opera passim prodierunt, [13]) quoniam a Jo. Fabricio aliisque *S. Cypriano* Episcopo Martyri attribuebantur. [14]) Quam opinionem nulla firmiori ratione stabilitam recentiores VV. DD. dudum abjecerunt. [15]) — Aliud

---

8) Cf. *Rigaltii* ad lectorem prooem., in Tert. opp. edit. Venet. p. 620.

9) *Baehr* Gesch. d. röm. Literatur, Supplementband I. Abth. I. Die christl. Dichter und Geschichtschreiber Roms (Carlsruhe 1836. 8.) p. 17. *Tillemontius S. Victorinum Episcopum Petavionensem Martyrem* fuisse auctorem suspicatur (§. 741 fin.).

10) Extat in Tertull. Opp. (ed. *Venet.* 1744) p. 639—642.

11) ibid. p. 642 sq.

12) ibid. p. 648 sq.

13) e. gr. in edit. *Maurin.* (Paris. 1726. f.) App. p. CXLIX—CCLX.

14) Cf. *Jo. Alb. Fabricii* Biblioth. lat. (Hamburg. 1722. III. 8.) T. I. p. 699.

15) *J. Nic. Funccii* De veget. L. L. senectute c. III. p. 115; *F. W. Rettberg* Cyprianus dargestellt nach seinem Leben und Wirken

denique carmen versu itidem epico sub Tertulliani nomine e codice mss. *Petri Pithoei* per *Franc. Juretum* publici juris factum est *De Jona et Ninive*,[16] cujus argumentum auctor pariter e SS. Scripturis desumsit, sed eadem libertate thematis et incuria styli metrique confecit, quam superiora *De genesi* et *Sodoma* poëmata prae se ferunt.[17] — Ex omnibus igitur hisce opusculis ligato sermone exaratis nullum Tertulliano saniori aliqua ratione attribui posse videtur. Imo vero carmen *De judicio Domini* longe meliori jure *Verecundo episcopo Africano* († c. a. 570) adcensetur;[18] illud autem, quod inscribitur *Genesis*, idem esse videtur, quod *Salviano Massiliensi Episcopo* († c. a. 486) tribuit *Gennadius*;[19] porro hymnus *De cruce Domini* sive *Marii Victorini Afri rhetoris* († c. a. 383) sive, quod mihi quidem probabilius videtur, *sequioris aevi Grammatici* est. Reliquorum autem poëmatum veri auctores *incerti* sunt. Carmina *De Sodoma* ac *De Jona et Ninive* ejusdem parentis esse videntur, nec multum forte a vero aberraverit, siquis ea ipsa, quemadmodum liber *De genesi*, Salviano Massiliensi attribuerit. *Libri V adversus Marcionem* utrum paulo post Hieronymi tempora, ut *Allixius* opinatus est,[20] an sequiore aetate compositi sint, parum liquet. Poëma *Ad Senatorem* utique antiquum, et si non aequale, tamen aevo Tertulliani proximum videtur esse.

(Götting. 1831. 8.) p. 268; *Baehr* Die christl. Dichter und Geschichtschr. Roms §. 7. p. 18.

16) Extat typis exscriptum inter opera *Benedicti Paulini Petrocorii*, episc. Petrocoriensis († c. a. 490), ed. *Fr. Juret* (Paris. 1585. 4.) p. 146 sqq.; item cum notis Fr. Jureti, Casp. Barthii etc. cura et studio *Chr. Daumii* (Lips. 1681. 8.) p. 323 sqq.; postremo in *Tertull.* Opp. ed. *Venet.* (1744) p. 870.

17) *Baehr* l. l. p. 19.

18) *S. Isidor. Hispal.* De vir. illustr. I. 7.; *Allixius* De Tertull. vita et scriptt. l. l.; *Dupini* Nouvelle Bibliotheque des auteurs eccl. T. I. p. 141. et nott. ibid. p. 172.

19) *Gennadius* De viris illustr. c. 67; *Dupin* l. l.

20) Cf. *Jo. Alb. Fabricii* Biblioth. lat. T. I. p. 606.

4. Tertulliani Operum quae supersunt editiones.

§. 622. *Peculiaribus*, quae de singulis quibusdam Tertulliani libris seorsim adornatae sunt, editionibus jam suo unoquoque loco recensitis, reliquum est annotare *generales* omnium Ejusdem operum editiones. Earum *princeps*, quam dicimus, in lucem prodiit per *Beat. Rhenanum Selestadiensem*, Basileae ap. Jo. Frobenium 1521. fol., ac deinde repetita ibid. 1525. 1528. 1536. 1539. f.; continet autem haec editio duos tantum et viginti libros. — His alios undecim, e quibus tamen *De trinitate* et *De cibis judaicis* postea Novatiano vindicati sunt (§. 620), adjecit *Jo. Gagnaeus*, Paris. 1545 f. — Novam curavit editionem, eique *Fr. Zephyri Florentini* Commentarium in Apologeticum adjunxit *Sigism. Gelenius*, Basil. ap. Jo. Frobenium 1550. f., recus. ibid. 1562 f. et Paris. 1566. II. 8. — Sequitur deinde editio *Jac. Pamelii Archidiaconi et postea Episcopi Audamaropolitani*, saepius literis descripta e. gr. Antverp. 1579. 1584. 1609. f., Genev. 1579. 1597. 1601. 1607. f., Paris. 1583. 1598. 1608. 1616. 1658. f., Heidelberg. 1596. 1599. 1609, Franeckerae 1597. 1627. f., Colon. Agripp. 1617. f., Tigurii 1657. f, Argentorati 1657. f., Rothomagi 1662. f. — Pamelianas curas excepit *Jo. Ludov. de la Cerda S. J. Presb.*, Lutet. Paris. 1624. 1630. 1641. II. f. — Post has varias editiones *Nicol. Rigaltius Jurisconsultus Parisiensis* primum suppresso suo editoris nomine libros IX Tertulliani evulgavit Paris. 1628. 8.; deinde opera omnia adjectis observatt. ac nott. Paris. 1634. 1635. f., et cum observatt. DD. VV. et indice glossario ibid. 1641. f. — His proxime accedit tempore *Tertullianus redivivus* scholiis et observatt. illustratus *a Georgio Ambianate Capucino et theologiae Parisiis apud suos Professore*, Paris. 1646. 1648. 1650. III. fol. — Rursus *Tertulliani Opp. omnia* in ordinem alphabeticum et rationalem exactissime digesta etc. prodierunt studio *Caroli Moreau O. S. Augustini*, Paris. 1658. III. f. — Nihilominus Rigal-

tina editio iterum atque iterum retractata est, primum cum notis *Phil. Priorii* et *Rigaltii* integris et selectis variorum commentariis, Paris. 1664. 1675. f., deinde Venetiis 1701. f. et ibid. 1708. VI. 8., Colon. Agripp. 1716. f.; postremo typis *Gasp. Girardi*, Venet. 1744. fol. — Sed longe his praestat ea editio, quam secundum Rhenanianam primam curavit *Jo. Salom.* *Semler* (ejusque socii *Chr. Gedofr. Schütz* et *Windorf*) cum indicibus locorum S. Scripturae, rerum et latinitatis Tertullianae, et *Semleri* Diss. de varia et incerta indole librorum Tertull., Halae 1770—1776. VI. 8., edit. II. ibid. 1824—29. VI. 8. — Hanc Semleri necnon Pamelianam recensionem secutus est *Fr. Oberthür*, Wirceburg. 1780. 81. II. 8. — Rigaltianam autem secuti, sed nonnullorum tantum librorum fragmenta ediderunt *D. A. B. Caillau* et *D. M. N. S. Guillon* in sua Collectione selecta SS. PP. eccl. (Paris. 1829 sqq. 8., recus. Mediolani, Bruxellis et Lipsiae) T. V et VI. — Novissima denique et ceteris longe praestantissima editio prodiit in *E. G. Gersdorfii, Consil. aul. et Bibl. Univers. Litt. Lipsiens. Praefecti prim.*, Bibliotheca PP. eccl. latt. selecta. Voll. IV—VII, quae continent Tertull. Opp. ad optimorum librorum fidem expressa curante *E. F. Leopold, Dr. philos. et in Gymnas. Annabergensi Praecept. ordin.*, Lipsiae 1839—1841. IV. 8. Ad calcem P. IV subjecta est perutilis *Notitia literaria* de editionibus et interprett. Opp. Tertulliani. — Nec praetermittenda est elegans omnium Tertull. operum *Germanica versio*, quam curavit vir doctiss. *Fr. Ant. Besnard*, August. Vindel. 1837. 38. II. 8.

C. Doctrina Tertulliani.

1. De christianae religionis veritate.

a. *Quod sit positiva et immobilis per fidem recipienda.*

§. 623. Religionem christianam non curiosa et difficili animi indagatione eruendam, nec philosophica disquisitione novis augendam dogmatibus, sed prout data est a Deo, ita *per fidem* esse recipiendam. Etenim „*Regula fidei una omnino est, sola immobilis et irreformabilis.*[1] ... *Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium. Cum credimus, nihil desideramus ultra credere; hoc enim prius credimus, non esse, quod ultra credere debemus.*[2] ... *Unum itaque et certum aliquid institutum esse a Christo, quod credere omni modo debeant nationes, et idcirco quaerere, ut possint, cum invenerint, credere. Unius porro et certi instituti infinita inquisitio non potest esse. Quaerendum est, donec invenias; et credendum, ubi inveneris, et nihil amplius, nisi custodiendum, quod credidisti, dum insuper credis, aliud non esse credendum, ideoque nec inquirendum, cum id inveneris et credideris, quod ab eo institutum est, qui non aliud tibi mandat inquirendum, quam quod instituit.*[3] ... *Ad hoc ergo quaeris, ut invenias, et ad hoc invenis, ut credas. Omnem prolationem quaerendi et inveniendi credendo fixisti; hunc tibi modum statuit fructus ipse quaerendi; hanc tibi fossam determinavit ipse, qui te non vult aliud credere, quam quod instituit, ideoque nec quaerere.*“[4]

---

1) *De virgg. velandis* c. 1 post pr., in Tertull. Opp. omn. ed. *Gersdorf.* cur. *Leopold.* P. II. p. 201.

2) *De praescript. haerett.* c. 7 in fin., in Tertull. Opp. omn. ed. laud. P. III. p. 6.

3) *Ibid.* c. 9 med., p. 7 sq.

4) *Ib.* c. 10 post princ., p. 8.

b. Non solis SS. Scripturis contestanda.

§. 624. Cum autem *Haeretici* quoque unum illud et certum, quod Christus docuit instituitque, a se fuisse receptum contendant, quomodo illos mendacii convincas? Sufficitne congressio Scripturarum? Minime. Etenim „*ista haeresis non recipit quasdam Scripturas, et si quas recipit, adjectionibus et detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit, et si recipit, non recipit integras, et si aliquatenus integras praestat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum et corruptor stylus. ... Quid promovebis, exercitatissime Scripturarum, cum, si quid defenderis, negetur ex diverso; si quid negaveris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes nisi vocem in contentione; nihil consequeris nisi vilem de blasphematione laudem.*[5] ... *Ergo non ad Scripturas provocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla aut incerta victoria est aut parum certa. Nam etsi non ita evaderet collatio Scripturarum, ut utramque partem parem sisteret; ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: quibus competat fides ipsa; cujus sint Scripturae; a quo, et per quos, et quando, et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani. Ubi enim apparuerit esse veritatem disciplinae et fidei christianae, illic erit veritas Scripturarum et expositionum, et omnium traditionum Christianorum.*“[6])

c. Sed probanda ex divino-apostolica Traditione.

§. 625. Has igitur quaestiones Tertullianus ex ipsa christianae religionis origine atque historia resolvens, eximio quodam ac singulari genere probationis, quod *praescriptionis argumentum* (§. 591) dicimus, contra omnes

5) *Ib.* c. 17, p. 12.
6) *Ibid.* c. 19, p. 12 sq.

haereticos utitur, ut ostendat, quid sit illud unum sic certum a Domino institutum. „*Christus Jesus*, ait, *Dominus noster*, … *quamdiu in terris agebat, ipse pronuntiabat sive populo palam sive discentibus seorsum, ex quibus duodecim praecipuos lateri suo allegerat, destinatos nationibus magistros.* … *Statim igitur Apostoli*, … *consecuti promissam vim Spiritus Sancti ad virtutes et eloquium, primum per Judaeam contestata fide in Jesum Christum ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti eandem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt. Et proinde ecclesias ad unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinae ceterae exinde ecclesiae mutuatae sunt, et quotidie mutuantur, ut ecclesiae fiant. Ac per hoc et ipsae apostolicae deputabuntur ut soboles apostolicarum ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tantae ecclesiae una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primae et omnes apostolicae, dum una, omnes probant unitatem. Communicatio pacis et appellatio fraternitatis et contesseratio hospitalitatis, quae jura non alia ratio regit, quam ejusdem sacramenti una traditio.* [7]) … *Hinc igitur dirigimus praescriptionem, si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad praedicandum, alios non esse recipiendos praedicatores, quam quos Christus instituit.* … *Quid autem praedicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, et hic praescribam non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis praedicando tam viva, quod ajunt, voce quam per epistolas postea. Si haec ita sunt, constat proinde, omnem doctrinam, quae cum illis ecclesiis apostolicis, matricibus et originalibus fidei, conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit; reliquam vero omnem doctrinam de mendacio praejudicandam, quae sapiat con-*

---

7) *Ib.* c. 20, ed. laud. P. III. p. 13.

tra veritatem ecclesiarum et Apostolorum et Christi et Dei. Superest ergo, ut demonstremus, an nostra doctrina, cujus regulam supra edidimus, de Apostolorum traditione censeatur, et ex hoc ipso, an ceterae de mendacio veniant. Communicamus cum ecclesiis apostolicis, quod nulla doctrina diversa; hoc est testimonium veritatis." 8)

d. *In Ecclesia una, catholica atque apostolica usque adhuc custodita.*

§. 626. Quid denique haeretici putant ad infirmandam hanc praescriptionem movere se posse? Solent dicere aut „*non omnia Apostolos scisse,*" aut „*omnia quidem Apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse.*" At hoc blasphema voce dicunt, „*in utroque Christum reprehensioni injicientes, qui aut minus instructos aut parum simplices Apostolos miserit. Quis enim integrae mentis credere potest, aliquid eos ignorasse, quos magistros Dominus dedit, individuos habitos in comitatu, in discipulatu, in convictu, quibus obscura quaeque seorsum disserebat, illis dicens datum esse cognoscere arcana, quae populo intelligere non liceret? Latuit aliquid Petrum aedificandae Ecclesiae petram dictum, claves regni coelorum consecutum et solvendi et ligandi in coelis et in terris potestatem? Latuit et Joannem aliquid, dilectissimum Domino, pectori ejus incubantem, cui soli Dominus Judam traditorem praemonstravit, quem loco suo filium Mariae demandavit? . . . Ostendit, illos nihil ignorasse, quos omnem veritatem consecuturos per Spiritum veritatis repromiserat. Et utique implevit repromissum, probantibus Actis Apostolorum descensum Spiritus Sancti. Quam scripturam qui non recipiunt, nec Spiritus Sancti esse possunt, qui necdum Spiritum Sanctum possint agnoscere discentibus missum; sed nec Ecclesiam se dicant defendere, qui, quando et quibus incunabulis institutum est hoc corpus, probare non ha-*

8) Ib. c. 21, p. 18 sq.

nobis et revictas haereses omnes, sive quae posterae sive quae coaetaneae Apostolorum, dummodo diversae, sive generaliter sive specialiter notatae ab eis, dummodo praedamnatae, audeant respondere et ipsae aliquas ejusmodi praescriptiones adversus nostram disciplinam. Si enim negant veritatem ejus, debent probare, illam quoque haeresin esse eadem forma revictam, qua ipsae revincuntur; et ostendere simul, ubinam quaerenda sit veritas, quam apud illas non esse jam constat. Posterior nostra res non est, imo omnibus prior est. Hoc erit testimonium veritatis ubique occupantis principatum. Ab Apostolis non damnatur, imo defenditur. Hoc erit indicium proprietatis. Quam enim non damnant, qui extraneam quamque damnaverunt, suam ostendunt, ideoque et defendunt. [16] ... *Age jam, qui voles curiositatem melius exercere in negotiis salutis tuae; percurre ecclesias apostolicas, apud quas istae adhuc cathedrae Apostolorum suis locis praesidentur, apud quas ipsae authenticae literae eorum recitantur, sonantes vocem et repraesentantes faciem uniuscujusque. Proxima est tibi Achaja, habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiae adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Ista quam felix ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt; ubi Petrus passioni Dominicae adaequatur; ubi Paulus Joannis exitu coronatur; ubi Apostolus Joannes, posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur! Videamus, quid didicerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque ecclesiis contesserarit.* [17] ... *Si haec ita se habent, ut veritas nobis adjudicetur, quicumque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit, constat ratio propositi nostri de-*

---

16) *Ib.* c. 35, p. 24 sq.

17) Ib. c. 36 pr., p. 25.

quibus nulla constantia de conscientia competit ad defendendam sibi veritatem. [14]) ... *Ceterum, si quae haereses audent interserere se aetati apostolicae, ut ideo videantur ab Apostolis traditae, quia sub Apostolis fuerunt; possumus dicere: Edant ergo origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt, sicut Smyrnaeorum ecclesia Polycarpum ab Joanne collocatum refert, sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum. Proinde utique et ceterae exhibent, quos ab Apostolis in episcopatum constitutos apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid haeretici. Quid enim illis post blasphemiam illicitum est? Sed etsi confinxerint, nihil promovebunt. Ipsa enim doctrina eorum cum apostolica comparata ex diversitate et contrarietate sua pronuntiabit, neque Apostoli alicujus auctoris esse, neque apostolici viri, quia sicut Apostoli non diversa inter se docuissent, ita et Apostolici non contraria Apostolis edidissent, nisi illi, qui ab Apostolis desciverunt et aliter praedicaverunt. Ad hanc itaque formam provocabuntur ab illis ecclesiis, quae licet nullum ab Apostolis vel Apostolicis auctorem suum proferant, ut multo posteriores, quae denique quotidie instituuntur, tamen in eadem fide conspirantes, non minus apostolicae deputantur pro consanguinitate doctrinae. Ita omnes haereses ad utramque formam nostris ecclesiis provocatae probent se, quaqua putant, apostolicas. Sed adeo nec sunt, nec possunt probare, quod non sunt, nec recipiuntur in pacem et communicationem ab ecclesiis quoquo modo apostolicis, scilicet ob diversitatem sacramenti nullo modo apostolicae.* [15]) ... *His definitionibus provocatae a*

14) *Ib.* c. 31 med., p. 21 sq.

15) *Ib.* c. 32, p. 22.

ex ea natum, Hominem et Deum, filium hominis et filium Dei, et cognominatum Jesum Christum; hunc passum, hunc mortuum et sepultum secundum Scripturas, et resuscitatum a Patre et in coelum resumptum, sedere ad dexteram Patris, venturum judicare vivos et mortuos; qui exinde miserit, secundum promissionem suam, a Patre Spiritum Sanctum paracletum, sanctificatorem fidei eorum, qui credunt in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Hanc regulam ab initio evangelii decucurrisse, ... probabit ipsa posteritas omnium haereticorum."[20])

2. De Ecclesia.

§. 629. Ecclesiam Tertullianus „*unam*" esse confitetur,[1]) cui „*claves coeli Dominus per Petrum reliquit;*"[2]) quae „*vera mater viventium per Christi passionem e latere ipsius*" parta est.[3]) Appellatur autem modo „*Arca* Noë *figurata,*"[4]) modo „*Navicula*" illa, qua Petrus super mare vehebatur, „*quod* nempe *in mari, i. e. seculi fluctibus, i. e. persecutionibus et tentationibus, Ecclesia inquietatur, Domino per patientiam velut dormiente, donec orationibus Sanctorum in ultimis suscitatus compescat seculum, et tranquillitatem suis reddat.*"[5]) De haereticis autem egregie monet: „*Schisma est unitas ipsis; ... dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur, quae accepit, quemadmodum de arbitrio ea composuit ille, qui tradidit.... Plerique nec ecclesias habent, sine matre, sine sede, orbi fide, extorres, quasi sine lare vagantur.*"[6]) — Ceterum

20) *Adv. Praxeam* c. 2 post pr., Opp. omn. ed. laud. P. IV. p. 249.

1) *De baptismo* c. 15 post pr., Opp. omn. ed. laud. P. II. p. 43.

2) *Scorpiace* c. 10 med., ed. laud. P. I. p. 238.

3) *De anima* c. 43 post med., ed. laud. P. IV. p. 328.

4) *De baptismo* c. 8 sub fin., ed. laud. P. II. p. 38.

5) *Ibid.* c. 12 post med., p. 41 sq.

6) *De praescript. haeret.* c. 42 post med., Opp. omn. ed. laud. P. III. p. 29 sq.

finientis, non esse admittendos haereticos ad ineundam de Scripturis provocationem, quos sine scripturis probamus ad Scripturas non pertinere. Si enim haeretici sunt, Christiani esse non possunt, non a Christo habendo, quod de sua electione sectati haereticorum nomina admittunt. Ita non Christiani nullum jus capiunt christianarum literarum; ad quos merito dicendum est: Qui estis? quando et unde venistis? quid in meo agitis, non mei? quo denique, Marcion, jure silvam meam caedis? qua licentia, Valentine, fontes meos transvertis? qua potestate, Apelles, limites meos commoves? quid hic, ceteri, ad voluntatem vestram seminatis et pascitis? Mea est possessio; olim possideo, prior possideo, habeo origenes firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. Ego sum haeres Apostolorum etc." [18])

f. Catholicae fidei symbolum.

§. 675. Saepius Tertullianus *fidei catholicae* quasi *summulam* recenset, quae paene verbotenus *apostolicum symbolum* imitatur. Sic in opusculo de virginibus velandis: „*Regula fidei, inquit, una omnino est, sola immobilis et irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum, omnipotentem mundi conditorem, et filium ejus Jesum Christum, natum ex virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato, tertia die resuscitatum a mortuis, receptum in coelis, sedentem nunc ad dexteram Patris, venturum judicare vivos et mortuos per carnis etiam resurrectionem.*" [19]) Et alibi: „*Unicum quidem Deum credimus, sub hac tamen dispensatione, quam* οἰκονομίαν *dicimus, ut unici Dei sit et Filius, Sermo ipsius, qui ex ipso processerit, per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil. Hunc missum a Patre in Virginem, et*

---

18) Ib. c. 37, p. 26.

19) *De virgg. veland.* c. 1 post pr., in Tertull. Opp. omn. ed. *Leopold.* P. II. p. 201.

ex ea natum, Hominem et Deum, filium hominis et filium Dei, et cognominatum Jesum Christum; hunc passum, hunc mortuum et sepultum secundum Scripuras, *et resuscitatum a Patre et in coelum resumptum, sedere ad dexteram Patris, venturum judicare vivos et mortuos;* qui exinde miserit, *secundum promissionem suam, a* Patre Spiritum Sanctum paraclетum, *sanctificatorem fidei eorum, qui credunt in* Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. *Hanc regulam ab initio evangelii decucurrisse, ... probabit ipsa posteritas omnium haereticorum.*"[20])

2. De Ecclesia.

§. 629. Ecclesiam Tertullianus „*unam*" esse confitetur,[1]) cui „*claves coeli Dominus per Petrum reliquit;*"[2]) quae „*vera mater viventium per Christi passionem e latere ipsius*" parta est.[3]) Appellatur autem modo „*Arca* Noë *figurata,*"[4]) modo „*Navicula*" illa, qua Petrus super mare vehebatur, „*quod* nempe *in mari, i. e. seculo, fluctibus, i. e. persecutionibus et tentationibus, Ecclesia inquietatur, Domino per patientiam velut dormiente, donec orationibus Sanctorum in ultimis suscitatus compescat seculum, et tranquillitatem suis reddat.*"[5]) De haereticis autem egregie monet: „*Schisma est unitas ipsis; ... dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur, quae accepit, quemadmodum de arbitrio ea composuit ille, qui tradidit. ... Plerique nec ecclesias habent, sine matre, sine sede, orbi fide, extorres, quasi sine lare vagantur.*"[6]) — Ceterum

---

20) *Adv. Praxeam* c. 2 post pr., Opp. omn. ed. laud. P. IV. p. 249.

1) *De baptismo* c. 15 post pr., Opp. omn. ed. laud. P. II. p. 43.

2) *Scorpiace* c. 10 med., ed. laud. P. I. p. 238.

3) *De anima* c. 43 post med., ed. laud. P. IV. p. 228.

4) *De baptismo* c. 8 sub fin., ed. laud. P. II. p. 38.

5) *Ibid.* c. 12 post med., p. 41 sq.

6) *De praescript. haeret.* c. 42 post med., Opp. omn. ed. laud. P. III. p. 29 sq.

in Ecclesia differentiam agnoscit „*inter ordinem et plebem, quem constituit Ecclesiae auctoritas, et honor per ordinis concessum sanctificatus.*“ 7) Et in ipsa *Hierarchia* „*summos sacerdotes, qui sunt Episcopi, dehinc Presbyteros et Diaconos*“ distinguit. 8) Alibi etiam *Lectoris* fit mentio. 9)

3. De Deo uno et trino.

a. *Deus natura unus.*

§. [illegible]. „*Quod colimus, Deus unus est; qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo, quo jussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit in ornamentum majestatis suae.* ... *Invisibilis est, etsi videatur; incomprehensibilis, etsi per gratiam repraesentetur, inaestimabilis, etsi humanis sensibus aestimetur; ideo verus et tantus est.* ... *Quod vero immensum est, soli sibi notum est. Hoc est quod Deum aestimari facit, dum aestimari non capit. Ita eum vis magnitudinis et notum hominibus objicit, et ignotum. Et haec est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt.* ... *Anima.* ... *Deum nominat, hoc solo nomine, quia proprio Dei veri: Deus magnus, Deus bonus, et Quod Deus dederit, omnium vox est. Judicem quoque contestatur illum: Deus videt, et Deo commendo, et Deus mihi reddet. O testimonium animae naturaliter christianae! Denique pronuntians haec, non ad Capitolium, sed ad coelum respicit; novit enim sedem Dei vivi; ab illo, et inde descendit.*“ 1) ... Nam „*animae a primordio conscientia Dei*

---

7) *De exhortat. castitatis* c. 7 med., ed. laud. P. II. p. 105.

8) *De baptismo* c. 17 post pr., ed. laud. P. II. p. 44.

9) *De praescript. haerett.* c. 41 in fin., ed. laud. P. III. p. 20.

1) *Apologeticus* c. 17, in Tertull. Opp. omn. ed. *Leopold.* P. I. p. 80 sq.

dos est; eadem nec alia et in Aegyptis et in Syris et in Ponticis. ... Nunquam Deus latebit, nunquam Deus deerit; semper intelligetur, semper audietur, etiam videbitur, quomodo volet. Habet Deus testimonia, totum hoc, quod sumus et in quo sumus. Sic probatur et Deus et unus, dum non ignoratur, alio adhuc probari laborante." [2]) Et **unicus** ideo Deus est. Etenim „*veritas christiana destricte pronuntiavit: Deus si non unus est, non est, quia dignius credimus non esse, quodcunque non ita fuerit, ut esse debebit. Deum autem ut scias unum esse debere, quaere, quid sit Deus, et non aliter invenies. Quantum humana conditio de Deo definire potest, id definio, quod et omnium conscientia agnoscit, Deum* ***summum*** *esse* ***magnum***, *in aeternitate constitutum,* ***innatum***, ***infectum***, ***sine initio***, ***sine fine***. ... *Cum de isto conveniat apud omnes, ... quae erit jam conditio ipsius summi magni? Nempe ut nihil illi adaequetur, id est, ut non sit aliud summum magnum, quia, si fuerit, adaequabitur, et si adaequabitur, non erit jam summum magnum, eversa conditione et ut ita dixerim lege, quae summo magno nihil sinit adaequari. Ergo unicum sit necesse est.*" [3])

b. Deus in personis trinus.

§. 621. *Praxeas* haereticus unicum Deum non alias putavit credendum, quam si ipsum eundemque et Patrem et Filium et Spiritum Sanctum dixerit, „*quasi*, ut ait Tertullianus, *non sic quoque unus sit omnia, dum ex uno omnia, per substantiae scilicet unitatem, et nihilominus custodiatur οἰκονομίας sacramentum, quae* ***unitatem in trinitatem*** *disponit, tres dirigens,* ***Patrem*** *et* ***Filium*** *et* ***Spiritum Sanctum****; tres autem, non statu sed gradu, nec substantiâ sed forma, nec potestate sed specie, unius*

2) *Adv. Marcionem* Lib. I. c. 10 med., Opp. omn. ed. laud. P. III. p. 52.

3) *Ibid.* c. 3 post pr., p. 44 sq.

autem substantiae et unius potestatis, quia unus Deus, ex quo et gradus isti et formae et species in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti deputantur.[4] ... Ante omnia enim Deus erat solus, ipse sibi et mundus et locus et omnia. Solus autem, quia nihil extrinsecus praeter illum. Ceterum ne tunc quidem solus; habebat enim secum, quam habebat in semet ipso, Rationem suam scilicet (i. e. λόγον). ... Nam etsi Deus nondum sermonem suum miserat, proinde eum cum ipsa et in ipsa ratione intra semetipsum habebat tacite cogitando et disponendo secum, quae per sermonem mox erat dicturus. ... Idque quo facilius intelligas, ex te ipso ante recognosce. ... Vide, cum tacitus tecum ipse congrederis ratione, hoc ipsum agi intra te, occurrente ea tibi cum sermone ad omnem cogitatus tui motum, ad omnem sensus tui pulsum. Quodcunque cogitaveris, sermo est; quodcunque senseris, ratio est. ... Ita secundus quodammodo in te est sermo, per quem loqueris cogitando, et per quem cogitas loquendo; ipse sermo alius est. Quanto ergo plenius hoc agitur in Deo, cujus tu quoque imago et similitudo censeris, quod habeat in te etiam tacendo rationem, et in ratione sermonem?[5] ... Ut primum Deus igitur voluit ea, quae cum Sophiae ratione et sermone disposuerat intra se, in substantias et species suas edere, ipsum primum protulit sermonem habentem in se individuas suas rationem et sophiam, ut per ipsum fierent universa, per quem erant cogitata et disposita, imo et facta jam, quantum in Dei sensu. Hoc enim eis deerat, ut coram quoque in suis speciebus atque substantiis cognoscerentur et tenerentur.[6] Tunc igitur etiam ipse Sermo speciem et ornatum suum sumit, sonum et vocem, cum dicit Deus: Fiat lux. Haec est nativitas perfecta Sermonis, dum ex Deo procedit; conditus ab eo pri-

4) *Adv. Praxeam* c. 2 sub fin., in Tertull. Opp. omn. ed. laud. P. IV. p. 249 sq.

5) *Ibid.* c. 5 post pr., p. 252 sq.

6) *Ib.* c. 6 in fin., p. 253.

arbitrii et suae potestatis institui, in qua hoc ipsum imago et similitudo Dei deputaretur, arbitrii scilicet libertas et potestas, in quam rem ea substantia homini accommodata est, quae hujus status esset, afflatus Dei utique liberi et suae potestatis. ... Aliud sibi ratio defendat in ejusmodi institutionem. Nam bonus natura Deus solus. Qui enim, quod est, sine initio habet, non institutione est; habet illud, sed natura. Homo autem, qui totus ex institutione est, habens initium, cum initio sortitus est formam, qua esset, atque ita non natura in bonum dispositus est, sed institutione, non suum habens bonus esse, quia non natura in bonum dispositus est, sed institutione, secundum institutorem bonum, scilicet bonorum conditorem. Ut ergo bonum jam suum haberet homo, emancipatum sibi a Deo, et fieret proprietas jam boni in homine et quodammodo natura; de institutione adscripta est illi ... libertas et potestas arbitrii, quae efficeret, bonum ut proprium jam sponte praestari ab homine; ... ut ita demum boni consisteret homo, si secundum institutionem quidem, sed ex voluntate, jam bonus inveniretur, quasi de proprietate naturae; proinde ut et contra malum ... fortior homo praetenderet, liber scilicet et suae potestatis, quia si careret hoc jure, ut bonum quoque non voluntate obiret, sed necessitate, usurpabilis etiam malo futurus esset ex infirmitate servitii, proinde et malo sicut bono famulus. ... Ceterum nec boni nec mali merces jure pensaretur ei, qui aut bonus aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate. 2) ... *Igitur sicut Deus homini vitae statum induxit, ita homo sibi mortis statum attraxit, et hoc non per infirmitatem, sicuti nec per ignorantiam, nequid auctori imputaretur. Nam etsi angelus qui seduxit, sed liber et suae potestatis, qui seductus est, sed imago et similitudo Dei, fortior angelo, sed afflatus Dei, generosior spiritu materiali, quo angeli constiterunt. ... Atque adeo eundem*

---

2) *Ibid.* c. 6 med., p. 81 sqq.

hominum, eandem substantiam animae, eundem Adae statum, eadem arbitrii libertas et potestas victorem efficit hodie de eodem diabolo, cum secundum obsequium legum ejus administratur." [3]) Quid autem? non et substantia Creatoris delicti capax invenitur, cum afflatus Dei, i. e. anima in homine deliquit? Ad hoc „*inprimis tenendum, quod graeca scriptura significavit,* *afflatum nominans, non spiritum. ..., Intellige itaque, afflatum minorem spiritu esse, etsi de spiritu accidit, ut aurulam ejus, non tamen spiritum; nam et aura vento rarior, etsi de vento aura, non tamen ventus aura. Capit etiam imaginem spiritus dicere flatum; nam et ideo homo imago Dei i. e. spiritus; Deus enim spiritus. Imago ergo spiritus afflatus. Porro imago veritati non usquequaque adaequabitur. Aliud est enim secundum veritatem esse, aliud ipsam veritatem esse. ... Nec tu enim, si in tibiam flaveris, hominem tibiam feceris, quamquam de anima tua flaveris, sicut et Deus de spiritu suo. ... Nec urceus factus a figulo ipse erit figulus; ita nec afflatus factus a spiritu ideo erit spiritus etc.*" [4])

5. De peccato originali.

§. [illegible]. Tertullianus *traducianismo* favens (cf. De anima c. 27. 36. 37) „*A primordio*, inquit, *in Adam concreta et configurata corpori anima, ut totius substantiae ita et conditionis istius semen efficit.* [1]) ... *Anima* enim hominis *velut surculus quidam ex matrice Adam in propaginem deducta et genitalibus feminae foveis commendata cum omni sua paratura pullulabit tam intellectu quam et sensu.* [2]) ... Per Satanam *homo a primordio*

---

3) *Ib.* c. 8 med., p. 84 sq.

4) *Ib.* c. 9 post. pr., p. 85 sq.

1) *De anima* c. 9 in fine in Tertull. Opp. edit. Leopold. P. IV. p. 190.

2) *Ibid.* c. 19 post med., ed. laud. p. 196.

arbitrii et suae potestatis institui, in qua hoc ipsum imago et similitudo Dei deputaretur, arbitrii scilicet libertas et potestas, in quam rem ea substantia homini accommodata est, quae hujus status esset, afflatus Dei utique liberi et suae potestatis. ... Aliud sibi ratio defendat in ejusmodi institutionem. Nam bonus natura Deus solus. Qui enim, quod est, sine initio habet, non institutione est; habet illud, sed natura. Homo autem, qui totus ex institutione est, habens initium, cum initio sortitus est formam, qua esset, atque ita non natura in bonum dispositus est, sed institutione, non suum habens bonus esse, quia non natura in bonum dispositus est, sed institutione, secundum institutorem bonum, scilicet bonorum conditorem. Ut ergo bonum jam suum haberet homo, emancipatum sibi a Deo, et fieret proprietas jam boni in homine et quodammodo naturae, de institutione adscripta est illi ... libertas et potestas arbitrii, quae efficeret, bonum ut proprium jam sponte praestari ab homine; ... et ita demum bonus consisteret homo, si secundum institutionem quidem, sed ex voluntate, jam bonus inveniretur, quasi de proprietate naturae; proinde ut et contra malum ... fortior homo praetenderet, liber scilicet et suae potestatis, quia si careret hoc jure, ut bonum quoque non voluntate obiret, sed necessitate, usurpabilis etiam malo futurus esset ex infirmitate servitii, proinde et malo sicut bono famulus. ... Ceterum nec boni nec mali merces jure pensaretur ei, qui aut bonus aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate. [2] ... *Igitur sicut Deus homini vitae statum induxit, ita homo sibi mortis statum attraxit, et hoc non per infirmitatem, sicuti nec per ignorantiam, nequid auctori imputaretur. Nam etsi angelus qui seduxit, sed liber et suae potestatis, qui seductus est, sed imago et similitudo Dei, fortior angelo, sed afflatus Dei, generosior spiritu materiali, quo angeli constiterunt. ... Atque adeo eundem*

---

2) *Ibid.* c. 6 med., p. 81 sqq.

hominem; eandem substantiam animae, eundem Adae statum; eadem arbitrii libertas et potestas victorem efficit hodie de eodem diabolo, cum secundum obsequium legum ejus administratur." [3]) Quid autem? non et substantia Creatoris delicti capax invenitur, cum afflatus Dei, i. e. anima in homine deliquit? Ad hoc „*inprimis tenendum, quod graeca scriptura significavit,* afflatum *nominans, non* spiritum. ..., *Intellige itaque, afflatum minorem spiritu esse, etsi de spiritu accidit, ut aurulam ejus, non tamen spiritum; nam et aura vento rarior, etsi de vento aura, non tamen ventus aura. Capit etiam imaginem spiritus dicere flatum; nam et ideo homo imago Dei i. e. spiritus; Deus enim spiritus. Imago ergo spiritus afflatus. Porro imago veritati non usquequaque adaequabitur. Aliud est enim secundum veritatem esse, aliud ipsam veritatem esse. ... Nec tu enim, si in tibiam flaveris, hominem tibiam feceris, quamquam de anima tua flaveris, sicut et Deus de spiritu suo. ... Nec urceus factus a figulo ipse erit figulus; ita nec afflatus factus a spiritu ideo erit spiritus etc.*" [4])

5. De peccato originali.

§. [illegible] Tertullianus *traducianismo* favens (cf. De anima c. 27. 36. 37) „*A primordio,* inquit, *in Adam concreta et configurata corpori anima, ut totius substantiae ita et conditionis istius semen efficit.* [1]) ... *Anima* enim hominis *velut surculus quidam ex matrice* Adam *in propaginem deducta et genitalibus feminae foveis commendata cum omni sua paratura pullulabit tam intellectu quam et sensu.* [2]) ... Per Satanam *homo a primordio*

3) *Ib.* c. 8 med., p. 84 sq.

4) *Ib.* c. 9 post pr., p. 85 sq.

1) *De anima* c. 9 in fine in Tertull. Opp. edit. Leopold. P. IV. p. 190.

2) *Ibid.* c. 19 post med., ed. laud. p. 19[illegible].

masculi, in virginem aeque introducendum erat Dei verbum exstructorium vitae, ut quod per ejusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti, crediderat Maria Gabrieli; quod illa credendo deliquit, haec credendo delevit. [1]) .... Deinde pergit: *Non competebat autem ex semine humano Dei Filium nasci, ne, si* **totus** *esset filius hominis, non esset et* **Dei** *filius. ... Ergo jam Dei filius ex Patris Dei semine, i. e. spiritu, ut esset filius hominis, caro ei* **sola** *erat ex hominis carne sumenda* **sine** *viri* **semine**. *Vacabat enim viri semen apud habentem Dei semen. Itaque sicut nondum natus ex virgine patrem Deum habere potuit sine homine matre; aeque cum de Virgine nasceretur, potuit matrem habere* **hominem** *sine homine patre.*" [2])

c. *passus in redemtionem tam carnis nostrae quam animae.*

§. 636. Similiter conversus ad illos aeque sibi prudentes (*Valentinianos*), qui carnem Christi animalem, ergo et animam carnalem affirmabant: Ego, inquit, *non video, cur eam carnem fecerit animalem induendo carnem, quasi aliter animam salvam facere non posset, nisi carneam faciens. Cum enim nostras animas non tantum non carneas, sed etiam a carne disjunctas salvas praestet, quanto magis illam, quam ipse suscepit, etiam non carneam redigere potuit in salutem! Item cum praesumant, non carnis, sed animae nostrae solius liberandae causa processisse Christum, primo quam absurdum est, ut animam solam liberaturus id genus corporis eam fecerit, quod non erat liberaturus? Deinde si animas nostras per illam, quam gestavit, liberare susceperat, illam quoque, quam gestavit, nostram gestare debuerat, i. e. nostrae formae. ... Ceterum non nostram*

1) Ibid. c. 17 post pr., ed. laud. p. 83 sq.
2) Ib. c. 18 pr., p. 84.

animam liberavit, si carneam habuit; nostra enim carnea non est. Porro si non nostram liberavit, nihil ad nos, quia non nostram liberavit. Sed nec liberanda erat, quae non erat nostra, ut scilicet carnea; non enim periclitabatur, si non erat nostra, i. e. non carnea. Sed liberatam constat illam. Ergo non fuit carnea, et fuit nostra, si ea fuit quae liberaretur, quoniam periclitabatur. [4]) ... Et alibi praeclare: „*Hic*, ait, (Jesus Christus) *sequester Dei atque hominum appellatus, ex utriusque partis deposito commisso sibi carnis quoque depositum servat in semet ipso, arrabonem summae totius. Quemadmodum enim nobis arrabonem spiritus reliquit, ita et nobis arrabonem carnis accepit, et vexit in coelum pignus totius summae illuc quodammodo redigendae. Securi estote, caro et sanguis, usurpastis et coelum et regnum Dei in Christo.*“ [5])

7. De sacramentis.

a. generatim.

§. 687. Haec Christi *incarnatio* item causa est, cur in *Sacramentis* quoque per signa *visibilia* et *externa*, i. e. carnem proxime afficientia, divinam gratiam communicare Deus dignatus sit. Unde Tertullianus: „*Videamus nunc*, inquit, *quanta huic substantiae frivolae ac sordidae* (sc. carni) *apud Deum praerogativa sit, etsi sufficeret illi, quod nulla omnino anima salutem possit adipisci, nisi, dum est in carne, crediderit; adeo caro salutis est cardo. Denique cum anima Deo allegitur, ipsa est, quae efficit, ut anima allegi possit. Scilicet caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur; caro corpore*

---

4) *Ib.* c. 10 pr., p. 75 sq.

5) *De carnis resurrectione* c. 51 post pr., ed. laud. P. IV. p 153 sq.

et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur. Non possunt ergo separari in mercede, quas opera conjungit." [1])

b. speciatim.

aa. Baptismus.

α) Materia, forma, effectus baptismi, ejusque necessitas.

§. 628. In peculiari, quod *de Baptismo* scripsit, opusculo Tertullianus egregie cum de *materia* tum de *forma* et miris hujus sacramenti *effectibus* disserit. „*Felix*, ait, *sacramentum aquae nostrae, qua abluti delictis pristinae coecitatis in vitam aeternam liberamur!*" [2]) Et primum eos increpat, qui ex simplicitate actus magnificentiam subdubitant, quae in effectu repromittitur. „*Proh, misera incredulitas, quae denegas Deo proprietates suas, simplicitatem et potestatem! Quid ergo? nonne mirandum est, lavacro dilui mortem?* Utique. *Qualia enim decet esse opera divina, nisi super omnem admirationem? Nos quoque ipsi miramur, sed quia credimus. Ceterum incredulitas miratur, non credit. Miratur enim simplicia quasi vana, magnifica quasi impossibilia. . . .* Atvero *stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientiam ejus, et praedifficilia penes homines facilia penes Deum.*" [3]) Exponens deinde, cur ista materia tantae dignationis meruerit officium, concludit, „*non esse dubitandum, si materiam, quam in omnibus rebus et operibus suis Deus disposuit, etiam in Sacramentis propriis parere fecit; si, quae vitam terrenam gubernat, et in coelesti procurat.*" [4]) Scriptum est enim: *Spiritus Dei super aquas ferebatur* (Genes. I. 2). „*Ita de sancto sanctificata natura aqua-*

---

1) *De resurrectione carnis* c. 8 post pr., in Tertull. Opp. omn. ed. laud. P. IV. p. 101.

2) *De baptismo* c. 1 pr., in Tertull. Opp. ed. laud. P. II. p. 32.

3) *Ibid.* c. 2 med., p. 33.

4) *Ib.* c. 3 fin., p. 34.

rum et ipsa sanctificare concepit. ... Igitur omnes aquae de pristina originis praerogativa sacramentum sanctificationis consequuntur invocato Deo. Supervenit enim statim spiritus de coelis et aquis superest, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatae vim sanctificandi combibunt. Quamquam ad simplicem actum competat similitudo, ut, quoniam vice sordium delictis inquinamur, aquis abluamur. Sed delicta sicut non in carne comparent, quia nemo super cutem portat maculam idololatriae aut stupri aut fraudis; ita ejusmodi in spiritu sordent, qui est auctor delicti. Spiritus enim dominatur, caro famulatur; tamen utrumque inter se communicant reatum, spiritus ob imperium, caro ob ministerium. Igitur medicatis quodammodo aquis per angeli interventum, et spiritus in aquis corporaliter diluitur, et caro in eisdem spiritaliter mundatur." 6) Et provocans ad Gentilium lavationes et aspersiones aquae, „*Igitur*, ait, *si de sola natura aquis, quod propria materia sit abluendi in auspicia emundationis, blandiuntur; quanto id verius aquae praestabunt per Dei auctoritatem, a quo omnis natura earum constituta est? Si religione aquam medicari putant, quae potior religio, quam Dei vivi?* ... Provocat item ad piscinam Bethsaidam, quam quotannis angelus interveniens commovebat, ut, quicunque primus descenderat, sanaretur a languoribus suis. „*Figura ista medicinae corporalis spiritalem medicinam canebat, ea forma, qua semper carnalia in figura spiritalium antecedunt. Proficiente itaque in hominibus gratia Dei, plus aquis et angelo accessit; qui vitia corporis remediabant, nunc spiritum medentur; qui temporalem operabantur salutem, nunc aeternam reformant; qui unum semel anno liberabant, nunc quotidie populos conservant, deleta morte per ablutionem delictorum. Exemto scilicet reatu eximitur et poena. Ita restituitur homo Deo ad similitudinem ejus, qui retro ad imaginem Dei fuerat, imago in effigie, simi-*

6) *Ib.* c. 4 med., p. 35.

litudo in aeternitate censetur. Recipit enim illum Dei spiritum, quem tunc de afflatu ejus acceperat, sed post amiserat per delictum.“ [6]) Unde etiam Christianorum baptismus longe praestantior illo est, quo baptizavit Joannes. Docet, „*divinum quidem eum baptismum fuisse, mandatu tamen, non et potestate. Nihil enim coeleste praestabat, sed coelestibus praeministrabat, poenitentiae scilicet praepositus, quae est in hominis potestate. ... Sed neque peccatum dimittit, neque Spiritum indulget, nisi Deus solus. ... Agebatur itaque baptismus poenitentiae quasi candidatus remissionis et sanctificationis in Christo subsecuturae.*“ [7]) Deinde eorum refutat sententiam, qui dicunt, baptismum non esse *necessarium*, quibus fides satis sit. „*At* in novo testamento, inquit, *ubi fides aucta est credendi in nativitatem, passionem resurrectionemque ejus, addita est ampliatio sacramento, obsignatio baptismi, vestimentum quodammodo fidei, quae retro erat nuda, nec potentiam habuit sine sua lege. Lex enim tinguendi imposita est, et forma praescripta. Ite, inquit, docete nationes etc. Huic legi collata definitio illa: Nisi quis renatus fuerit etc. obstrinxit fidem ad baptismi necessitatem.*“ [8]) Denique „*unus omnino baptismus est nobis tam ex Domini evangelio quam ex Apostoli literis, quoniam unus Dominus et unum baptismum et una ecclesia in coelis. ... Semel ergo lavacrum inimus, semel delicta diluuntur, quia ea iterari non oportet.* [9]) ... *Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, unum et ipsum, sanguinis scilicet, de quo Dominus: habeo, inquit, baptismo tingui, quum jam tinctus fuisset. Venerat enim per aquam et sanguinem, sicut Joannes scripsit, ut aqua tingueretur, sanguine glorificaretur, proinde nos faceret aqua vocatos, sanguine electos. ... Hic est baptismus,*

---

6) *Ib.* c. 6 post pr., p. 36 sq.
7) *Ib.* c. 10 post pr., p. 39 sq.
8) *Ib.* c. 13 post pr., p. 42.
9) *Ib.* c. 15 post pr., p. 43.

qui lavacrum et non acceptum repraesentat, et perditum reddit." [10])

b) Minister baptismi, patrini adhibiti, et ritus sacri.

§. 629. De *ministro* hujus sacramenti Tertullianus: „*Dandi quidem* baptismum, ait, *jus habet summus sacerdos, qui est Episcopus; dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate, propter Ecclesiae honorem, quo salvo salva pax est. Alioquin etiam laicis jus est. ... Sed quanto magis laicis disciplina verecudiae et modestiae incumbit, quum ea majoribus competat, ne sibi adsumant dicatum episcopis officium. ... Sufficiat scilicet, in necessitatibus utaris, sicubi aut loci aut temporis aut personae conditio compellit.*" [11]) Idem *sponsores* adhibitos fuisse testatur dicens: *Ceterum baptismum non temere credendum esse, sciunt, quorum officium est. ... Itaque pro cujusque personae conditione ac dispositione, etiam aetate, cunctatio baptismi utilior est, praecipue tamen circa parvulos. Quid enim necesse est, sponsores etiam periculo ingeri, qui et ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, et proventu malae indolis falli?* [12]) At *tempus* quod attinet „*diem baptismo sollemniorem Pascha praestat, cum et passio Domini, in quam tinguimur, adimpleta est. ... Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est. ... Ceterum omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile baptismo: siquidem de sollemnitate interest, de gratia nihil refert.*" [13]) De sacris autem *ritibus* Tertullianus monet: *Ingressuros baptismum orationibus crebris, jejuniis et geniculationibus et pervigiliis orare oportet, et cum confessione omnium retro delictorum, ut exponant etiam*

10) *Ib.* c. 16 pr., p. 44.
11) *Ib.* c. 17 pr., p. 44.
12) *Ib.* c. 18 pr., p. 45.
13) *Ib.* c. 19 pr., p. 46.

baptismum Joannis." [14]) Deinde: „*Aquam adituri, sed et aliquanto prius in ecclesia sub Antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo et pompae et angelis ejus. Dehinc ter mergitamur.* [15]) . . . *Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies; traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix*." [16])

bb. Confirmatio.

§. 640. S. *Confirmationem peculiare* quoddam et a baptismo tum quoad materiam et formam tum quoad effectus *distinctum* esse sacramentum, testatur Tertullianus describens illud aliquanto accuratius his verbis: „(Recipimus Spiritum Dei) *non quod in aquis* jam *Spiritum Sanctum consequamur, sed in aqua emundati sub angelo Spiritui Sancto praeparamur. Hic quoque figura praecessit. Sic enim Joannes ante praecursor Domini fuit, praeparans vias ejus; ita et angelus baptismi arbiter superventuro Spiritui Sancto vias dirigit ablutione delictorum, quam fides impetrat obsignata in Patre et Filio et Spiritu Sancto.* [1]) . . . *Exinde* vero *egressi de lavacro perungimus benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant. Ex quo Aaron a Moyse unctus est, unde Christus dicitur a chrismate, quod est unctio, quae Domino nomen accommodavit, facta spiritalis, quia spiritu unctus est a Deo Patre. ... Sic et in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritaliter proficit, quomodo et ipsius baptismi carnalis actus quod in aqua mergimur, spiritalis effectus, quod de-*

14) *Ib.* c. 20 pr., p. 46.

15) *De corona* c. 3 med., in Tertull. Opp. omn. ed. laud. P. I. p. 188.

16) *Ibid.* c. 4 pr., p. 189.

1) *De baptismo* c. 6 pr., in Tertull. Opp. ed. *Leopold.* P. II. p. 37.

lictis liberamur.[2]) *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum Sanctum. ... Tunc ille sanctissimus Spiritus super emundata et benedicta corpora libens a Patre descendit.*"[3]) Similiter alibi et adeo apertius *triplicem* effectum confirmationis denotat, ubi dicit: „*caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur.*"[4])

cc. *Eucharistia*

a) Sacramentum corporis et sanguinis Domini.

§. 641. Tertullianus retractans verba S. Scripturae, quibus institutio coenae Domini narratur, dicit: Christus „*itaque professus, se concupiscentia concupisse edere pascha ut suum (indignum enim, ut quid alienum concupisceret Deus), acceptum panem et distributum discipulis corpus suum illum fecit* „„Hoc est corpus meum"" *dicendo, id est figura corporis* mei." Ne vero putet aliquis, *figuram* sibi nihil significare aliud, quam merum *signum*, seu *symbolum*, statim subjungitur: „*Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Ceterum vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset.*"[1]) Nisi reale et substantiale fuisset corpus Christi, sed res vacua et phantasma, prout Marcion opinatus est, nec sub externa quadam specie et figura (sc. sub figura *panis*) potuisset praesentari. Unde Tertullianus continuo cum irrisione pergit: „*Aut si propterea panem corpus sibi finxit, quia corporis carebat veritate, ergo panem de-*

---

2) *Ibid.* c. 7 pr., p. 37.

3) *Ib.* c. 8 pr., p. 37 sq.

4) *De resurrectione carnis* c. 8 med., in Opp. Tertull. ed. laud. P. IV. p. 101.

1) *Adv. Marcionem* Lib. IV. c. 40 med., Tertull. Opp. omn. ed. laud. P. III. p. 248.

buit tradere pro nobis. Faciebat ad vanitatem Marcionis, ut panis crucifigeretur. ... Sic et in calicis mentione testamentum constituens, sanguine suo obsignatum, substantiam corporis confirmavit. Nullius enim corporis sanguis potest esse, nisi carnis. Nam et si qua corporis qualitas non carnea opponetur nobis, certe sanguinem nisi carnea non habebit. Ita consistit probatio corporis de testimonio carnis, probatio carnis de testimonio sanguinis." [2]) Eucharistia est igitur ex mente Tertulliani *verum Christi corpus sub figura panis;* [3]) et panis eucharisticus *repraesentatio corporis Christi.* [4]) Hanc autem repraesentationem non aliam significare nisi *realem*, adeo ut eucharisticum corpus Christi idem prorsus intelligeretur atque illud e Virgine assumtum, inde elucet, cum dicit: „*Proinde panis et calicis sacramenta jam in evangelio probavimus, corporis et sanguinis Dominici veritatem adversus phantasma Marcionis.* [5]) Etenim nihil sane probavit, si eucharisticum Christi corpus sub panis specie non idem fuisse intellexisset, quam quod ipse in incarnatione suscepit.

b) incruentum Novi Testamenti sacrificium.

§. 642. Atque haec reipsa sensisse Tertullianum, inde eo luculentius patet, quod in actu, quo *Eucharistia* a sacerdotibus conficitur, etiam *verum novi testamenti sacrificium* videt. Ad eos nempe conversus, qui tempore jejunii inter missarum sollemnia dare pacis osculum dubitarunt: „*Quale*, ait, *sacrificium est, a quo sine pace receditur? ... Similiter et stationum diebus non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto corpore Domini. Ergo devotum*

2) *Ibid.* c. eod., p. 248.
3) *Ib.* Lib. III. c. 19 med., p. 184.
4) *Ib.* Lib. I. c. 14 med., p. 56.
5) *Ib.* Lib. V. c. 8 post pr., p. 277.

Deo obsequium Eucharistia resolvit, an magis Deo obligat? Nonne sollemnior erit statio tua, si et ad aram Dei steteris? Accepto corpore Domini et reservato utrumque salvum est, et participatio sacrificii et executio officii.“ 6) Et alibi: „*Eucharistiae*, inquit, *sacramentum, et in tempore victus et omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis coetibus, nec de aliorum manu quam praesidentium sumimus. Oblationes* ***pro defunctis***, *pro* ***natalitiis, annua die*** *facimus.*“ 7)

dd. Sacramentum poenitentiae.

§. 643. Remissio peccatorum primum per baptismum deinde per ***poenitentiam*** accipitur. Sed „*piget secundae, imo jam ultimae spei subtexere mentionem, ne retractantes de residuo auxilio poenitendi spatium adhuc delinquendi demonstrare videamur. Absit, ut aliquis ita interpretetur, quasi eo sibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad poenitendum, et redundantia clementiae coelestis libidinem faciat humanae temeritatis. Nemo iccirco deterior sit, quia Deus melior est, totiens delinquendo, quotiens ignoscitur. ... Sed enim pervicacissimus hostis ille nunquam malitiae suae otium facit. Atquin tunc maxime saevit, cum hominem plene sentit liberatum; tunc plurimum accenditur, cum plurimum exstinguitur. ... Observat, oppugnat, obsidet, si qua possit aut oculos concupiscentia carnali ferire, aut animum illecebris saecularibus irretire, aut fidem terrenae potestatis formidine evertere, aut a via certa perversis traditionibus detorquere; non scandalis, non tentationibus deficit. Haec igitur venena ejus providens Deus, clausa licet ignoscentiae janua*

---

6) *De oratione* c. 14 post pr. (apud Murator. c. 18), in Opp. Tertull. ed. laud. P. II. p. 9 sq.; Cf. *De idololatria* c. 7, ed. laud. P. I. p. 85.

7) *De corona* c. 3 post med., ed. laud. P. I. p. 188; cf. *De exhortat. castitatis* c. 11, P. II. p. 109.

et intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo poenitentiam secundam, quae pulsantibus patefaciat; sed jam semel, quia jam secundo; sed amplius nunquam, quia proxime frustra. Non enim et hoc semel satis est? Habes, quod jam non merebaris; amisisti enim, quod acceperas. ... Verum non statim succidendus ac subruendus est animus desperatione, si secundae quis poenitentiae debitor fuerit. Pigeat sane peccare rursus, sed rursus poenitere non pigeat; pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari. Neminem pudeat; iteratae valetudinis iteranda medicina est. ... Offendisti, sed reconciliari adhuc potes. Habes, cui satisfacias, et quidem valentem." 1) Verum non in solo *interno* actu poenitentia consistit, sed in *exomologesi etiam externa*, nimirum facta *confessione*, suscepta *satisfactione*, et impetrata *absolutione* demum absolvitur, seu ut cum Tertulliano loquamur: Poenitentia „*non sola conscientia praeferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus, qui magis graeco vocabulo exprimitur et frequentatur, Exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione poenitentia nascitur, poenitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiae illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat sacco et cineri incubare, ... plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrimari et mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, presbyteris advolvi, et caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suae injungere. Haec omnia exomologesis, ut poenitentiam commendet. ... Cum igitur provolvit hominem, magis relevat; cum squalidum facit, magis mundatum reddit; cum accusat, cum condemnat, absolvit. In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi*

1) *De poenitentia* c. 7 post pr., in Tertull. Opp. omn. ed. *Leopold*. P. II. p. 56 sq.

Deus, crede, parcet." [2]) De confessione peccatorum dicit: „*Nobis gratulandum est, si non publice confitemur iniquitates aut turpitudines nostras.*" [3]) Ergo non publica fieri oportebat omnino peccatorum confessio, nisi hoc satius sacerdoti videratur, nec *generalis* duntaxat, cum ibidem aperte opus esse ait „*confessione omnium retro delictorum.*" Praeclare autem de falso et intempestivo *pudore* in confitendis peccatis disserit auctor, observans: „*Plerosque tamen hoc opus, ut publicationem sui, aut suffugere aut de die in diem differre, praesumo; pudoris magis memores quam salutis, velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conscientiam medentium vitant, et ita cum erubescentia sua pereunt. ... Nec tu verecundia bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum vero subducens! ... Ergo cum te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras. Aeque illi, cum super te lacrimas agunt; Christus patitur, Christus Patrem deprecatur. Facile impetratur semper, quod filius postulat.*" [4]) *Effectus* autem sacramenti poenitentiae est remissio reatus et poenae. „*Si de exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis exstinguit, et poenae prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites.*" [5])

ee. Matrimonium.

§. 644. „*Matrimonium*" ex definitione Tertulliani „*est, cum Deus jungit duos in unam carnem, aut junctos deprehendens in eadem carne conjunctionem signavit.* [1]) Quod *si ita factum est a primordio, invenimus*

2) *Ibid.* c. 9 post pr., ed. laud. p. 58 sq.
3) *De baptismo* c. 20 post pr., ed. laud. P. II. p. 40.
4) *De poenitentia* c. 10 pr., ed. laud. P. II. p. 59.
5) *Ibid.* c. 12 pr., p. 60.
1) *De monogamia* c. 9 med., in Tertull. Opp. omn. ed. *Leopold.* P. II. p. 123 sq.

nos ad initium dirigi a Christo; sicut in quaestione repudii, dicens, illud propter duritiam ipsorum a Moyse esse permissum, ab initio autem non ita fuisse, sine dubio ad initium revocat matrimonii individuitatem. ... Et adeo in Christo omnia revocantur ad initium, ut et fides reversa sit a circumcisione ad integritatem carnis illius, sicut ab initio fuit, et libertas ciborum et sanguinis solius abstinentia, sicut ab initio fuit, et repudii cohibitio, quod ab initio non fuit, et postremo totus homo in paradisum revocatur, ubi ab initio fuit. [2]) ... Itaque *ad legem semel nubendi dirigendam ipsa origo humani generis patrocinatur, contestans, quid Deus ab initio constituerit in formam posteritati recensendam. ... Et ideo homo Dei, Adam, et mulier Dei, Eva, unis inter se nuptiis defuncti sunt. ... At cum Apostolus in Ecclesiam et Christum interpretatur: Erunt duo in carne una; secundum spiritales nuptias Ecclesiae et Christi (unus enim Christus et una ejus Ecclesia) agnoscere debemus duplicatam et exaggeratam esse nobis unius matrimonii legem tam secundum generis fundamentum quam secundum Christi firmamentum. De uno matrimonio censemur utrobique, et carnaliter in Adam et spiritaliter in Christo; duarum nativitatum unum est monogamiae praescriptum.*“ [3]) Nec dubitat, „*nunc eundem Deum probare masculi et Christi, mulieris et Ecclesiae, carnis et spiritus, ipso Apostolo sententiam Creatoris adhibente imo et disserente: Propter hanc relinquet homo patrem et matrem, et erunt duo in carne una; sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico, inquit, in Christum et Ecclesiam. Habet interpretationem, non separationem sacramenti; ostendit figuram sacramenti ab eo praeministratam, cujus erat utique sacramentum.*“ [4]) Et alibi: „*Unde*, inquit,

---

2) *Ibid.* c. 5 post pr., ed. laud. p. 117.

3) *De exhort. castitatis* c. 5 pr., ed. laud. P. II. p. 103 sq.

4) *Adv. Marcion.* Lib. V. c. 18 post med., Opp. ed. laud. P. III. p. 309 sq.

sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater rato habet. Nam nec in terris filii sine consensu patrum recte et jure nubunt. Quale jugum fidelium duorum unius spei, unius disciplinae, ejusdem servitutis? Ambo fratres, ambo conservi, nulla spiritus carnisve discretio. 5) ... *Haec cum ita sint, fideles gentilium matrimonia subeuntes stupri reos esse constat et arcendos ab omni communicatione fraternitatis, ex literis Apostoli dicentis, cum ejusmodi nec cibum sumendum.*“ ... Deinde recenset „*cetera pericula et vulnera fidei ab Apostolo provisa, non carnis tantum verum etiam ipsius spiritus molestissima. Quis enim dubitet, obliterari quotidie fidem commercio infideli? Bonos corrumpunt mores confabulationes malae, quanto magis convictus et individuus usus?* 6) ... *Audiat sane, audiat aliquid de scena, de taberna, de ganea; quae Dei mentio? quae Christi invocatio? Ubi fomenta fidei de Scripturarum interlectione? ubi spiritus refrigerium? ubi divina benedictio? omnia extranea, omnia inimica, omnia damnata, atterendae saluti a malo immissa.* 7) *Haec si illis quoque evenire possint* (feminis), *quae in matrimonio Gentilis fidem adeptae morantur, tamen excusantur, ut in ipsis deprehensae a Deo, et jubentur perseverare et sanctificantur et spem lucrationis accipiunt. ... Ceterum aliud est ultro et sponte in prohibita descendere. ... Habes causam, qua non dubites, nullum hujusmodi matrimonium prospere decurri, dum a malo conciliatur, a Domino vero damnatur.*“ 8)

---

5) *Ad uxorem* Lib. II. c. 9 post pr., Opp. ed. laud. P. II. p. 77.
6) *Ibid.* c. 3 pr., p. 73.
7) *Ib.* c. 6 fin., p. 75.
8) *Ib.* c. 7 pr., p. 75 sq.

8. De virginitatis et viduitatis praestantia.

§. 645. Egregia sunt et cum doctrina ecclesiastica plane concordantia, quae Tertullianus de *Virginitatis et Viduitatis praestantia* docet. „*Prohiberi nuptias,* inquit, *nusquam omnino legimus, ut bonum scilicet. Quid tamen bono isto melius sit, accipimus ab Apostolo, permittente quidem nubere, sed abstinentiam praeferente, illud propter insidias tentationum, hoc propter angustias temporum. ... Plane bonum hoc antecedet, quod non modo non obest, sed insuper prodest. Itaque malle debes, quod prodest, quam quod non obest. Ad primum enim locum certamen omne contendit; secundus solatium habet, victoriam non habet. Quodsi Apostolo auscultamus, obliti posteriorum extendamur in priora, et meliorum donationum sectatores simus. Si nobis laqueum non imponit, quid utilitatis sit, ostendit, dicens: Innupta de dominicis cogitat, uti corpore et spiritu sancti sit etc.*[9]) ... *Sed carnem legimus infirmam, et hinc nobis adulamur impensius; legimus tamen et spiritum firmum. ... Tu* vero *adversus consilia haec* (carnis) *adhibe sororum nostrarum exempla, quarum nomina penes Dominum, quae nullam formae vel aetatis occasionem praemissis maritis sanctitati anteponunt. Malunt enim Deo nubere, Deo speciosae, Deo sunt puellae; cum illo vivunt, cum illo sermocinantur, illum diebus et noctibus tractant; orationes suas velut dotes Domino adsignant; ab eodem dignationem velut munera maritalia, quotiescunque desiderant, consequuntur. ... Quot enim sunt, qui statim a lavacro carnem suam obsignant, quot item, qui consensu pari inter se matrimonii debitum tollunt, voluntarii spadones pro cupiditate regni coelestis.*[10]) ... *Nobis continentia ad instrumentum aeter-*

---

9) *Ad uxorem* Lib. I. c. 3 post pr., Opp. omn. ed. laud. P. II. p. 63 sq.

10) *Ibid.* c. 6 med., ed. laud. p. 67.

nitatis demonstrata est a Domino salutis, ad testimonium fidei, ad commendationem carnis istius exhibendae superventuro indumento incorruptibilitatis, ad sustinendam novissime voluntatem Dei. ... Quantum fidei detrahant, quantum obstrepant sanctitati nuptiae secundae, disciplina Ecclesiae et praescriptio Apostoli declarat, cum digamos non sinit praesidere, cum viduam allegi in ordinem, nisi univiram, non concedit; aram enim Dei mundam proponi oportet."[11]) *Viduitatis* autem praestantiam cum *virginitatis* laude comparans: „*Licet*, inquit, *virginibus integritas solida et tota sanctitas de proximo visura sit faciem Dei; tamen vidua habet aliquid operosius, quia facile est non appetere quod nescias, et aversari quod desideraveris nunquam. Gloriosior continentia, quae jus suum sentit, quae quid viderit novit. Poterit virgo felicior haberi, at vidua laboriosior; illa, quod bonum semper habuit; ista, quod bonum sibi invenit; in illa gratia, in ista virtus coronatur. ... Stude igitur ad virtutem continentiae, quae pudori procurat, sedulitati, quae nugas non facit, frugalitati, quae seculum spernit.*[12]) ... *Nupsisti enim Christo, illi tradidisti carnem tuam, illi sponsasti maturitatem tuam.*"[13])

9. De resurrectione carnis.

§. 646. Tertullianus in libro peculiari, quem scripsit *De resurrectione carnis*, multa et gravissima hujus dogmatis argumenta adstruit. „*Cum enim* (Apostolus) *de lumine, quod illuxerit Deus in cordibus nostris ad illuminationem agnitionis gloriae suae in persona Christi, dicit, habere nos thesaurum istum in testaceis vasis, scili-*

11) *Ib.* c. 7 pr., p. 68.

12) *Ib.* c. 8 med., p. 69.

13) *De virgg. velandis* c. 16 sub fin., Opp. omn. ed. laud. P. II. p. 217.

est in carne; utrumne, quia testacea est secundum originem in limo, destruetur? an, quia divini thesauri conditorium est, extolletur? Atqui si lumen ipsum illud verum, quod est in persona Christi, vitam in se continet, eaque vita cum lumine committitur in carnem; peritura est, in quam vita committitur? [1]) ... *Igitur ut retexam, quam Deus manibus suis ad imaginem Dei struxit, quam de suo afflatu ad similitudinem suae vivacitatis animavit, quam incolatui, fructui, dominatui totius suae operationis praeposuit, quam sacramentis suis disciplinisque vestivit, cujus munditias amat, cujus castigationes probat, cujus passiones sibi appretiat; haeccine* (caro) *non resurget totiens Dei? Absit, ut Deus manuum suarum operam, ingenii sui curam, afflatus sui vaginam, molitionis suae reginam, liberalitatis suae haeredem, religionis suae sacerdotem, testimonii sui militem, Christi sui sororem — in aeternum destituat interitum.*“ [2]) Sub finem autem hujus libri disceptationem suam his verbis concludit: „*Resurgit igitur caro, et quidem omnis, et quidem ipsa, et quidem integra; in deposito est ubicunque apud Deum per fidelissimum sequestrem Dei et hominum Jesum Christum, qui et homini Deum et hominem Deo reddet, carni spiritum et spiritui carnem. Utrumque jam in semetipso foederavit, sponsam sponso et sponsum sponsae comparavit. Nam etsi animam quis contenderit sponsam, vel dotis nomine sequetur animam caro. Non erit anima prostituta, ut nuda suscipiatur a sponso; habet instrumentum, habet cultum, habet mancipium suum carnem, ut collactanea comitabitur. Sed caro est sponsa, quae et in Christo Jesu spiritum sponsum per sanguinem passa est. Hujus interitum, quem putas, secessum scias esse. Non sola anima seponitur. Habet et caro secessus suos interim in aquis, in ignibus, in alitibus, in bestiis; cum in haec dissolvi videtur,*

---

1) *De resurrect. carnis* c. 44 post pr., Tertull. Opp. omn. ed. *Leopold.* P. IV. c. 142.

2) *Ibid.* c. 9 pr., ed. laud. p. 102.

velut in vasa transfunditur. Si etiam ipsa vasa defecerint, cum de illis quoque effluxit in suam matricem terram, quasi per ambages resorbetur, ut rursus ex illa praesentetur Adam auditurus a Domino: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, vere tunc compos mali, quod evasit, et boni, quod invasit. Quid, anima, invides carni? Nemo tam proximus tibi, quem post Dominum diligas; nemo magis frater tuus, quam quae tecum etiam in Deo nascitur. Tu potius illi exorare debueras resurrectionem, per te si forte deliquit." [3])

III.

Cajus Presbyter Romanus.

A. Vita.

§. 647. *Cajus* sive *Gajus* [1]) quidam, vir ecclesiasticus, qui *Zephyrini* Romanae urbis Episcopi temporibus floruit, [2]) non alius videtur esse ab illo, cujus mentio fit ad calcem *Actorum B. Polycarpi* (§. 260) editionis Usserianae, ubi legimus, illum cum S. Irenaeo conversatum esse, et Smyrnensium Epistolam ex ipsius Irenaei exemplaribus transscripsisse. [3]) Is igitur *presbyter Romanus*, et Photio testante adeo *Episcopus gentium* (sc. in partibus infidelium

---

3) *Ib.* c. 63 pr., p. 167 sq.

1) Cf. *Ell. Dupini* Nova Bibliotheca auctt. eccl. (edit. lat. Paris. 1692. IV. 4.) Vol. I. p. 110 sq.; *Alb. Fabricii* Biblioth. graec. Vol. V. p. 267; *Guil. Cavei* Historia litt. Scriptt. eccl. T. I. p. 100; *Matth. Schroeckh* Kirchengeschichte T. III. p. 424; *Gfr. Lumperi* Hist. theol.-crit. de SS. PP. P. XI. p. 20 sqq.; *Fel. Baehr* Die chr.-röm. Theologie §. 22 pr., p. 46 sq.; *Ad. Moehler* Patrologie p. 617 sqq.

2) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. II. c. 25. nr. 3, ed. *Zimmermanni* p. 126.

3) *Eccl. Smyrnensis Epist. encycl. de martyrio Polycarpi*, c. 15, in Actt. SS. m. Januar. T. II. p. 705.

sine certa sede) ordinatus fuit.[4]) *Scripsisse* illum intra annos 196—212, *obiisse vero* c. a. 217 verisimile est.

B. Scripta nunc fere deperdita.

1. Genuina:

a. *Disputatio adversus Proclum.*

§. 648. Cajus egregius fuisse traditur haereticorum adversarius, quos ore calamoque acriter impugnavit. Imprimis Romae habuisse dicitur insignem *disputationem adversus Proclum*,[5]) Montani sectatorem tunc temporis euditissimum adeo suae sectae spectatum, ut ipse Tertullianus eum magni faceret (§. 597). Hanc igitur disputationem, qua Proclum temeritatis super nova prophetia defendenda coarguit, etiam literis mandavit, et graecis quidem, ut videtur, siquidem Eusebius *quatuor ex ea fragmentula* laudat; *unum*, in quo Cajus de loco loquitur, ubi beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli sacra corpora deposita sunt: „*Ego vero*, inquit, *Apostolorum tropaea possum ostendere. Nam sive in Vaticanum sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi tropaea eorum, qui ecclesiam illam* (Romanam) *fundaverunt;*“[6]) *alterum*, in quo observat, quod „*Cerinthus per revelationes quasdam, ab ipso tanquam a magno Apostolo conscriptas, portenta quaedam quasi ab angelo sibi ostensa commentus nobis induxit, affirmans, post resurrectionem regnum Christi in terris futurum, ac rursus homines*

---

4) *Photii* Biblioth. Cod. XLVIII. Cf. *Le Moynii* Varia Sacra T. II. p. 937 sqq.

5) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 20 med., ed. laud. p. 427; *S. Hieronym.* De viris illustr. c. 59, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV, P. II. col. 117; *Photii* Biblioth. l. l.

6) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. II. c. 25 nr. 3. fin., ed. laud. p. 126 sq.

Hierosolymis degentes cupiditatibus et voluptati corporis obnoxios fore," *etc.;* [7]) *tertium*, in quo Procli Montanistae testimonium de Philippi Apostoli ejusque filiarum exitu adfert dicentis, *quatuor Philippi filias prophetidas fuisse Hierapoli Asiae civitate, ubi etiam earum et patris Philippi sepulchrum visitur;* [8]) *alio* denique loco Eusebius Cajum *tredecim solum divi Pauli epistolas commemorasse, eamque, quae ad Hebraeos scripta est, cum reliquis non adnumerasse* testatur. [9]) Haec fragmenta ex Eusebio decerpta collegit *Andr. Gallandius* in sua Bibliotheca vett. SS. PP. T. II. p. 204 sq.

b. Parvus Labyrinthus.

§. 649. Librum, cui titulus *Parvus Labyrinthus, contra Artemonem et Theodotum coriarium* scriptum extitisse adhuc suo tempore, *Theodoretus* nobis fidem facit. Auctoris quidem nomen ipse non compertum habuit, id tamen observat, eos, qui *Origenis* illum esse, opinati sunt, manifesto errare. [10]) *Photius* vero eundem librum communi opinione Cajo nostro, „*qui et disputationem contra Proclum scripsit*" adcenseri testatur. [11]) Unde non est dubitandum, quin ii loci, quos Eusebius ex libro quodam *adversus Artemonem* adfert, etsi neque titulum libri, unde excerpti sunt, neque auctoris nomen indicaverit, tamen reapse ex illo nostri Caji presbyteri opusculo desumti sint. In hoc igitur libro, cujus insigne quoddam fragmentum memoriae nostrae reliquit Eusebius, auctor illum Artemonis, Theodoti Coriarii, Pauli Samosatensis, qui Christum merum hominem esse dicebant, haeresin ante

7) *Idem* ib. Lib. III. c. 28. nr. 1, p. 189.
8) *Id.* ib. Lib. III. c. 31. nr. 2. fin., p. 104 sq.
9) *Id.* ib. Lib. VI. c. 20 sub fin., p. 427.
10) *Theodoreti* Haeretť. fabul. Lib. II. c. 5; item *Niceph. Callist.* Hist. eccl. Lib. IV. c. 20.
11) *Photii* Biblioth. Cod. XLVIII.

paucos annos invectam esse coarguens, quandoquidem sectae illius principes vetustissimam illam esse jactabant, post alia multa adversus impium eorum mendacium adducta haec ad verbum refert: *Affirmant enim*, inquit, *priscos quidem omnes, et ipsos Apostolos ea, quae ab ipsis nunc dicuntur, et accepisse et docuisse; ac praedicationis quidem veritatem esse custoditam usque ad Victoris tempora, qui tertius decimus a Petro Romanae urbis episcopus fuit; a Zephyrini autem temporibus, qui Victori successit, adulteratam fuisse veritatem. Ac fortasse id, quod dicunt, credibile videretur, nisi eis refragarentur primum quidem divinae Scripturae, deinde fratrum quorundam scripta, Victoris aetate antiquiora, quae illi adversus gentes et contra sui temporis haereticos pro veritatis defensione scripserunt; Justinum intelligo, et Miltiadem et Tatianum et Clementem, aliosque quamplurimos, in quorum omnium libris Christi divinitas adstruitur. Nam Irenaei quidem et Melitonis et reliquorum scripta quis est qui ignoret, in quibus Christum Deum simul atque hominem praedicarunt? Psalmi quoque et cantica fratrum, jam pridem a fidelibus conscripta, Christum Verbum Dei concelebrant, divinitatem ei tribuendo. Cum igitur tot adhinc annis ecclesiastica doctrina praedicata sit, qui fieri potest, ut omnes usque ad Victoris tempora eam, quam isti dicunt, doctrinam promulgaverint? Quomodo eos non pudet hujusmodi calumniam adversus Victorem concinnare, cum certo sciant, Theodotum coriarium, qui defectionis illius Deum abnegantis parens et auctor fuit, primusque Christum nudum esse hominem asseruit, per Victorem a communione Ecclesiae ejectum fuisse? Nam si, ut ajunt, Victor eadem sentiebat, quae illorum docet impietas, cur Theodotum opinionis illius auctorem ab Ecclesia removit?*“ 12) *Aliud* fragmentum, ex eodem libro desumtum, illustre quoddam poenitentiae

---

12) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. V. c. 28. nr. 1. 2, ed. laud. p. 375 sqq.

exemplum adstruit confessoris cujusdam nomine *Natalis*,[13]) quam historiam nos infra in vita *Zephyrini Papae* (§. 753) lectoribus nostris ex Eusebio referemus. Rursus *alia* ejusdem Scriptoris, quem nos fuisse Cajum judicamus, de iisdem haereticis (sc. *Antitrinitariis* sive *Unitariis*) verba nobis refert Eusebius, quae sic habent: *Sacras quidem, inquit, Scripturas audacter adulteraverunt, primitivae autem fidei regulam rejecerunt, Christum ipsum denique ignoraverunt, non inquirentes, quid sacrae doceant Scripturae, sed cujusmodi syllogismorum figura ad confirmandam impietatem suam reperiatur, assidue meditantes. Quodsi quis aliquem divinae Scripturae locum eis objiciat, examinant, utrum connexum an disjunctum syllogismi genus ex eo confici possit. Relictisque et abjectis sacris Dei Scripturis geometriae student etc. . . . Hinc est, quod divinis Scripturis audacter manus intulerunt, eas a se emendatas esse dicentes. Atque id a me non falso iis objici, quisquis voluerit facile cognoscet. Nam si quis exemplaria illorum undique conquisita simul inter se contulerit, inveniet profecto, illa inter se plurimum dissentire.*“ Et exemplis pluribus allatis pergit: „*Aut enim sacras Scripturas a S. Spiritu dictatas esse non credunt, ac proinde infideles sunt; aut semet ipsos Spiritu Sancto sapientiores esse existimant, ac proinde quid aliud sunt, quam daemoniaci? Neque enim negare possunt, hoc facinus a se admissum esse, cum ipsorum manu descripta sint exemplaria; neque ab illis, a quibus in christiana fide instituti sunt, ejusmodi codices acceperint, nec ostendere possint exemplaria, ex quibus sua illa descripserunt. Quidam autem ex ipsis non adulterare solum Scripturas conati sunt, sed legem ac prophetas absolute repudiantes per illegitimam et impiam doctrinam sub obtentu gratiae in altissimum exitii gurgitem delapsi sunt.*“ [14]) Haec

---

13) *Idem* ibid. nr. 3. 4, p. 377 sq.

14) *Id.* ib. nr. 5. 6. 7, p. 378—381.

cum reliquis Caji fragmentis exhibet etiam *Gallandii* Bibliotheca vett. PP. l. l.

2. Alia Ejusdem, sed dubia aut omnino supposita opuscula.

§. **650.** *Theodoretus* etiam *libri adversus Cerinthum* a Cajo exarati meminit.[15]) Utrum vero *peculiare* quoddam opusculum voluerit significare, an ea, quae Cajus in *libro contra Proclum* obiter etiam de Cerintho disputavit, difficile est dictu. Etenim ex fragmento, quod nos ceu secundum ex illa disputatione supra annotavimus (§. 648), satis apparet, quod et Cerinthi haeresiarchae ibi non leviter attigerit. — Idem teste *Photio librum De causa Universi* concinnasse dicitur;[16]) cujus tamen probabilius auctorem *S. Hippolytum* Portuensem Episcopum et Martyrem fuisse ostendimus (§. 370). — Denique *Ant. Muratorius* e bibliotheca Ambrosiana Mediolanensi eruit *fragmentum quoddam de canone SS. Scripturarum*, quod eidem Cajo tribuendum esse hoc potissimum argumento sibi persuadebat, quod in eo indice librorum, qui tunc temporis pro sacris bibliis habiti sunt, *epistola B. Pauli ad Hebraeos* deest. Id enim non solum cum Irenaeo et Hippolyto, seculi secundi et tertii Scriptoribus omnino congruit, sed etiam expresse de Cajo nostro ab Eusebio notatur.[17]) Haec autem sola ratio num sufficiat ad defendendam illius fragmenti genuinitatem, alii viderint; nos non possumus non notare, quod vir doctissimus *Moehlerus* observavit, fragmentum istud passim loca inepta, falsa, impedita et confusa continere supra quam cuiquam ab insigni eruditione Caji nostri credibile sit.[18]) Editum est fragmentum in *Ant. Muratorii*

---

15) *Theodoreti* Haerett. fabul. Lib. II. c. 3.
16) *Photii* Biblioth. l. l.
17) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 20 sub fin., p. 427.
18) *Moehler* Patrologie T. I. p. 619.

Antiquitt. Ital. medii aevi (Mediolani 1738. f.) T. III. p. 851 sq.

IV.

S. Cornelius Pontifex Romanus, Martyr.

A. Vita.

§. 651. Post *Fabiani* (§. 758) obitum sedes Romana ultra anni spatium vacaverat, *Decio* prohibente, ne successor ei sufficeretur. [1]) Tandem circa vernum tempus *anni* 251 contigit, ut *Cornelius* eo ordine ac modo, quo *S. Cyprianus* narrat, [2]) eligeretur. Erat is natione Romanus, Castino patre natus, prout *Anastasius bibliothecarius* refert. Illum autem per omnes ecclesiasticos ordines et insignia in Ecclesiam merita ad supremum Episcopatus apicem ascendisse, irrefragabilis testis est S. Cyprianus in laudata epistola ad Antonianum. Sub ejus pontificatu turbatum est a *Novato* et *Novatiano* (§. 654) super recipiendis lapsis; ac uterque, cum nimia audacia rigorem suum defenderent, a synodo Romae hac de causa congregata, Ecclesiae communione privati sunt, consentientibus omnium per Italiam et Africam aliasque locorum illorum provincias Episcoporum sententiis. [3]) Sedit Cornelius annum unum, menses tres, dies decem, martyrioque coronatus est *Gallo* et *Volusiano* Coss., [4]) passus eodem die,

1) Epist. *Presbytt. et Diacc. RR. ad Cyprian.* c. 6 (Pamel. Rigalt. Baluz. Ep. 31) in *Cyprian.* Opp. ed. *Gersdorf.* cur. *Goldhorn.* P. I. Epist. XXX. p. 59. Cf. *Pagii* Critic. hist. chron. in Annales Baronii ad a. 251. §. 19.

2) *S. Cyprian. ad Antonianum fratr.* Epist. (Pamel., Rigalt. Baluz. 52) in *Cypr.* opp. ed. laud. P. I. Epist. LV. c. 7. p. 107 sq.

3) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 43. nr. 1. 2, ed. *Zimmermann.* p. 465.

4) De variis *Eusebii, Hieronymi, Libri pontificalis,* aliorumque

quo Carthagine *Cyprianus*,[5] nempe XVIII Cal. Octobr. (i. e. 14 Septembris) *anni* vero 252. Quo vero mortis genere aut supplicio S. Pontifex obierit, plane incompertum est. *Pontificale Romanum* vulgo Damaso accensitum habet: „*Post hoc Centum-cellas* (q. e. hodie Civita vecchia) *expulsus, ibi cum gloria dormitionem accepit.*" Sunt igitur, qui eum naturali morte, licet per exilii ac forte etiam carceris aerumnas accelerata, occubuisse putant; alii vero, qui ambiguam illam phrasin de martyrio per supremum supplicium consummato accipiendam arbitrantur. Nec desunt testimonia gravia, qui posteriorem sententiam tueantur. Inprimis *S. Cyprianus* non semel eum „*beatum et gloriosum martyrem*" diserte praedicat.[6]) *Hieronymus* eundem ac Cyprianum „*felici cruore martyrium*" pertulisse laudat.[7]) Cum his praeterea *Eusebius* in Chronico, *Pacianus* in Epist. II ad Sempronianum, *S. Prosper Aquitanicus* in suo Chronico non minus aperte Cornelium martyrio coronatum consentiunt.

B. Scripta.

1. Epistolae genuinae.

§. 652. Eusebius *tres* tantum Cornelio tribuit epistolas, unam *ad Fabium Antiochenum*, alteram *De his quae in synodo* (Romana) *decreta fuerant*, et rursus aliam

---

monumentorum ea de re sententiis cf. *Lumperi* Hist. theol.-crit. de SS. PP., P. XI. p. 7 sq.

5) *S. Hieronym.* De viris illustr. c. 67, in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 119.

6) *S. Cyprian. ad Lucium fr.* (Pamel. Rigalt. Baluz. ep. 58) in Ej. Opp. ed. laud. P. I. Epist. LXI. c. 2. p. 153; *Idem ad Stephan. P.* (Pam. Rig. Bal. ep. 67), in Cypr. Opp. ed. laud. P. I. Epist. LXVIII. c. 6 (al. 7) p. 189.

7) *S. Hieronym.* De vir. ill. c. 66, in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 119.

ad Fabium supradictum *De facinoribus Novati.* [8]) S. Hieronymus autem *quatuor* enumerat, unam nempe ad Fabium Antiochenae ecclesiae episcopum de synodo Romana, Italica, Africana; alteram de Novatiano et de his, qui lapsi sunt; tertiam de gestis synodi (sc. Romanae); quartam ad eundem Fabium valde prolixam et Novatianae haereseos causas et anathema continentem. [9]) Verum minus attente locum Eusebianum inspexisse videtur S. Hieronymus; quam enim ipse *secundo* loco laudat epistolam, non Cornelio sed *Cypriano* adscripsit Eusebius. [10]) De his tribus igitur Cornelii epistolis, quarum Eusebius mentionem facit, primam atque tertiam *graeco* sermone scriptas fuisse, jam *Valesius* observavit, cujus sententia eruditissimis viris deinceps probatur. [11]) Hodiedum vero *unum* duntaxat sed satis amplum *fragmentum Epistolae tertiae* servatum legitur in *Eusebii* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 43. nr. 3—7, edit. laud. p. 466—471, et inde exscriptum in *Coustantii* Epistt. RR. Pontiff. ed. *Schoenemanni* p. 106—113. Praeter hasce epistolas graece exaratas idem S. Pontifex *aliquot latinas* etiam *ad S. Cyprianum* emisit, quarum *duae* tantum ad nos usque pervenerunt; altera ostendit, quales sint, quos Novatianus Carthaginem denuo miserat; altera, qui confessores Maximus presbyter, Urbanus et Sidonius ejurarint schisma, et in Ecclesia catholica recepti sint. Utraque conservata legitur inter epistolas *Cypriani*, ed. noviss. *Gersdorfiana* cur. *Goldhorn* P. I. Epist. XLIX et L, p. 95—97, (ap. Pamelium, Rigaltium, Baluzium epp. 46 et 48, in ed. nov. Paris. epp. 45. 47); item in *Coustantii* Epistt. RR. Pontiff. T. I. p. 133. 135, ex rec. *Schoenemanni* p. 97—

8) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 43. nr. 2, p. 465 sq.

9) *S. Hieronym.* De vir. ill. l. l.

10) *Euseb.* Hist. Eccl. l. l.

11) *Bolland.* Actt. SS. m. Septembr. T. IV. p. 180; *Petr. Coustantii* Epistt. RR. Pontiff. T. I. p. 145. not. a; *D. Mansi* Collect. Concil. T. I. col. 817. not. 1; *Andr. Gallandii* Biblioth. PP. T. III. Prolegg. p. XXIII. nr. 4.

101; porro in *Gallandii* Bibliotheca vett. PP. T. III. p. 337 sqq.; et in *Routh* Reliqq. sacr. T. III. p. 18. 23 sq.

2. Epistolae spuriae.

§. 652. Sub Cornelii nomine circumferuntur insuper *binae literae decretales* a Pseudo-Isidoro productae, quae in Coll. Concill. *Labbeana* T. I. col. 668 sqq. et *Mansiana* T. I. col. 811—817 asservantur. Earum epistola altera, *ad universam Ecclesiam* missa, de translatione SS. Petri et Pauli a se facta, ac de Novatiano aliisque haereticis tractat; altera *Rufo (vel Rustico) episcopo* nuncupata, de sacramento s. jurejurando Episcoporum eorumque causis agit. Verum utriusque multa sunt et manifesta *suppositionis* indicia, e. gr. consulatus adscripti cum aetate pontificatus Cornelii non congruentes, S. Scripturae secundum versionem Vulgatam citatio, sententiae ex Actis concilii Constantinopolitani sub Flaviano, ex epistola de vita Clericorum ad Oceanum sub nomine S. Hieronymi, ex concilio Romano V sub Symmacho Papa habito, ex S. Ambrosii Epistola XX, et aliunde corrasae. — *Alia* porro et similiter supposititia est ea epistola acris et vehemens, quae in *Coustant.* Epistt. RR. Pontiff. T. I. Append. p. 26, et in Cypriani Operum editione *Maurina* (Venet. 1728) excusa inter dubias Cypriani epistolas col. 393 recitatur velut *a Cornelio ad Cyprianum de non rebaptizandis haereticis* data. Nemo enim eruditorum nescit, hanc controversiam non Cornelium sed *Stephanum* inter et *Cyprianum* primum ortam esse. Imo vero ipse hujus epistolae tenor est, qui docet, eam a *Pseudo-Isidoro* quodam confictam. [12]) — *Alia* denique et ea quidem perbrevis epistola *ad Lupicinum Viennensem Episcopum* a viro clarissimo *Rob. Bellarmino* in suo libro

---

12) *D. J. H. Goldhorn* in sua *Cypriani* Opp. edit. (Lips. 1838. 39. II. 8.) P. I. Praef. p. VII sq.

De Scriptoribus ecclesiasticis memoratur. Extat ea in Bibliotheca PP. ed. Paris. 1589. T. III, in *Labbei* Collect. Conc. T. I. col. 829, in *Coustantii* Epistt. RR. Pontiff. T. I. Append. p. 25, et alibi. Jam vero *Labbeus* eam suspectam habet, et VV. DD. *Tillemontius*, *Natalis Alexander*, *Coustantius*, *Lumperus*, *Moehlerus*, alii eandem diserte inter supposititias reponunt. [13])

V.

Novatianus Presbyter Romanus.

A. Vita.

§. 654. *Novatianum* [1]) fuisse *Phrygia* oriundum *Philostorgius* tradit, [2]) et *Valesius* aliique VV. DD. in eandem sententiam adducti confirmant ea potissimum ratione, quod multos doctrinae suae sectatores in Phrygia Novatianus habuerit. Sed acutius vidisse videntur ii, qui hanc de Phrygia patria opinionem ex eo ipso potius natam existimant, quod ibidem dogmata ejus praecipue magni fierent, Phrygibus nempe suopte ingenio ad severiorem quamcunque disciplinam amplectendam propensioribus, ut

13) Argumenta suppositionis videsis apud *Tillemontium* in Mémoires pour servir à l'histoire eccl. T. III. not. 15. sur Corneille p. 352; et ap. *Lumperum* in sua Hist. theol.-crit. de SS. PP., P. XI. p. 15 sq.

1) *Dupini* Nov. Biblioth. auctt. eccl. (ed. lat.) T. I. p. 181; *Cavei* Hist. lit. Scriptt. eccl. (ed. nov.) Vol. I. p. 129 sq.; *Schroeckh* Kirchengeschichte T. IV. p. 301 sqq.; *Lumper* Hist. de SS. PP., P. XI. p. 20 sqq.; *Roesler* Biblioth. d. Kirchenväter T. III. p. 276 sqq.; *Schoenemann* Biblioth. PP. latt. T. I. p. 135 sq.; *Neander* Kirchengeschichte T. I. P. I. p. 388 sqq.; *Baehr* Die chr.-röm. Theologie §. 23, p. 47 sq.; *Moehler* Patrologie T. I. p. 894,

2) *Philostorg*. Hist. eccl. Lib. VIII. c. 15.

Montani historia confirmat. [3]) Philosophiam Stoicam, cui deditum fuisse eum omnes testantur, *Romae* cum *christiana religione* permutavit. Dumque inter Catechumenos in morbum gravem daemonis impetu collapsus ab exorcistis foveretur, in ipso, in quo jacebat, lectulo baptismum suscepit. Sed neque postquam liberatus est morbo, reliqua percepit, quae juxta ecclesiasticam regulam percipi debent, neque sollemniter ab episcopo consignatus est. Nihilominus singulari episcopi gratia ad *presbyteri gradum* in ecclesia *Romana* evectus est. Universis enim clericis, multisque ex populo refragantibus, eoquod non liceret quemquam ex iis, qui urgente vi morbi baptizati fuissent, in clerum assumere, postulavit ab iis episcopus *(Fabianus)*, ut hunc solum ordinari a se paterentur. Et initio quidem magnam de se expectationem non frustravit. Sed *Decianae* persecutionis tempore prae metu ac nimia vivendi cupiditate presbyterum se esse negavit. Admonitus enim et rogatus a diaconis, ut ex cubiculo, in quo se ipsum incluserat, egressus fratribus succurreret, tantum abfuit, ut hortantibus morem gereret, ut potius ira et indignatione percitus abiret ac discederet, seque non amplius presbyterum velle esse responderet. Post mortem autem *Fabiani Papae* (§. 758) vacante diutius apostolica sede tremendis sacramentis seipsum obstrinxit, se episcopatum non ambire. Nihilominus cum anno 271 *Cornelius* (§. 651), a quo in sententia de lapsis recipiendis maxime dissentiret, plurimorum suffragio Episcopus electus esset, impatientius id ferre et gravius in eum invehere coepit, id inprimis praetendens, quod in communionem Ecclesiae lapsos reciperet, quibus ipse pacem nunquam esse dandam contendebat. Revera autem fastu et invidia turgidus et sui plenus, *Novati* presbyteri Carthaginiensis et aliorum, qui a Cypriano defecerant, factione stipatus, et nonnullorum etiam, quos specioso severioris disciplinae obtentu in par-

3) *Schoenemann* l. l.

tes suas traxerat, Confessorum suffragiis ornatus, episcopali cathedrae tam insano studio obfirmatoque animo inhiavit, ut a tribus episcopis, rudioris ingenii hominibus, quos e vilissima Italiae parte, quasi omnem discordiam re perspecta esset compositurus, Romam evocaverat, et inclusos aliquamdiu vinoque oppressos detinuerat, se *episcopum* ordinari per vim ac fraudem fecit. Nec multo post unus ex iis epicopis ad Ecclesiam rediit, delictum suum cum lamentis ac fletibus confitens. Quem Cornelius, cum universus populus pro illo intercessisset, ad communionem laicam suscepit; reliquis vero duobus successores ordinavit, eosque in loca illorum direxit. Interea Novatianus probra et convicia in Cornelium pleno ore conjecit, missis, ut mos erat, undequaque literis ecclesias inferiores de sua ordinatione certiores fecit, sociosque delegavit, qui per vicos, urbes, oppida discurrentes homines incautos in societatem suam erroris que consortium perducerent. Denique ut exsecrando sigillo suos sibi obstringeret, dum sacram eucharistiam singulis divideret, manus ejus, qui portionem accepit, ambabus manibus comprehensas retinens in haec verba jurare jussit: „*Jura mihi per corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, te nunquam meas partes deserturum nec ad Cornelium esse rediturum.*" [4]) Ita Novatianus, *primus Pseudo-Papa*, propriae cujusdam *sectae* eorum, qui tumore mentis elati se ipsos *Catharos* cognominarunt, auctor evasit. Ob quam rem cum Romae congregata esset synodus, in qua sexaginta quidem Episcopi, Presbyteri vero ac Diaconi multo plures convenerunt, cumque in provinciis antistites quid agendum esset seorsim consultassent, hujusmodi decretum cunctis promulgatum est, *Novatianum quidem et eos, qui una cum ipso sese insolentius extulerant, et quicunque inhumanissimae et a fraterna caritate alienae ejus de lapsis non recipiendis*

4) *Epistolae Cornelii Papae ad Fabium Antioch. fragm.*, in *Eusebii* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 43. nr. 2—6, edit. *Zimmermanni*, p. 465 sqq.

opinioni consentire praesumserant, alienos ab Ecclesia habendos esse; fratres vero, qui in calamitatem inciderant, poenitentiae remediis curandos esse et confovendos. [5]) Verum non solum Romae sed et in *Africa*, ut ex epistolis Cypriani patet, [6]) et in *Oriente*, prout Dionysius Alexandrinus refert, [7]) ipse cum suis asseclis rejectus est; unde brevi post haec schisma quidem sopitum, haeresis tamen late serpsit et indies propagata est. De reliquis ipsius Novatiani fatis nihil amplius compertum habemus. Socrates *martyrii* gloriam ei tribuit, [8]) reliqui Scriptores omnes tacent. Certe *Acta passionis*, quae aliquamdiu circumferebantur, a Novatianis *conficta* fuisse manifestum est. [9]) Ceterum de ingenii et eloquentiae praecellentia styliquo elegantia ac puritate, de methodo disserendi ordinata aliisque, quae non mediocrem Scriptorem decent, virtutibus ab Antiquis pariter ac Recentioribus uno ore laudatur.

B. Scripta genuina.

1. Hodiedum conservata.

a. *De Trinitate seu De regula fidei.*

aa. De libri genuinitate et tempore exarationis.

§. 655. *Liber de Trinitate* ab aliis *Tertulliano*, ab aliis etiam *Cypriano* olim, utrique vero perperam, ut recentiores VV. DD. satis evincunt, [1]) attributus est, cum

---

5) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VI. c. 43. nr. 1, ed. laud. p. 465.

6) *S. Cypriani* ad Cornelium epist. (Pamel. Rigalt. Baluzii 41), in Opp. Cypriani ed. *Goldhorn* P. I. Epist. XLIV. c. 1, p. 86.

7) *S. Dionys. Alex.* ap. *Euseb.* in Hist. Eccl. Lib. VI. c. 46. nr. 1, ed. laud. p. 476.

8) *Socratis* Hist. Eccl. Lib. IV. c. 28.

9) *Photii* Biblioth. Cod. CCLXXX.

1) *Lumper* l. l. P. XI. p. 32 sqq.; *Schoenemann* l. l. T. I. p. 130; *Baehr* l. l. § 24, p. 48 sq.; *Moehler* l. l. p. 897.

jam a D. Hieronymo disertis verbis *Novatiano* vindicetur. 2) De *tempore* vero, quo libellus scriptus sit, utrum antequam ab Ecclesia deficeret, an post; probabilior mihi videtur eorum sententia, qui illum *post* defectionem *circa annum* 260 prodiisse putant. Etenim jam anno 251 descivisse Novatianum constat; *Sabellii* vero haeresis, cujus in hoc tractatu mentio fit, communi omnium judicio c. a. 256 primum orta est. Sunt adeo, qui non ante annum 272 exaratum fuisse illum opinantur, quoniam etiam adversus *Pauli Samosatensis* blasphemata dimicasse auctorem nostrum deprehenderunt. 3) Monendum tamen est, quod etiam *Artemon*, qui jam sub finem secundi seculi emerserat, eadem fere dogmata divulgaverit, quae Novatianus refutare sibi sumsit. Est autem hic libellus, ut B. Hieronymi verbis utar, 4) quasi *ἐπιτομή operis Tertulliani* (§. 596), in quo auctor primum de iis verbis commentatur, quae nos credere jubent in *Deum Patrem* et Dominum omnipotentem, rerum omnium perfectissimum Creatorem (c. 1—8). Deinde ad ea S. Scripturae loca accedit, quae nobis fidem commendant in *Filium Dei* Jesum Christum, Dominum Deum nostrum (c. 9—27). Post haec de fide in *Spiritum Sanctum* agit (c. 28). Postremo *unitatem Dei* cum ante disputatis conjungere studet, summamque rerum expositionem exhibet (c. 29. 30).

bb. Nonnulla inde excerpta.

a). De Christo Deo atque homine.

§. 636. Docet Novatianus, oportere nos ex regula fidei credere non solum in Deum Patrem sed et in Deum Filium. Et vere non *hominem* tantum Christum esse sed

---

2) *S. Hieronym.* De vir. illustr. c. 70, in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 120; cf. *Ejusd.* Apolog. adv. Rufinum Lib. II. c. 19.

3) *Baronius* in suis Annal. eccl. ad a. 272. §. 15.

4) *S. Hieronymus* l. l.

et *Deum*, sicut *hominis filium* ita et *filium Dei*; Deum enim et veteris et novi Testamenti Scripturarum auctoritate probari. „*Et tamen adhuc dubitat haereticus Christum dicere esse Deum, quem Deum tot et rebus animadvertit et vocibus approbatum. Si homo tantummodo Christus, quomodo veniens in hunc mundum in sua venit, cum homo nullum fecerit mundum? Si homo tantummodo Christus, quomodo mundus per ipsum factus esse refertur, cum non sit per hominem mundus, sed post mundum homo institutus referatur? Si homo tantummodo Christus, quomodo non ex semine tantum David Christus, sed verbum caro factum est, et habitavit in nobis? Nam etsi protoplastus non ex semine, tamen non est ex verbi et carnis conjunctione concretus. . . . Si homo tantummodo Christus, quomodo qui de coelo venit, quae vidit et audit testificatur, cum constat hominem de coelo, quia ibi nasci non possit, venire non posse? Si homo tantummodo Christus, quomodo visibilia et invisibilia, throni, virtutes et dominationes per ipsum et in ipso creata esse referuntur, cum virtutes coelestes per hominem fieri non potuerint, quae ante hominem ipsum esse debuerint? Si homo tantummodo Christus, quomodo adest ubique invocatus, cum haec hominis natura non sit sed Dei, ut adesse omni loco possit? Si homo tantummodo Christus, cur homo in orationibus mediator invocatur, cum invocatio hominis ad praestandam salutem inefficax judicetur? Si homo tantummodo Christus, cur spes in illum ponitur, cum spes in homine maledicta referatur? Si homo tantummodo Christus, cur non licet Christum sine exitio animae negari, cum in hominem commissum delictum referatur posse dimitti? Si homo tantummodo Christus, quomodo Joannes Baptista testatur et dicit: Qui post me venit, ante me factus est, quia prior me fuit; cum si homo tantummodo Christus post Joannem natus, ante Joannem esse non possit, nisi quoniam illum, qua Deus est, ante praecessit? Si homo tantummodo Christus, quomodo quae Pater facit, et Filius facit simili-*

ter, quum homo coelestibus operibus Dei similia opera facere non possit? Si homo tantummodo Christus, quomodo sicut Pater in se vitam habet, ita dedit Filio vitam habere in semet ipso, cum, exemplo Patris Dei, homo in se vitam habere non possit, cum non in aeternitate sit gloriosus, sed in materia mortalitatis effectus? Si homo tantummodo Christus, quomodo refert: Ego sum panis vitae aeternae, qui de coelo descendi; cum neque panis vitae homo esse possit ipse mortalis, nec de coelo descenderit, nulla in coelo constituta materia fragilitatis? Si homo tantummodo Christus, quomodo dicit, quia Patrem nemo vidit unquam, nisi qui est a Deo, hic vidit Deum? quoniam, si homo tantummodo Christus, Deum videre non potuit, quia Deum nemo hominum vidit; si autem, dum ex Deo est, Deum vidit, plus se quam hominem, dum Deum vidit, intelligi voluit. Si homo tantummodo Christus, cur dicit: Quid si videritis filium hominis ascendentem illuc, ubi ante erat; ascendit autem in coelis? ibi ergo fuit, dum illuc redit, ubi prius fuit." 5) „Alii quoque haeretici usque adeo Christi manifestam amplexati sunt *divinitatem*, ut dixerint, illum fuisse *sine carne*, et totum illi susceptum detraxerint *hominem*, ne decoquerent in illo divini nominis potestatem, si humanam illi sociassent, ut arbitrantur, nativitatem; . . . *quum* tamen *ratio et temperamentum Scripturarum coelestium Christum ostendant Deum* quidem, *sed qua filium Dei, et assumto a Deo etiam filio hominis credendum et hominem. Quoniam si ad hominem veniebat, ut mediator Dei et hominum esse deberet, oportuit illum cum eo esse, et Verbum carnem fieri, ut in semet ipso concordiam confibularet terrenorum pariter atque coelestium, dum utriusque partis in se connectens pignora, et Deum homini et hominem Deo copularet, ut merito filius Dei per assum-*

5) *De trinitate* c. 14, in Ej. Opp. ed. unac. Opp. *S. Cypriani*, Wirceburg. T. II. p. 483—485.

tionem carnis filius hominis, et filius hominis per receptionem Dei Verbi filius Dei effici possit. Hoc altissimum atque reconditum sacramentum, ad salutem generis humani ante secula destinatum, in Domino Jesu Christo Deo et homine invenitur impleri, quo conditio generis humani ad fructum aeternae salutis posset adduci." [6]) ... „Ergo, inquiunt haeretici, si Christus non homo est tantum sed et Deus, Christum autem refert Scriptura *mortuum* pro nobis et resuscitatum, jam docet nos Scriptura cedere *Deum mortuum;* aut si Deus non moritur, Christus autem mortuus refertur, *non erit Christus Deus*, quoniam Deus non potest accipi mortuus. *Si unquam intelligerent aut intellexissent, quod legunt, nunquam tam periculose omnino loquerentur. Sed erroris semper est abrupta dementia, et non est novum, si usque ad periculosa descendunt, qui fidem legitimam reliquerunt. Si enim Scriptura proponeret Christum tantummodo Deum, et nulla in illo fragilitatis humanae sociatio esset permixta, merito illorum hic aliquid valuisset sermo contortus: si Christus Deus, Christus autem mortuus, ergo mortuus est Deus. Sed cum non tantummodo illum, ut ostendimus jam frequenter, Deum, sed et hominem Scriptura constituat, consequens est, quod immortale est, incorruptum mansisse teneatur. Quis enim non intelligat, quod impassibilis sit divinitas, passibilis vero sit humana fragilitas? Cum ergo tam ex eo, quod Deus est, quam etiam ex illo, quod homo est Christus, intelligatur esse permixtus et esse sociatus, ... quis non sine ullo magistro atque interprete ex sese facile cognoscat, non illud in Christo mortuum esse, quod Deus est, sed illud in illo mortuum esse, quod homo est? Quid enim, si divinitas in Christo non moritur, sed carnis solius substantia extinguitur? quando et in ceteris hominibus, qui non sunt caro tantummodo, sed caro et anima, caro quidem sola incur-*

---

6) *Ibid.* c. 18 med., ed. laud. p. 492 sq.

sum interitus mortisque patitur, extra leges autem interitus et mortis anima incorrupta cernatur?" [7])

b) De singularibus S. Spiritus operationibus.

§. 657. „Sed enim ordo rationis et fidei auctoritas nos monet, post haec *credere in Spiritum Sanctum*, olim Ecclesiae repromissum, sed statutis temporum opportunitatibus redditum. . . . *Hic est enim, qui* discipulorum *animos mentesque firmavit, qui evangelica sacramenta distinxit, qui in ipsis illuminator rerum divinarum fuit, quo confirmati pro nomine Domini nec carceres nec vincula timuerunt, quin imo ipsas seculi potestates et tormenta calcaverunt, armati jam scilicet per ipsum atque firmati, habentes in se dona, quae hic idem Spiritus ecclesiae, Christi sponsae, quasi quaedam ornamenta distribuit, et dirigit. Hic est enim, qui prophetas in Ecclesia constituit, magistros erudit, linguas dirigit, virtutes et sanitates facit, opera mirabilia gerit, discretiones spirituum porrigit, gubernationes contribuit, consilia suggerit; quaeque alia sunt charismatum dona componit et digerit, et ideo Ecclesiam Domini undique et in omnibus perfectam et consummatam facit. . . . Hic est, qui operatur ex aquis secundam nativitatem, semen quoddam divi generis et consecrator coelestis nativitatis, pignus promissae haereditatis, et quasi chirographum quoddam aeternae salutis; qui nos Dei faciat templum, et nos ejus efficiat domum, qui interpellat divinas aures pro nobis gemitibus ineloquacibus, advocationis implens officia et defensionis exhibens munera, inhabitator corporibus nostris datus, et sanctitatis effector; qui id agens in nobis ad aeternitatem et ad resurrectionem immortalitatis corpora nostra producat, dum illa in se adsuefacit cum coelesti virtute misceri, et cum Spiritus Sancti divina aeternitate sociari. . . . Hic est enim, qui contra carnem desiderat, quia caro contra ipsum repug-*

7) *Ib.* c. 20 post pr., p. 495 sq.

nat; hic est, qui inexplebiles cupiditates coërcet, immoderatas libidines frangit, illicitos ardores extinguit, flagrantes impetus vincit, ebrietates rejicit, avaritias repellit, luxuriosas comessationes fugit, charitates nectit, affectiones constringit, sectas repellit, regulam veritatis expedit, haereticos revincit, improbos foras expuit, Evangelia custodit. . . . Hic in Apostolis Christo testimonium reddit, in Martyribus constantem fidem religionis ostendit, in Virginibus admirabilem continentiam signatae caritatis includit, in ceteris incorrupta et incontaminata doctrinae Dominicae jura conservat, haereticos destruit, perversos corrigit, infideles arguit, simulatores ostendit, improbos quoque corrigit, Ecclesiam incorruptam et inviolatam perpetuae virginitatis et veritatis sanctitate custodit." 8)

b. De cibis judaicis Epistola.

§. 658. Etiam de hujus libri *auctore* aliquamdiu certatum est. Sed *neque Tertulliano* (ut nonnulli olim putabant) *neque Cypriano* posse illum attribui, tum styli diversitas tam loca S. Scripturae aliter atque hi quidem solebant allegata satis evincunt. *D. Hieronymus* autem aperte a *Novatiano* latino sermone editas esse *Quaestiunculas de animalibus mundis et immundis* refert, 1) et alibi eundem scripsisse *De cibis judaicis* diserte monet, 2) id quod ejus quoque interpres *Sophronius* et post eos *Honorius Augustodunensis*, *Joannes Trithemius* et hodie omnes fere Critici confirmant. 3) Scripsit hunc librum

---

8) *Ib.* c. 29 med., p. 523—525.

1) *S. Hieronym.* Epist. ad Damasum, in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. II. col. 563 (Epist. crit. I).

2) *Id.* De viris illustr. c. 70, in Opp. omn. ed. laud. T. IV. P. II. col. 120.

3) *Lumper* l. l. P. XI. p. 39 sqq.; *Oelrichs* Commentar. de Scriptt. eccl. latt. p. 43; *Schoenemann* l, l. T. I. p. 139. nr. 2; *Neander* Kirchengesch. T. III. P. III. p. 1166; *Baehr* l. l. §. 24. nr. 2. p. 40; *Moehler* l. l. p. 897. nr. 2.

Novatianus, ut communior fert opinio, in secessu suo tempore persecutionis *Decianae* c. a. 250, variis fratrum literis provocatus. Docet in eo, olim quidem sapienter legem datam esse, quae cibos discernens quaedam quasi munda animalia concessit, alia quasi immunda interdixit (De cibis judaicis c. 1—4). Ubi vero finis legis, *Christus*, supervenit, sublatis umbris istis et figuris omnia jam dici ab Apostolo mundis munda, et cibum verum et sanctum esse fidem rectam et immaculatam conscientiam. Neque vero ex hoc, quia libertas ciborum concessa est, luxuriam permissam esse, neque continentiam sublatam et jejunia. Cavendum etiam, ne quis licentiam istam in tantum probet profusam, ut ad animalia idolis immolata accedat (ibid. c. 5—7).

c. *Epistolae duae ad Cyprianum.*

§. 659. In collectione epistolarum *B. Cypriani* (§. 665) *duae* asservantur cum inscriptione „*Cypriano papae Presbyteri et Diaconi Romae consistentes*,“ quae sede Romana per obitum Fabiani vacante *medio fere anno* 250 Carthaginem transmissae sunt. Et *alterum* quidem nomine cleri Romani a *Novatiano* conscriptam esse, ipse *Cyprianus* testatur. [4]) Agit ibi auctor de lapsorum sub initium persecutionis Decianae multitudine et conditione, sed mitiorem de miseris post peractam poenitentiam recipiendis sententiam fovet et longe aliam, quam eadem de re postea propugnavit. [5]) Edita est in Novatiani operibus ed. *Jackson* (§. 661) p. 277, et apud *Gallandium* in Biblioth. vett. PP. T. III. p. 321, nec non in *Cypriani* Opp. (ed. Erasmi II. 7; Pamelii, Rigaltii, Baluzii ep. 31, nov. Paris. 30) edit. noviss. cur. *Goldhorn*

---

4) *S. Cyprian.* Epist. ad Antonian. fratr. c. 4, in Ej. Opp. omn. ed. *Goldhorn* P. I. p. 106.

5) *Schoenemann* l. l. T. I. p. 130 sq.; *Baehr* l. l. §. 24. nr. 2. p. 49; *Moehler* l. l. T. I. p. 896. nr. 3.

in Bibliotheca PP. eccl. latt. select. Vol. VII. P. I (Lipsiae 1838. 8.) Epist. XXX. p. 56—61. *Altera* vero ejusdem argumenti epistola an et ipsa *Novatiano* vindicari possit, non certo constat, probabilius tamen est. [6]) Exhibetur in Opp. *Novatiani* ex rec. *Jacksonii* p. 309, et in Opp. *Cypriani* (Epist. apud Pamel. Rigalt. Baluz. 30, in nov. Paris. 29) ex rec. *Goldhorn* P. I. Epist. XXXVI. p. 71—73.

2. Opera deperdita.

§. 660. Inter scripta Novatiani, quae aetatem non tulerunt, a *B. Hieronymo* [7]) et *Sophronio* ejus interprete graeco, *Honorio Augustodunensi* item, et *Joanne Trithemio* in catalogis Scriptorum ecclesiasticorum recensentur etiam *De circumcisione* et *De sabbato*. Meminit et idem Hieronymus alibi *Quaestionum Novatiani de circumcisione*. At titulum harum epistolarum fuisse *De vera Circumcisione* et *De vero Sabbato*, ex ipsius Novatiani verbis plus satis constat. [8]) Extat quidem hodie inter Opera *S. Hieronymi* supposititia T. V. col. 150—164. ed. Maurin. *Liber de vera circumcisione*, sed eum neque *Novatiani* esse neque *Tertulliani* (ut quibusdam visum est), jam inde satis apparet, quod in eo *Manichaeorum* et *Arianorum* mentio facta sit. [9]) — Alia praeterea Novatiani opuscula ab Hieronymo recensita: [10]) *De pascha-*

---

6) *Schoenemann* l. l.; *Baehr* l. l.

7) *S. Hieronymi* De vir. illustr. c. 70, in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 120.

8) „*Quam vero sint perversi Judaei et ab intellectu suae Legis alieni, duabus epistolis superioribus, ut arbitror, plene ostendi, in quibus probatum est, prorsus ignorare illos, quae sit vera circumcisio et quid verum sabbatum.*" *Novatian.* De cibis judaicis c. 1 sub fin.

9) *Moehler* l. l. T. I. p. 898. nr. 4.

10) *S. Hieronym.* De vir. illustr. c. 70, in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 120.

te, *De sacerdote*, *De oratione*, *De Attalo*, *De instantia* (seu *Περὶ τῶν ἀνεστώτων*, ut habet Hieronymi graecus interpres *Sophronius*); ad haec multae, quarum *Hieronymus* [11]) et *Cyprianus* passim meminit, *Epistolae* penitus interierunt.

3. Operum, quae supersunt, editiones.

§. 661. Opera Novatiani *De trinitate* et *De cibis judaicis* diu inter opera *Tertulliani* latuerunt, et cum his simul in editionibus ejus evulgata sunt a Parisiensi *Gagnaei* ao. 1545 deinceps omnibus (§. 622), e. gr. in ed. typis *Gasp. Girardi* (Venetiis 1744. fol.) p. 707—748. Librum *De Trinitate separatim* edidit *William Whiston* in suis Sermons and Essays upon several sujets (Lond. 1709. 8.) p. 327 sqq. — *Omnia* denique Novatiani Opera (i. e. praeter supra memorata etiam *Epistola cleri Romani nomine ad Cyprianum* scripta, sed prior duntaxat) sub ipsius Novatiani titulo correctius longe, quam unquam antehac, notisque illustrata prodierunt per *Eduard. Welchman*, Oxonii 1724. 8.; moxque deinde superaddita *Epistola altera Ejusdem* ad Cyprianum, cum prolegomenis, notis, indicibusque locupletissimis studio *Jo. Jacksonii* ecclesiae anglicanae presbyteri, Londini 1728. 8.; deinde a *Gallandio* in sua Bibliotheca vett. PP. T. III. et a *Fr. Oberthür* in Opp. omn. SS. PP. latt. Vol. III, q. e. *S. Cypriani* Opp. (Wirceburgi 1782. II. 8.) T. II. Append. III. p. 455—544.

---

11) *Idem* in Epist. ad Paulum, Opp. omn. T. IV. P. II (Ep. X) col. 17.

VI.

Anonymi Liber adversus Novatianum.

1. De auctore libri et exarationis tempore.

§. 662. Liber hic „*Ad Novatianum haereticum, quod lapsis spes veniae non est deneganda*“ nihil quidem quoad materiam continet, quod *S. Cypriano*, cujus nomine aliquamdiu circumferebatur, indignum prorsus judicaveris; atvero magnificam hujus gloriosissimi martyris dictionem ubivis fere desiderabis. Unde jam *Tillemontium* [1]) et *Maranum*, [2]) quominus Cypriani opus genuinum agnoscerent, sola styli dissimilitudo deterruit; nec immerito etiam Recentiores prope omnes *alium ac diversum a Cypriano* auctorem libri fuisse suspicantur. [3]) At quis vere illius parens fuerit, non ita facile est dicere. *Erasmus* S. Cornelium Pontificem Romanum, alii alium, sed nullis omnino rationibus aut levissimis conjecturis innixi, designant. Ceterum, quisquis ille est, tamen *Cypriani aequalem* esse, et ipsum tractatum post persecutiones *Decii* et *Galli*, nempe *annos inter* 253—256, elucubratum fuisse constat. *Unam* enim tantum persecutionem auctor numerat post eam, quae sub Decio saevierat, et eos, *qui in prima* (sc. Deciana) *lapsi sunt*, *in secunda* (puta, quae sub Gallo resuscitata est) *victores* fuisse dicit. [4]); Unde recte mihi *Ceillierius* observare videtur, auctorem hunc

---

1) *Seb. Tillemont.* Mémoires pour servir à l'histoire eccl. T. IV. p. 133 et 622. not. 37 sur S. Cyprien.

2) *Prud. Maranus* in Vita S. Cypriani, praefix. Ej. Opp. §. XXXV. p. CXXVII.

3) *Gfr. Lumper* Historia theol.-crit. de SS. PP., P. XIII. p. 41 sq.; *F. W. Rettberg* Cyprians Leben (§. 664 fin.) p. 281; *Neander* Kirchengeschichte P. I. p. 447; *Chr. Fel. Baehr* Die christl.-röm. Theologie §. 31. nr. 2, p. 61; *Ad. Moehler* Patrologie p. 847. nr. 4.

4) Tract. adv. Novatian. c. 6, in *Galland.* Biblioth. T. III. p. 372.

anonymum vivente adhuc Novatiano opusculum suum exarasse, *anno circiter* 255, quo schisma Felicissimi Carthaginiensis propemodum jam compressum atque exstinctum erat. [5])

2. Argumentum libelli et editiones.

§. 662. Dum auctor rigorem Novatiani ejusque sociorum acriter impugnat, primo illis demonstrat, impium esse ac injustum, lapsis denegare admissionem ad poenitentiam nullo habito discrimine, cum tamen permulti eorum, qui in persecutione Deciana lapsi erant, in Galli persecutione invicti steterint, et sanguinem suum fundere pro Christo Jesu non metuerint. Deinde illis e SS. Scripturis probat Deum esse infinite misericordem paratumque semper, ut peccatorum veniam vere poenitentibus indulgeat. Simul eorum argumenta, quibus rigorem suum colorabant, confutare adnisus est. — Tractatus noster primum inter *Cypriani* Opera evulgatus est in editione, quam curavit *Erasmus Roterodamensis*, Basileae apud Frobenium 1520, ac deinde saepius alibi; novissime vero sub inscriptione *Anonymi Tractatus ad Novatianum haereticum* ab *Andr. Gallandio* in sua Biblioth. vett. PP. T. III. p. 371—376.

---

5) cf. ibid. c. 1, apud *Galland.* l. l. p. 371; *Rem. Ceillier* Histoire générale des auteurs eccl. T. III. p. 155.

VII.

S. Cyprianus Carthaginiensis Episcopus Martyr.

A. Vita.

§. 664. *De vita et passione S. Cypriani* volumen egregium nobis reliquit *Pontius*, *ejusdem Diaconus* (§. 720). Sed et *D. Augustinus* sermonibus aliquot in natali S. martyris, [1]) *B. Gregorius Nazianzenus* singulari oratione [2]) memoriam ejus celebrarunt, et *Aurel. Prudentius Clemens* in suo *περὶ στεφάνων* libro carmine XIII martyrium ejus cecinit. Multa praeterea in ipsis Cypriani libris praesertim *epistolis* inveniuntur, quae ejus vitam et res gestas illustrant, et in variis dissertationibus a recentioribus VV. DD. collecta sunt, inprimis in *Joannis Cestriensis (Pearsonii)* libro c. t. *Annales Cyprianici* (Oxon. 1682. 8.). Huc pertinent *Vita S. Cypriani*, praefixa Opp. Ejus in editione *Maurina* (§. 700) p. XXXVII sqq.; *Jo. Clerici La vie de S. Cyprien* avec la critique de ses écrits, Amstelod. 1689. 12.; *(Jac. Gervaisii) La vie de S. Cyprien* Docteur de l'Eglise, cum compend. Ejus Opp., nott. critt. et dissertt. theologg., Paris. 1717. 4. Praeter hosce viros de Cypriano ejusque libris uberius disseruerunt *Dupinus* in Nov. Biblioth. auctt. eccl. Vol. I. p. 149 sqq.; *Schroeckh* Kirchengeschichte T. IV. p. 234 sqq.; *Tricaleti Abbatis* Bibliotheque portative des Pères de l'Eglise (ed. nov. cur.

1) *S. Augustini* Serm. CCCIX—XIII, in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. V. col. 1247—1260.

2) *S. Greg. Nazianz.* Orat. XXIV. ed. Maurinae. Cf. tamen *monitum* ejusd. editionis p. 435 sqq., cum nempe Gregorius nostrum S. Episcopum et Martyrem interdum cum *Cypriano Antiocheno* confundat.

Laur. Steph. Rondeti, Paris. 1758—88. VIII. 8.) versio latin. (Bassani 1783. VI. 8.) T. I. p. 177 sqq.; *Lumper* Historia theol.-crit. de SS. PP. vita etc. P. XI. p. 58 sqq.; *Schoenemann* Biblioth. hist.-litt. PP. eccl. latt. T. I. p. 77 sqq.; *Baehr* Die christl.-röm. Theologie §§. 26—33. p. 51 sqq.; *Moehler* Patrologie T. I. p. 809—893; praecipue vero *F. W. Rettberg* Thascius Cäcil. Cyprianus, dargestellt nach seinem Leben und Wirken, Göttingen 1831. 8.

§. 665. *Thascius Caecilius Cyprianus*, natione *Afer*, patria verisimilius *Carthaginiensis*, [3]) usus patre opulento ac nobili *Senatore*, [4]) seculo tertio ineunte [5]) ethnicis parentibus natus est. *Artis rhetoricae* professione clarus, [6]) magnam sibi gloriam, opes, honores acquisivit, epularibus coenis et largis dapibus assuetus, pretiosa veste conspicuus, in auro atque in purpura fulgens, fascibus oblectatus et honoribus, stipatus clientium cuneis, frequentiori comitatu officiosi agminis honestatus, ut ipse de se loquitur. [7]) Annos circiter *quadraginta* in ethnica superstitione peregit, donec *ad Christi fidem conversus*, hausto coelitus Spiritu Sancto novum hominem induit. Erat enim illi tunc etiam contubernium viri justi et laudabilis memoriae, *Caecilii*, et aetate et honore Presbyteri, qui eum ad agnitionem verae divinitatis a seculari errore correxit. Hunc toto honore atque omni observantia diligebat, obsequenti veneratione suscipiens non jam ut amicum

---

3) *Suidas* Lexic. s. v. Καρχηδών, ed. *L. Kuster*. T. II. p. 249.

4) *Prudent. Clem.* De Coronis, hymn. XIII. in *Galland*. Biblioth. PP. T. VIII. p. 466.

5) *Rettberg* Cyprians Leben p. 23.

6) *Lactantii* Divv. Institt. Lib. V. c. 1 sub fin. (ed. Wireeburg. 1783. 84. II. 8.) T. I. p. 301; *S. Hieronym.* De vir. illustr. c. 67, in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 119; *Idem* in Commentar. in Jonam proph. c. 3, ed. Maur. T. III. col. 1489.

7) *S. Cyprian.* De gratia Dei ad Donatum c. 3 med., in Ej. Opp. ed. *D. I. H. Goldhorn* (Lips. 1838. 39. II. 8) P. II. p. 2.

animae aequalem sed tanquam novae vitae parentem. Denique ille demulsus ejus obsequiis in tantum dilectionis immensae merito provocatus est, ut de seculo excedens commendaret illi conjugem ac liberos suos, et quem fecerat nominis christiani participem, postmodum faceret pietatis haeredem. [8]) Hujus proinde *Caecilii nomen*, ut grati animi sui in perpetuum ederet specimen, Cyprianus sibi postea *assumsit.* [9])

§. 666. Et inter fidei suae prima rudimenta nihil aliud credidit Deo dignum, quam si *continentiam* tueretur; tunc enim posse idoneum fieri pectus, et sensum ad plenam veri capacitatem pervenire, si concupiscentiam carnis robusto atque integro sanctimoniae vigore calcaret. . . . Deinde, quod majus est, cum de lectione divina quaedam jam non pro conditione novitatis sed pro fidei festinatione didicisset, statim rapuit, quod invenit promerendo Domino profuturum. Districtis rebus suis ad indigentiam pauperum sublevandam *tota praedia pretio dispensans*, duo bona simul junxit, ut et ambitionem seculi sperneret, ac misericordiam, quam Deus adeo sacrificiis suis praetulit, impleret, et praepropera velocitate pietatis paene ante coepit perfectus esse, quam discere. [10]) Inde in virtutum et *sacrarum literarum studium* incumbens lectione imprimis librorum *Tertulliani* mire delectabatur. [11]) Anno probabilius 245 *sacrum baptismum recepit;* [12]) nec diu in communi laicorum statu ecclesiastico permansit. Etenim judicio Dei et plebis favore ad officium *Sacerdotii* ad-

---

8) *Pontius Diac.* in Vita Cypriani c. 9, in *S. Cypr. Opp.* (ed. (Wirceburg. 1782) T. I. Prol. p. V sq.

9) *S. Hieronym.* De vir. illustr. c. 67, in Ej. Opp. omn. ed. Maur. T. IV. P. II. col. 119.

10) *Pontius* in Vita Cypr. c. 4, ed. laud. p. III.

11) *S. Hieronym.* De vir. illustr. c. 53, in Ej. Opp. ed. *Maur.* T. IV. P. II. col. 115.

12) *Maranus,* Vita Cypriani, in edit. Opp. Cypr. (§. 700) §. II. p. XLIII.

hac neophytus electus est (anno 247). Quamvis enim in primis fidei suae adhuc esset diebus et rudi vitae spiritualis aetate, sic tamen generosa indoles reluxit, ut, etsi nondum officii, spei tamen fulgore resplendens imminentis sacerdotii totam fiduciam polliceretur. [13]) Jamque *anno insequenti* (248), cum sedes per mortem *Donati episcopi Carthaginiensis* vacaret, efflagitante plebe, ipsomet vero humiliter renitente et latebras quaerente, dum antiquioribus cedendum, et indignum se titulo tanti honoris existimaret, *in locum ejus suffectus est.* [14]) Fuerunt quidem, qui electo resisterent; quibus tamen ille mira lenitate et patientia et benevolentia indulsit, adeoque clementer indulsit, ut eosdem postmodum inter amicissimos et necessarios computaret mirantibus multis. [15])

§. 667. Sedem autem suam vix per anni et quod excurrit spatium obtinuerat, cum jam insanis Gentilium clamoribus ad necem saepius petitus est; ipse vero, ut ecclesiae suae bono consuleret, unacum Victore diacono *fuga se subtraxit* (ao. 250). Potuisset quidem tunc pro velocitate, qua semper omnia consecutus est, etiam martyrii coronam properare, maxime cum et suffragiis saepe repetitis *ad leonem* postularetur, nisi imminens ruina ope tam foecundi pectoris indigeret. [16]) Vastabat enim Dei populum *Decianae* persecutionis insolens et acerba grassatio. Debebat esse, qui posset saucios homines et varia expugnantis inimici arte jaculatos adhibita medicinae coelestis medela pro qualitate vulneris vel secare interdum vel fovere. Servatus est, vir ingenii praeter cetera etiam spiritaliter temperati, qui inter resultantes collidentium schismatum fluctus Ecclesiae iter medium librato limite

---

13) *Pontius*, Vita Cypriani c. 8, ed. laud. p. VI.

14) *Idem* c. 9, p. VI; *Maranus* l. l. §. IV; *Rettberg* Cyprians Leben p. 39 sqq.

15) *Pontius*, Vita Cypr. c. 10, ed. laud. p. VII.

16) *Idem* ib. c. 11, p. VIII.

gubernaret.[17]) In hoc secessu igitur, in quo omnium rerum, quae gererentur, certior fiebat, ne ecclesiae suae utilitati deesset, plus quam triginta, quae adhuc extant, *Epistolas ad diversos* conscripsit. Saeviente enim tempestate multi ecclesiae Carthaginiensi addicti fidem denegarunt, et magnus brevi extitit *Lapsorum* numerus. Hinc ingentis illius de Lapsis controversiae origo. Nam cum Lapsi passim exambirent Confessores, eosque etiam importuna et gratiosa deprecatione corrumperent, et Presbyteri nonnulli lapsis nondum acta poenitentia necdum exomologesi facta Eucharistiam darent, Cyprianus ea de re missis literis conqueritur, monet, suamque de poenitentibus sententiam tulit. Atvero *Novatus* presbyter, vir perfidus et seditiosus et multorum criminum reus, ut publicam ignominiam subterfugeret, ab Episcopo suo aperte descivit una cum diacono *Felicissimo* aliisque *quatuor presbyteris*, qui jam prius electioni S. Cypriani restiterant, plurimosque nunc incautos improbitatis suae laqueis irretitos post se trahebant.

§. 668. Interea S. Praesul sopita persecutione *anno* 251 latebris egressus et ecclesiae suae redditus, *synodo Carthagine in causa Lapsorum habita* rem eo adduxit, ut Felicissimus et quinque illi presbyteri sacrorum communione excluderentur, disciplina autem erga lapsos ponderatis singulorum causis laudabili discretione temperaretur. His nondum penitus peractis Romae quoque *Novatianus* (§. 654) post mortem *Fabiani* Papae eo usque processit, ut nefando schismate excitato episcopatui Romano se intrudere, et missis quaquaversus imprimis Carthaginem nuntiis comprobationem suam ab ecclesiis impetrare conaretur. Cyprianus autem, interim de legitima *Cornelii* (§. 651) electione certior factus, missos a Novatiano legatos statim a communione sua cohibuit, moxque

17) *Idem* ib. c. 13, p. IX. sq.

ceteras quoque ecclesias commovit, ut homines seductores rejecti ex Africa omnino expellerentur. [18]) Jam vero sub idem tempus (ao. 252) nova incessit calamitas. Erupit enim *lues* dira et detestabilis morbi vastitas nimia, innumeros per diem homines rapiens, et continuatas per ordinem domos vulgi trementis invasit. Horrere omnes, fugere, vitare contagium, exponere suos impie. Jacebant interim tota civitate non jam corpora sed cadavera plurimorum, et misericordiam in se transeuntium contemplatione sortis mutuae flagitabant. At Cyprianus aggregatam primum in loco uno plebem de misericordiae bonis instruit, docens, quantum ad promerendum Deum prosint officia pietatis. ... Distributa sunt ergo continuo pro qualitate hominum atque ordinum ministeria; ... fiebat exuberantium operum largitate, quod bonum est, ad omnes, non ad solos domesticos fidei; fiebat plus aliquid, quam de incomparabili Tobiae pietate traditum est. [19]) Neque intra suae tantum ecclesiae limites sanctissimi Viri beneficentia sese continuit. Acceptis enim ex *Numidia* nuntiis, quod facta barbarorum incursione non pauci fratres ibi constitutos in *captivitatem* essent abducti, Cyprianus illico sestertiorum centum millia nummorum, quae in ecclesia sua cleri et plebis collatione collecta sunt, episcopis illius regionis *pro redemtione captivorum* transmisit. [20]) Sedata deinde duplici tempestate, *pestifero nimirum morbo* et *persecutione*, *quam Gallus* imperator *adversus Ecclesiam commoverat*, id unum totis viribus intendit S. Pontifex, ut turbatam per multorum defectionem et schismaticas turbas Ecclesiae *disciplinam pluribus* intra annos 253—256 *convocatis synodis* restauraret et communiret.

---

18) Haec aliaque in ipsis *Cypriani* epistolis satis copiose narrantur.

19) *Pontius*, Vita Cypr. c. 13. 14. 15, ed. laud. p. X sqq.

20) *S. Cypriani* Epist. LXII, in Ej. Opp. ed. *Goldhorn* P. I. p. 155.

§. 660. Sed inter media haec saluberrima conamina agitari coepit tristis illa et ingens *de baptismo haereticorum controversia*, cui citra voluntatem suam implicatus est S. Cyprianus. Is enim, cum anno 255 concilium Carthagine ageret, a Numidiae episcopis inter se dissentientibus, num Haereticos et Schismaticos, si reconciliationem petiissent, sine baptismo admittere liceat necne, per literas quaesitus, nomine synodi significavit, *neminem foris baptizari extra Ecclesiam posse, et eis, qui de errore et pravitate venientes agnoscunt unius Ecclesiae veram fidem, dari debere per omnia divinae gratiae sacramenta et unitatis et fidei veritatem.* 21) Cum vero non deessent, qui decretum hoc improbarent, in novo ac frequentiori Concilio ao. 256 eandem quaestionem praeter alias in disceptationem denuo vocavit, cui qui intererant septuaginta episcopi unanimes sanciebant: *Unum baptisma esse, quod sit in Ecclesia catholica constitutum, ac per hoc non rebaptizari sed baptizari, quicunque ab adultera et profana aqua veniunt abluendi et sanctificandi salutaris aquae veritate.* 22) Quae in hoc secundo concilio sancita sunt, S. Cyprianus missis literis *S. Stephano Papae* significavit, 23) ut in re adeo gravi hujus consensum et approbationem impetraret. Is vero Romanae ecclesiae nomine rescripsit, vehementer improbans Afrorum sententiam, quam *traditioni contrariam* asserit, ac declarans, nolle se in ecclesiasticis communicare cum iis, qui haereticorum baptismum iterandum censerent. 24) Cumque Afri, omnia jam sibi tentanda rati, ut hanc tempestatem componerent, legatos Romam mitterent, Stephanus episcopos, qui legatorum munere fungebantur, nec aspectu nec alloquio suo dignatus est, omnibusque fidelibus prohibuit, ne

21) *S. Cypr.* Epist. LXX, ed. laud. P. I. p. 200 sqq.
22) *Idem* Epist. LXXIII. c. 1, ed. laud. p. 208.
23) *Id.* Epist. LXXII., ed. laud. p. 206 sq.
24) Haec epistola periit quidem, sed ejus summa rite potest colligi e *Cypriani Epist. ad Pompejum,* q. e. Ep. LXXIV, ed. laud. p. 222 sqq.

ullum eis hospitii officium exhiberent.[25]) Post haec D. Cyprianus eodem anno ex Africa, Numidia et Mauritania *tertiam* synodum congregavit Carthagine ceteris frequentiorem, in qua *octoginta septem* episcopi aderant, qui omnes et singuli sensa sua libere professi sententiam S. Cypriani confirmabant.[26]) Utut ceterum in hac causa accidit, ut vir unitatis ecclesiasticae studiosissimus in errorem inciderit, et nimio aestu in ipsum Ecclesiae Primatem abripi se siverit; tamen Cypriani culpa valde minuitur, si perpendimus, hanc quaestionem de baptismo haereticorum aevo illius nondum ab Ecclesia declaratam et eliquatam fuisse, tot porro Episcopos ingenio et sanctitate conspicuos ac plures insuper Synodos cum illo stetisse, ipsumque *Primatui honoris et jurisdictionis* adeo non derogasse, ut potius haud obscure innuerit, se correcturum sententiam suam, si plenarii Concilii auctoritate contrarium decisum fuerit;[27]) imo etiam veritus, ne per vehementiores agitationes Ecclesia turbaretur, peculiares libros *De bono patientiae* (§. 694) et *De zelo et livore* (§. 695) scripserit, ut discordiae si posset semina radicitus extingueret.[28])

§. 690. His denique actis atrox supervenit *persecutio*, a *Valeriano imperatore* praeter expectationem excitata. Ab *Aspasio Paterno* Africae proconsule interrogatus, Cyprianus *Christianum et Episcopum se esse* professus, ejusdem jussu *Curubim* relegatus est. Ibi *visionem* accepit de martyrio post anni spatium subeundo, obscuram illam quidem sed satis recte ab eo intellectam, quam *Pontio Diacono* suo, qui eum in exilium comitatus

25) *Firmiliani* Epist. ad Cyprian., inter *Cypriani* Epp. LXXV, ed. laud. p. 229 sqq.

26) Singula Episcoporum in hac synodo suffragia exhibentur in Opp. *Cypriani* ed. laud. P. II. p. 265—279.

27) *S. Augustinus* De baptismo contra Donatist. Lib. II. c. 4. 5, in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IX. col. 98 sq.

28) *Idem* l. l. Lib. I. c. 18, Lib. II. c. 13, Lib. III. c. 10, ed. laud. T. IX. col. 93. 106. 112.

erat, tanquam idoneo testi indicavit.[29]) Cum autem per undecim menses ibidem constitutus fuisset, crescente jam persecutione novus proconsul *Galerius Maximus* Carthaginem eum accersivit, et in hortis suis permanere permisit. Ipse autem proconsul *Uticam* profectus, acceptis imperatoris ad praesides provinciarum literis, frumentarios misit, qui Cyprianum Uticam perducerent. Quod quum ille intellexisset, ex hortis secessit, non ut mortem evitaret, sed ut Carthagine potius, quam Uticae, supplicio afficeretur. Mox proconsul, reversus *Carthaginem*, novis literis ab imperatore acceptis, Cyprianum, qui jamjam ex secessu prodierat, et precibus amicorum, ne ultro se offerret, spretis in hortos denuo se contulerat, capi et in *custodiam* dari jussit. Processit animo sublimi et erecto, hilaritatem praeferens vultu et corde virtutem. Sed dilatus in crastinum ad domum principis a praetorio revertebatur, cum subito per urbem totam sparsus rumor increbuit, productum esse jam Thascium, quem praeter celebrem gloriosa opinione notitiam etiam de commemoratione praeclarissimorum operum nemo non noverat. Concurrebant igitur undique omnes ad spectaculum, *Christianis* pro devotione fidei gloriosum, sed ipsis *Gentilibus* dolendum. Receptus tamen et in domo principis constitutus una nocte tenebatur custodia minus arcta, ita ut convivae ejus et cari in contubernio ex more fuerint. Plebs interim tota sollicita, ne per noctem aliquid sine conscientia sua fieret, ante fores principis excubabat. Illuxit denique dies ille signatus, ille promissus, dies de conscientia futuri martyrii laetus, et discussis per totum mundi ambitum nubibus claro sole radiatus. Egressus est domo principis agminibus multitudinis mixtae ex omni parte vallatus. Eundi autem interfuit transitus stadii, donec ad agrum *Sexti*, ubi proconsul morabatur, perventum est. Subito proconsuli nuntiatus est, producitur, admovetur, interroga

---

29) *Pontius*, Vita Cypriani c. 18. 19, ed. laud. p. XIV sqq.

tur, et confessione ab eo publice in praetorio ad quaestiones edita, legit de tabula *sententiam* judex.[30] ... Quae et qualis fuerit S. Martyris prior illa coram *Paterno* et altera haec coram *Galerio Maximo* gloriosa confessio, et quae postmodum subsecuta sunt, uberius enarrantur in *Actis proconsularibus*, quorum infra (§. 750) summam exscribendam putavimus.

§. 671. *Decollatus est 14 Septembr.* 258. Integro *decennio* sedem Carthaginiensem tenuit, primusque illius urbis Episcoporum *martyrii* coronam adeptus est, vir plane admirandus, christianae pietatis cultor summus, disciplinae ecclesiasticae et episcopalis potestatis vindex acerrimus.[31] Unde a praestantissimis Patribus summis laudibus celebratur. Divus *Augustinus* eum jure merito „*catholicum Episcopum, catholicum Martyrem*“ praedicat, „*qui magis magnus est, quanto se in omnibus humiliaverit,*[32] *cujus,* inquit, *reverendi Episcopi et venerandi Martyris laudibus nulla lingua sufficeret, nec si se ipse laudaret.*“[33] Simili eum encomio prosecuti sunt SS. *Gregorius Nazianzenus*[34] et *Vincentius Lirinensis.*[35] Eundem *Prudentius* „*decus orbis et magistrum*“ vocat, et immortalem fore in terra memoriam ejus cecinit, dicens:

„*Dum genus esse hominum Christus sinet et vigere mundum,*
Te leget omnis amans Christum, tua, Cypriane, dicet.
Spiritus ille Dei, qui fluxerat auctor in Prophetas,
Fontibus eloquii te coelitus actus irrigavit.“[36]

---

30) *Pontius* l. l. c. 20—23, ed. laud. p. XVII sqq.

31) *Cave,* Historia litt. Scriptt. eccl. T. I. p. 127.

32) S. Augustin. De baptismo Lib. III, c. 3, in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IX. col. 110.

33) *Idem,* Serm. in natal. S. Cypr. M., ed. laud. T. V. Serm. CCCXIII. nr. 1. col. 1258.

34) *S. Greg. Nazianz.* Orat. XVIII, in Ej. Opp. omn. ed. Colon. T. I. p. 274.

35) *Vincent. Lirin.* Commonitorium c. 11, in Biblioth. max. PP. Lugdun. T. VII. p. 252.

36) *Prudent. Clem.* De coronis, hymn. XIII, v. 6—10, in Biblioth. PP. Lugdun. ed. T. V. p. 1035.

Sed et bonis artibus apprime imbutus in rhetorica excelluit. *Tertulliani* scripta continuo versavit, sine quorum lectione vix diem ullam praetermisit, notario sue dicere solitus: „*Da magistrum*," Tertullianum videlicet significans; quod ex ipsius notarii ore exceptum *Paulus* quidam *Concordiensis* Hieronymo retulit. [37]) De S. Cypriani scriptis voluminibus, in quanta apud Antiquos fuerint existimatione, idem *Hieronymus* testatur, qui in hoc uno Scriptore recensere libros illius omisit, causam interserens: „*Hujus ingenii superfluum est indicem texere, cum sole clariora sint opera ejus.*" [38]) Quod denique est ad stylum: „*Beatus*, ait, *Cyprianus instar fontis purissimi dulcis incedit et placidus.*" [39]) Atque ipse christianae eloquentiae princeps, *Lactantius*: „*Unus*, inquit, *et praecipuus et clarus exstitit Cyprianus, qui et magnam sibi gloriam ex artis oratoriae professione quaesierat, et admodum multa conscripsit in suo genere miranda; erat enim ingenio facili, copioso, suavi, et quae sermonis maxima est virtus, aperto, ut discernere nequeas, utrumne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an apertior in persuadendo fuerit.*" [40])

---

37) *S. Hieronym.* De vir. illustr. c. 67, in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 119.

38) *Idem* ibid. l. l.

39) *Idem*, Epist. XLIX. ad Paulin., in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 567; ed. *Vallarsi* T. I. p. 324.

40) *Lactantius*, Divv. Institutt. Lib. V. c. 1, in Ej. Opp. omn. ed. Wirceburg. T. I. p. 201.

B. Scripta.

1. Opera genuina.

a. *D. Cypriani et quae ad eum scriptae sunt* Epistolae.

§. 672. *Epistolarum*, quas Cyprianus tum ipse scripsit, tum ab aliis accepit, pars maxima servata ad nostra usque tempora pervenit, licet multas alias *aetatem non tulisse* vel certo scimus, vel non immerito suspicamur. Sic ex ipso Cypriano comperimus, se epistolas dedisse *unam* ad Africanos episcopos communicatoriam, *duas* de ordinatione Felicissimi, *tredecim* ad clerum Romanum; quarum tamen omnium hodie *septem* duntaxat supersunt ad clericos Romanos missae, ceterae penitus interciderunt, vel adhuc disiderantur. Quae autem nunc in collectionibus reperiuntur, epistolae genuinae *una et octoginta* sunt. Tres enim aliae jure pro *supposititiis* habentur. [1]) Et una quidem, *ad Turasium presbyterum*, rectius ad Hieronymum refertur; [2]) altera *ad plebem Carthaginiensem* nonnisi in uno codice legitur, nec argumento nec scriptione Cypriano vindicari posse videtur; [3]) tertia *Cornelii ad Cyprianum*, quam supra (§. 653 med.) tanquam Cornelio Papae perperam adscriptam commemoravimus. Sunt quidem, qui alias praeterea et imprimis epistolam *Cypriani ad Stephanum*, quae Pamelio, Rigaltio, Baluzio est epistola LXVII, Fellio et Goldhornio autem LXVIII; porro *Firmiliani ad Cyprianum* epistolam (§. 518), quae inter Cyprianicas est ep. LXXV, subdubitant. Sed dubia, quae de genuinitate earum movebantur, ita comparata fuisse

---

1) *Prud. Maranus* in Vita S. Cypriani §. XXXV; *Suyskenus* in Actt. SS. m. Septembr. T. IV. p. 348; *Goldhorn* in sua editione Opp. Cyprian. P. I. Praefat. p. VII.

2) *S. Hieronymi* Opp. ed. *Vallarsi* T. XI. P. II. p. 357.

3) *Goldhorn* l. l.

constat, ut doctissimi quique illarum fidei nihil derogatum esse existimarint.[4]) Jam igitur *genuinas quae supersunt* ordine chronologico recensebimus.

aa. Epistolae paulo post episcopatum susceptum et ante persecutionem Decianam consignatae ao. 249.

§. 673. *Epistola I* (ex ed. Erasmi I. 9, Pamelii, Rigaltii, Baluzii 66, nov. Paris. 65, Oxoniens. et Lips. 1) *Ad presbyteros et diaconos et plebem Furnis consistentes*, De Victore presbytero, qui contra leges Ecclesiae Faustinum presbyterum tutorem testamento suo nominaverat. — *Epist. II* (Erasm. I. 10, Pamel. Rigalt. Baluz. 61, Paris. 60, Oxon. et Lips. 2) *Ad Eucratium fratrem*; De histrione neophyto, cui artis suae exercitium interdicitur, et, quod ipsi ad victum necessarium fuerit, sumtibus ecclesiae erogatur. — *Ep. III* (Erasm. III. 9, Pam. Rig. Bal. 65, Paris. 64, Oxon. et Lips. 3) *Ad Rogatianum fratrem*; De diacono, qui Rogatianum episcopum suum contumeliis exacerbaverat. — *Ep. IV* (Erasm. I. 11, Pam. Rig. Baluz. 62, Paris. 61, Oxon. Lips. 4) *Ad Pomponium fratrem*; De virginibus, quae, postquam Christo se dicaverant, detectae sunt postea cum viris dormisse. Virginitatis praestantiam summis laudibus effert.

bb. Epistolae tempore persecutionis Decianae ex secessu suo scriptae ao. 250.

§. 674. *Ep. V* (Pamel. Oxon. Lips. 5, Rig. Baluz. Paris. 4) *Ad clerum Carthaginiensem*, cui absens Cyprianus praecepta dat muneris sui tempore persecutionis recte obeundi. — *Ep. VI* (Erasm. IV. 1, Pamel. Rig. Bal. 81, Paris. 80, Oxon. Lips. 6) *Ad Sergium, Rogatinum, ceteros Confessores*, quibus de illorum confes-

---

4) *Rettberg* Cyprians Leben und Wirken p. 158. 188; *Goldhorn* l. l. p. VIII. fin.

sione gratulatur, eosque ad constantiam adhortatur. — *Ep. VII* (Erasm. III. 24, Pam. Rig. Bal. 36, Paris. 35, Oxon. Lips. 7) *Ad clerum Carthaginiensem* quibus reditus sui desiderium exprimit, et, ut pauperibus ex episcopali mensa subveniant, monet. — *Ep. VIII* (Pamel. 3, Rig. Bal. Paris. 2, Oxon. Lips. 8) *Clerus Romanus ad clerum Carthaginiensem*, qua Cypriani secessus comprobatur, et clerus Africanus, ut fidelium suorum curam habeat, obsecratur. — *Ep. IX* (Erasm. III. 21, Pam. 4, Rig. Bal. Par. 3, Oxon. Lips. 9) *Ad presbyteros et diaconos Romanos*, quibus Cyprianus de glorioso exitu Fabiani Papae gratulatur. — *Ep. X* (Erasm. II. 6, Pamel. 9, Rig. Bal. Paris. 8, Oxon. Lips. 10) *Ad martyres et confessores*, ut, qui jam prima constanter perpessi sint, nunc certent ad honoris amplissimam dignitatem, quam gloriosus martyrum sanguis illustrat. — *Ep. XI* (Erasm. IV. 4, Pamel. 8, Rig. Bal. Paris. 7, Oxon. Lips. 11) *Ad clerum Carthaginiensem*, quibus caussas exponit ingentis pressurae, eosque precari ad Deum jubet, ut ipsis propitius fiat. — *Ep. XII* (Erasm. III. 6, Pam. Rig. Bal. 37, Paris. 36, Oxon. Lips. 12) *Ad clerum Carthaginiensem*, De officiis ejus in confessores in carcere constitutos et in defunctos martyres, quorum dies passionis diligenter adnotare debeant, ut et ipse in sacrificio illorum meminerit, et anniversaria possit celebrare. — *Ep. XIII* (Erasm. I. 5, Pam. 7, Rig. Bal. Paris. 6, Oxon. Lips. 13) *Ad Rogatianum et ceteros confessores*, ut gloriam suam forti ac perseveranti virtute teneant, et humilitate bonisque moribus exemplum fratribus praebeant. — *Ep. XIV* (Erasm. III. 10, Pam. 6, Rig. Bal. Paris. 5, Oxon. Lips. 14) *Ad presbyteros et diaconos Carthaginienses*, quos, cum etiam clerici nonnulli in persecutione lapsi essent, eo instantius orat atque obsecrat, ut ipsius vice fungantur circa pauperum curam et ea gerenda, quae administratio religiosa deposcit. — *Ep. XV* (Erasm. III. 15, Pamel. 11, Rig. Bal. Paris. 10, Oxon. Lips. 15) *Ad martyres et con-*

fessores, quos monet, ne (quod a quibusdam factum fuerat) contra evangelii legem lapsis statim pacem darent, neve ante actam poenitentiam, ante exomologesin gravissimi et extremi apostasiae delicti factam, ante manum ab episcopo et clero in poenitentiam impositam offerre pro illis et eucharistiam dare auderent. — *Ep. XVI* (Erasm. III. 14, Pam. 10, Rig. Bal. Paris. 9, Oxon. Lips. 16) *Ad clerum Carthaginiensem*, qua quosdam presbyteros increpat et ab ordine suspendit, qui ad solas martyrum preces Lapsos inscio episcopo in communionem receperunt. — *Ep. XVII* (Erasm. III. 16, Pam. 12, Rig. Bal. Paris. 11, Oxon. Lips. 17) *Ad plebem Carthaginiensem*, ut lapsorum animos temperantes patienter exspectent regressionem suam, nequid in hac re praepropere fiat per nonnullorum audaciam. — *Ep. XVIII* (Erasm. III. 17, Pamel. 13, Rig. Bal. Paris. 12, Oxon. Lips. 18) *Ad clerum Carthaginiensem*, ut, qui libellos a martyribus attulerint, si infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectata episcopi praesentia, exomologesin delicti sui et impositionem manus in poenitentiam possint accipere. — *Ep. XIX* (Erasm. III. 18, Pamel. 14, Rig. Bal. Paris. 13, Oxon. Lips. 19) *Ad clerum Carthaginiensem*, ejusdem fere argumenti. — *Ep. XX* (Erasm. III. 5, Pamel. 15, Rig. Bal. Paris. 14, Oxon. Lips. 20) *Ad clerum Romanum*, quem certiorem facit, quid ipse in caussa lapsorum usque adhuc egerit. — *Ep. XXI* (Pamel. 21, Rig. Bal. Paris. 20, Oxon. Lips. 21) *Celerinus ad Lucianum;* petit Celerinus a Luciano confessore, ut Numeriam et Candidam, quae diis sacrificarant, pro pace et reconciliatione impetranda Martyribus commendaret. — *Ep. XXII* (Rig. Bal. Paris. 21, Pamel. Oxon. Lips. 22) *Luciani ad Celerinum* responsoria, in qua aequo lubentius ac imperitius pacem quibuscunque lapsis se concessurum jactat. — *Ep. XXIII* (Pamel. 17, Rig. Bal. Paris. 16, Oxon. Lips. 23) *Confessores universi ad Cyprianum*, cui insolentius nuntiant, se cunctis qui petierint ex compacto dedisse pacem. — *Ep. XXIV*

(Pamel. 19, Rig. Bal. Paris. 18, Oxon. Lips. 24) *Caldonius ad Cyprianum*, cui ille nuntiat, plures, qui primum quidem sacrificassent, deinde vero iterum tentati Christum publice confessi ideoque extorres facti essent, pacem a se petiisse. Rogat, quid de his faciendum, ne temere aliquid praesumere videatur. — *Ep. XXV* (Erasm. III. 20, Pamel. 20, Rig. Bal. Paris. 19, Oxon. Lips. 25) *Cypriani ad Caldonium* responsio, qua hujus episcopi consilium et prudentiam laudat. — *Ep. XXVI* (Erasm. III. 19, Pam. 18, Rig. Bal. Paris. 17, Oxon. Lips. 26) *Ad clerum Carthaginiensem;* se soli sibi rem communem sc. lapsorum caussas vindicare non audere, sed exspectandum, donec pace restituta in unum convenire et singulorum caussas examinare possint. — *Ep. XXVII* (Pamel. 23, Rig. Baluz. Paris. 22, Oxon. Lips. 27) *Ad clerum Romanum*, cui res, quam cum Luciano aliisque confessoribus habuit, et invidiam inde sibi conflatam et ruptam disciplinae severitatem nuntiat. — *Ep. XXVIII* (Erasm. IV. 3, Pam. Rig. Baluz. 25, Paris. 24, Oxon. Lips. 28) *Ad Moysen, Maximum, ceteros confessores*, quos ob servatum dominicae disciplinae vigorem summopere collaudat. — *Ep. XXIX* (Erasm. III. 22, Pam. Rig. Bal. 24, Paris. 23, Oxon. Lips. 29) *Ad clerum Carthaginiensem*, cui rescribit, se lectorem Saturum et hypodiaconum Optatum ordinasse. — *Ep. XXX* (Erasm. II. 7, Pam. Rig. Bal. 31, Oxon. Paris. Lips. 30, Novatiani Opp. ed. Jackson. p. 277, Galland. Biblioth. vett. PP. T. III. p. 321) *Clerus Romanus ad Cyprianum;* ille omnem Cypriani curam ac sollicitudinem de lapsis comprobat, et eam in Romana ecclesia antiquam esse severitatem, antiquam fidem et disciplinam testatur, maximas Cypriano atque uberes gratias agens, quod et ipse anxie sibi curaverit, ut nec pronam ejus improbi homines laudent facilitatem, nec vere poenitentes accusent ejus quasi duram crudelitatem. — *Ep. XXXI* (Pam. Rig. Bal. 26, Paris. 25, Oxon. Lips. 31) *Moyses, Maximus etc. confessores ad Cyprianum*, responden-

tes ad epistolam XXVIII, se acceptis ab ipso literis erectos fuisse, et dolentis animi moeroribus fomenta accepisse. — *Ep. XXXII* (Erasm. III. 4, Paris. 31, Pamel. Rigalt. Oxon. Baluz. Lips. 32) *Cypr. ad Clerum Carthaginiensem*, cui exempla earum literarum, quas ipse ad clerum Romanum fecerat et ille rescripsit, quasque Moyses, Maximus ceterique confessores ad ejus epistolas responderunt, transmittit, jubens eos curare, ut scripta sua et illorum rescripta fratribus innotescant. — *Ep. XXXIII* (Pamel. Rig. Bal. 27, Paris. 26, Oxon. Lips. 33) *Ad lapsos.* Quidam enim eorum audaci temeritate sic Cypriano scripserunt, ut nomine ecclesiae literas facerent postulantes, ut ad libellos a martyribus acceptos pacem cum ecclesia ipsis indulgeat. Quam importunitatem reprehendens submissos et quietos et verecundos esse oportere eos docet, quando Ecclesia in Episcopo et clero et omnibus stantibus, non in lapsis sit constituta. — *Ep. XXXIV* (Pamel. Rig. Baluz. 28, Paris. 27, Oxon. Lips. 34) *Ad clerum Carthaginiensem.* Gajus presbyter et diaconus ejus, qui cum lapsis communicando et offerendo oblationes eorum in pravis erroribus suis frequenter deprehensi et semel atque iterum moniti, in praesumtione et audacia sua pertinaciter perstiterunt, a clero Carthaginiensi excommunicati sunt. Hanc sententiam igitur Cyprianus probat; de tribus aliis clericis in minoribus ordinibus constitutis, qui medio tempore recesserunt, et nunc venerunt, sententiam ad suam praesentiam differendam censet. — *Ep. XXXV* (Pam. Rig. Bal. 29, Oxon. 35, Paris. 28, Lips. 35) *Ad clerum Romanum*, cui de lapsorum conspirata temeritate et quid inde facturus esset renuntiat. — *Ep. XXXVI* (Pamel. Rig. Bal. 30, Paris, 29, Oxon. Lips. 36, Novatiani Opp. ed. Jackson. p. 309), *Clerus Romanus ad Cyprianum;* condolentes immoderatam lapsorum petulantiam laudant vigorem ejus et adhibitam severitatem, eumque, ne desistat lapsorum animos temperare et errantibus veritatis praestare medicinam, adhortatur. — *Ep. XXXVII* (Erasm. II. 4, Pam. 16, Rig. Baluz. Paris. 15,

Oxon. Lips. 37) *Cypr. ad Moysen, Maximum presbyteros et ceteros confessores*, quorum constantiam in confessione summis laudibus celebrat, seque illorum memoriae ac precibus commendat. — *Ep. XXXVIII* (Erasm. II. 5, Pam. Rig. Bal. 33, Paris. 32, Oxon. Lips. 38) *Ad clerum et plebem Carthaginiensem*, de laudibus Aurelii confessoris et ejusdem ad lectoratum promotione. — *Ep. XXXIX* (Erasm. IV. 5, Pam. Rig. Bal. 34, Paris. 33, Oxon. Lips. 39) *Ad eosdem*, indicans eis, Celerinum egregium confessorem a se lectorem fuisse constitutum. — *Ep. XL* (Erasm. IV. 10, Pamel. Rig. Baluz. 35, Paris. 34, Oxon. Lips. 40) *Ad eosdem*, quos certiores facit, Numidicum, confessione illustrem et virtutis ac fidei honore sublimem, ad presbyteratus honorem esse promotum. — *Ep. XLI* (Pam. Rig. Bal. 38, Paris. 37, Oxon. Lips. 41) *Ad Caldonium, Herculanum, Rogatinum et Numidium*, quibus acceptis de schismate Felicissimi nuntiis mandat, ut ducem factionis et Augendum et quisquis se conspirationi ejus adjunxerit excommunicatos habeant, et literas suas ad clerum Carthaginiensem transmittant. — *Ep. XLII* (Pam. Rig. Bal. 39, Paris. 38, Oxon. Lips. 42) *Caldonius, Herculanus etc.* epist. encycl. ut videtur, qua ceteris episcopis quam primum nuntiaretur, quid a Cypriani legatis Carthagine gestum esset. Indicat Caldonius, Felicissimum et Augendum, item Repostum, Irenam et Paulam, Sophronium et Soliassum à communione segregatos esse. — *Ep. XLIII* (Erasm. I. 8, Pam. Rig. Baluz. 40, Paris. 39, Oxon. Lips. 43). *Cyprianus ad plebem universam*; conqueritur, quorundam presbyterorum et inprimis Felicissimi machinationibus insidiisque factum esse, ne ante diem Paschae redire sibi licuisset; deinde orat, ne seductoribus quinque cum Felicissimo copulatis presbyteris aurem praebeant, sed fortiter perseverent. —

cc. *Epistolae post reditum e secessu sub Cornelii pontificatu exaratae.*

a) anno 251.

§. 675. *Ep. XLIV* (Erasm. II. 11, Pam. Rig. Bal. 41, Paris. 40, Oxon. Lips. 44, Coustant. Epistt. RR. Pontiff. I. p. 125, Schoenemann. Pontiff. RR. Epistt. genuin. I. p. 89, Galland. Biblioth. vett. PP. III. p. 333) *Ad Cornelium Papam*, cui scribit, legatos a Novatiano missos Carthaginem venisse, sed detecta eorum pravitate a communione cohibitos, quaerentes autem undique schismatis atque haeresis socios sibi adsciscere, repressos esse. — *Ep. XLV* (Erasm. II. 10, Pamel. Rig. Bal. 42, Paris. 41, Oxon. Lips. 45, Coustant l. l. p. 127, Schoenemann l. l. p. 91, Galland. l. l. p. 333) *Ad eundem*; dicit, quid ex divinae traditionis et ecclesiasticae disciplinae usu fecerit, cumprimum de legitima Cornelii ordinatione certior factus esset; literas Cornelii, non Novatiani publice lectas esse; cur praeter Cornelii literas, quibus ille se episcopum nuntiabat, eorum, qui ipsius ordinationi interfuerant, testimonium desiderarit. Rogat Cornelium, ut literas de Felicissimi et presbyterorum ei addictorum causa, quas ipsi mittit, legat. — *Ep. XLVI* (Erasm. III. 2, Pam. Rig. Baluz. 44, Paris. 43, Oxon. Lips. 46) *Ad Maximum, Nicostratum et ceteros confessores Romanos*, quos, postquam ad Novatianum defecerant, hortatur, ut ad ecclesiae unitatem redirent. — *Ep. XLVII* (Erasm. II. 9, Pam. Rig. Bal. 43, Paris. 42, Oxon. Lips. 47, Coustant. l. l. p. 130, Schoenemann l. l. p. 95, Galland. l. l. p. 335) *Ad Cornelium*, ut de literis ad confessores supra dictos transmissis eum certiorem faceret. — *Ep. XLVIII* (Erasm. IV. 8, Pam. Rig. Bal. 45, Paris. 44, Oxon. Lips. 48, Coustant l. l. p. 131, Schoenemann l. l. p. 95, Galland. l. l. 335) *Ad eundem*, in qua querenti Cornelio, quod ecclesia Adrumetina suadente Cypriano non ad ipsum Cornelium sed ad clerum Romanum direxerit literas, respondet, se ex consulto hoc fe-

ciase, ut interim omnia integra suspenderentur, donec episcopi Romam missi rediissent; sic enim potuisse sperari, fore ut eo facilius schisma radicitus extingueretur. — *Ep. XLIX* (Erasm. III. 11, Pam. Rig. Bal. 46, Paris. 45, Oxon. Lips. 49, Coustant. l. l. p. 135, Schoenemann l. l. p. 99, Galland. l. l. p. 337, Routh Reliquiae sacrae T. III. p. 6 et 23) *Cornelius ad Cyprianum*, cui nuntiat, Maximum confessorem et presbyterum, item Urbanum, Sidonium, Macharium, alios, qui cum Novatiano erant, errorem suum confitentes et ejurato schismate in unitatem Ecclesiae receptos esse. — *Ep. L* (Erasm. III. 12, Pam. Rig. Baluz. 48, Paris. 47, Oxon. Lips. 50, Coustant. l. l. p. 133, Schoenemann l. l. p. 97, Galland. l. l. p. 336, Routh l. l. III. p. 5 et 18) *Idem ad eundem;* scripsit breviter, ut ostenderet, quales essent homines, quos Novatianus emiserat. — *Ep. LI* (Erasm. II. 12, Pam. Rig. Bal. 47, Paris. 46, Oxon. Lips. 51, Coustant. l. l. p. 143, Schoenemann l. l. p. 104, Galland. l. l. III. p. 340) *Cypr. ad Cornelium*, cui de reditu Maximi et ceterorum confessorum gratulatur. — *Ep. LII* (Erasm. II. 8, Pam. Rig. Bal. 49, Paris. 48. Oxon. Lips. 52, Coustant. l. l. p. 139, Schoenemann l. l. p. 102, Galland. l. l. III. p. 338) *Idem ad eundem;* Cyprianus Cornelii diligentiam laudat, qua de periculosis Novatiani machinis ac novorum illius legatorum moribus opportune ipsum admonuit; Novati scelera pluribus persequitur, ac suam operam in revocandis iis, quos ille seduxerat, commendat. — *Ep. LIII* (Erasm. III. 13. b, Pam. Rig. Bal. 50, Paris. 49, Oxon. Lips. 53) *Maximus, Urbanus, Sidonius et Macharius ad Cyprianum*, cui de reditu suo ad Ecclesiam catholicam et de pace impetrata certiorem faciunt. — *Ep. LIV* (Erasm. III. 3, Pam. Rig. Bal. 51, Paris. 50, Oxon. Lips. 54) *Cypr. ad eosdem* responsoria, qua quanto gaudio earum regressionis nuntium exceperit, gratulabundus significat. —

b) anno 252.

§. 676. *Ep. LV* (Erasm. IV. 2, Pam. Rig. Bal. 52, Paris. 51, Oxon. Lips. 55, Coustant. l. l. p. 159. Schoenemann l. l. p. 114, Galland. l. l. III. p. 347) *Cypr. ad Antonianum*, Episcopum Numidiae, qui primum cum Cornelio communicaverat, deinde vero literis a Novatiano acceptis mutare se ostenderat. Huic igitur Cyprianus uberius rescribit, tum quae de disciplina poenitentiae ipse cum consensu synodi statuisset, tum quae de persona Cornelii et legitima ejus ordinatione monenda habuit. — *Ep. LVI* (Erasm. III. 23, Pam. Rig. Bal. 53, Paris. 52, Oxon. Lips. 56) *Ad Fortunatum, Ahymmum, Optatum, Privatianum, Donatulum et Felicem* Episcopos; quibus respondet ad quaestiones sibi propositas, an lapsos per triennium poenitentes ad communionem admittere fas esset. — *Ep. LVII* (Erasm. I. 2, Pamel. Rig. Baluz. 54, Paris. 53, Oxon. Lips. 57, Coustant. l. l. p. 167, Schoenemann. l. l. p. 122, Galland. l. l. III. p. 350, Routh l. l. III. p. 69 et 108) *Cypr. cum quadraginta duobus episcopis Africanis ad Cornelium.* Synodo nimirum mense Majo habita relaxatio quaedam facta est decreti, quod in priori concilio sancitum erat, scilicet ut nova imminente persecutione omnes, qui statim post delictum et inde continuo usque poenitentiam egerint, reciperentur. Epistola igitur synodica Romam missa est; in qua et decretum ipsum ponitur, multisque rationibus defenditur. — *Ep. LVIII* (Erasm. IV. 6, Pamel. Rig. Baluz. 56, Paris. 55, Oxon. Lips. 58) *Ad plebem Thibari consistentem*, quos appropinquante jam et imminente Galli persecutione ad martyrium adhortatur. — *Ep. LIX* (Erasm. I. 3, Pam. Rig. Baluz. 55, Paris. 54, Oxon. Lips. 59, Coustant l. l. p. 172, Schoenemann l. l. p. 126, Galland. l. l. III. p. 352) *Ad Cornelium*, De duplici ejus epistola, prima qua Felicissimum et eos, qui cum ipso venerant, repulsos nuntiavit; altera, qua se minis eorundem motum literas, quas attulerant, accepisse significabat. Ad haec Cyprianus

respondet, episcopum malorum metu ab ecclesiastica disciplina tuenda deterreri non debere. Tum sese legitimum episcopum, Fortunatum vero a quinque episcopis, quorum tres damnati, quartus ab episcopo damnato in haeresi ordinatus, postremus in persecutione lapsus fuerat, ac paucis sibi male consciis in episcopum cooptatum esse enarrat. Hinc assecclarum Fortunati circa lapsos quae doctrina sit, quo pacto cum iis communicare non desinant, ac poenitentiae agendae intercedant, graphice exponit. Frustra eos Romam, ut pseudoëpiscopi a se creati confirmationem petant, contendere. Ibi enim causam audiendam esse, decernunt Afri, ubi crimen admissum est. Postremo dicit, quanta facilitate ac benignitate recipiat ad Ecclesiam redeuntes. — *Ep. LX* (Erasm. I. 1, Pamel. Rig. Bal. 57, Paris. 56, Oxon. et Lips. 60, Coustant. l. l. p. 190, Schoenemann. l. l. p. 143, Galland. l. l. III. p. 360) *Ad eundem.* Primum gratulatus Cornelio, quod forti confessione populo suo ad confitendum sese ducem praebuerit, in Romanorum laudes excurrit. Tum adversam Novatiani sortem perstringit; demum ad proximum agonem, qui sese praeparare mutuo debeant, exponit. —

dd. Epistolae sub Lucii et Stephani pontificatu conscriptae.

a) anno 253.

§. 677. *Ep. LXI* (Erasm. III. 1, Pamel. Rigalt. Baluz. 58, Paris. 57, Oxon. et Lips. 61, Coustant l. l. p. 207, Schoenemann l. l. p. 147) *Cypr. cum collegis ad Lucium Papam,* cui de reditu ab exilio gratulatur; nihil imminutum gloriae ejus, etiamsi martyrio vitam non finierit. Non sine Dei consilio factum, ut ipsum et ecclesiam ejus exagitarit persecutio, ac Novatianos non attigerit. Laetitiam ecclesiae Romanae in adventu ejus describit. — *Ep. LXII* (Pam. Rig. Baluz. 60, Paris. 59, Oxon. Lips. 62) *Ad Januarium, Maximum, Proculum, alios Numidiae episcopos,* qui subsidia ab eo nummaria petierant pro redemtione fratrum ex captivitate barbarorum, qui hoc

tempore late agros vastantes multos Christianos secum abduxerant. Misit cum hac epistola Cyprianus sestertiorum centum millia nummorum. — *Ep. LXIII* (Erasm. II. 3, Paris. 62, Pamel. Rigalt. Oxon. Balux. Lips. 63) *Ad Caecilium*, De sacramento Dominici calicis, praestantissima sane epistola, qua catholicum de sacrificio eucharistico dogma uberius exponit. — *Ep. LXIV* (Erasm. III. 8, Pam. Rig. Bal. 59, Paris. 58, Oxon. et. Lips. 64, Routh l. l. III. p. 74 et 116) *Cypr. et ceteri collegae numero sexaginta sex, qui in concilio affuerunt, ad Fidum*; De Therapio episcopo, quod Victori presbytero praepropera festinatione pacem dedisset; et de baptismo infantium, quem S. Scriptura et Traditione esse comprobatum ostendit. — *Ep. LXV* (Erasm. I. 7, Pam. Rig. Bal. 64, Paris. 63, Oxon. Lips. 65) *Ad Epictetum et plebem Assuranam*, contra Fortunatianum quendam episcopum, qui, postquam sub persecutionem Decianam sacrificaverat, ideoque dignitate sua dejectus erat, jam pro integro agere voluit, atque episcopatum sibi vindicavit. Altera pars epistolae de Lapsis tractat. —

b) anno 254.

§. [illegible]. *Ep. LXVI* (Erasm. IV. 9, Pamel. Rigalt. Balux. 69, Paris. 68, Oxon. Lips. 66) *Ad Florentium Pupianum*, qui Felicissimi ac Novatiani factioni nimis credulus multa nefanda atque turpia Cypriano objecerat, responsio. — *Ep. LXVII* (Erasm. I. 4, Pam. Rig. Bal. 68, Oxon. Paris. Lips. 67, Routh l. l. III. p. 77 et 122) *Cypr. cum triginta sex collegis ad ecclesiam Legionis et Emeritae*, de Basilide et Martiale Episcopis, qui ob idololatriam episcopatum amiserant, deinde vero Romam profecti a Stephano Papa per fraudes restitutionem impetrarunt. Cyprianus igitur cum synodo episcoporum Africae Basilidem et Martialem profanos declarat. — *Ep. LXVIII* (Erasm. III. 13 a, Pam. Rig. Bal. 67, Paris. 66, Oxon. Lips. 68, Coustant l. l. p. 211, Schoenemann l. l. p. 151) *Ad Stephanum Papam*, ut literis ad episcopos Galliarum

missis curet, ne Marcianus, Arelatensis episcopus Novatiano addictus, necdum se abstentum esse glorietur; simulque operam det, aliis literis in provinciam et ad plebem Arelatensem scriptis, alium episcopum ejus loco subrogari. —

c) anno 255,

quo orta est controversia de baptismo haereticorum.

§. [illegible]. *Ep. LXIX* (Erasm. I. 6 et IV. 7, Pamel. Rigalt. Baluz. 76, Paris. 75, Oxon. Lips. 69) *Ad Magnum*, qui ex eo quaesivit, primo an inter ceteros Haereticos eos quoque, qui a Novatiano venirent, baptizari oporteret; secundo, an qui in infirmitate aqua non loti sint sed perfusi (i. e. clinici) habendi sint legitimi Christiani. Respondet Cyprianus: Cum sola Ecclesia habeat Spiritum sanctum et aquam vitalem, Ecclesia autem una sit; nemo extra Ecclesiam valide tingi posse. Clinicorum autem baptisma ratum habet, cum non minus aliquid illic possit contingere, ubi plena et tota fide et dantis et sumentis accipitur, quod de divinis muneribus hauritur. — *Ep. LXX* (Erasm. I. 12, Paris. 69, Pamel. Rig. Baluz. Oxon. Lips. 70, Routh l. l. III. p. 84 et 135) *Cypr. suo et triginta episcoporum nomine ad Januarium et alios octodecim Episcopos Numidiae* quaerentes ex eo, an haereticorum non minus quam schismaticorum baptisma ratum haberi debeat, responsum dat, neminem foris baptizari extra ecclesiam posse. — *Ep. LXXI* (Erasm. p. 337, Paris. ep. 70, Pamel. Rigalt. Baluz. Oxon. et Lips. 71) *Ad Quintum Mauritaniae episcopum*, cui utpote contrariam sententiam tenenti de sua opinione persuadere conatur, simulque literarum, quas ad Numidiae episcopos dederat, exemplum transmittit, ut reliquis etiam Mauritaniae episcopis innotescerent. —

d) anno 256.

§. [illegible]. *Ep. LXXII* (Erasm. II. 1, Paris. 71, Pamel. Rigalt. Oxon. Baluz. Lips. 72, Coustant l. l. p. 216,

Schoenemann l. l. p. 155, Routh l. l. III. p. 88 et 144) *Cypr. et ceteri collegae ad Stephanum Papam.* Significat, se in concilio decrevisse, ut, qui apud haereticos aut schismaticos tincti sunt, redeuntes ad Ecclesiam baptizarentur; et qui in Ecclesia presbyteri vel diaconi ordinati in schisma delapsi sint, aut qui ab haereticis promoti sint, revertentes ut laici communicarent; salvo tamen concordiae vinculo cum episcopis qui aliter sentirent. — *Ep. LXXIII* (Erasm. p. 322, Paris. 72; Pam. Rig. Oxon. Baluz. Lips. 73) *Ad Jubajanum*, in qua eadem de re aliquanto prolixius omnia connectit et retractat, quae ad suam sententiam confirmandam et contrariam refringendam idonea sunt. — *Ep. LXXIV* (Erasm. p. 332, Paris. nov. 73, Pam. Rigalt. Oxon. Baluz. Lips. 74, Schoenemann l. l. p. 161) *Ad Pompejum, episcopum Sabratensem.* Is enim a Cypriano Stephani responsum petierat, quo Papa sententiam concilii Carthaginiensis rejicit et condemnat, et a quacunque haeresi venientes baptizari iterum in Ecclesia vetat. Cyprianus igitur epistolae illius exemplum mittit additis his suis quoque literis, quibus Stephani argumenta et impugnationes uberius sed animo commotior refutare conatur. — *Ep. LXXV* (Pamel. Rigalt. Oxon. Baluz. Lips. 75, Paris. 74, Schoenemann l. l. p. 168, Routh Scriptorum ecclesiast. opuscula praecip. Vol. I p. 221) *Firmilianus ad Cyprianum*, qua epistola ille in eadem controversia diu ante versatus et eandem cum Africanis sententiam amplexus respondet, Cypriano in omnibus consentiens et Stephanum Pontificem acriter impugnans. Hanc graece primum scriptam epistolam Cyprianus in linguam latinam transtulit (§. 518).

ee. Epistolae tempore persecutionis Valeriani conscriptae,

a) anno 257 Sixto R. Pontifice.

§. 681. *Ep. LXXVI* (Erasm. III. 25, Pamel. Rigalt. Baluz. 77, Oxon. Paris. Lips. 76) *Ad Nemesianum aliosque octo episcopos et compresbyteros, diaconos et fra-*

tres, quos Numidiae praeses fustibus primum caesos ad metalla damnaverat, quosque nunc Cyprianus misso simul subsidio caritativo consolatur et ad perseverantiam hortatur. — *Ep. LXXVII* (Pam. Rig. Bal. 78, Oxon. Paris. Lips. 77) *Nemesianus, Dativus, Felix et Victor ad Cyprianum;* — porro *Ep. LXXVIII* (Erasm. III. 7, Pam. Rig. Bal. 79, Oxon. Paris. Fips. 78) *Lucius ad eundem;* — et *Ep. LXXIX* (Pam. Rig. Bal. 80, Oxon. Paris. Lips, 79) *Felix, Jader et Polianus ad eundem.* Hi omnes ad metalla damnati Numidiae episcopi pro diversis, ubi constituti erant, locis hasce literas dederunt, quibus Cypriano maximas pro consolatione sua et subsidio transmisso gratias egerunt.

b) anno 258 sede Romana vacante sub vitae suae finem conscriptae.

§. 682. *Ep. LXXX* (Pam. Rig. Bal. 82, Paris. 81, Oxon. Lips. 80) *Cypr. ad Successum*, cui ex exilio nuntiat, quod per eos quos Romam miserat exploratum habebat. Rescripsisse nempe Valerianum ad Senatum, ut episcopi et presbyteri et diaconi in continenti animadverterentur, senatores vero et egregii viri equites Romani dignitate amissa etiam bonis spoliarentur, et si ademtis facultatibus Christiani esse perseverassent, capite quoque plecterentur etc. In primis Xystum Papam octavo Iduum Augustarum in coemeterio gladio fuisse animadversum et cum eo quatuor diacones. Petit, ut haec collegis nuntiet, ut ubique hortatu eorum possit fraternitas corroborari et in agonem spiritalem praeparari. — *Ep. LXXXI* (Pam. Rig. Bal. 83, Paris. 82, Oxon. Lips. 81) *Ad presbyteros, diacones et plebem universam.* Jam enim missis, qui Cyprianum Uticam perducerent, ex hortis interim secesserat, ne alibi quam in sua sede supplicio afficeretur. Ex hoc igitur secessu ultimam scripsit epistolam, suosque hortatur, ut quietem et tranquillitatem teneant, ne quis aliquem tumultum fratribus moveat, aut ultro se gentilibus offerat; apprehensus autem et traditus fortiter in confessione Domini persistat.

b. Tractatus seu Commentationes.

aa. Liber ad Donatum De gratia Dei.

§. 682. Opusculorum S. Cypriani omnium primum secundum temporis ordinem nec multo post conversionem suam i. e. *sub finem anni* 246 in forma epistolari exaratum censetur *Liber ad Donatum* sive *De gratia Dei*, [1]) id quod jam dictio vivacior stylique cultioris elegantia et animus in luce divinae veritatis exsultans satis prodit. *Donatus*, ad quem epistolam direxit, quisnam fuerit, incertum, nisi quod ejusdem et in professione oratoria et in baptismo socius fuisse videatur. *Editus est* hic liber in plerisque editionibus *Opp. Cpriani* inter epistolas S. Patris, ab Erasmo Ep. II. 2, a Pamelio Ep. 1, a Rigaltio, Baluzio et edd. Parisiensibus Ep. 1, in novissima vero editione cur. *D. I. H. Goldhorn* (§. 700 fin.) P. II, quae Cypriani tractatus continet, p. 1—10. Brevi prooemio praemisso baptismi vim mirabilem laudibus effert; [2]) descriptis deinde seculi pravitate et flagitiosis voluptatibus [3]) docet, unam esse fidam tranquillitatem, unam solidam, firmam et perpetuam securitatem, si quis ab his inquietantis seculi turbinibus extractus salutaris portus statione fundatus ad coelum oculos tollat. [4])

---

1) *Le Clerc* Unparth. Lebensbeschreib. §. 3; *Lumper* Hist. theol. crit. de SS. Patrum vita etc. P. XI. p. 92 sqq.; *Roesler* Biblioth. d. Kirchenväter T. III. p. 178 sqq.; *Schroeckh* Kirchengeschichte T. IV. p. 246 sqq.; *Oelricks* Commentar. de Scriptt. eccl. latt. p. 31; *Rettberg* Cyprians Leben p. 36 et 212 sq.; *Baehr* Die chr.-röm. Theologie §. 27. nr. 1. p. 53 sq.; *Moehler* Patrologie T. I. p. 819 nr. 1.

2) *Cypr. De gratia Dei* c. 1—5, in Ej. Opp. omn. genuin. ed. *Goldhorn* P. II. p. 1 sqq.

3) ibid. c. 6—13, ed. laud. p. 4 sqq.

4) ib. c. 14—16, p. 9 sq.

bb. De idolorum vanitate.

§. 684. *Anno* proximo 247 prodiit libellus *De idolorum vanitate*,[1]) cujus SS. *Hieronymus*[2]) et *Augustinus*[3]) cum laude meminerunt. *Genuinum* esse hoc opusculum nemo dubitat, quamvis de inscriptione ejus ambigatur. Codices enim valde variant, dum alii *De idolis* seu *De idolorum vanitate* exhibent; alii *Quod idola dii non sint*, aut *Incipit quod idola dii non sint et quod unus Deus sit*; alii porro *Quod idola dii non sint, et quod Deus unus sit et quod per Christum salus credentibus data sit*. Et revera si curatius ad libelli materiam attenderis, *triplicem* ibi veritatem explanatam observabis. *Prima* etenim pars de origine et vanitate idolorum agit;[4]) *secunda* de unitate, immensitate, majestate etc. Dei et ejus revelatione;[5]) *tertia* de Christi divinitate et incarnatione.[6]) Opusculum hoc Cypriani quasi epitome ex *Minucii* Octavio et *Tertulliani* Apologetico excerpta haberi potest, ut a multis notatum.[7]) *Editum est* seorsim anno 1603. 8 sine loci notatione; saepius deinde cum Minucii Felicis *Octavio* e. gr. a *J. Wowero* Hamburg. 1603. 8., a *Rigaltio* Lutet. 1643. 4., a *Chr. Cellario* Halae 1699. 8., a *Jac. Gronovio* Lugd. Batav. 1709. 8., a *J. Guil. Lindnero* Longosaliss. 1760. 8.; praeterea in Bibli-

---

1) *Le Nourry* Apparat. ad Biblioth. PP. max. Lugduni ed. T. II. p. 1627 sq.; *Roesler* l. l. p. 184 sq.; *Schroeckh* l. l. p. 247; *Oelrichs* l. l. p. 31; *Rettberg* l. l. p. 36 et 217; *Baehr* l. l. §. 27. nr. 2. p. 54; *Moehler* l. l. p. 820. nr. 2.

2) *S. Hieronym.* Ep. ad Magnum, in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. Epist. 83. col. 657, et ed. *Vallarsi* T. I. Epist. 70. §. 5. col. 427.

3) *S. Augustin.* De unico baptismo Lib. IV. c. 6, in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IX. col. 530.

4) *Cypr. De idolor. vanitate* c. 1—7, in Ej. Opp. genuin. ed. *Goldhorn* P. II. p. 10 sqq.

5) ibid. c. 8. 9, ed. laud. p. 13 sq.

6) ib. c. 10—15, p. 14 sqq.

7) Cf. *Rettberg* l. l. p. 218 sqq.

othecis SS. PP. tam veteribus quam novis, et in his praecipue in *Routhii* Scriptorum eccl. Opp. praecipua quaedam Vol. I. p. 257—282. 315—325 (ed. II. Oxonii 1840. II. 8.); et in *Gersdorfii* Biblioth. PP. latt. select. Vol. VIII seu Cypriani Opp. genuin. cur. *Goldhorn* P. II. p. 10—16.

cc. Testimonia adversus Judaeos.

§. 665. *Testimoniorum adv. Judaeos Libri III ad Quirinum* [1]) a testimoniis ex SS. Scriptura depromtis iisque insertis sic appellantur. De *genuinitate* operis Antiquorum testimoniis satis firmata [2]) hodie nemo dubitat. *Pontius* diaconus quidem eorum non meminit; ast omnium episcopi sui opusculorum catalogum texere Pontio in animo fuisse probari nequit. Priores duo libri verosimilius *anno* 248, tertius anno inde *proximo* 249 vel 250 exarati sunt. Et in primo quidem post praefationem Cyprianus veteris Testamenti abolitionem probat; [3]) in secundo Christi deitatis, incarnationis, passionis, et futuri judicii veritatem ostendit; [4]) tertius vitae christianae instituendae praecepta suppeditat. [5])

---

1) *Schroeckh* l. l. p. 249; *Oelrichs* l. l. p. 31; *Neander* Kirchengeschichte T. I. P. III. p. 1158 sq.; *Rettberg* l. l. p. 229 sqq.; *Baehr* l. l. §. 27. nr. 3. p. 54 sq.; *Moehler* l. l. p. 821. nr. 3.

2) *S. Hieronymi* Dial. contr. Pelagian. Lib. I, in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 503; *S. Augustin.* Contra duas Pelag. epistt. Lib. IV. c. 8. 9. 10, in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. X. col. 480 sq.; *Gennadius* De Scriptt. eccl. c. 43, in *Hieronym.* Opp. ed. Maurin. T. V. col. 37; *S. Fulgentius* Contr. Fabian. fr. 11, in Biblioth. SS. PP. max. *Lugdun.* T. IX. p. 281.

3) *Cypr. Testimoniorum adv. Judaeos* Lib. I. c. 1—24, in Ej. Opp. genuin. cur. *Goldhorn* P. II. p. 17—31.

4) ibid. Lib. II. c. 1—30, ed. laud. p. 31—56.

5) ib. Lib. III. c. 1—120, p. 56—103.

dd. De habitu virginum.

§. [illegible]. Librum *De habitu virginum* [1]) a *Pontio, Hieronymo, Augustino* laudatum [2]) S. Cyprianus non multo postquam *episcopus* factus est et tempore quidem, quo per diuturnam pacem adeo sacrarum virginum disciplina relaxari coepit, i. e. paulo ante persecutionem Decianam (*anno* 248 vel 249) exaravit. Laudat primum disciplinam christianam, utquae plurimum ad castitatem virginibus Deo sacratis potissimum tuendam conferat; [3]) docet, quales esse virgines debeant; [4]) objectiones deinde diluens, et vanum corporis cultum ob multas easquae graves causas contemnendum acriter perstringens [5]) praeclara quaedam praecepta dat, quae ad vitam virginum imprimis spectant, et in fine libri virginitatis laudes persequitur. [6])

ee. De unitate Ecclesiae.

§. [illegible]. Liber praestantissimus *De unitate Ecclesiae*, [1]) superaddita in nonnullis exemplaribus inscrip-

---

1) *Oelrichs* l. l. p. 32; *Neander* Kirchengeschichte T. I. P. II. p. 476; *Rettberg* l. l. p. 236 et 358 sq.; *Baehr* l. l. §. 28, p. 55 sq.; *Moehler* l. l. p. 822, nr. 4.

2) *S. Pontii Diac.* Vita Cypriani c. 15; *S. Hieronym.* ad Eustoch., in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. Epist. XVIII. col. 37, ed. *Vallarsi* T. I. Epist. 22. col. 105; *Idem* ad Demetriadem, ed. *Maurin.* T. IV. P. II. epist. XCVII. col. 796, ed. *Vallarsi* T. I. ep. 130. col. 990; *S. Augustin.* De doctr. christ. Lib. IV. c. 21, in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. III. col. 84.

3) *Cypr. De habitu virgg.* c. 1—3, in Ej. Opp. genuin. cur. *Goldhorn* P. II. p. 103 sq.

4) ibid. c. 4—6, ed. laud. p. 105 sq.

5) ib. c. 7—17, p. 107 sqq.

6) ib. c. 18—24, p. 113 sqq.

1) *Lumper* l. l. P. XI. p. 138 sq.; *Roesler* l. l. III. p. 191; *Schroeckh* l. l. IV. p. 318 sqq.; *Oelrichs* l. l. p. 32; *Neander* l. l. T. I. P. I. p. 328 sq.; *Rettberg* l. l. p. 126. 241 sqq.; *Baehr* l. l. §. 28. nr. 5. p. 56; *Moehler* l. l. p. 823, nr. 5.

tione: *De simplicitate Praelatorum*, [2]) conditus est (ut satis constat) eo tempore, quo et Carthaginiensis ecclesia et Romana simul a schismaticis factionibus *Felicissimi* ac *Novatiani* turbabantur i. e. *anno* 251. Hoc enim anno librum istum unacum epistola congratulatoria ad *Maximum*, *Urbanum*, *Sidonium* et *Macarium* presbyteros Romanos in unitatem Ecclesiae reversos transmisit S. Cyprianus. [3]) Unam dicit esse Ecclesiam, unam salutis viam; scilicet super Petrum Christus aedificavit Ecclesiam suam. Et quamvis Apostolis omnibus parem tribuerit potestatem, tamen unitatis originem ab uno incipientem disposuit, ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur. Hanc unitatem qui non tenet, frustra tenere se fidem credit. [4]) Quisquis ab hac una Ecclesia segregatur, promissis Ecclesiae privatur, Deique legem non tenet, neque vitam, neque salutem. [5]) Fieri quidem haereses et schismata permittit Dominus, ut probatorum fides integra clarescat, sed damnat easdem. Nec se quidam vana interpretatione decipiant, quod Christus dixerit: „*Ubicunque fuerint duo aut tres congregati in nomine meo, ego sum in medio eorum.*" Dominus enim discipulis suis unanimitatem suasit, et pacem, et illa, quae dixit, verba de Ecclesia sua loquitur, et ad hos, qui sunt in Ecclesia, loquitur. Haeretici autem, etiamsi in confessione occisi fuerint, nihil inde lucrantur; esse enim martyr non potest, qui in Ecclesia non est. Jam quidem adimplentur, quae praedicta sunt: „*Multi venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus, et multos fallent.*" [6]) Non tamen nos movere debet aut turbare multorum nimia et abrupta perfidia; neve quisquam mire-

2) *Rettberg* l. l. p. 243.

3) *S. Cyprian.* Opp. genuin. ed. *Goldhorn* P. I. Epist. LIV, c. 4 p. 104.

4) *Cypr. De unit. Ecclesiae* c. 1—4, in Ej. Opp. ed. laud. P. II. p. 117 sqq.

5) ibid. c. 5—10, ed. laud. p. 120 sqq.

6) ib. c. 11—17, p. 124 sqq.

tur, etiam de confessoribus quosdam ad ista procedere. Neque enim confessio immunem facit aut tutum reddit ab insidiis diaboli. Concludit admonitione gravi, ut quilibet a schismaticorum commercio abstineant, et Ecclesiae unitatem teneant. 7) *Singulares hujus libri editiones* prodierunt primum cum annott. *Jerem. Stephani*, Londini 1632. 8.; deinde una cum S. Augustini *De unitate ecclesiae* ex rec. *Fr. Ulr. Callixti*, Helmstad. 1657. 8. Versionem germanicam curavit *G. Bossart* Die Einheit der kath. Kirche, Luzern 1832. 8.

ff) De Lapsis.

§. 686. Liber quoque *De lapsis* 1) eodem anno 251, nec multo post reditum ex secessu scriptus est. Rationes, quibus tam hujus quam proxime praecedentis libri genuinitatem infringere conatus est V. D. *Semlerus* 2) adeo sunt leves et otiosae, ut nemo aliud iis attenderit. Praeterea SS. *Augustinus*, *Pacianus*, *Fulgentius Ruspensis* 3) auctoritatem libelli adversus futilissimas illius dubitationes satis tuentur. In opere hoc praeclarissimo D. Cyprianus primum pacem Ecclesiae redditam et Confessorum decora celebrat; deinde Lapsorum cladem deplorat. 4) Originem hujus calamitatis prosequitur, criminis Lapsorum gravita-

---

7) Ib. c. 18—27, p. 199 sqq.

1) *Lumper* l. l. p. 144 sqq.; *Roesler* l. l. p. 199; *Rettberg* l. l. p. 114. 247; *Baehr* l. l. §. 28. nr. 6. p. 86; *Moehler* l. l. p. 825. nr. 6.

2) in *S. I. Baumgarten* Untersuchung theologischer Streitigkeiten, c. praef. et annott. *F. S. Semleri* (Halle 1771. III. 8) T. I praefat. — VII. tamen T. II. p. 256.

3) *S. Augustini* De fide et operibus c. 19. 27, in Ej. Opp. ed. Maurin. T. VI. col. 186. 192; *Idem* De baptismo adv. Donat. Lib. IV. c. 9, ed. laud. T. IX. col. 129; *S. Paciani* Epist. III. contra Novatian., in Biblioth. SS. PP. max. Lugdun. T. IV. p. 314; *S. Fulgentii* Resp. ad Trasimundum Lib. II. c. 17, in Biblioth. PP. Lugdun. T. IX. p. 55.

4) *Cypr. De Lapsis* c. 1—4. in Ej. Opp. ed. Goldhorn P. II. p. 134 sqq.

tem extendit et causas, quibus ad id concitati sint.[5]) Ad hoc novum genus cladis supervenisse docet, quod multi Lapsorum praepropera festinatione et ante actam poenitentiam recepti essent in communionem Ecclesiae. Nec intercessionem Martyrum aut Confessorum aliquid prodesse lapsis docet. Multis tum ad commovendos impiorum tum ad erigendos poenitentium animos prolatis exemplis monet, ut peccata sua confitentes et veram poenitentiam agentes reconciliationem cum Ecclesia exspectent.[6]) Opusculum hoc „Von den Gefallenen," unacum tribus aliis S. Cypriani libellis: „Vom Gebete des Herrn, Von der Sterblichkeit, et Ueber die Geduld" in *germanicam* linguam transtulit *F. Schenn*, Münster 1834. 8.

gg. *De oratione Dominica.*

§. 000. Liber *de oratione Dominica*[1]) a *D. Augustino* pluries laudatus[2]) jure optimo inter praestantissima Cypriani opera recensetur.[3]) Docet auctor orationis, quam ipse Dei Filius nos docuit, praestantiam, et quo sit animo eandem monet;[4]) deinde in singulas orationis Dominicae partes fusius commentatur;[5]) postremo

---

5) ibid. c. 5—14, ed. laud. p. 137 sqq.

6) ib. c. 15—36, p. 142 sqq.

1) *Schroeckh* l. l. p. 254 sqq.; *Le Clerc* l. l. §. 74; *Lumper* l. l. p. 157 sqq.; *Rettberg* l. l. p. 249. 397; *Baehr* l. l. §. 28. nr. 7. p. 56; *Moehler* l. l. p. 887. nr. 7.

2) *S. Augustin.* Contra Julian. Lib. II. c. 3 med., in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. X. col. 530; *Ejusdem* Contra duas Pelag. Epistt. Lib. IV. c. 9. 10, ed. laud. T. X. col. 483. 486; *Ejusd.* De dono perseverant. c. 2, ed. laud. T. X. col. 823; *Ejusd.* De gratia et libero arbitr. c. 13, ed. laud. T. X. col. 781.

3) „*Quo libro nobiliorem non habet tota latina christiana antiquitas.*" *Casp. Barthii* Adversariorum commentariorum Lib. LX (Francofurt. 1624. f.) Advers. LVIII. 5.

4) *Cypr. De orat. Dominica* c. 1—8, in Ej. Opp. genuin. ed. *Goldhorn* P. II. p. 155 sqq.

5) ibid. c. 9—27, ed. laud. p. 159 sqq.

praecipit, pro quibus, quomodo et quibus temporibus preces sint fundendae.[6]) Liber hic *seorsim* prodiit s. l. „*Sermo de oratione Dominica*," Brixiae (s. a. 1490) 4; et „*De oratione Dominica*" (Basil. ap. Froben.) 1528. 12. *Germanicam* ejusdem orationis versionem adornarunt *Irenaeus Haid* Das Gebet des Herrn, ausgelegt von den hl. Kirchenvätern Cyprian u. a. München 1821. 8.; *F. Schenn* (vd. §. 668 fin.); *Anonymus* Das Büchlein vom Gebete des Herrn, Ed. H. Bonn 1834. 12.

kk. *De mortalitate.*

§. 690. Lues mortifera, quae anno 252 orta est (§. 668), Cyprianum excitavit, ut librum *De mortalitate* [1]) conscriberet et evulgaret. Studet Christianis gravissimis quibus potest rationibus et exemplis persuadere, mortem quotidie imminentem non timendam, sed erecto potius laetoque animo exspectandam esse.[2]) Libellus iste in *germanicam* linguam translatus est anonymo auctore München 1786. 8.; postmodo ab *A. Sauerborn* Sulzbach 1832. 8., atque iterum interprete supra memorato *F. Schenn*, Münster 1834. 8.

ll. *Ad Demetrianum.*

§. 691. Liber apologeticus *Ad Demetrianum* [1]) eo tempore scriptus videtur, quo imperium Romanum longe

6) ib. c. 28—36, p. 170 sqq.

1) *Le Clerc* l. l. §. 75; *Schroeckh* l. l. p. 255; *Lumper* l. l. p. 164 sqq.; *Rettberg* l. l. p. 256; *Baehr* l. l. §. 29. nr. 8. p. 57; *Moehler* l. l. p. 828. nr. 6.

2) *Cypr. De mortalitate* c. 1—26; in Ej. Opp. ed. Goldhorn P. II. p. 176—189.

1) *Le Nourry* Apparat. ad biblioth. PP. Lugdun. T. II. p. 1590 sq.; *Maranus* Vita Cypriani in Ejusd. Opp. edit. p. CIII sq.; *Lumper* l. l. P. XI. p. 273 sq.; *Oelrichs* l. l. p. 39; *Rettberg* l. l. p. 264 sq.; *Baehr* l. l. §. 29. nr. 10. p. 58; *Moehler* l. l. p. 830. nr. 9.

latēque tam bellis intestinis quam peste ac fame immanissime depopulatum est, *Gallo* nimirum imperatore i. e. *anno* 253. Tunc enim calamitates istae publicae *Demetriano* aliisque occasionem dederant, calumniandi Christianorum coetum tanquam causam malorum a diis immissorum. Cyprianus igitur eas calumnias redarguit, christianae religionis veritatem, idolorum vero vanitatem in ipsis malis publicis conspicuam demonstrat, admonetque Gentiles, ut salutarem Christi doctrinam amplectantur.[2]) De hujus libri *genuinitate* nemo sane dubitat; etenim *Pontii Diaconi, Lactantii, Hieronymi*,[3]) aliorumque testimoniis satis superque confirmata est.

kk. *De exhortatione martyrii.*

§. [illegible]. Eodem fere *anno* 253, ut nobis videtur,[1]) liber editus est *De exhortatione martyrii ad Fortunatum.*[2]) Stylus S. Cypriani, qui D. Augustino teste propriam faciem habet, qua possit agnosci, in hoc opere exponitur; de Libellaticis et Gentilium persecutione sermo totus tempori S. Martyris convenit; praeterea *Hieronymus*

---

2) *Cypr. Ad Demetrian.* c. 1—26, in Ej. Opp. genuin. ed. *Goldhorn* P. II. p. 210—225.

3) *Pontii Diaconi* Vita Cyprian. c. 4, in Cypr. Opp. ed. *Oberthür* (Wirceburg. 1782. II. 8) T. I. prooem. p. VIII; *Lactantii* Divin. Institt. Lib. V. c. 4, in Ej. Opp. ed. *Oberthür* (Wirceb. 1783—84. II 8.) T. I. p. 306; *S. Hieronym.* Ep. ad Magnum, in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. II (Epist. 83) col. 657.

1) Alii sub *Deciana* persecutione ao. 251, alii *Gallo* imperante ao. 253, alii *Valeriano* demum regnante c. a. 257 librum hunc fuisse compositum opinantur. Nobis *annus* 253 tempus enarrationis verosimilius videtur, cum auctor praeter persecutionem etiam *aliarum calamitatum* meminit, quas sub imperio *Galli* maxime evenisse arbitramur. *Moehler* l. l. p. 830. nr. 16 pr.

2) *Le Clerc* l. l. §. 78; *Lumper* l. l. p. 252 sqq.; *Oelrichs* l. l. p. 33; *Rettberg* l. l. p. 180 sqq.; *Baehr* l. l. §. 29. nr. 9. p. 87 sq.; *Moehler* l. l. p. 830, nr. 19.

hunc libellum Cypriano tribuit [3]) textu inde allegato, qui in Exhortatione nostra continetur. Brevi praefatione praemissa, qua institutum libri declaratur, [4]) Cyprianus docet, idola deos non esse, nec elementa vice deorum colenda; unum esse Deum, et eum solum divino cultu prosequendum. Ostendit, quae comminatio Dei sit adversus eos, qui idolis sacrificant. [5]) Monet, ut erepti de faucibus diaboli in fide et virtute insistant, et ad palmam martyrii contendant. Ad hoc enim fieri pressuras et persecutiones, ut in igne probemur; nec timendas esse illas Deo protegente. Jam enim praedixisse Christum, quod nos mundus odio habiturus esset. [6]) Postremo docet, quae spes maneat justos et martyres post conflictationes hujus seculi, et quanto plus accipiant in mercedem passionis, quam quod sustineant in ipsa passione. [7])

II. *De opere et eleemosynis.*

§. 668. Librum *De opere et eleemosynis*, [1]) pro cujus genuinitate tam stylus quam *SS. Pontii*, *Hieronymi* et *Augustini* testimonia [2]) loquuntur, D. Cyprianus,

---

3) *S. Hieronym.* Epist. ad Pammachium, in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. Epist. 30. col. 241.

4) *Cypr. De exhort. martyrii*, Praef. c. 1—5, in Ej. Opp. genuin. ed. *Goldhorn* P. II. p. 189—192.

5) ib. post praef. c. 1—6, ed. laud. p. 192 sqq.

6) ib. c. 7—11, p. 196 sqq.

7) ib. c. 12. 13, p. 207 sqq.

1) *Le Clerc* l. l. §. 87; *Schroeckh* l. l. IV. p. 264; *Roesler* l. l. III. p. 212 sqq.; *Oelrichs* l. l. p. 33; *Neander* l. l. T. I. P. II. p. 430; *Rettberg* l. l. p. 270 sq. et 397; *Baehr* l. l. §. 29. nr. 11, p. 58 sq.; *Moehler* l. l. p. 831. nr. 11.

2) *S. Pontii Diac.* Vita Cypriani. c. 4, ed. laud. p. IX; *S. Hieronymi* Ep. ad Pammachium, in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. Epist. LIV, col. 584, et ed. *Vallarsi* T. I. Epist. 66. col. 395; *S. Augustin.* Contra duas epp. Pelagg. ad Bonifac., in Ej. Opp. T. X. col. 485. ed. *Maurin.*; *Idem* Contra Julian. Lib. II. c. 8, ed. laud. T. X. col. 542.

ut ex ejus opusculi conjicitur, eo tempore quo Ecclesia pace fruebatur, i. e. circa annum 254 seu proxime sequentem conscripsit. Hujus autem libri conscribendi occasionem dedit incursio *Numidarum*, qui multos Christianos in captivitatem abduxerant. Hos igitur ut redimeret, Cyprianus fideles ad opera misericordiae excitare studuit. Docet, Christi quidem meritis nos salvari a peccato originali, sublatis autem per baptismum jam alia remedia suppeditare, quibus vulnera postmodum sanentur; sicut enim lavacro aquae per Christi gratiam gehennae ignis extinguitur, ita eleemosynis et operationibus justis delictorum flamma sopitur. Et semel in baptismo remissio datur peccatorum, atvero assidua et jugis operatio baptismi instar imitata Dei rursus indulgentiam largitur. Ad hanc misericordiam in Scripturis sanctis tam V. quam N. T. semper et ubique Dei populum provocari. [3]) Diluit deinde vanas excusationes et inanes rationes, quibus a bona operatione avocari solent homines. [4]) Atque iterum hortatur, ut aeternae saluti, dum tempus est, consulamus, et bona operatione et eleemosynis promerendo Domino obsequium praebeamus. Ad misericordiam enim nos provocant Christi verba et exempla majorum in ecclesia primaeva. Qui pauperes sublevat, et fructus suos cum egenis partitur, Dei Patris imitator est; hunc merces magna et copiosa in coelis manet. [5])

[illegible] *De bono patientiae.*

§. 694. Libellus *De bono patientiae* [1]) scriptus est sub finem *anni* 255 aut initio *sequentis*; hoc enim

---

3) *Cypr. De opere et eleemosyn.* c. 1—8, in Ej. Opp. ed. *Goldhorn* P. II. p. 225 sqq.

4) ibid. c. 9—21, ed. laud. p. 230 sqq.

5) ib. c. 22—26, p. 237 sqq.

1) *Le Clerc* l. l. §. 95; *Lumper* l. l. p. 242 sqq.; *Schroeckh* l. l. p. 282; *Oelrichs* l. l. p. 34; *Rettberg* l. l. p. 278; *Bähr* l. l. §. 38 nr. 12. p. 69; *Moehler* l. l. p. 832. nr. 12.

anno Cyprianus suam ad *Jubaianum* epistolam dedit (§. 680), quacum et ipsum hoc opusculum ad eundem missum fuisse contestatur. [2]) Cum nimirum controversia *de haereticorum baptismo* vehementius coepisset agitari, et Ecclesiae unitatem pacemque perturbare videretur, beatissimus Noster ad sedandos animos hunc librum praestantissimum evulgavit. Bonum patientiae divinis praeceptis et exemplis commendatae variis argummentis et S. Scripturae locis declarat; [3]) simul, quid mali e contrario impatientia importet, considerat et ostendit. [4]) Hic libellus *seorsim typis exscriptus* est cum notis *Jerem. Stephani*, Oxonii 1633. 8.; et in linguam *Germanicam* versus interprete *F. Schenn* (vd. §. 688 fin.)

nn. De zelo et livore.

§. 695. Ejusdem fere cum superiore libro argumenti atque ideo cum eo quoad materiam connexus est alius, qui inscribitur *De zelo et livore*, [1]) et anno 256 probabiliter exaratus est. Ostendit auctor, quam perniciosa sit affectio animi vel virtuti aliorum vel fortunae invidentis; id quod multis Scripturae locis et exemplis comprobare nititur. [2]) Proinde ad pacem et caritatem sectandam pro viribus hortatur. [3])

---

2) *Cyprian.* Epist. LXXIII ad Jubaian. c. 26 fin., in Opp. Cypriani genuin. ed. *Goldhorn* P. I. p. 222.

3) *Cypr. De bono patientiae* c. 1—18, in Ejus Opp. ed. laud. P. II. p. 241 sqq.

4) ibid. c. 19—24, p. 251 sqq.

1) *Le Clerc* I. l. §. 100; *Lumper* l. l. p. 246 sqq.; *Schrbeckh* l. l. p. 265; *Oelrichs* l. l. p. 34; *Rettberg* l. l. p. 277; *Baehr* l. l. §. 30. nr. 13. p. 59; *Moehler* l. l. p. 832 sq.

2) *Cypr. De zelo et livore* c. 1—9, in Ej. Opp. genuin. ed. *Goldhorn* P. II. p. 255 sqq.

3) ibid. c. 10—18, ed. laud. p. 259 sqq.

2. Opuscula dubia.

§. [illegible]. Praeter genuina opera huc usque recensita nonnulla item sub D. Cypriani nomine circumferuntur, de quorum auctoritate inter VV. DD. controversia est. Huc spectant: a. *Liber de spectaculis.* [1]) Is non dissimilis est illi libro, qui inter genuina *Tertulliani* opera (§. 604) ad nostra tempora pervenit, sed manifesto ab Episcopo quodam et eo quidem a grege suo remoto scriptus est; unde *Baronius, Pamelius, Heraldus, Sirmondus, Bellarminus,* alii *D. Cypriano* illum adscripserunt. Atvero nemo Antiquorum sub ejus nomine libellum hujus tituli laudat; praeterea *stylus,* licet a Cypriani scriptione non omnino alius sit, multum tamen discrepat; nec, si locum quaeras, ubi scriptus sit, Carthagine illum, sed *Romae* potius compositum fuisse conjicies. — b. *De disciplina et bono pudicitiae.* [2]) Scriptus est hic liber tempore persecutionis ab episcopo exule; hinc eum pariter ac praecedentem libellum nonnulli Cypriano tribuere non dubitarunt. Refragatur autem non levis *styli* disparitas. *Cornelium* Papam (§. 651) verum ejus esse auctorem opinatur *Erasmus,* quod tamen Eruditis non ita facile persuasit. Tempus quidem exarationis non longe ab aetate *Cypriani* videtur distare; de auctore vero certi aliquid statuere, deficientibus sanis conjecturandi rationibus in-

---

1) *Maranus,* Vita Cypriani, in Cypr. Opp. ed. sua, Prolegg. p. CXXV; *Lumper* Hist. theol.-crit. de SS. PP. P. XI. p. 354 sqq.; *Fr. Oberthür* Epist. ad Mich. Ign. Schmidt, in ed. Opp. Cyprian. Wirceburg. T. I. Proem. p. XVI; *Neander* Kirchengeschichte T. I. P. II. p. 447 sqq.; *Rettberg* Thasc. Cäc. Cyprians Leben u. Wirken p. 281 sq.; *Baehr* Die christl.-röm. Theologie §. 31. nr. 1. p. 60 sq.; *Moehler* Patrologie T. I. p. 846. nr. I. 1. — *Editus est Lib. de Spectaculis* in ed. Opp. S. Cypriani, cur. Oberthür (Wirceburg. 1782. 84. II. 8.) T. II. p. 121—129.

2) *Maranus* l. l. p. CXXVII; *Lumper* l. l. p. 350 sqq.; *Oberthür* l. l. p. XXII; *Rettberg* l. l. p. 285 sq.; *Baehr* l. l. §. 31. nr. 3. p. 61; *Moehler* l. l. p. 847. nr. I. 3. — *Editus est* hic liber in Oberthürii edit. Opp. Cypriani T. II. p. 147—157.

possibile est. — c. *De laude martyrii*, [3]) liber scriptus ad *Moysen*, *Maximum* ceteros Confessores, ad quos utique Cyprianum literas dedisse constat (cf. §. 674 Epp. XXVIII et XXXVII). Et hi quidem in epistola ad priorem responsoria (ib. Ep. XXXI) sic verba faciunt, ac si *librum talem* ab eo acceptam legissent. Unde *Bellarminus* et *Tillemontius* non dubitant opusculum isthoc *Cypriano* attribuere, cujus insigne nomen etiam omnes Mss. codices praeseferunt. Nihilominus (ut alia taceam) jam sola *styli* diversitas maximam nobis adfert dubitationem. Scriptura enim tumida atque affectata recentiorem aliquanto auctorem innuit, atque ipsa oratio magis ingenii exercendi causa more Sophistarum videtur exarata. — d. *Exhortatio ad poenitentiam*, [4]) a *Jo. Chrys. Trombellio* S. Salvatoris Bononiae Abbate inter alia opuscula [5]) primum in lucem edita, proxime quidem accedit ad Cypriani tractatus *Testimonia adversus Judaeos* (§. 685) et *De exhortatione martyrii* (§. 692); nec male demonstravit sagacissimus editor, dandum esse hunc libellum vel Cypriano vel auctori aequali. Attamen ipse ingenue fatetur, libelli auctorem versione S. Scripturae longe *alia* atque Cyprianum fuisse usum, et inter veteres Scriptores nullum esse, qui ejusmodi tractatum ab eo confectum esse dixerit. Hinc ego hunc quoque libellum inter eos velim recensere, quorum vel genuinitas vel suppositio nondum extra dubium posita est. — Denique e. *De Pascha computus*, [6]) a *Paulo Diacono* († 799) primum tamquam Cy-

---

3) *Maranus* l. l. p. CXXVI; *Lumper* l. l. p. 355 sq.; *Oelrichs* l. l. p. 40; *Oberthür* l. l. p. XXI sq.; *Rettberg* l. l. p. 282 sq.; *Baehr* l. l. nr. 4; *Moehler* l. l. p. 846. nr. I. 2. — *Exhibetur* hoc opusc. in Cyprian. Opp. ed. supra laud. Wirceb. T. II. p. 129—147.

4) *Oberthür* l. l. p. XX; *Oelrichs* l. l. p. 40; *Goldhorn* in Cypr. Opp. genuin. P. II. Praefat. p. VI sq.; *Moehler* l. l. p. 847. nr. I. 5.

5) *Veterum PP. latt. opuscula nunquam antehac edita a Canonicis regul. S. Salvat.* T. II. P. I. Bonon. 1751. 4.

6) *Cave* Hist. litt. Scriptt. eccl. T. I. p. 128; *Maranus* l. l. p. CXXXI; *Schroeckh* Kirchengeschichte IV. p. 280; *Lumper* l. l. XI.

priani nostri opus allegatum. *Vetustus* quidem judice *Caveo* tractatus est, et si non Cypriani, tamen ejus aevo suppar. Editus est primum inter Cypriani opuscula *Oxonii* 1682 ex codice Cottoniano.

3. Certo supposititia.

a. poëtica.

§. 697. Eadem fere, quae in nonnullis exemplaribus perperam sub *Tertulliani* nomine evulgata sunt, poëmata metro heroico composita passim etiam *D. Cypriano* nec tamen meliori jure attributa sunt; in his: *De judicio Domini*, *De genesi*, *De Sodoma*, *Ad senatorem*, *Hymnus de cruce*. Verum de his supra jam, quantum satis duximus, adnotavimus (§. 621).

b. prosaica:

aa. quorum veri auctores vel certo noscuntur vel saltem suspicantur.

§, 698. Praeter *epistolas* nonnullas a VV. DD. merito rejectas (§. 672) alia permulta sunt opuscula, quae incassum S. Cypriani nomine circumferuntur; et alia quidem, quorum veri auctores penitus ignorantur; alia, quorum parentes, si non certo, tamen cum aliqua probabilitate noscuntur. Ad posteriorem classem referuntur: 1. *De operibus Christi cardinalibus*,[1]) quem librum esse *Arnoldi Abbatis Bonae Vallis* († c. a. 1136), nunc omnes norunt. — 2. *Expositio in symbolum Aposto-*

p. 375; *Oelrichs* l. l. p. 41; *Rettberg* l. l. p. 280; *Moehler* l. l. p. 849. nr. 7.

1) *Cave* Historia literaria Scriptt. eccl. (ed. nov. Basil. 1741. II. f.) Vol. I. p. 129; *Oberthür* l. l. p. XXVIII; *Oelrichs* l. l. p. 41; *Moehler* l. l. p. 848. nr. 5.

rum, [2]) quae revera *Rufino Aquilejensi* vindicatur, sub ejusque nomine habetur etiam inter supposititia opera *B. Hieronymi*, cui passim olim accensita est. — 3. *Liber seu Tractatus de Trinitate*, qui neque *Tertulliano* (§. 620) neque *Cypriano*, sed *Novatiano presbytero Romano* postmodum schismatico recte tribuitur (Cf. §. 655). — 4. *De judaica incredulitate ad Vigilium episcopum.* [3]) Is autem tractatus nihil aliud est, quam praefatio seu epistola dedicatoria ad *Aristonis Pellaei* dialogum s. t. *Disputatio Jasonis et Papisci;* qui liber a *Celso* quodam homine cetera ignoto in latinum versa unacum originali graeco dudum jam, sola hac praefatione excepta, periit (cf. §. 118). — Porro alia incaute Thascio nostro passim attributa sunt, quae *Maranus* sub *Cypriani Antiocheni* nomine evulgavit, nempe: 5. *Confessio seu poenitentia S. Cypriani*, [4]) qua prioris vitae flagitia uberrime defiet; — 6. *Oratio pro Martyribus*, precatio ad Deum pro felici eorum exitu; — et 7. *Oratio, quam sub die passionis suae dixit.* [5]) Is igitur Cyprianus, cui tria haec opuscula Maranus vindicare nititur, episcopus *Antiochenus* fuisse, et Nicomediae sub Diocletiano martyrium passus perhibetur. Oxoniensis vero operum Cyprianicorum editor non contemnendis fultus conjecturis diserte affirmat, talem Cyprianum, Antiochenum scilicet episcopum et martyrem, *nunquam* extitisse; quin imo totam, quae circumfertur de eo, narrationem,

---

2) *Maranus* l. l. p. CXXVIII; *Just. Fontanini* Hist. liter. Aquilejens. (Rom. 1742. 4.) Lib. V. c. 14; *Schroeckh* l. l. T. X. p. 128 sqq.; *Oberthür* l. l. p. XXV; *Oelrichs* l. l. p. 41; *Moehler* l. l. p. 848. nr. 5.

3) *Oberthür* l. l. p. XXIII sqq.; *Oelrichs* l. l. p. 41; *Moehler* l. l. p. 849. nr. 7.

4) *Oberthür* l. l. p. XXVI; *Oelrichs* l. l. p. 41; *Moehler* l. l. — *Edita est* gr. et lat. in edit. Opp. Cypriani cur. Oberthür T. II. Append. II. p. 398—447.

5) *Oberthür* l. l. p. XXVII; *Oelrichs* l. l. p. 40; *Baehr* l. l. §. 31. nr. 5. p. 61. — *Utraque oratio continetur* in editione Opp. Cypr. laud. T. II. App. II. p. 448—452.

miram, sane sed vetustissimam fabulam, nihil aliud esse quam S. Cypriani *Carthaginiensis* historiam, ab aliquo ex eorum numero, qui martyrum res gestas novis argumentis decorare gestiebant, mire *interpolatam* vel potius *de novo conditam*.

bb. quorum veri auctores penitus ignorantur.

§. 699. Ceterorum, quotquot unquam sub ementito *Cypriani* nostri nomine emissi sunt, librorum veri auctores ita parum innotuerunt, ut ne cum aliqua quidem probabilitate possint designari; velut: 1. *De aleatoribus*,[1]) libellus, quem vir clarissimus *Bellarminus* Pontificis alicujus Romani recentioris aevi esse conjicit. Certe lingua parum correcta et stylus incomtus atque barbarus, praeterea loci S. Scripturae aliter atque a D. Cypriano allegati suppositionis indicia satis manifesta videntur. — 2. *Liber de singularitate clericorum*,[2]) qui olim etiam *Origeni*, *Hieronymo*, *Augustino*, aliis passim tribui solebat. Cypriani illum neutiquam esse, jam sola styli barbaries monet. Auctor ejus incertus, licet non contemnendae sit vetustatis, *Hieronymi* saltem aevo non superior est. Doctissimi editionis Oxoniensis curatores circa *Bedae* aetatem tempus exarationis ejus figunt. — 3. *De duodecim abusionibus seculi*.[3]) De vero hujus libelli parente inter Eruditos valde ambigitur. Cypriani non est; etenim qui occurrunt S. Scripturae loci omnes secun-

---

1) *Oberthür* l. l. p. XXV; *Oelrichs* l. l. p. 40; *Baehr* l. l. §. 31. nr. 5. p. 61; *Moehler* l. l. nr. II. 1. p. 847. — *Editus est* libellus iste in ed. Opp. Cypr. ed. laud. T. II. Append. I. p. 231—239.

2) *Maranus* l. l. p. CXXVIII; *Oberthür* l. l. p. XXV; *Oelrichs* l. l. p. 41; *Baehr* l. l. §. 31. nr. 5. p. 61 sq.; *Moehler* l. l. nr. II. 2, p. 848. — *Editus est* in Opp. Cypr. cur. Oberthür. T. II. App. I. p. 256—301.

3) *Oberthür*, *Oelrichs* l. l.; *Moehler* l. l. p. 848. nr. 3. — *Exhibetur* autem hoc opusc. in Cypr. Opp. ed. laud. T. II. App. I. p. 239—256.

dum emendatam *Hieronymianam* versionem allegantur. — 4. *Oratio de duplici martyrio*,[4]) a *Pamelio* frustra nostro S. Martyri vindicatur. Obstat enim ingens styli disparitas et sermo ita fere compositus, ut nonnisi rhetoricae imitationis speciem praeseferat. Praeterea in illa persecutionis *Diocletiani*, imo adeo *Turcarum* fit mentio. — Accedunt ad haec duo opuscula, nonnunquam etiam *Tertulliano* perperam attributa: 5. *Ad Novatianum haereticum*, quod lapsis spes veniae non sit deneganda (vd. §. 662); et — 6. *Liber de rebaptismate* s. Anonymi tractatus de baptismo haereticorum (vd. §. 721). — Praeterea aperte spuria sunt et prorsus incerti parentis; 7. *Arcana* seu *Secreta Cypriani*,[5]) opusculum plenum superstitionis et ineptiarum. — 8. *Preces Cypriani*[6]) seu εὐχαὶ Κυπριάνου (graeco enim sermone libellus extat), quibus sane nihil cum beatissimo nostro Martyre commune est. — 9. *De revelatione capitis S. Joannis Baptistae*,[7]) ineptis fabulis conflata historiola, in qua inter alia de *Pipino* Francorum rege agitur. — 10. *De montibus Sina et Sion adversus Judaeos*[8]) libellus, qui allegoricis mysticisque supra modum interpretationibus abundat. — 11. Huic ob affinitatem materiae proxime accedit *Tractatus adversus Judaeos*,[9]) qui insecuti sunt Dominum nostrum J. Chr. — Denique 12. *Libellus Coena*,[10]) alias *Dispositio coenae* inscriptus,

---

4) *Oberthür* l. l. p. XXVI; *Oelrichs* l. l.; *Moehler* l. l. nr. 4. — *Typis excusa est* c. Opp. Cypr. ed. laud. T. II. App. I. p. 348—382.

5) *Oelrichs* l. l. p. 41; *Moehler* l. l. p. 349. nr. 7. —

6) *Oelrichs*, *Moehler* ll. ll.

7) *Cave*, *Oberthür*, *Oelrichs*, *Moehler* ll. ll. — Habes eam *typis exscriptam* in Opp. Cypr. ed. laud. T. II. App. I. p. 382—390.

8) *Oelrichs* l. l. p. 40; *Baehr* l. l. §. 81. nr. 5. p. 61; *Moehler* l. l. — *Editus* est l. l. p. 201—212.

9) *Oelrichs* l. l. p. 41; *Moehler* l. l. — *Editus* ib. p. 212—221.

10) *Oberthür*, *Oelrichs*, *Moehler* ll. ll. — *Editus est* l. l. p. 390—396.

opus ineptum et ridiculum magis, quam beatissimo Cypriano dignum; — et 13. *Liber de Notis.* [11])

4. Operum variae editiones.

§. 700. S. Cypriani *epistolae* duntaxat primum ex recognitione *Jo. Andreae* evulgatae sunt per Conrad. Sweynheim et Arn. Pannartz, *Rom.* 1471. fol., et apud Vindelinum de Spira, *Venetiis* 1471. fol. Ejusdem deinde *Epistolae et Opuscula* (saltem aliquot) prodierunt *Venetiis* apud Lucam Venetum 1483. fol., et post alias plures editiones (omisso tamen loco et anno et typographo) nova in lucem exiit *Parisiis* apud Jodocum Badium 1500, et locupletior sumtibus Bertholdi Rembolt et Jo. Waterloes, *Paris.* 1512. 4. — Novam posthac et meliorem editionem operum S. Cypriani curavit *Desiderius Erasmus Roterodamensis*, Basileae ap. Frobenium 1520. f.; haec reimpressa est *Basil.* apud eundem 1521. 1530 f., ibid. in officina Hervagiana 1540. 1558 f.; *Colon.* per Jo. Soterum 1522. II. 8. et 1525 fol., ibid. ex rec. Henr. Gravii typis Petri Quentel 1544 f., ib. ex rec. Gravii 1549 f.; *Lugduni* ap. Seb. Gryphum 1528. II. 8.; *Paris.* ap. Arnulph. Langelerium 1541. f. (editio pessime foedata), ibid. ap. Oudinum 1541. f. et ap. Fr. Reynault 1541. f.; *Antverp.* 1541. 8., ibid. ap. Jo. Crinitum 1542. II. 8.; *Venetiis* 1547. 4. — His omnibus longe praestantior et addito quinto epistolarum libro antea nunquam edito locupletata est editio *Romana* ap. Paul. Manutium, Aldi filium 1563. f. Hanc sequebantur editiones *Paris.* ap. Guil. Desbois c. observatt. *Guil. Morellii* 1564 f.; *Antverp.* ap. Stelsii haered. c. annott. *Jac. Pamelii* 1568. III. f., recusa deinceps ibid. 1589 f., *Paris.* ap. Nivellum 1574. f., ibid. ap. Jo. le Preux 1593. f., ibid. 1603. 1607. 1616. 1623. 1633. 1644 fol., *Colon.* 1575. 1617 et 1632 f., *Genev.*

11) *Moehler* l. l.

1593. f. — Alia iterum ad vett. exemplarium fidem recognita et observationibus *Nic. Rigaltii* illustrata prodiit *Lutet. Paris.* 1648 f. et recusa est ibid. 1649, deinde *Londini* 1650, et c. *Rigaltii* et *Pamelii* annott. integris, *Paris.* ap. Jo. Dupuis 1666. f. (Quam *Luc. Frid. Reinhartus* curavit editionem *Altdorfi* typis Henr. Meyeri 1681. 4. solas *epistolas* Cypriani continet.) — Dispositione materiae, emendatione textus, notis criticis et exegeticis illustrata, et typographico ornatu maxime conspicua est, quae prodiit recognita per *Joannem (Fellum) Oxoniensem episcopum*, Oxonii e theatro Sheldon. 1682 fol. Accedunt *Vita Cypriani* per Pontium Diaconum conscripta; *Annales Cyprianici* i. e. tredecim annorum a baptismo Cypriani usque ad ejus obitum brevis historia chronologice delineata per *Joannem Cestriensem (Pearsonium)*; et variae *Dissertationes*. Haec Fellii recensio ad unguem recusa est, subjunctis *Dodwelli dissertt. Cyprianicis* (anno 1684. 4. seorsim primum excusis) *Bremiae* sumptibus Herm. Baueri 1690. f. et *Amstelodami* ap. Jo. Lud. de Lorme 1699 et 1700. f. — Seculo denique XVIII Cypriani Opera ad Mss. codices recognita et illustrata prodierunt studio et labore *Steph. Baluzii Tutelensis*, absolvit post Baluzium ac praefationem et vitam Cypriani adornavit unus ex Monachis O. S. B. ex congregatione *S. Mauri (Prudentius Maranus)*, *Paris.* ex typogr. regia 1726. atque iterum 1733 fol. Ad hanc editionem eadem typis exscripta sunt *Venetiis* 1728 et 1758 f. et una cum *Minucii Felicis* Octavio et *Novatiani* opusculis curante *Fr. Oberthür*, *Wirceburgi* ex offic. Stahel 1782. II. 8. — Novissime vero edita sunt in *Collectione select. SS. Ecclesiae Patrum* (quae accurantibus *D. Caillau* et *D. M. Guillon* Parisiis incepta et postea Mediolanum translata et continuata est) *Mediolan.* 1835. II. 8.; atque separatim *Paris.* ap. Gauthier fratt. 1836. 8. et *Vesont.* ap. eosdem 1836. 12.; denique secundum Oxoniensem editionem cum cett. collat. in *E. G. Gersdorfii Bibliotheca PP. eccl. latt. selecta* Vol. II et III, quae con-

tinent Th. Caec. Cypriani Opera genuina, brevi annotatione instructa cur. *D. I. H. Goldhorn*, Priv. Doc. in Univers. litt. Lipsiensi, P. I (Epistolae) Lips. 1838. 8, P. II (Tractatus) ibid. 1839. 8. — Ex *versionibus* operum omnium Cypriani maxime commendantur *gallica:* Oeuvres traduites en François par *Lombert*, Paris chez André Pralard 1672. 4.; et *Germanica:* Cyprians sämmtliche ächte Werke übers. v. *M. Feyerabend*, München 1818—20. IV. 8., et alia in biblioth. PP. c. t. Die sämmtlichen Werke der Kirchenväter (Kempten 1831 sqq., usque nunc XXVIII Voll. 8) Bd. V—IX.

C. Doctrina S. Cypriani.

1. Doctrina dogmatica.

a. De Deo uno.

§. 101. „*Unus*, inquit Noster, *omnium Dominus est Deus. Neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cum sola omnem teneat potestatem. Ad divinum imperium etiam de terris mutuemur exemplum. Quando unquam regni sosietas aut cum fide coepit, aut sine cruore desiit? ... Nec hoc tu de homine mireris, cum in hoc omnis natura consentiat. Rex unus est apibus, et dux unus in gregibus, et in armentis rector unus. Multo magis mundi unus est rector, qui universa quaecunque sunt verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat.* [1]) *Hic nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi, tactu purior est; nec aestimari, sensu major est. Et ideo sic eum digne aestimamus, dum inaestimabilem dicimus. ... Nec nomen Deo quaeras, Deus nomen est illi. Illic vo-*

1) De idolor. vanitate c. 8 pr., in Ej. Opp. genuinis ed. *Goldhorn* Pars II. p. 13 sq.

cabulis opus est, ubi propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est. Deo, qui solus est, Dei vocabulum totum est. Ergo unus est et ubique totus diffusus est." [2])

b. De hominis creatione et peccato originali.

§. 702. Saepenumero beatus Cyprianus de felici protoparentis nostri statu in paradiso loquitur, et quam tristem commutationem per peccatum tam sibi ipse quam toti humano generi peperit. Sic in libro *De bono patientiae* paucis quidem sed aperte satis hujus miseriae meminit. *Ut enim*, inquit, *patientia bonum Christi est, sic econtra impatientia diaboli malum. ... Exordia denique ipsa videamus. Diabolus hominem ad imaginem Dei factum impatienter tulit. Inde et periit primus et perdidit. Adam contra coeleste praeceptum cibi letalis impatiens in mortem cecidit, nec acceptam divinitus gratiam patientia custode servavit.*" [3]) Periit primus et perdidit omnem sui progeniem. Propterea ne *parvulus* quidem, recens natus a *lavacro regenerationis* debet prohiberi. Etenim is „*nihil* quidem ipse *peccavit*, atvero *secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit, qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria sed aliena peccata.*" [4])

c. De Christo redemtore, Deo pariter ac Homine.

§. 703. Deus autem humani generis miseritus misit nobis Filium suum redemtorem, ut indulgentiam et salutem de divinis muneribus hauriremus. „*Indulgentiae igi-*

---

2) Ibid. c. 9 pr., ed. laud. II. p. 14.
3) De bono patientiae c. 19 post pr., ed. laud. II. p. 251.
4) Cypr. ad *Fidum* Epist. LXIV. c. 5 fin., ed. laud. P. I. p. 170.

tur hujus et gratiae arbiter et magister Sermo et Filius Dei mittitur, qui per prophetas omnes retro illuminator et doctor humani generis praedicabatur. Hic est Virtus Dei, hic Ratio, hic Sapientia ejus et Gloria. Hic in virginem illabitur, carnem spiritus sanctus induitur, Deus cum homine miscetur. Hic Deus noster, hic Christus est, qui mediator duorum hominem induit, quem perducat ad Patrem. Quod homo est, esse Christus voluit, ut et homo possit esse, quod Christus est." 5) Hinc „*homo novus, renatus, et Deo suo per gratiam ejus restitutus „„Pater"" eum dicit, qui filius esse jam coepit."* 6)

d. De Sacramentis.

aa. S. Baptismus.

α) Effectus et necessitas hujus sacramenti.

§. 704. S. Cyprianus baptismum praeclare vocat *undam genitalem*, 1) *aquam vitalem*, 2) nimirum „*cum inde incipiat omnis fidei origo et ad spem vitae aeternae salutaris ingressio et purificandis ac vivificandis Dei servis divina dignatio."* 3) *Effectus* autem baptismi a se ipso describit. „*Ego cum in tenebris atque in nocte coeca jacerem, cumque in salo jactantis seculi nutabundus ac dubius vestigiis oberrantibus fluctuarem vitae meae nescius, veritatis ac lucis alienus, difficile prorsus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut quis renasci denuo posset, utque in novam vitam lavacro aquae salutaris anima-*

5) De idolorum vanitate c. 11 med., ed. laud. P. II. p. 15.

6) De oratione dominica c. 9 post pr., ed. laud. II. p. 159.

1) De gratia Dei ad Donatum c. 4 post pr., in Cypr. Opp. genuin. ed. *Goldhorn* P. II. p. 2.

2) Cypr. ad *Magnum* Epist. LXIX. c. 8 pr., ed. laud. P. I. p. 191; Idem ad *Jubaian*. Ep. LXXIII. c. 11 post pr., ed. laud. I. p. 213.

3) Ibid. c. 12 post pr., p. 214.

tus, quod prius fuerat, exponeret, et corporis licet manente compage hominem animo ac mente mutaret. [4]) . . . *Sed postquam undae genitalis auxilio superioris aevi labe detersa in expiatum pectus serenum ac purum desuper se lumen infudit, postquam coelitus spiritu hausto in novum me hominem nativitas secunda reparavit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, . . . ut esset cognoscere, terrenum fuisse, quod prius carnaliter natum delictis obnoxium viveret; Dei esse coepisse, quod jam Spiritus Sanctus animaret.*" [5]) Ad quaestionem autem, an omnes rite baptizati *parem* et *aequalem* *gratiam* accipiant, respondet: „*Non, qui beneficiorum terrestrium mos est, in capessendo munere coelesti mensura ulla vel modus est. Profluens largiter spiritus nullis finibus premitur, nec coërcentibus claustris intra certa metarum spatia frenatur. Manat jugiter, exuberat affluenter. Nostrum tantum sitiat pectus et pateat. Quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum gratiae inundantis haurimus.*" [6]) Et alibi: *Quin imo Spiritus Sanctus non ad mensuram datur, sed super credentem totus infunditur. . . . Plane eadem gratia spiritalis, quae aequaliter in baptismo a credentibus sumitur, in conversatione atque actu nostro postmodum vel minuitur vel augetur.*" [7]) Unde etiam *infantibus* baptismus non denegandus. „*Nam Deus ut personam non respicit, sic nec aetatem, cum se omnibus ad coelestis gratiae consecutionem aequalitate librata praebeat patrem.*" [8])

---

4) De gratia Dei c. 3 pr., ed. laud. T. II. p. 2.
5) Ibid. c. 4 post pr., p. 2 sq.
6) Ibid. c. 5 post pr., p. 3.
7) Cypr. ad *Magnum* Epist. LXIX. c. 14 pr., ed. laud. P. I. p. 198.
8) Cypr. ad *Fidum* Ep. LXIV. c. 3 fin., ed. laud. I. p. 169.

b) Materia, forma, minister.

§. 105. *Materia* sacramenti *aqua* est, ad hunc usum proprie ab Episcopo consecratum. „*Oportet ergo mundari et sanctificari aquam prius a Sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere.*"[9] Ejusdem autem *forma* invocatio *S. Trinitatis*: „*Dominus enim post resurrectionem discipulos suos mittens, quemadmodum baptizare deberent, instruxit et docuit dicens: Data est mihi omnis potestas etc.* (Matth. XXVIII. 18. 19). ... *Insinuat Trinitatem, cujus sacramento gentes baptizarentur.*"[10] *Ministrum* denique sacramenti fuisse *episcopum* docet, dicens: „*Nos* (Episcopi) *de divino permissu rigamus sitientem Dei populum, nos custodimus terminos vitalium fontium.*"[11]

c) Baptismus sanguinis.

§. 106. Praeclare item S. Pater de *baptismo sanguinis*, quem dicimus, ejusque efficacia locutus: „*Numquid*, inquit, *potest vis baptismi esse major aut potior quam confessio, quam passio, ut quis coram hominibus Christum confiteatur et sanguine suo baptizetur?*"[12] Et paulo infra: „*Sciant igitur*, hos ... *nec privari baptismi sacramento, utpote qui baptizentur gloriosissimo et maximo sanguinis baptismo, de quo et Dominus dicebat, habere se aliud baptisma baptizari. Sanguine autem suo baptizatos et passione sanctificatos consummari, et divinae pollicitationis gratiam consequi declarat in evangelio idem Dominus*" *etc.*[13] Atque iterum alio loco: „*Nos tantum, qui*

---

9) Cypr. c. reliqq. Epp. ad *Januar.*, *Saturninum* etc. Epist. LXX. c. 1 med., ed. laud. I. p. 201.

10) Cypr. ad *Jubaianum* Epist. LXXIII. c. 5 post pr., ed. laud. I. p. 210.

11) Ibid. c. 11 med., p. 213.

12) Ibid. c. 21 pr., p. 219.

13) Ibid. c. 22 med., p. 220.

Domino permittente primum baptisma credentibus dedimus, ad aliud quoque singulos praeparemus, insinuantes et docentes, hoc esse baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius etc. ... In aquae baptismo accipitur peccatorum remissa, in sanguinis (baptismo) *corona virtutum.*" [14])

bb. S. Confirmatio.

§. 707. A baptismi sacramento probe distinguit S. Martyr sacramentum *Confirmationis*. „*Ungi quoque*, ait, *necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate i. e. unctione esse unctus Dei et haberé in se gratiam Christi possit. Porro autem Eucharistia et, unde baptzati unguntur, Oleum in altari sanctificatur.*" [1]) Pari modo alibi: *Quia*, inquit, *legitimum et ecclesiasticum baptismum conceculi fuerant* (Samaritani), *baptizari eos ultra non oportebat, sed tantummodo quod deerat id a Petro et Joanne factum est, ut oratione pro eis habita et manu imposita invocaretur et infunderetur super eos Spiritus Sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut, qui in Ecclesia baptizantur, prueposilis ecclesiae offerantur, et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, et signaculo Dominico consummentur.*" [2]) Ita non re solum, verum et numero, *ambo sacramenta* discernit. Cum enim dixisset, „*quod parum sit, eis manum imponere ad accipiendum Spiritum Sanctum, nisi accipiant et ecclesiae baptismum;*" [3]) statim prosequitur: „*Tunc enim demum plene sanctificari et esse filii Dei possunt, si sacramento utroque nascantur.*" [4])

---

14) De exhortat. martyrii c. 4 med., ed. laud. P. II. p. 191.

1) Cypr. ad *Januarium* etc. Epist. LXX. c. 2 med., in Ejusd. Opp. genuin. ed. *Goldhorn* P. I. p. 201.

2) Cypr. ad *Jubaian*. Epist. LXXIII. c. 9 med., ed. laud. I. p. 212.

3) Cypr. et ceteri ad *Stephanum* Papam Epist. LXXII. c. 1 in fin., ed. laud. I. p. 203.

4) Ib. c. 2 pr., p. 203.

cc. S. *Eucharistia.*

a) Corpus et sanguis Domini.

§. 708. *Eucharistiam* vere, realiter ac substantialiter esse *corpus et sanguinem Domini*, semel atque iterum disertissime confitetur Cyprianus. Sic e. gr. *Orationem dominicam* exponens: „*Procedente oratione*, inquit, *postulamus et dicimus: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quod potest et spiritaliter et simpliciter intelligi, quia et uterque intellectus utilitate divina proficit ad salutem. Nam panis vitae Christus est, et panis hic omnium non est, sed noster est. Et quomodo dicimus „Pater noster," quia intelligentium et credentium pater est, sic et panem nostrum vocamus, quia Christus eorum, qui corpus ejus contingunt, panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne, qui in Christo sumus, et Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti et non communicantes a coelesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur, ipso praedicante et monente: „„Ego sum panis vitae, qui de coelo descendi etc."" ... Quando ergo dicit in aeternum vivere, si quis ederit de ejus pane, ut manifestum est eos vivere, qui corpus ejus attingunt et eucharistiam jure communicationis accipiunt, ita contra timendum est et orandum, nequis dum abstentus separatur a Christi corpore, procul remaneat a salute, communicante ipso et dicente: „„Nisi ederitis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis."" Et ideo panem nostrum i. e. Christum dari nobis quotidie petimus, ut, qui in Christo manemus et vivimus, a sanctificatione ejus et corpore non recedamus.*" 1)
Et alibi, ubi vere poenitentibus propter novam imminen-

---

1) De orat. Dominica c. 18 tot., in Cypr. Opp. genuin. cur. *Goldhorn* P. II. p. 165.

tem persecutionem citius dare pacem suadet, ne ulterius ab Eucharistia probibeantur, hanc potissimum subdit causam, „*ut, quos excitamus et hortamur ad proelium, non inermes ac nudos relinquamus, sed protectione corporis et sanguinis Christi muniamus, et, cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus munimento dominicae saturitatis armemus. Nam quomodo docemus aut provocamus eos, in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus?*“ 2)

b) Missae sacrificium.

§. 709. Uberrime autem D. Cyprianus de *sacrificio eucharistico* in epistola ad Caecilium disserit, et essentiales ejus partes fusius dinumerat. „*In sacerdote Melchisedech,* inquit, *sacrificii dominici sacramentum praefiguratum videmus. ... Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in psalmis Spiritus sanctus ex persona Patris ad Filium dicens: Ante luciferum genui te. Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. ... Nam quis magis sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo patri obtulit, et obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem. ... Ut ergo in genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham posset rite celebrari, praecedit ante imago sacrificii Christi in pane et vino scilicet constituta, quam rem perficiens et adimplens Dominus panem et calicem mixtum vino obtulit, et, qui est plenitudo veritatis, veritatem praefiguratae*

2) Cypr. ad *Cornelium* Epist. LVII. c. 2 med., ed. laud. P. I. p. 123.

imaginis adimplevit.“ [3]) ... *Calicem etenim sub die passionis accipiens benedixit et dedit discipulis suis dicens:* *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* ... *Qua in parte invenimus, calicem mixtum fuisse, quem Dominus obtulit, et vinum fuisse, quod sanguinem suum dixit. Unde apparet, sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici, nec sacrificium dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passioni.* [4]) ... Ergo „*in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis. Si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Quando autem utrumque miscetur, et adunatione confusa sibi invicem copulatur, tunc sacramentum spiritale et coeleste perficitur.* [5]) *Quodsi* igitur *nec minima de mandatis dominicis licet solvere, quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum dominicae passionis et nostrae redemtionis sacramentum pertinentia fas non est infringere, aut in aliud, quam quod divinitus institutum sit, humana traditione mutare! Nam si Jesus Chritus Dominus et Deus noster ipse est sumus sacerdos Dei patris, et sacrificium Patri se ipsum primus obtulit, et hoc fieri in sui commemorationem praecepit; utique ille sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur et sacrificium verum et plenum tunc offert in ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse.* [6]) ... *Et quia passionis ejus mentionem in sacrificiis omnibus facimus, (passio est enim Domini sacrificium quod offerimus), nihil aliud,*

3) Cypr. ad *Caecilium*, Epist. LXIII. c. 4 pr., ed. laud. I. p. 158 sq.

4) Ibid. c. 9 med., p. 161 sq.

5) Ib. c. 13 med., p. 164.

6) Ib. c. 14 med., p. 165.

quam quod ille fecit, facere debemus." 7) — Hoc missae sacrificium *quotidie* esse celebrandum monet. 8) Et fieri sacrificia *pro martyribus* tum in die *obitus* eorum tum in die *anniversario* ostendit. „*Sacrificia pro eis semper* ... *offerimus, quoties martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus.*" 9) Idem alibi ad suos scribit: *Denique et eorum dies, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus.*" 10) Nec praetereundum, quod tum jam sacerdotes etiam *Memento pro vivis* interponere in sacrificio missae consueverint. Dicit enim: „*Ut autem fratres nostros et sorores* (benefactores) ... *in mente habeatis in orationibus vestris, et eis vicem boni operis in sacrificiis et precibus repraesentetis, subdidi nomina singulorum.*" 11)

dd. S. Poenitentia.

§. 710. Potens est divina misericordia, peccatoribus etiam post baptismum et in maximis criminibus prostratis medelam dare. „*Properandum tamen*, inquit, *non puto, nec incaute aliquid et festinanter gerendum, ne, dum temere pax usurpatur, divinae indignationis offensa gravius provocetur.* 1) ... *Nam cum in minoribus delictis, quae non in Deum committuntur, poenitentia agatur justo tempore, et exomologesis fiat inspecta vita ejus, qui agit poe-*

---

7) Ib. c. 17 pr., p. 166.

8) Cypr. ad *Cornelium*, Epist. c. 3 med., ed. laud. P. I. p. 128. Et alibi: „*Christus, ait, eorum qui corpus ejus contingunt panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne, qui in Christo sumus et Eucharistiam* *quotidie* *ad cibum salutis accipimus, intertercedente aliquo graviore delicto a Christi corpore separemur.*" De orat. Dominica c. 18 post pr., ed. laud. P. II. p. 165.

9) Cypr. ad *Clerum Carthag*. Epist. XXXIV. c. 3 med., ed. laud. P. I. p. 78.

10) Idem ad *eosdem*, Ep. XII. c. 2 pr., ad. laud. I. p. 27.

11) Idem ad *Januar.*, Epist. LXII. c. 4 med., ed. laud. I. p. 157.

1) Cypr. *ad plebem Carthag.*, Epist. XVII. c. 1 med., in Ej. Opp. cur. *Goldhorn* P. I. p. 39.

nitentiam, nec ad communicationem venire quis possit, nisi prius illi ab Episcopo et clero manus fuerit imposita, quanto magis in his gravissimis atque extremis delictis caute omnia et moderate secundum disciplinam Domini observari oportet." 2) Etenim „*Deus, quantum patria pietate indulgens semper et bonus est, tantum judicis majestate metuendus est. Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens et longa medicina non desit, poenitentia crimine minor non sit. Putasne tu Dominum cito posse placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium praeponere maluisti, cujus templa sacrilega contagione violasti? Putasne facile eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensius et rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes et fletibus ducere, tempus omne lacrimosis lamentationibus occupare, stratos solo adhaerere cineri, in cilicio et sordibus volutari, post indumentum Christi perditum nullum jam velle vestitum, post diaboli cibum malle jejunium; justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur; eleemosynis frequenter insistere, quibus a morte animae liberantur. Quod adversarius auferebat, Christus accipiat, nec teneri jam nec amari patrimonium debet, quo quis et deceptus et victus est. Pro hoste vitanda res, pro latrone fugienda, pro gladio metuenda possidentibus et veneno.*" 3) Sed et *minora* et *occulta delicta*, imo adeo *pravas cogitationes* sacerdotibus confiteri oportet. „*Denique quanto et fide majores et timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam vero de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes exomologesin conscientiae faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt. ... Plus imo delinquit, qui secundum hominem Deum cogitans eva-*

2) Ibid. c. 2 med., p. 39.

3) De lapsis c. 35 post pr., ed. laud. P. II. p. 158 sq.

dere se poenam criminis credit, si non palam crimen admisit." ... Ideoque „*non cesset in agenda poenitentia atque in Domini misericordia deprecanda, ne, quod minus esse in qualitate delicti videtur, in neglecta satisfactione cumuletur.*" 4) Caveant autem peccatores, ne poenitentiam male de die in diem distrahant, et perdere salutem periclitentur. „*Confiteantur singuli, quaeso vos fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in saeculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est.*" 5) Denique qui non plenam egerint in terris satisfactionem, sciant se *post mortem* luituros esse, quod defuerit poenitentiae. „*Aliud est enim ad veniam stare, aliud, ad gloriam pervenire; aliud, missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem, aliud, statim fidei et virtutis accipere mercedem; aliud, pro peccatis longo dolore cruciatum emundari et purgari diu igne, aliud, peccata omnia passione purgasse; aliud denique pendere in diem judicii ad sententiam Domini, aliud statim a Domino coronari.* 6)

e. *De Ecclesia.*

aa. *De unitate Ecclesiae et fidelium communione.*

§. 711. „*Petrus*, inquit, *super quem aedificanda fuerat Ecclesia, Ecclesiae nomine docet et ostendit, quia, etsi contumax et superba obaudire nolentium multitudo discedat, Ecclesia tamen a Christo non recedit, et illi sunt Ecclesia plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens. Unde scire debes, episcopum in Ecclesia esse et Ecclesiam in episcopo, et siquis cum episcopo non sit, in Ecclesia non esse, et frustra sibi blandiri*

4) Ibid. c. 28 pr., p. 150.
5) Ibid. c. 29 pr., p. 151.
6) Cypr. ad *Antonian.*, Epist. LV. c. 17 med., ed. laud. I. p. 114.

eos, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, et latenter apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia, quae catholica *et* una *est, scissa non sit neque divisa, sed sit utique connexa et cohaerentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata.*" 1) Inprimis autem praeclare S. Doctor *de* unitate *Ecclesiae* loquitur. „*Ecclesia*, ait, una *est, quae in multitudinem latius incremento foecunditatis extenditur, quomodo solis multi radii, sed lumen unum, et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum, et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit; ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit; a fonte praecide rivum, praecisus arescit. Sic et Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit; unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit,* unum *tamen caput est et origo* una *et* una *mater foecunditatis successibus copiosa; illius foetu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur.* 2) *Adulterari non potest* sponsa Christi, *incorrupta est et pudica.... Quisquis ab Ecclesia segregatus adulterae jungitur, a promissis Ecclesiae separatur; nec perveniet ad Christi praemia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum* patrem, *qui Ecclesiam non habet* matrem. ... *Hanc unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris et Filii fidem, vitam non tenet et salutem.*" 3) ... Idem alibi: „*Deus unus est et Christus unus, et una Ecclesia ejus, et fides una, et plebs in solidam corporis unitatem*

1) Cypr. ad *Florentium*, Epist. LXVI. c. 8 post med., in Ej. Opp. genuin. cur. *Goldhorn* P. I. p. 178.

2) De unitate Ecclesiae c. 5 post pr., ed. laud. P. II. p. 120 sq.

3) Ibid. c. 6 pr., p. 121.

concordiae glutino copulata. Scindi unitas non potest, nec corpus unum discidio compaginis separari, divulsis laceratione visceribus in frusta discerpi. Quidquid a matrice discesserit, seorsim vivere et spirare non poterit, substantiam salutis amittit." [4]) Haec in caritate fundata unitas et communio fidelium non solum in hac vita terrestri consistit, sed vim suam etiam post mortem habet *per Sanctorum pro nobis intercessionem* in coelis. „*Credo*, scribit S. Celerinus Confessor, *quoniam, etsi in hoc mundo nos non viderimus, in futuro tamen nos coram Christo complectemur.*" [5]) Et D. Cyprianus: *Si quis nostrum*, ait, *divinae dignationis celeritate prior* e vita *decesserit*, „*perseveret apud Dominum nostra dilectio, pro fratribus et sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio.*" [6])

bb. De S. Hierachia.

a) Presbyteri, Diaconi, Minoristae.

§. 712. E S. Cypriani literis, jam tunc temporis in ecclesia Africana praeter *Presbyteros* et *Diaconos* [7]) etiam *Hypodiaconos* et *Acoluthos*, [8]) et *Lectores* et *Exorcistas* [9]) extitissé constat; et eos quidem omnes prorsus ab episcopo dependisse, cui adeo in *diaconos* et *presbyteros animadvertendi jus* competierit, erudimur. Sic enim scribit: „*Meminisse Diaconi debent, quoniam Apostolos i. e. Episcopos et praepositos Dominus*

---

4) Ib. c. 23 sub fin., p. 132 sq.

5) Celerinus ad *Lucianum*, Epist. XXI. c. 1 fin., inter Cypr. Epistt. ed. laud. P. I. p. 44.

6) Cypr. ad *Cornelium*, Epist. LX. c. 4 in fin., ed. laud. I. p. 152.

7) Cypr. ad *clerum Carthag.*, Ep. XXXIV. c. 1 pr., ed. laud. I. p. 68.

8) Cypr. ad *eosdem* Ep. XXIX. med., p. 56; Ep. XXXIV. c. 4 pr., p. 70.

9) *Universi Confessores* ad Cyprianum, Ep. XXIII fin., p. 49.

elegit, Diaconos autem post ascensum Domini in coelos Apostoli sibi constituerunt episcopatus sui et ecclesiae ministros. Quodsi nos aliquid audere contra Deum possumus, qui episcopos facit, possunt et contra nos audere Diaconi, a quibus fiunt. Et ideo oportet diaconum, de quo scribis, agere audaciae suae poenitentiam, et honorem Sacerdotis agnoscere, et Episcopo praeposito suo plena humilitate satisfacere. . . . Quodsi vero ultra contumeliis suis te exacerbaverit et provocaverit, fungeris circa eum potestate honoris tui, ut eum vel deponas vel abstineas." 10) Similiter alibi de *Presbytero* monet: „*Temerarii et incauti et tumidi quidam inter vos, qui hominem non cogitant, vel Deum timeant scientes, quoniam si ultra in iisdem perseveraverint, utar ea admonitione, qua me uti Dominus jubet, ut interim prohibeantur offerre, acturi et apud nos et apud confessores ipsos et apud plebem universam causam suam.*" 11)

b) Episcoporum apostolatus.

§. 713. Praepositi i. e. Episcopi „*Apostolis vicaria ordinatione succedunt.*" 12) Etenim, „*Dominus noster* ... *Episcopi honorem et Ecclesiae suae rationem disponens in evangelio loquitur et dicit Petro: Ego tibi dico etc.... Inde per temporum et successionum vices Episcoporum ordinatio et Ecclesiae ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur. Cum hoc itaque divina lege fundatum sit, miror, quosdam audaci temeritate sic mihi scribere voluisse etc.*" 13) ... *Neque enim aliunde haereses obortae sunt aut nata sunt schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec*

10) Cypr. ad *Rogatian.*, Ep. III. c. 3 pr., p. 5 sq.
11) Cypr. ad *Clerum Carthag.*, Ep. XVI. c. 4 med., p. 38.
12) Cypr. ad *Florentium*, Ep. LXVI. c. 4 fin., p. 176.
13) Cypr. ad *Lapsos*, Ep. XXXIII. c. 1 pr., p. 67.

unus in Ecclesia ad tempus ***Sacerdos*** *et ad tempus* ***Judex vice Christi*** *cogitatur.*" [14]) Hinc sequitur, quod Episcopus tamquam Christi vicarius *soli Deo* rationem agere teneatur, et „*omnis Episcopus pro licentia libertatis et potestatis suae proprium habeat arbitrium, tamque judicari ab alio non possit, quam nec ipse potest alterum judicare.*" [15])

c) Romani Pontificis primatus.

§. 714. „*Etsi* vero *pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus, et oves universas, quas Christus sanguine suo et passione quaesivit, colligere et fovere debemus.* [16]) ... *Quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus, maxime Episcopi, qui in Ecclesia praesidemus, ut episcopatum quoque ipsum* ***unum atque indivisum*** *probemus. ... Episcopatus* ***unus*** *est, cujus a singulis in solidum pars tenetur.*" [17]) Hujus unitatis quasi centrum ***Ecclesia Romana*** est. Unde D. Cyprianus testatur, se legatos navigantes Romam esse hortatum „*ut* ***Ecclesiae catholicae radicem et matricem*** *agnoscerent ac tenerent; ... ut*, inquit, *Te* (scil. Romanum pontificem) *universi collegae nostri, et communicationem tuam, id est* ***catholicae Ecclesiae unitatem*** *pariter et caritatem probarent firmiter ac tenerent.*" [18]) Hinc Ecclesiam Romanam recte vocitat „***Petri cathedram*** *atque* ***Ecclesiam principalem***, *unde unitas sacerdotalis exorta est.*" [19]) Ad quam principalitatem significan-

---

14) Cypr. ad *Cornelium*, Ep. LIX. c. 7 post pr., p. 136.

15) Cypr. in *Concil. Carthag.* ao. 256 hab., sub init., in Ej. Opp. genuin. ed. laud. P. II. p. 266.

16) Cypr. ad *Stephanum*, Ep. LXVIII. c. 5 pr., ed laud. P. I. p. 188.

17) De unitate Ecclesiae c. 5 pr., ed. laud. P. II. p. 120.

18) Cypr. ad *Cornelium*, Ep. XLVIII. c. 2 post. pr., ed. laud. P. I. p. 94.

19) Cypr. ad *eundem*, Ep. LIX. c. 19 sub fin., p. 144.

dam „*Primatus*“ vocem tum jam in usu fuisse ostendit, e. gr. ubi de *Novatiano* et ceteris loquitur, qui „*Ecclesiam scindentes et contra pacem atque unitatem Christi rebelles cathedram sibi constituere et primatum assumere conantur.*“ [20]) De primatu dubitare is solus potest, qui ad veritatis originem non redit, nec caput quaerit, nec Magistri coelestis doctrinam servat. „*Quae si quis consideret et examinet, tractatu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum. Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves coelorum etc. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas! Super illum unum aedificat ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionom suam parem potestatem tribuat et dicat: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum etc.; tamen, ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et Cathedra una monstretur. Et pastores sunt omnes, et grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur, ut Ecclesia Christi una monstretur.*“ [21])

---

20) Cypr. ad *Magnum*, Ep. LXIX. c. 8 sub fin., p. 194. Cf. Cypr. ad *Quintum*, Ep. LXXI. c. 3 post pr., p. 294.

21) De unitate Ecclesiae c. 4 pr., ed. laud. P. II. p. 119 sq.

2. Observationes morales.

a. De Fide, Spe et Caritate.

§. 715. Fides vera, quae coronari meretur, nonnisi *caritate* vivificatur et movetur. „*Fides enim ipsa et nativitas salutaris, non accepta sed custodita vivificat, nec statim consecutio sed consummatio hominem Deo servat. Dominus haec magisterio suo docuit dicens: Ecce sanus factus es, jam noli peccare, nequid tibi deterius fiat.*“ 1) Et iterum: „*Disciplina custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonae indolis, magistra virtutis, facit in Christo manere semper ac jugitur Deo vivere, et ad promissa coelestia et ad divina praemia pervenire.*“ 2) Deinde paucis interjectis: „*Fundamentum omne religionis ac fidei de observatione et timore proficiscitur.*“ 3)

b. De oratione.

§. 716. „*Jejuniis, vigiliis, orationibus insistere cum omni plebe non desinamus. Incumbamus gemitibus assiduis et deprecationibus crebris. Haec sunt enim nobis arma coelestia, quae stare et perseverare fortiter faciunt; haec sunt munimenta spiritalia et tela divina, quae protegunt. Memores nostri invicem simus, concordes atque unanimes, utrobique pro nobis semper oremus, pressuras et angustias mutua caritate relevemus*“ *etc.* 4) ... Non pro se solo quisque orare debet, sed *pro omnibus*, ut qui per Christum nos omnes unum sumus. „*Ante omnia pacis doctor atque unitatis magister singillatim noluit et*

---

1) Cypr. ad *Rogatian.* Ep. XIII. c. 2 med., in Ej. Opp. genuin. cur. *Goldhorn* P. I. p. 29.
2) De habitu virginum c. 1 pr., ed. laud. P. II. p. 103.
3) Ibid. c. 2 pr., p. 104.
4) Cypr. ad *Cornelium,* Epist. LX. c. 4, ed. laud. P. I. p. 152.

privatim precem fieri, ut quis, cum precatur, pro se tantum precetur. Non enim dicimus: Pater meus, qui es in coelis; nec: Panem meum da mihi hodie. ... Publica est nobis et communis oratio; et quando oramus, non pro uno, sed pro toto populo oramus, quia totus populus unum sumus. Deus pacis et concordiae magister, qui docuit unitatem, sic orare unum pro omnibus voluit, quomodo in uno omnes ipse portavit." [5]) ... „*Nec verbis tantum sed et factis Dominus orare nos docuit ipse orans frequenter et deprecans et, quid facere nos oporteret, exempli sui contestatione demonstrans.* [6]) ... *Cito orationes ad Deum ascendunt, quas ad Deum merita nostri operis imponunt. ... Adesse se repromittit, et audire et protegere se eos dicit, qui injustitiae nodos de corde solventes et eleemosynas circa domesticos Dei secundum ejus praecepta facientes, dum audiunt, quod Deus praecipit fieri, ipsi quoque a Deo merentur audiri.* [7]) ... *Vigilare autem et incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis et secularis abscedat, nec quidquam tunc animus quam id solum cogitet, quod precatur. Ideo et sacerdos ante orationem praefatione praemissa parat fratrum mentes dicendo; Sursum corda; ut dum respondet plebs: Habemus ad Dominum, admoneatur, nihil aliud se quam Dominum cogitare debere.* [8]) ... *Orandum hora tertia, sexta, nona:* [9])... *praeterea mane ac vespere* [10]) ... *imo nec noctu ab oratione cessemus.*" [11])

---

5) De oratione Dominica c. 8 pr., ed. laud. P. II. p. 158.
6) Ibid. c. 29 pr., p. 171.
7) Ib. c. 33 pr., p. 173 sq.
8) Ib. c. 31 pr., p. 172.
9) Ib. c. 34, p. 174.
10) Ib. c. 35, p. 174 sq.
11) Ib. c. 36, p. 175.

c. *De opere et eleemosyna.*

§. 717. Scripto *peculiari* hujus argumenti libello (§. 693) docet beatissimus Martyr magnam bonorum operum et fraternae caritatis efficaciam. Haec tanquam saluberrimam viam designat, qua minora delicta post baptismum sint expianda. „*Nam cum Dominus adveniens sanasset illa, quae Adam portaverat, vulnera, et venena serpentis antiqua curasset, legem dedit sano et praecepit, ne ultra jam peccaret, ne quid peccanti gravius eveniret. Coarctati eramus, et in angustum innocentiae praescriptione conclusi. Nec haberet, quid fragilitatis humanae infirmitas atque imbecillitas faceret, nisi iterum pietas divina subveniens justitiae et misericordiae operibus ostensis viam quandam tuendae salutis aperiret, ut sordes, postmodum quascunque contrahimus, eleemosynis abluamus.* [1]) . . . *Loquitur in divinis Scripturis Spiritus Sanctus et dicit: Eleemosynis et fide delicta purgantur. Non utique illa delicta, quae fuerant ante* (baptismum) *contracta; nam illa Christi sanguine et sanctificatione purgantur.* Item denuo dicit: *Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum. Hic quoque ostenditur et probatur, quia sicut lavacro aquae salutaris gehennae ignis extinguitur, ita eleemosynis atque operationibus justis delictorum flamma sopitur.*“ [2]) . . . Eadem fere alio loco habentur. *Scriptum est enim,* inquit, *Eleemosyna a morte liberat; et non utique ab illa morte, quam semel Christi sanguis extinxit, et a qua nos salataris baptismi et Redemtoris nostri gratia liberavit; sed et ab ea, quae per delicta postmodum serpit.*“ [3])

---

1) De opere et eleemosyna c. 1 med., in Cypr. Opp. genuin. ed. *Goldhorn*, P. II. p. 225.

2) Ibid. c. 2 pr., p. 226.

3) Cypr. ad *Antonianum*, Epist. LV. c. 18 post pr., ed. laud. P. I. p. 114.

d. *De bono patientiae* ac *De zelo et livore.*

§. 718. Superfluum videtur esse, argumenta adferre, quam praeclare gloriosissimus Martyr de *patientiae christianae* praestantia senserit. Singularem enim ea de re libellum nobis reliquit: *De bono patientiae* (§. 694), cui alium materia eadem quasi continuata subjunxit: *De zelo et livore* (§. 695). „*Late patet*, ait, *patientiae virtus; et ubertas ejus et largitas de unius quidem nominis fonte proficiscitur, sed exundantibus venis per multa gloriarum itinera diffunditur; nec proficere aliquid in actibus nostris potest ad consummandam laudem, nisi inde consummationis accipiat firmitatem. Patientia est, quae nos Deo et commendat et servat. Ipsa est, quae iram temperat, quae linguam frenat, mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coërcet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet, tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in conjunctis et maritatis individuam caritatem. Facit humiles in prosperis, in adversis fortes, contra injurias et contumelias mites. Docet delinquentibus cito ignoscere; si ipse delinquas, diu et multum rogare. Tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones et martyria consummat. Ipsa est, quae fidei nostrae fundamenta firmiter munit. Ipsa est, quae incrementa spei sublimiter provehit. Ipsa actum dirigit, ut tenere possimus viam Christi, dum per ejus tolerantiam gradimur. Ipsa efficit, ut perseveremus filii Dei, dum patientiam Patris imitamur.*“ [4]) Econtra vero idem Cyprianus docet, „*qualis sit animae tinea, quae cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, zelare in altero vel virtutem ejus vel felicitatem, id est, odisse in eo vel merita propria vel beneficia divina, in malum proprium bona aliena convertere,*

---

4) De bono patientiae c. 20 post. pr., ed. laud. P. II. p. 252.

illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam poenam, et velut quosdam pectori suo admovere carnifices, cogitationibus et sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis secreta malivolentiae ungulis pulsent. [5]) ... *Hinc diabolus inter initia statim mundi et periit primus et perdidit.* [6]) ... *Hinc novae fraternitatis prima odia, hinc parricidia nefanda coeperunt.*" [7])

e. *De virginitatis praestantia.*

§. 719. Pariter in peculiari libro, quem scripsit D. Cyprianus *De habitu virginum* (§. 686) totus ad virgines sermo est, „*quarum quo sublimior gloria, eo major et cura est. Flos est ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiae spiritalis, laeta indoles, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas atque in illis largiter floret Ecclesiae matris gloriosa foecunditas; quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augescit.* [8]) ... *Vos resurrectionis gloriam in isto seculo jam tenetis, per seculum sine seculi contagione transitis; cum castae perseveratis et virgines, angelis Dei estis aequales.*" [9])

---

5) De zelo et livore c. 7 pr., ed. laud. P. II. p. 258.
6) Ibid. c. 4 pr., p. 256.
7) Ib. c. 5 pr., p. 257.
8) De habitu virgg. c. 3 pr., ed. laud. P. II. p. 105.
9) Ibid. c. 22 sub fin., p. 115.

VIII.

Pontius Diaconus Carthaginiensis.

§. 720. *Pontius*, gente (ut videtur) *Afer*, *diaconus S. Cypriani* (§. 665) in ecclesia Carthaginiensi ejusque individuus in omnibus vitae certaminibus comes fuit. Is cum ipso et exilium sustinens *egregium volumen vitae et passionis Cypriani* reliquit. [1]) Amplius quidquam de eo non constat, nec certo usquam traditur, quamdiu post S. Cypriani martyrium superstes fuerit, aut quo mortis genere finierit vitam. *Trithemius* quidem Pontium post mortem Cypriani in Gallias venisse, et praedicatione sua duos *Philippos* imperatores ad Christum convertisse, denique ad *Cymellam* urbem martyrii palmam adeptum esse narrat. [2]) Verum is aperte *Pontium Diaconum* cum altero *Pontio martyre* confundit, de quo plura apud *Bollandianos* ad diem 14 Maji. [3]) *Nostri* autem Pontii narratio *De vita et passione S. Cypriani* hodiedum extat apud *Laur. Surium* in Vitt. SS. d. 14 Septb. p. 144; apud *Theodor. Ruinartum* in Actt. primm. Martyrum sincer. p. 171; apud *Bollandistas* in Actt. SS. m. Septembr. T. IV. p. 325—332. Ruinarti editionem (unacum Actis proconsularibus ab eodem editis) recudendam curavit *Andr. Gallandius* in sua Bibliotheca vett. PP. T. III. p. 470—479; quam secutus est item *Fr. Oberthür* in Opp. SS. Patrum latt. Vol. VIII. seu S. Cypriani Opp. T. I. p. I—XXIV. Non desunt quidem, qui non solum subdubitare

1) *S. Hieronym.* De viris illustr. c. 68, in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 119.

2) *Jo. Trithemii* De Scriptt. eccles. c. 42.

3) Cf. *Theod. Ruinart.* Acta primorum Martyrum sincera et selecta (ed. Veron. 1731. fol.) p. 188. not. 62; *Rem. Ceillier* Histoire générale des auteurs eccl. T. III. p. 223.

de Pontianae historiae fide, sed eam etiam elevare visi sunt, cum dicant, Pontium de gestis sanctissimi viri, quae sunt ejus epistolis comprehensa, nihil attigisse, eumque rhetoricae dictionis gratiam magis quam narrationis historicae diligentiam fuisse consectatum; [4]) imo multa etiam mala librariorum admodum recentis aevi sedulitate esse *addita*, [5]) adeoque *opus totum interpolatum*, ut jam pauca supersint, quae praestare possimus sincera. [6]) At hi VV. DD. nullo prolato solidiori argumento iniquius et praepostero novitatis studio in detrimentum catholicae veritatis judicasse videntur. Etsi enim auctorem in rebus enarrandis stylo fortasse comtiori usum, et piissimo erga suum episcopum affectu scripsisse, facile concedamus; minime tamen ab auctoritate virorum praestantissimorum, *Baronii* imprimis, *Labbei*, *Ruinartii*, *Gallandii*, *Lumperi*, aliorum recedere ausi sumus. Quodsi enim haec vita Pontiana cuipiam cordato in suspicionem veniat, suspecta pariter erit et S. *Augustini* sermo de Cypriano, [7]) eadem ad verbum prope continens, quae Pontius Diaconus memoriae nostrae prodidit. *Argumenta* autem pro *genuinitate* et *sinceritate* libri latius videsis apud *Bollandistas* diducta. [8]) Scriptus est non multo post gloriosum S. Patris martyrium, *anno* circiter 259. Opusculi hujus loca notatu digissima in *Vita S. Cypriani* (§. 665 sqq.) et ipsis, quantum fieri potuit, auctoris verbis allegavimus, unde

---

4) *Rigaltius* in S. Cypriani Opp. edit. (Paris. 1648) ad. Epist. LXXXIII.

5) *Ern. Salom. Cyprianus*, Profess. Helmstad., in Annott. ad Hieronymi Catalog. Scriptt. eccl. (Francof. 1700. 4.) rec. in *Alb. Fabricii* Biblioth. eccles. (Hamburg. 1718. f.) p. 153; *Chr. Traug. Gottl. Schoenemann* in sua Biblioth. hist.-litt. PP. latt. (Lips. 1792. II. 8.) T. I. 178.

6) *Jo. Chr. Fel. Baehr*, Prof. et summ. Bibliothecar. Heidelberg., Geschichte d. röm. Literatur, Tom. suppl. I. Sect. II. s. t. Die christl. röm. Theologie (Carlsruhe 1837. 8.) §. 25. p. 50.

7) *S. Augustini* Sermo CCCIX, in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. V. col. 1247 sqq.

8) *Actt. SS.* m. Mart. T. I. p. 750.

heic singularem ejusdem quasi summulam rursus contexere superfluum videtur.

IX.

Auctoris incerti Liber de Rebaptismate.

1. De hujus libri auctore et aevo.

§. 721. Inter alia *S. Cypriani* opera a *Rigaltio* primum editus est tractatus *De rebaptismate* (§. 699), quem tamen Cypriani non esse haud difficile animadvertitur, cum auctor Cypriano contrariam sententiam amplectens, eos, qui in haeresi baptizati sunt, *non rebaptizandos* esse diserte statuat. Neque ii recte sentiunt VV. DD., qui auctorem hujus libri putant esse *Ursinum Monachum*,[1]) quem *Gennadius* adversus rebaptizantes seculo IV scripsisse dicit;[2]) *Episcopum* enim, non *Monachum*, fuisse auctorem libelli, satis ex ipso opusculo elucet,[3]) atque ita de tota illa controversia disseritur, ut eam *recens* ortam esse et Scriptoris tempore adhuc vigere constet.[4]) His igitur potissimum rationibus commotus jam *Rigaltius* commentationem istam non a Cypriano quidem, tamen a *coaevo aliquo Scriptore* exaratum esse censuit.[5]) Rigaltium secuti sunt *Fellus*[6]) et *Caveus*.[7]) *Tillemontius* au-

1) *Prud. Maranus* in Vita Cypriani ad suam editionem Opp. S. Cypriani (Paris. 1726. f.) §. XXXV. p. CXXVI.

2) *Gennadii* Catalog. de vir. illustr. c. 27.

3) Lib. de Rebaptism. c. 10, in *Galland.* Biblioth. vett. PP. T. III. p. 366.

4) Ibid. c. 1. 6.

5) *Nic. Rigalt.* ad Opp. Cyprian. (ed. Paris. 1666. f.) p. 133.

6) S. Cyprian. Opp. c. *Jo. Fellii* nott. et *Jo. Cestriensis* (i. e. Pearsonii) annal. Cyprian. (ed. Oxon. 1682. f.) P. III. p. 21.

7) *Guil. Cavei* Histor. liter. Scriptt. eccl. T. I. p. 131 s. v. Anonymus, et p. 430 s. v. Ursinus.

tem rem acrius investigans eo usque processit, ut non solum vivente adhuc Cypriano, sed etiam *contra* ipsummet episcopum Carthaginiensem scriptum opus definiret. [8]) Eadem fere sententia est DD. *Marani*, [9]) *Schroeckhii*, [10]) *Ceillieri*, [11]) *Gallandii*, [12]) *Lumperi*, [13]) *Rettbergii*, [14]) *Baehrii*, [15]) *Moehleri*. [16]) Equidem librum *circa annum* 257 scriptum fuisse opinor. Etenim eo demum tempore prodiisse patet, cum *jam diutius* illa de Haereticorum baptismo controversia ventilata esset. [17]) Neque vero *post* annum 258 evulgatum fuisse librum verosimile est, quia post S. Cypriani gloriosissimum obitum vix quisquam tam indigne S. Martyrem vitiare ausus fuisset, cujus quippe memoria tunc jam ubique summopere celebrata est.

2. Opusculi analysis et editiones.

§. 728. Proposito statu quaestionis (c. 1.) *duo baptismata* distinguit, unum *aquae*, alterum *Spiritus sancti*. Ostendit autem auctor, quod, etsi ambo baptismata ordinarie conjungi soleant, tamen baptismus aquae solus (i. e. *proprie baptismus*) non cesset conferre gratiam, etiamsi baptizatus impositionem manuum Episcopi specialiter ad conferendum Spiritum Sanctum institutam (q. e. *sacramen-*

8) *Seb. Tillemont.* Memoires à l' histoire eccl. T. IV. not. XI. sur S. Cyprien. p. 629.

9) *Prud. Maran.* in Vita Cyprian. l. l.

10) *Jo. Matth. Schroeckh* christl. Kirchengeschichte P. IV. p. 337.

11) *Rem. Ceillier* Histoire générale des auteurs eccl. T. III. p. 156.

12) *Andr. Galland.* Biblioth. vett. PP. T. III. Prolegg. c. VII. p. XXIV.

13) *Gfr. Lumper* Hist. theol.-crit. de SS. PP. P. XIII. p. 30 sqq.

14) *F. W. Rettberg* Thasc. Cäc. Cyprian, dargestellt nach seinem Leben und Wirken p. 287.

15) *Chr. Fel. Baehr* Die christl.-röm. Theologie p. 61. nr. 5.

16) *Ad. Moehler* Patrologie Bd. I. p. 848. nr. 6.

17) Lib. de Rebaptism. c. 1, ed. *Galland.* T. III. p. 362.

tum Confirmationis) nondum receperit. Exinde concludit, quod, quando baptismus aquae in nomine Jesu praecesserit, per solam manus impositionem Episcopi possit ejusmodi homini poenitenti ac credenti etiam Spiritus sanctus tribui, quin necesse sit quaeri, quale illud baptisma fuerit, quod in nomine Jesu consecutus est. Baptismus enim, haeretico aut peccatori homini collatus, quamvis solus non sufficiat ad salutem, tamen *exinde incipit habere efficaciam et virtutem*, *cum*, qui ita baptizatus est, *errorem suum corrigat*, *fidei veritatem agnoscat*, *omnem praeteritae conversationis labem abscindat*, *et ad Ecclesiam veniens illud quod deerat supplementum accipiat per impositionem manuum episcopi* (c. 2—9). Deinde probatur, baptismum ab episcopis pessimae conversationis aut imperitioribus aut prave sentientibus collatus nihilominus *bonum* esse atque *integrum*; tanta nempe virtus divinis operationibus est propria. Si vero ab aliénis (haereticis) traditum fuerit baptisma, negotium hoc quantum potest corrigatur; cum enim Spiritus Sanctus extra Ecclesiam non sit, fides quoque apud haereticos et schismaticos *sana* non potest esse. Idcirco *poenitentiam agentibus correctisque* tantummodo baptismate *spirituali* i. e. manus impositione episcopi et Spiritus Sancti subministratione subveniri debere. Posthaec baptisma sanguinis a Jesu Christo designatum, ac postremo verba Joannis Apostoli: „*Tres sunt, qui testimonium perhibent, Spiritus et Aqua et Sanguis, et hi tres unum sunt*" exponens concludit, et *aquae* baptisma praestare Spiritum solitum, et *sanguinem* in Christi confessione profusum praestare Spiritum solitum, et ipsum quoque *spiritum* praestare Spiritum solitum (c. 10—15). — Hic *Anonymi* tractatus *De rebaptismate* primum inter *Opera S. Cypriani* ex editione *Nic. Rigaltii*, Lut. Paris. 1648 in lucem prodiit, et deinceps in omnibus S. Cypriani editionibus recusus; item in *Mansi* Coll. Conc. T. I. col. 931—949, novissime vero ab *Andr. Gallandio* in suam Biblioth. vett. PP. T. III. p. 362—371 receptus notisque illustratus est.

X.

S. Stephanus Papa, Martyr.

A. Vita.

§. 760. *Lucius* (§. 759), qui in locum *Cornelii* substitutus erat, vix octo mensium spatio perfunctus suo munere, moriens episcopale officium *Stephano* dereliquit. [1]) Quo autem id anno acciderit, non perinde constat; vero tamen simillimum est, eum die 13 Maji *anni* 253 fuisse in S. Petri cathedram evectum. [2]) Quo facto cum Ecclesia deletis Gallo et Volusiano imperatoribus sub *Aemiliano* paulisper respiraret, adeoque sub *Valerii* primordiis securam utcunque pacem obtineret, S. Pater libertatem agendi majorem nactus, curam suam ac sollicitudinem quaquaversus extendit. Inter alia *Cyprianus* literis illum certiorem fecit, quod *Marcianus* Arelatensis episcopus Novatiano sese adjunxerit, et a catholicae Ecclesiae unitate discesserit. Rogat igitur Stephanum, ut in provinciam et ad plebem Arelate consistentem mittat literas, quibus segregato Marciano alius in locum ejus substituatur, et grex Christi ab illo dissipatus et vulneratus colligatur. [3]) Et vero illum dejectum e sede fuisse, inde colligitur, quod nomen ejus in antiquis Arelatensis Ecclesiae diptychis non legatur. [4])

---

1) *Euseb.* Hist. Eccl. Lib. VII. c. 2 init., ed. *Zimmermanni* p. 482. — Lucio gloriosa morte defuncto successisse Stephanum, praeter Eusebium etiam *SS. Optati Milevitani, Augustini, Prosperi, aliorum* auctoritate firmatur.

2) Cf. *Lumperi* Hist. theol.-crit. de SS. PP. P. XIII. p. 757 sq.

3) *S. Cypriani* ad Stephan. P. Epist. LXVIII (in ed. Pamel. Rigalt. Baluz.) aut LXVI (ed. Marani); in Ej. Opp. ed. *Gersdorf.* cur. *E. F. Goldhorn* P. I. Epist. LXVIII. c. 1. 2. p. 186 sq.

4) Cf. *Jo. Mabillonii* Vetera Analecta s. Collectio vett. aliquot Opp. etc. (Paris. 1675—85. IV. 8.) T. III. p. 432.

In idem fere tempus (sc. a. 254) incidisse creditur causa *Basilidis* et *Martialis*, qui, cum se libellis idololatriae testibus aliisque haud levibus flagitiis contaminasse dicerentur, episcopatu suo ambo dejecti sunt; [5]) deinde vero ad sedem Romanam confugientes Stephanum fraudibus textisque improbe mendaciis circumvenerunt, ut deceptus eos restituere conaretur. [6]) Anno item secundo pontificatus S. Stephani famosa illa *de rebaptizandis haereticis* exorta est controversia, in qua *Cyprianus* episcopus Carthaginiensis (§. 665) cum Africanis, et *Firmilianus* Cappadociae antistes (§. 619) cum multis orientalibus Episcopis collatum ab haereticis baptismum iterandum esse affirmarunt, Stephanus vero nihil adversus traditionem innovandum ratus haereticos ad Ecclesiam venientes non baptizari debere, sed manus tantum illis in poenitentiam imponendas esse dictitabat, adeoque constanter profitebatur, ut legatos e concilio Carthaginiensi ad colloquium missos Romae apud fratres commorari haud sineret Firmiliano teste, imo cum Afris et Orientalibus adeo *communionem rumpere* comminaretur. [7]) Juxta *Eusebium* quidem, [8]) cui et *S. Hieronymus* concinit in Chronico, S. Stephanus *biennium* duntaxat sedit; sed verior calculus *quatuor annos* ipsi tribuit obitumque ejus diei 2 Augusti *anni* 257 assignat. Quo autem exitu vitam finierit, inter Scriptores ambigitur. Sunt, qui eum e Martyrum albo expungendum censeant, innixi potissimum in Bucheriano indiculo, et in *Pontii*, *Eusebii*, *Augustini* aliorumque silentio, qui, etsi de Stephano verba faciant, tamen quo mortis genere oc-

---

5) *S. Cyprian.* Epist. LXVII. ed. Marani (ap. Pamel., Rigalt., Baluz. Ep. LXVIII); in Opp. Cypr. supra laud. P. I. Ep. LXVII. c. 1 sqq. p. 180 sqq.

6) Cf. *Lumperi* l. l. P. XII. p. 57—61. 468—471, ubi fusius ea de re disseritur.

7) Cf. *Lumper* l. l., qui nullum ab eo inflictum fuisse anathema ostendere conatur, P. XII. p. 136. 178—188. 338 sqq.

8) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VII. c. 5. nr. 2 init., ed. laud. p. 406.

cubuerit, minime annotarunt. Sed atrocitas persecutionis illius suadet, ne a communi plurimorum auctorum opinione de *martyrio* S. Patris recedamus, [9]) etsi ipsa *Acta*, quae de ejus obitu satis copiose enarrant, parum fidei mereri videantur, et a *Pearsonio*, *Pagio*, *Tillemontio*, *Ruinarto* aliis plerisque VV. DD. tanquam spuria aut adulterata rejiciantur. Neque solum, quae leguntur apud *Anastasium*, supposita habentur, sed et ea, quae ex codice membraneo ac pervetusto cum aliis pluribus Mss. editisque collato *Bollandistae* notis illustrata evulgarunt in Actt. SS. m. August. T. III. p. 139—146, si non penitus fictitia censenda sunt, tamen adeo *interpolata et corrupta*, ut perpauca videantur esse sincera. [10])

B. Scripta.

1. Epistolae genuinae sed deperditae.

§. 724. Scripserat S. Stephanus, quantum quidem ex Veterum testimoniis colligere licet, *plures epistolas*, et in his unam *ad S. Cyprianum*, de qua agit Cyprianus in epistola ad Pompejum; alteram *ad Episcopos orientales contra Helenum et Firmilianum*. Neutra tamen hodiedum extat, excepto uno prioris fragmentulo, cujus verba haec sunt: „*Siquis ergo a quacunque haeresi venerit ad vos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam, cum ipsi haeretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.*“ [11])

---

9) De S. Stephani Papae martyrio fusius disputant Bollandiani ad 2 August. in Commentario praevio §. I, Actt. SS. m. Aug. T. III. p. 112 sqq.

10) cf. Actt. SS. l. l. Comment. praev. §. VI. nr. 54—66. p. 124 sqq.

11) *S. Stephan.*, in Epist. S. Cyprian. ad Pompej. (quae est inter Cyprianicas ap. *Pamel. Rigalt. Baluz.* Epist. LXXIV.), in Opp. Cyprian. ex ed. *Goldhorn* P. I. Ep. LXXIV. c. 1. p. 222; ead. leg. apud *Coustant.* Epp. RR. PP. T. I. ed. *Schoenemann.* p. 162.

2. Epistolae decretales suppositițiae.

§. 795. *Duae* item sed *perperam* S. Stephano adscribuntur Epistolae; sunt enim *Pseudo-Isidori*. Et una quidem *Ad Hilarium Episcopum*, altera *Ad omnes Episcopos per diversas provincias constitutos* directa; utraque vero subscripta est: „*Valeriano et Gallieno viris clarissimis Coss.*" Quae tam inepta et ipsis imperatoribus indigna subscriptio jam per se sola epistolas falsitatis satis coarguit. Praeterea multae sunt, e. gr. „*Sanctae apostolicae et universalis Romanae ecclesiae episcopus;*" ... „*nulli Metropolitani appellentur Primates*" ... aliaeque, quae novitatem sapiunt, phrases; ut taceam non pauca loca aperte ex *Ambrosio*, *Leone M.*, *Gregorio M. etc.* petita. Unde utraque jam dudum ab Eruditis explosa est. Ambae leguntur in *Mansi* Coll. Conc. T. I. col. 885—894.

XI.

S. Dionysius Pontifex Romanus.

A. Vita.

§. 796. *Sixto* in Valeriani persecutione martyrio coronato (§. 760) Romana sedes uno paene anno vacaverat, nimirum usque ad d. XVII Julii anni 259, quo et persecutio ista cum captivitate imperatoris deferbuit, et *S. Dionysius* Romanae ecclesiae presbyter in sedem B. Petri evectus est. Is origine *Graecus*, *Calaber* patria fuisse creditur. [1]) Ex ea, quam *Dionysius Alexandrinus* ad eum tunc adhuc presbyterum de baptismo haereticorum conscripsit (§. 505), hunc ipsum Romanum Dionysium

---

1) *Cave* Hist. liter. Scriptt. eccl. T. I. p. 133.

eruditissimum planeque admirandum fuisse licet cognoscere. [2]) Sic item a *D. Basilio* beatissimus praedicatur Episcopus, qui *et recta fide et reliquis virtutibus* enituit; [3]) et S. Athanasius eum recenset inter eos Patres, quorum doctrinam, imo phrases et verba *concilii Nicaeni Patres* usurparunt. [4]) Nec non in hoc prudentiam patefecit suam, quod in Dionysium Alexandrinum quantumvis graviter accusatum nihil asperi aut dixit aut gessit, sed missis ad eum literis, quibus indicaret, qua de re accusatus esset, [5]) patienter sustinuit, quoad ille abunde satisfaceret, et misso ad eum *Apologetico* (§. 511) omnem haereticae pravitatis suspicionem procul a se depelleret, atque inde in concilio Romae convocato omnis exsors culpae magno consensu declaratus est. [6]) Sedem Romanam tenuit sanctissimus Pater annos decem, quinque menses et quatuor dies; *moritur anno Domini* 269 die XXVI Decembris. [7])

B. Scripta.

1. Genuina.

a. Epistolae tres fere deperditae.

§. 771. *Plura* a S. Papa nostro fuisse literis exarata, *S. Athanasius* passim testatur. Speciatim vero narrat, scripsisse illum *Contra Sabellii sectatores et con-*

---

2) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VII. c. 7. nr. 3 in fin., ed. *Zimmermanni* p. 489 sq.

3) *S. Basilii* Epist. LXX (al. CCXX), in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* Paris. p. 164.

4) *S. Athanas.* De synodis c. 43, in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. I. p. 737.

5) *S. Athanas.* De sentent. Dionysii c. 13, in Ej. Opp. ed. laud. T. I. P. I. p. 252.

6) *Mansi* Collect. Concil. T. I. col. 1015.

7) *Pagi* Critica in Annal. Baron. ad a. 272. nr. 9; L'art de vérifier les dates, p. 243.

tra eos, qui ejus sententiae essent, ob quam Arius postea ab Ecclesia ejectus est; [8]) et alibi alterius epistolae meminit, quam idem scripserat *Ad Dionysium Alexandrinum, ut explanaret ea, de quibus is a fratribus accusatus fuerat.* [9]) Aliam porro epistolam *Ad ecclesiam Caesareae in Cappadocia, quam de incursione barbarorum consolari conatur*, perscripsisse Dionysium Romanum a *S. Basilio* comperimus, qui ejus epistolae αὐτόγραφον in illius ecclesiae archivo ipse oculis suis viderat. [10]) Verum haec paene omnia cum magno Ecclesiae damno injuria temporum perierunt, uno excepto *fragmento*, quod ex priore *contra Sabellianos* epistola nobis asservatum est.

b. Epistolae contra Sabellianos fragmentum.

aa. De ejus genuinitate et editionibus.

§. 728. Insigne hoc fragmentum *S. Athanasius* nobis reliquit in Epistola s. volumine *De sententiis Dionysii* c. 13 l. l. Idem excerptum legitur in *Coustantii* Maurini Epistt. RR. Pontiff. T. I. p. 272 sqq. et ex rec. *Schoenemanni* gr. et lat. p. 194—197; in *Jo. Dom. Mansi* Collect. Concil. ampliss. T. I. col. 1009—1016; in *Roesleri* Bibliothek der Kirchenväter (graece tantum) P. II. p. 381—384; in *Gallandii* Biblioth. vett. PP. gr. et lat. T. III. p. 538 sqq.; in *Dan. Schramm* Analysis Operum SS. PP. (Aug. Vindel. 1780 sqq. XV. 8.) T. VI. p. 415 (sed latine tantum); denique in *Routh* Reliqq. sacr. Vol. III. p. 177—203. — In eo igitur opere, cujus hoc fragmentum superest, S. Dionysius Papa *Tritheitarum* dogma ita refellit, ut et *Sa-*

---

8) *S. Athanas.* De sentent. Dionys. c. 13, in Ej. Opp., ed. *Giustiniani* Episc. Patav. (Patav. 1777. IV. fol.) T. II. P. I. p. 198.

9) *Idem* De synodis c. 43, in Ej. Opp. ed. laud. T. II. P. II. p. 605.

10) *S. Basilii* Lib. de Spiritu Sancto c. 29, in Ej. Opp. ed. *Maurin.* (Paris. 1721—1730. III. f.) T. III. p. 60.

bellianorum sententiam simul confutet. Fragmenti stylus totus epistolas seu elucubrationes sapit, quales *Dionysius Alexandrinus*, scribens ad *Xystum* II, eas fuisse docet, quas adversus nascentem Sabellii haeresin miserat. Epistola autem vel ad eas Pentapoleos ecclesias, in quibus orta et propagata erat Sabellii haeresis; vel ad ipsam Alexandrinam ecclesiam, cui praeerat Dionysius, quippe qui ipse errori favere crederetur; vel ad Dionysii delatores probabilius transmissa est. Scripta est *circa annum* 260.

bb. Fragmenti summa.

§. 729. Unitariorum aeque ac Tritheitarum dogmate paucis recensito (c. 1) ad eos refellendos transit, *qui Filium opus (ποίημα) esse existimant et Dominum factum esse, sicut unum eorum, quae vere facta sunt, arbitrantur.* „*Nam si factus est Filius*, inquit, *erat tempus, quando non erat. Atqui fuit semper, si utique est, ut ipse declarat, in Patre. Et si Christus Verbum et Sapientia et Virtus (haec enim Christum esse divinae docent literae) ... haec sane virtutes Dei sunt. Quocirca si factus est Filius, fuit tempus, quando haec non erant; adeoque fuit tempus, quo sine his erat Deus; quod perabsurdum est.*“ Docet deinde, in prophetico illo loco: „„*Dominus creavit me principium viarum suarum*““ (Prov. VIII. 22), vocem „*creavit*“ *non perinde intelligendam esse atque* „*fecit.*“ Imo *multis in locis divinorum eloquiorum eum genitum dici, at nusquam factum Filium quis legerit.*“ Id quod v. gr. evincit e *Prov.* VIII. 26, *Psalm.* CIX. 3, *Coloss.* I. 15. (c. 2). „*Neque igitur admirabilis et divina Unitas in tres divinitates est separanda, neque factionis vocabulo dignitas ac summa magnitudo Domini est diminuenda; sed credendum est in Deum Patrem omnipotentem, et in Christum Jesum ejus Filium, et in Spiritum Sanctum. Verbum autem Deo universorum esse unitum. Quippe: Ego, inquit, et Pater unum sumus* (Joann. X. 30); *et: Ego in Patre et Pater in*

me est (ib. XIV. 10). *Ita scilicet divina Trinitas et sanctae Monarchiae praedicatio integra servabitur*" (c. 3).

2. Scripta spuria.

§. 780. Sub ejusdem sancti praesulis nomine *duae aliae* circumferuntur Epistolae, una *ad Urbanum Praefectum*, altera *ad Severum Episcopum*. Ambae extant in *Mansiana* Coll. Conc. ampliss. T. I. col. 1004—1008. Utramque vero suppositionis convictam videre est in *Dav. Blondelli Pseudo-Isidor. et Turrianus vapulantes* (Genev. 1648. 4.) p. 349 sq., idque jam falsae et ineptae inscriptiones ac praesertim stylus doctissimo viro prorsus indignus satis demonstrant. [11]) Pari ratione, imo etiam multo graviori jure S. Papae nostro abjudicari debent ea, quae *Lud. Jac. a S. Carolo* [12]) ei tribuit opuscula, primo *Liber de situ orbis;* secundo *Commentarius adversus Arianas haereses;* tertio *Liber adversus Paulum Samosatenum*. Primum enim quod attinet, error satis manifestus est, quando liber iste S. Dionysio Papae adcensetur, cum sit potius *Dionysius Periegetes ethnicus* carminis hujus argumenti verus auctor; secundus autem jam ex eo falsitatis omni jure arguitur, quod *Ariana haeresis* ab anno demum 316 propullulare coepit; tertius vero *Dionysii Alexandrini* esse, non *Romani*, omnes norunt.

---

11) *Lumper* Hist. theol.-crit. de SS. PP. P. XIII. p. 207.
12) *Lud. Jac. a S. Carol.* Biblioth. Pontif. Lib. II. p. 62.

XII.

S. Felix, Pontifex Romanus, Martyr.

A. Vita.

§. 731. Mortuo *Dionysio* (§. 726), qui novem annos Romanae ecclesiae episcopatum administraverat, *Felix* in ejus locum substitutus est [1]) *anno* 269, die 28 (al. 31) Decembris. Praedecessoris sui vestigiis inhaerens item nihil antiquius habuit, quam haereses Ecclesiam vastantes profligare. Eidem ritum faciendi sacrificia supra sepulcra aut *memorias Martyrum* acceptum refert *Liber pontificalis.* [2]) Cum annos quinque Ecclesiae Romanae praefuisset, [3]) die 22 Decembris *anni* 274 e vita decessit, *martyrio coronatus,* uti e Patrum *Concilii Ephesini* eloquiis ac testimoniis *S. Cyrilli Alexandrini* et *Vincentii Lirinensis* aliorumque Scriptorum erudimur.

B. Scripta.

3. Epistola genuina sed fere deperdita.

§. 732. Initio jam pontificatus sui, quum *Sabellii* et *Pauli Samosateni* vulnus recens esset, S. Felix de Filii Dei divinitate ac pariter humanitate naturisque duabus in una Persona distinctis *ad Maximum Alexandrinum* (Dionysii successorem) *et Clerum* ejusdem ecclesiae scripsisse dicitur Epistolam, [4]) qua veluti ancipiti gladio utramque haeresin uno ictu confoderet. Ex hisce literis unum dun-

---

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VII. c. 30. nr. 10 in fin., ed. *Zimmermann* p. 548.

2) Cf. *Bonae* Rerum liturgg. Lib. I. c. 19. §. 5.

3) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VII. c. 32 init., ed. laud. p. 549.

4) Concil. *Ephes.* Act. I. p. 512.

taxat *fragmentum* reliquum videtur esse, quod *S. Cyrillus* Apolegetico suo *adversus Orientales* ad Anathem. VI. inseruit, [5]) et *Marius Mercator* latinitate donavit. [6]) Idem in *Constantii* RR. Pontificum Epistolas atque inde in *Gallandii* Bibliothec. vett. PP. T. III. c. XIV abiit. Non desunt quidem, qui fragmentum hoc *Felici I Papae* abjudicent, illudque *Felici*, qui a Constantio imperatore in *Liberii* locum subrogatus est, tribuendum putent, hoc unico fere argumento nixi, quod fragmentum istud tam in Actis Concilii Ephesini, quam in Apologetico Cyrilli testimonio Julii papae postponatur. Levissima sane haec ratio est, quae si valeret, *S. Cyprianus* tempore posterior esset *Julio* ac *Felice*, et rursus Felice ac Julio antiquior censendus foret *Atticus* Episcopus Constantinopolitanus, siquidem Cyprianus l. l. *post* Julium ac Felicem, Atticus vero *ante* eosdem citatur. Alia porro, quam *Lequienius* in suis ad Damascenum dissertationibus movet, dubitatio a *Gfr. Lumpero* penitus diluitur. [7]) Ceterum utut in dubium vocari potest hujus fragmenti integritas, catholica tamen est sententia; omnis vero objectio ex Veterum auctoritate sublata. Legitur autem fragmentulum istud apud *Cyrillum* l. l. his verbis: „*De incarnatione Verbi et fide credimus in Dominum nostrum Jesum Christum ex virgine Maria natum, quod hic est Dei aeternus Filius et Verbum, et non homo a Deo assumtus, ut alius sit ab illo. Neque enim hominem suscepit Dei Filius, ut alius ab ipso, sed Deus existens perfectus factus est simul et homo perfectus, incarnatus ex virgine.*“

---

5) *S. Cyrilli Alex.* Opp. ed. *Gentian. Herveti* (Paris. 1604. II. f. lat. tant.) T. II. p. 72.

6) *Marii Mercatoris* Opp. ed. *Steph. Baluzius* (Paris. 1684. 8.) p. 240.

7) *Lumperi* Hist. theol.—crit. de SS. PP. P. XIII. p. 222 sqq.

2. Epistolae fictitiae.

§. 723. *Tres alias*, quae B. Felici nostro vulgo assignantur, unam *ad Paternum episcopum*; alteram *ad universos per Gallias Episcopos constitutos*; tertiam *ad episcopum Benignum* directas epistolas manifestae falsitatis convictas exhibet *Blondellus*,[8]) nec erit quod diutius in detegendis Pseudo-Isidori fraudibus immoremur, cum cuilibet eas lecturo facile pateant certissima suppositionis indicia. Editae sunt in Biblioth. PP. max. *Lugdun.* T. VII. p. 979 sq. et in *Mansi* Coll. Conc. ampliss. T. I. col. 1103—1114.

XIII.

Commodianus. Antonius.

A. Commodianus.

1. Vita ejus.

§. 724. *Commodianus poëta christianus*,[1]) natione probabilius *Afer*, si quidem ingenium, et styli rationem ac voces Afris Scriptoribus paene proprias respicias.[2]) Quamquam enim *Gazaei* sibi ipse cognomentum tribuit,[3])

---

8) *Dav. Blondelli* Pseudo-Isidorus et Turrianus vapul. p. 359 sq.

1) cf. *Jo. Alb. Fabricii* Biblioth. lat. (Hamburg. 1712. III. 8.) Vol. I. p. 712 sq.; *Ejusdem* Biblioth. med. et infimae latinitatis, c. suppl. Chr. Schoettgenii ed. a *Jo. Dom. Mansi* (Patav. 1754. VI. 4.) T. I. p. 406 sqq.; *Schroeckh* Kirchengeschichte T. IV. p. 440 sq.

2) *Rigaltius* in Praefat. suae editionis Commod. (§. 725 fin.); *Cavei* Hist. literar. Scriptt. eccl. T. I. p. 136 (ed. Basil. 1741); *Baehr* Die christl. Dichter und Geschichtschreiber Roms (Gesch. d. röm. Literatur, Supplem. Bd. I. Abth. I) §. 8. p. 29; *Moehler* Patrologie Bd. I. p. 903.

3) *Commodiani* Instructionum adv. gentium deos, Instr. LXXX.

id tamen minus de gente aut urbe patria, quam sensu quodam tropico de thesauro veritatis christianae per conversionem suam sibi recluso dictam esse VV. DD. plerique non inepte suspicantur. 4) Ulterius de vita hujus Scriptoris nihil nobis innotuit, nisi quod satis diu in ethnica superstitione versatus *legendo SS. Scripturas* ad Christum sese converterat. 5) Quo autem tempore id contigerit, quodammodo inde conjicitur, quia ipse *ducentos* ab invecta christiana religione *annos tunc esse elapsos* observat. 6) Praeterea aetatis suae facies, quam describit, nonnisi persecutionum tunc temporis grassantium tempestates denotat, et praecepta, quae Christianis auctor passim tradit, aperte istas calamitates respiciunt. 7) Unde recte sensisse videntur, qui illum *circa annum* 270 scripsisse librum suum existimant. 8)

2. Scripta.

§. 785. Scripsit autem Commodianus *Instructiones adversus gentium deos*, in quo carmine, *octoginta* capita continente, Gentiles aeque ac Judaeos ad amplectendam christianam religionem excitare studet; Christianis vero, catechumenis, fidelibus et poenitentibus varia morum praecepta tradit. Et quoad *materiam* quidem

---

4) *Caveus* l. l., *Moehlerus* l. l.

5) Cf. *Commod.* Instr. I (Praef.) 4 sq., Instr. XXVI. 24. 25; Instr. LXI. 1. — *Gennadius* De viris illustr. c. 15: „*Commodianus, dum inter seculares literas etiam nostras legit, occasionem accepit fidei. Factus itaque Christianus etc.*"

6) Instr. VI. 6.

7) cf. e. gr. Instr. XXIII. 14; Instr. LIII. 10; Instr. LVIII. 19.

8) *Saxii* Onomasticon literarium, Vol. I. p. 373; *Cavei* Hist. lit. de Scriptt. eccl. (ed. laud.) T. I. p. 137 sq.; *Baehr* l. l.; *Moehler* l. l. — Fusius hanc quaestionem discutit *Henr. Dodwelli* Diss. *De Commodiani aetate*, ed. ad calcem Annalium Quinctil. et Velejan. Oxonii 1698. 8., et in Commodiani Opp. editione ex rec. *H. L. Schurzfleisch* (§. 786 fin.).

libellus egregia in Christum pietate et exhortatione ad virtutem enitet; quoad *formam* autem recte *Gennadius* l. l. observat, illum „*mediocri sermone quasi versu*" scripsisse. Negligit enim metri leges, quarum loco *Acrostichorum versuum* delectamenta sectatur. [9]) Sic instructione LXXX per literas versuum initiales retro legendas nomen suum exprimit hoc modo: „*Commodianus mendicus Christi.*" Ceterum stylus Africanae ferociae rusticitatem sapit, quae nihilominus ad acumina *Minucii*, *Tertulliani*, *Cypriani* non raro alludit, et quaedam etiam interserit graecae et latinae antiquitatis scita non vulgaria. [10]) *Editum* est opusculum isthoc primum ex apographo *Jac. Sirmondi* S. I. Presbyteri a *Nic. Rigaltio*, Tulli Leucor. 1650. 4.; deinde prodiit ad calcem *Operum S. Cypriani* ex recens. *Ph. Priorii*, Paris. 1666. fol.; item in Bibliotheca PP. max. (*Lugduni* 1677) T. XXVII. p. 12; cum Dissert. *Henr. Dodwelli* (vd. not. 8) et praefat. *Henr. Leonard. Schurzfleischii*, Vitemberg. Saxon. 1607. 4.; additis Rigaltii notis ad calcem *Minucii Felicis* a *Jo. Davisio*, Cantabrig. 1712. 8.; denique ab *Andr. Gallandio* in sua Biblioth. vett. PP. T. IIII.

B. Antonius.

§. 736. *Antonius* quidam, a gentilium cultu ad christiana sacra conversus, *poëma* conscripsit *Adversus gentes*, [11]) editum primum in *Ant. Muratorii* Anecdotis ex Ambrosianae bibliothecae Codicibus erutis notisque ac disquisitionibus auctis (T. I. II. Mediolan. 1697. 4.; T. III. IV. Patav. 1713. 4.) T. I; atque iterum in

---

9) *Oelrichs* Commentar. de Scriptt. eccl. latt. p. 45.

10) *Rigaltius* in Praefat. suae editionis Opp. Commod.

11) *Jo. Bern. Jos. Busse* Grundriß der christl. Literatur (Münster 1828. II. 8.) P. I. §. 60. p. 88; *Galland.* Biblioth. T. III. post Commodian.; *Moehler* Patrologie Bd. I. p. 905.

ejusdem *Muratorii* editione *Opp. S. Paulini Nolani* (Veronae 1736. f.) p. 694—714; deinde in *Gallandii* Bibliotheca vett. PP. T. III. Auctorem esse satis *antiquum* et in *tertium* seculum rejiciendum, omnes internae tam materiae quam styli notae conclamant. Sed quis Antonius ille fuerit, nobis ne conjecturare quidem licet, cum de ejus genere aut origine aut vitae fatis neque in ipso carmine certa aliqua notitia, neque ullum Antiquorum testimonium nobis suppeditet.

XIV.

S. Victorinus Petavionensis Episcopus Martyr.

A. Vita.

§. [illegible]. *S. Victorinus* Episcopus fuit *Petavii*, [1]) urbe in Pannonia superiori ad Dravum sita, cui hodie nomen *Petau* in Styria, unde *Petavionensis* (non *Pictaviensis*) [2]) cognomine appellatur, ne cum aliis ejusdem nominis Scriptoribus perperam confundatur. [3]) Is si non origine Graecus, in Graeciae tamen confinio natus, et graecae magis quam latinae linguae peritus fuisse dicitur.

---

1) *S. Hieronym.* De vir. illustr. c. 74, in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 120.

2) Sic male apud *Rivinum* audit. Cf. autem *Jo. Launoji* De Victorino Episcopo et Martyre Dissert. in ejusd. *Launoji* Opp. (Colon. Allobrog. 1731.) T. II. P. I. p. 634—644.

3) Ab hoc nostro enim *Victorino Petavionensi Episcopo et Martyre* probe distinguendi sunt *Caj. Marius* (al. *C. Fabius*) *Victorinus, rhetor Romanus* c. a. 355 (*Chr. Saxii* Onomasticon literarium seu Nomenclator hist.-crit. etc. [Ultraject. 1775. VII. 8.] Vol. I. p. 407); item *Victor s. Victorinus rhetor Massiliensis* c. a. 434 (*Saxe* l. l. Vol. I. p. 500); alii. — Cf. inprimis *Jo. Launoji* De quinque illustribus Victorinis, in Ej. Opp. T. II. P. I. p. 645 sqq.

Unde *S. Hieronymo* judice *opera ejus grandia sensibus viliora videntur compositione verborum.* [4]) Graecum enim, in quo plurimum valebat, idioma latine scribentis stylum nimis, ut solet, vitiavit. Idem sanctus Ecclesiae Doctor: *Victorinus*, ait, *etsi deest eruditio, tamen non deest eruditionis voluntas;* [5]) sed hoc de *saecularium* literarum eruditione intelligendum esse, ipse satis aperte innuit, cum eum alibi Scriptorem vocet *imperitum quidem sermone non tamen scientia* divinarum Scripturarum. [6]) Quibus collatis sententiis adeo parum sibi fidei mereri videtur *Cassiodorus*, qui *rhetorem* eundem fuisse scribit, [7]) ut potius verear, ne et ipse *nostrum* Victorinum Petavionensem Episcopum male cum *C. Mario* Victorino *Afro* et insigni deinde Romae *rhetore* confuderit. Ceterum de hujus viri vita nihil fere compertum exploratumque est, nisi quod (sub Diocletiano imperatore) *martyrii* palmam consecutus sit [8]) die II Novembr. *anni* 303, ut fert martyrologium Romanum.

B. Scripta.

1. Genuina.

a. *Opera nunc fere deperdita.*

§. [illegible]. Divo *Hieronymo* teste Victorinus noster praeter alia scripsisse dicitur *Commentaria in Genesin*,

---

4) *S. Hieronym.* l. l. Et alibi: *Quod enim intelligit, eloqui non potest.* Idem in Epist. ad Paulin., in Ej. Opp. ed. *Maurin.* Epist. XLIX. T. IV. P. II. col. 567; ed. *Vallarsi* T. I. p. 324.

5) *Idem* in Epist. ad Magnum, in Opp. omn. ed. *Maurin.* Epist. LXXXIII. T. IV. P. II. col. 656; ed. *Vallarsi* T. I. p. 427.

6) *Idem* in Prolog. ad Commentar. in Isaiam, in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. III. col. 3. 4; ed. *Vallarsi* T. IV. p. 5.

7) *M. Aurel. Cassiodori* Institt. divin. literarum c. 5. 7. 9, in Ej. Opp. omn. ed. *Garet.* Maurin. (Rothomag. 1679. II. f.) T. II. p. 542 sqq.

8) *S. Hieronym.* De viris illustr. c. 74; *Idem* in Epist. ad Paulin. l. l. (vd. supr. not. 1. 4).

Exodum, *Leviticum*, in *Isaiam*, *Ezechielem*, *Habacuc*, in *Ecclesiasten* et *Canticum Canticorum*, in *Evangelium Matthaei* et *Apocalypsin S. Joannis*; praeterea librum *Adversus omnes haereses*. 1) Sed eorum pars maxima dudum intercidit. Quae enim hodie sub ejus nomine circumferuntur, cuncta fere, exceptis duobus libris (§. 739), partim *dubia* (§. 741) partim *supposita* (§. 742) jure optimo censentur.

b. Hodiedum servata.

§. 740. *Duo* tantum, quae hodie sub Victorini nostri nomine extant opera *vere genuina* videntur: *Scholia in Apocalypsin* et Tractatus *de fabrica mundi*. Tractatum *De fabrica mundi*, qui fragmentum quoddam videtur esse *Commentarii in Genesin*, e vetusto codice bibliothecae *Lambethanae* ab *Henr. Mauritio* descriptum et secunda vice recognitum a *Jo. Batteleyo* primus typis excudendum curavit *Guil. Caveus*, Prof. canonum Windesoriensis in sua Historia literaria de Scriptoribus eccl. (Ed. nov. Basil. 1741. II. f.) Vol. I. p. 148; deinde adjectis annotatiunculis *Jo. Walkerus*, Oxon. 1740 (item in G. Cavei Hist. lit. ed. laud. p. 149); postremo *Andreas Gallandius* in Biblioth. vett. PP. T. IV. p. 40 sq. Codex iste membranaceus Lambethanus *Victorini* quidem nomen in fronte gerit, sed quis fuerit hic Victorinus, alterius non dicitur. Tamen nostrum *Petavionensem* episcopum et martyrem esse verum hujus libri parentem, cum stylus tum res ipsae extra dubium ponunt, cum praesertim in eo *Chiliastarum* error manifeste defendatur, cui Victorinum nostrum favisse Hieronymus diserte tradit. 2) Unde plerique VV. *Caveus*, *Lardnerus*, *Gallandius*, *Moehlerus* genuinitatem ejus agnoscunt atque defendunt. 3)

---

1) *S. Hieron.* De vir. illustr. c. 74.

2) *S. Hieronym.* De vir. illustr. c. 18 in fin., in Ej. Opp. omn. ed. *Martian.* T. IV. P. II. col. 109.

3) *Cavei* Hist. literaria Vol. I (ed. laud.) p. 148; *Nath. Lardneri*

§. 740. Iisdem fere rationibus alterum quoque opus, quod inscribitur *Scholia in Apocalypsin* tanquam genuinum recenseri posse arbitramur. Certe enim *Scholiorum* inscriptio cum Hieronymi testimonio, qui *Commentarium* in Apocalypsin a Victorino fuisse exaratum asserit, minime pugnare videtur, cum praesertim satis luculenter innuat *Cassiodorus*, Victorinum non tam integram Apocalypsin commentario illustrasse, quam *difficiliora quaedam ejus loca breviter tractasse.* 4) Et hujusmodi revera Scholia, a *Basilio Millanio* O. S. B. Monacho Casinensi eruta, primum Bononiae 1558 publici juris facta, postmodo vero a *Gallandio* in suam Bibliothecam vett. PP. T. IV. p. 52 recepta sunt. Tam *stylus* admodum incultus et vitiosus, quam propria disserendi methodus, illi priori opusculo plane conveniens, atque insuper non levia *Chiliasmi*, cui Victorinus favisse creditur, vestigia urgent, ut cum *Gallandio* et *Moehlero* 5) pro genuinitate opusculi dimicandum existimemus.

2. Dubia.

§. 741. Extat quidem sub Victorini nostri nomine in *Andreae Rivini* SS. Reliquiis Victorinorum etc. (Gothae 1652. 8.) et in *Biblioth. PP. max.* (*Lugdun.* 1677. f.) T. III. p. 414—421. etiam *Commentarius in Apocalypsin* proprie sic dictus. De cujus tamen genuinitate inter Eruditos controversia est. Etenim *nostrum* Scriptorem in suo commentario Chiliastarum opinionibus favisse,

---

The credibility of the Gospel History. P. II. Vol. 3. p. 189; *Gallandii* Biblioth. vett. PP. T. IV. Prolegg. c. II. p. VI.; *Moehler (Reithmayr)* Patrologie Bd. I. p. 901. — Minus de hujus libri genuinitate sibi persuasum habet *Bähr* Gesch. d. röm. Literat. Suppl. Bd. I. Abth. II. (Die christl.-röm. Theologie) §. 33. p. 65.

4) *M. Aurel. Cassiodori* Institt. divv. litt. c. 9, in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. II. p. 544.

5) *Galland.* l. l., *Moehler* l. l.

Hieronymus diserte tradit, quas tamen hujus commentarii auctor strenue *impugnat*. Praeterea ibidem *Theodorus*, historiae ecclesiasticae Scriptor, allegatur, quem sexto demum seculo vixisse constat. Hinc *Caveus* non immerito conjicit, librum aut omnino *suppositum* esse, aut, si sit Victorini, egregias *interpolationes* passum fuisse, et aliam plane induisse faciem, ex quo e Victorini manu primum prodiit. [6]) Contra *Dupinus*, *Tillemontius*, *Caillierus*, *Lamperus*, *Gallandius*, *Moehlerus*, alii non negant quidem, tam Prologum sub Hieronymi nomine commentario praefixum, quam locum illum sub finem libri, in quo chiliasmus impugnatur, adventitium esse ac recentiori manu appositum; reliqua vero *genuina* esse contendunt. [7]) Quae sententia et nobis maxime probata est. Stylus enim incomtus, rudis, male vitiatus, qualis in Victorino fuisse comperimus. Praeterea non pauca sunt, quae nostri S. Patris antiquitatem sapiunt, e. gr. opinio de altero Neronis adventu seu resurrectione; studium Senatus Romani christianam religionem publice adhuc persequendi; alia. — Aliquanto vero magis etiam dubitandum est, an *Tillemontius*, vir cetera sagacissimus, recte viderit, cum *Libros V adv. Marcionem*, carmen epicum, *Tertulliano* passim sed profecto perperam adcensitum (§. 621) huic Victorino adtribueret. [8]) *Victorinum* saltem multo meliori jure, quam Tertullianum, posse verum ejus parentem agnosci, stylus quidem rudis et incompositus ac vitia prosodiaca monent. Sed inde certi quidquam colligere, nullo alio et firmiore suppeditante argumento, vix quispiam cordatus fuerit ausus.

---

6) *Cavei* Historia liter. (ed. nov.) T. I. p. 147; ita et *Basnagius* in sua Histoire de l'église (Roterodam. 1699. II. f.) ad a. 303. nr. 16; *Baehr* Die chr.-röm. Theologie p. 65.

7) *Dupini* Biblioth. T. I. p. 194; *Tillemont*. Mémoires pour servir à l'histoire eccl. T. V. p. 218. not. 3, et p. 444 sq.; *Ceillier* Histoire générale des Auteurs eccl. T. III. p. 346; *Lumper* Historia theol. crit. de SS. PP. P. XIII. p. 575 sqq.; *Galland*. Biblioth. vett. PP. T. IV. Prolegg. c. 11; *Moehler* Patrologie Bd. I. p. 901 sq.

8) *Tillemont*. Mémoires eccl. T. V. p. 134.

3. Scripta supposita.

§. 142. Alia quoque opuscula, *versu epico* sed prosodia nonnunquam violata composita, Victorino nostro vulgo tribui solebant, quorum tamen conditio ea est, ut ne unum quidem aliqua probabili ratione eidem vindicare possis. Quare paucis singula recensere sufficiat. 1. *De fratribus septem Maccabaeis interfectis ab Antiocho Epiphane*, carmen epico-historicum, versibus prope quadringentis historiam illam secundum SS. Scripturas describens, *Virgilii*que *Maronis* dictiones non raro imitans, satis apto et eleganti stylo elucubratum est, et prae reliquis, quae sequuntur, apprime se commendat. 2. *Hymnus de Pascha Domini seu De ligno vitae i. e. Cruce*,[1]) versibus septuaginta constans, Christi merita sub imagine arboris frugiferrimae et ad immensam altitudinem ascendentis allegorice describit, et ita compositus est, ut phrases tantum non omnes e poëtis ethnicis praesertim *Virgilio* petitae artificioso modo in christianum poëma connecterentur. 3. *De Jesu Christo Deo et Homine*, similis poëticus lusus centum triginta septem versus complectens, et eadem arte e veterum gentilium poëtarum sententiis compilatus. 4. *Hymni tres De Trinitate*, minori quidem artificio, quam duo proxime antecedentes, sed et multo minori elegantia, quam illud De fratribus Maccabaeis, compositi. — Ex his igitur carminibus *primum* quidem *Rivinus*[2]) Victorino nostro, *Barthius*[3]) vero S. Hilario Pictaviensi Episcopo († 368) attribuit. Utriusque tamen sententia *Baehrio* minus probatur, qui ob styli puritatem atque elegantiam, qua veteres

---

1) Ita inscribitur a *Rivino*. Alii titulum *De cruce seu de Paschate vel de Baptismo* praefigunt; alii porro *Lignum vitae*; alii *De ligno Crucis*; alii denique simpliciter *De Cruce* huic hymno nomen induunt.

2) *Andr. Rivini* SS. Reliqq. Victorinorum, Praefat.

3) *Casp. Barthii* Adversariorum Commentariorum Libri LX, (Francofurt. 1624. f.) Advers. III. 23, cf. Adv. XXVIII. 3.

poëtas imitari studet auctor, carmen istud *De fratribus Maccabaeis Cajo (Fabio) Mario Victorino Afro* vindicat, [4]) eidem, qui teste S. Augustino [5]) c. a. 355 Romae insigni cum laude Grammaticam docuit, et multis de re grammatica et rhetorica libris editis [6]) tandem ad christiana sacra conversus est. Hymnus item *De ligno vitae* s. *De cruce*, quem *Rivinus* l. l. pariter Victorino episcopo nostro, alii passim S. Cypriano martyri accensent, artificiosius compositus est, ut multo potius a *rhetore* christiano quam ab *Episcopo* originem duxisse videatur. Sed quum aliquanto minus simplicitatis ac venustatis praeseferat, quam carmen supra memoratum, valde dubito, an non melius *sequior* aliquis *obscuri nominis grammaticus*, quam Victorinus celeberrimus ille rhetor, cujus modo meminimus, verus illius auctor habendus sit. [7]) Illud autem *De Christo Deo et homine* poëma, quod *Ge. Fabricius* [8]) et *Rivinus* [9]) rursus tanquam genuinum Victorini Petavionensis (non *Pictaviensis*, ut perperam ambo scripserunt) opusculum laudant, nos ex eadem causa, si non Victorini rhetoris, tamen cujuspiam nostro Victorino *recentioris Grammatici* esse opinamur. [10]) Idem quoque dicendum de tribus, qui sub ejusdem Martyris nomine a *Rivino* praepropere laudantur, hymni *De Trinitate*; [11]) licet hi quidem minorem artem in compositione ostendant, nec ita

---

4) *Chr. Fel. Baehr* Die christl. Dichter und Geschichtschreiber Roms (Carlsruhe 1836. 8.) §. 14. p. 31.

5) *S. Augustini* Confess. Lib. VIII. c. 2 sq., in Ej. Opp. ed. Maurin. T. I. col. 145.

6) *Baehr* Gesch. d. röm. Literatur (II Aufl. Karlsruhe 1832. 8.) p. 575. 723.

7) *Baehr* Die christl. Dichter Roms, p. 32. nr. 5.

8) *Georg. Fabricii* Poëtarum vett. eccl. opera christiana p. 716 et Comment. p. 140.

9) *Andr. Rivini* SS. Reliqq. Victorinorum, Praef. p. 9, et p. 129 sq.

10) *Baehr* l. l. p. 30. nr. 4.

11) *Rivinus* l. l. Praef. et p. 206 sq.

magnificis sententiis emicant.[12] — Denique quod est ad *editiones*, opuscula loco 1 et 3 commemorata exhibentur in *Georgii Fabricii* Poëtarum vett. eccl. Opp. et Reliqq. p. 443 sqq. et 761; omnia autem supra recensita in *Andr. Rivini* Sanctt. Reliqq. Victorinorum etc. c. nott. (Gothae 1652. 8.), et in Biblioth. max. PP. (*Lugduni* 1677. f.) T. IV. p. 294—300.

XV.

SS. Martyrum Ecclesiae occidentalis, qui seculo tertio passi sunt,

Acta genuina.

A.

Acta SS. Martyrum Scillitanorum.

1. Praevia Actorum censura.

§. 742. Cum *Severus* persecutionem adversus ecclesias excitasset, per omnes quidem ubique locorum ecclesias ab Athletis pro pietate certantibus illustria sunt confecta martyria.[1] Eorum autem primi fuerunt *martyres Scillitani*, qui passi sunt *anno* 202, ut eorum Acta Claudio consule signata testantur. Nomini illorum Carthagine, teste *Victore Vitensi*,[2] basilica dedicata erat,

---

12) *Schroeckh* Kirchengeschichte T. VI. p. 23; Baehr l. l. p. 32. nr. 2.

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 1, ed. *Zimmermann.* p. 385.

2) *Victoris Vitensis* (c. a. 505) Hist. persecutionis Vandalicae sub Genserico et Hunerico Vandall. regg. Lib. I. c. 3, ed. *Theod. Ruinart* (Paris. 1694. 8.) p. 5.

ubi *Possidio* [3]) narrante in laudem eorum D. Augustinus sermonem ad populum habuit. Sed is, cum nusquam inter ejus opera appareat, sive intercidisse, sive etiamnum alicubi latere videtur. Erant autem martyres numero duodecim: *Speratus*, *Narzalis*, *Citinus*, *Veturius*, *Felix*, *Aquilinus*, *Lactantius*, *Januarius*, *Generosa*, *Donata*, *Secunda et Vestigia*; Scillitani ideo fortasse appellati, quod e *Scillitana urbe* [4]) provinciae proconsularis seu Carthaginiensis prodierint. Damnati a proconsule *Saturnino*, qui omnium primus, prout *Tertullianus* testatur, [5]) in Africa gladio in Christianos animadvertit, coronati sunt die 17. Julii ao. Christi 202. Haec Acta martyrii primus *Caesar. Baronius* S. R. E. Cardin. e tribus vetustissimis Vaticanae bibliothecae Codd. exscripsit, et suis annalibus ecclesiasticis ad annum 202 inseruit. Reïmpressa sunt in *Bolland. Actt. SS.* m. Julii T. IV. p. 214. His adjecta sunt ibidem *alia sincera* ex Mss. Cod. pergameno in bibliotheca ecclesiae Toletanae eruta et collata cum Mss. Colbertino, *Actt. SS.* ib. p. 215; quo codice usus est doctissimus *Theod. Ruinart* in edendis suis *Actt. primorum Martyrum sinceris* (ed. Wettstenii, Amstelod. 1713. f.) p. 76 sq., quem et nos in breviculo Actorum (§. 744) secuti sumus. De *Genuinitate* eorum nemo, quantum scio, dubitavit. Cum autem Acta haec in Mss. exemplaribus aliquatenus diversa sint, *Cellierus* in eam adductus est sententiam, ut existimaverit, ea non de verbo ad verbum e tabulariis forensibus descripta, sed a fidelibus, qui vel judicio audientes interfuerunt, exarata; vel ab iisdem ex notariorum publicorum excerptis relata, atque hinc factum esse, ut ea, quae sive audierant sive legerant, alii aliis aliquatenus verbis retulerint. [6])

---

3) *Possidii* Vita (et indiculus Scriptorum) S. Augustini (in Actt. SS. m. August. T. VI. p. 427 sqq.) c. 9.

4) *Caroli a S. Paulo* Geographia sacra (ed. Holsten.) p. 93.

5) *Tertulliani* Lib. ad Scapulam c. 3 med., in Ej. Opp. omn. ed. in Biblioth. PP. *Gersdorfiana* Vol. IV; cur. *E. F. Leopold*. P. I. p. 200.

6) *Remig. Cellieri* Histoire générale des auteurs eccl. T. II. p. 111.

2. Eorum compendium.

§. 544. Adducti sunt in diebus illis Speratus, Narzalus, Citinus, Donata, Secunda, ceteri ad proconsulem Saturninum. Qui dixit: *Potestis indulgentiam a Dominis nostris imperatoribus promereri, si ad bonam mentem redeatis, et deorum nostrorum caeremonias servatis.* Cui Speratus: *Nos nunquam male egisse conscii sumus, nulli unquam maledeximus, siquidem pro eis oravimus, quos injuste nobis patiebamur infestos. Quare et Imperatorem nostrum attendimus, a quo nobis haec vivendi norma concessa est.* Saturninus: *Et nos religiosi sumus et simplex est nostra religio. Juramus per genium Dominorum nostrorum, pro salute eorum supplicantes, quod vos quoque facere debetis.* Speratus: *Si tranquillas praebueris aures tuas, tibi dicam simplex religionis nostrae mysterium.* Proconsul: *Ego vero tibi male de sacrificiis nostris dicenti aurem non praebiturus jubeo vos jurare per genium imperatorum.* ... Et ad ceteros conversus Sperati socios: *Desinite tandem hujus persuasionis cultores esse, qua ille illectus est; quoniam si vos habuerit ejus professio socios, pariter habebit et poena.* Dixit igitur Citinus: *Non te a nobis aliud oportet audire nisi ea, quae socius noster Speratus confessus est. Scito enim, quod non habemus alium quem timeamus, nisi unum Deum ac Dominum nostrum, qui est in coelis.* His S. Donata adjecit: *Honorem Caesari quasi Caesari reddimus, timorem et adorationem soli Christo Domino praestamus.* Et venerabilis illico Vestigia: *Hoc,* inquit, *semper meditabitur cor meum, et labia mea pronuntiabunt; quia Christiana sum.* Similiter Secunda: *A sociorum meorum professione neque ego ullo pacto recedam.* Tum Saturninus rursus ad Speratum ora convertens: *Perseveras igitur, ut video, esse Christianus?* Speratus: *Hanc christianam perseverantiam non meis viribus sed divino munere me habere confido. Proinde si vis fixam cordis mei audire sententiam: Sum christianus, et quidquid mihi supplicii inferre volueris, libenter

pro nomine Domini mei Christi suscipiam. Atque in hac confessione et ceteri martyres consenserunt. *Saturninus* autem proconsul aliquamdiu cunctatus: *Accipite igitur moram triginta dierum, ut retractetis hujus sectae confessionem. Forsitan inde ad deorum sacra revertemini.* Cui *Speratus: Minime vero; nos post triginta dies iidem erimus, qui sumus hodie, nec ulla mora poterit mutari confessio nostra.* Cernens *proconsul* Sanctorum perseverantiam decretum ex tabula recitavit: *Speratum, Narzalium, Cittinum, Donatam etc. qui christiano ritu vivere confessi sunt, quique oblatam facultatem redeundi ad cultum deorum obstinate non receperunt, gladio animadverti placet.* Quo dicto *Speratus: Deo gratias*, inquit; et *Narzalus: Hodie, ait, adhuc martyres in coelo sumus.* Saturninus igitur Sanctos jubet abduci; qui, cum venissent ad locum martyrii, *capite plexi sunt.* Dominus autem eorum animas suscepit in pace, cui honor et gloria in secula seculorum; Amen.

B.

Acta SS. Perpetuae, Felicitatis et Sociorum Martyrum.

1. De auctore et tempore Actorum.

§. 745. In eadem persecutione, qua sub *Septimio Severo* imperatore saevitum est in Christianos, etiam SS. *Felicitas* ac *Perpetua* unacum *pluribus aliis* pro Christi fide certantibus martyrii palmam adeptae sunt. Et de *tempore* quidem, quo passionem consummarunt, certi sumus. Eorum enim enim opinio, qui istas SS. Martyres sub *Valeriano* et *Gallieno* passas referunt, vel ex eo convincitur falsa, quod jam *Tertullianus*, qui sub finem secundi et initio tertii seculi floruit, B. Perpetuae Martyris

mentionem fecerit.[1] Melius *B. Beda* et plerique mediae aetatis Scriptores, qui martyrologia composuerunt, eandem cum sociis suis sub *Septimio Severo* coronatam fuisse narrant, quibus et *Acta* nostra a Luca Holstenio eruta plane consentiunt, siquidem ibi (Actt. Pass. c. 7) SS. Martyres *die natali Getae Caesaris* seu die septima Martii (*anni* 202 aut 203) bestiis objecti esse perhibentur. Quod autem autem est ad *locum* istius passionis, martyrologia quidem *Tuburbii* (in Mauritania) SS. Perpetuam ceterasque fuisse damnatos tradunt, unde etiam *Tuburbitani* martyres vulgo audiunt. Atvero *Victor Vitensis* eos *Carthagine* in basilica majori sepultos esse affirmat;[2] similiter *Prosper* in Chronico consulari,[3] *Beda*, *Hrabanus Maurus*, *Regino*, ut apud Bollandianos legitur, disertis verbis SS. Martyres apud Carthaginem martyrium consummasse tradunt, quae sententia insuper probari posse videtur ex ipsis Actis, ex quibus illos *proconsulari* potestate damnatos fuisse evincitur; proconsulem autem *Carthagine* habuisse sedem constat. Denique ipsa Acta, de quorum *auctore* nunc nobis quaestio erit, non *una* manu exarata esse, probe notandum est. Prima enim ac maxime praecipua pars ab ipsa *Perpetua* pridie ante passionem, altera a *Saturo* socio passionis, tertia ab auctore *anonymo* sed eo *teste oculari* scripta fuit. Et de prioribus quidem duabus partibus hucusque nihil inter Criticos controvertitur. Quis vero tertiae partis auctor seu forte collector totius opusculi fuerit, multum ambigitur. Ut enim omittam illos, qui *Tertullianum* istum fuisse collectorem male et praepropere judicarunt;[4] sunt inprimis VV. DD.

---

1) *Tertullian.* De anima c. 55 sub fin., in *Gersdorfii* Bibliothec. latt. PP. sel. Vol. VI. s. Tertull. Opp. cur. *Leopold.* P. IV. p. 241.

2) *Victor. Vitens.* Hist. de persecut. Vandal. Lib. I. c. 3, ed. *Theod. Ruinart* (Paris. 1694. 4.) p. 5.

3) *Prosper. Aquitan.* Chronic. consul. ed. a *Ph. Labbeo* in Nov. Biblioth. Msptt. (Paris. 1677) p. 16 sqq.

4) cf. *Gfr. Lumper* Hist. theol.-crit. de SS. PP. P. VI. p. 156 sqq.

Valesius,[5]) *Basnagius*,[6]) *Noesseltus*,[7]) alii, qui hujus operis auctorem certe unum e *Montani* secta fuisse arbitrantur; imo Basnagius ipsos Perpetuam sociosque martyres *Montanistas* fuisse, confidentissime asserit, et *Weissmannum*,[8]) *Wernsdorfium*[9]) et *Noesseltum* (l. l.) in eandem sententiam post se traxit. Potissimum autem, quo niti posse se confidit, argumetum ex Actis ipsis petiit, nimirum quod Perpetua *visiones* a Deo postulaverit atque obtinuerit. Quae tamen ratio quam sit futilis et vana, non opus est penitius exponere, cum ipsi viri Protestantes, *Schroeckkius*[10]) et *Walckius*,[11]) dudum jam in eum animadverterent, inprimis autem *Orsius* S. R. E. Cardinalis[12]) totam ejus hac de re opinionem egregie confutaret licet ceterum ipse Orsius saltem eum, qui haec Acta martyrii collegit, et res novissime gestas libris consignavit, aliquem e Montani secta fuisse existimet. Sed ne hanc quidem opinionem firmo aliquo argumento defendi posse, scite probat *Lumperus*,[13]) docens, in iis Actis nihil omnino nisi orthodoxum et fidei catholicae plane consonum reperiri, nec vero esse simile, haereticum hominem seu *Montanistam* lectores suos schismaticos voluisse adhortari, ut communionem cum his feminis, quas in *catholica* fide ob-

---

5) *Henr. Valesii* Passio SS. MM. Perpetuae, Felicitatis et sociorum, c. nott. Holstenii, ed. Paris. 1664. 8.

6) *Samuel. Basnagii* Annales politico-eccl. (Roterod. 1706. III. f.) T. II. p. 224 sq.

7) *Jo. Aug. Noesselt* Disp. de vera aetate ac doctrina scriptorum, quae supersunt, Tertulliani (Halae 1768. 4.) p. 96 sqq.

8) *Chr. Eberh. Weissmanni* Introduct. in Memorabilia hist. eccl. (Halae 1745. II. 4.) T. I. p. 139.

9) *Theoph. Wernsdorf.* De Montanistis (Vitemberg. 1751) p. 52.

10) *Jo. Matth. Schroeckkii* Christliche Kirchengeschichte (Leipzig 1768 sqq. 8.) P. III. p. 515.

11) *Chr. Guil. Fr. Walch* Entwurf einer vollständ. Historie der Ketzereyen (Leipz. 1762. 8.) P. I. p. 656.

12) *Jo. Aug. Orsi* Diss. apolog. pro SS. Perpetuae, Felicitatis et sociorum MM. orthodoxia adv. Sam. Basnagium Florent. 1728. 4.

13) *Lumperi* Hist. theol.-crit. de SS. PP. P. VII. p. 477—480.

ipse et ipse sciebat, et ii, ad quos scriptos reliquit, non poterant ignorare, siquidem eos alloquitur, quos spectaculo interfuisse testatur. — Passionem SS. Perpetuae ac Felicitatis sociorumque ex Ms. Casinensi adjectis aliis Actis easque notis *Holstenii* suisque evulgavit *Petrus Possinus* S. I. Presbyter, Rom. 1663. 8. Eadem Acta recudi curavit *Henr. Valesius*, Paris. 1664. 8., et cum commentario praevio iterum reimpressa sunt a *Bollandistis* in Actt. SS. m. Martii T. I. p. 630—638. Optimam eorum editionem curavit *Theod. Ruinartus* inter sua *Acta SS. primorum MM.* sincera, quam recensionem secutus est *Andr. Gallandius* in Bibliotheca vett. PP. T. II. p. 167—193.

2. Passionis succincta narratio.

§. [illegible]. Apprehensi sunt adolescentes catechumeni *Revocatus* et *Felicitas* conserva ejus, et *Saturninus* et *Secundulus* et *Perpetua* honeste ac liberaliter instituta femina, habens patrem et matrem et fratres duos, alterum aeque catechumenum, et filium infantulum ad ubera. Erat autem ipsa annorum circiter duorum et viginti. His se ultro adjunxit *Saturus*. Hi paucis diebus antequam in custodiam traderentur, sacrum *baptisma* receperunt. *Perpetua* vero et *Saturus*, dum jam cum ceteris in custodia detinebantur, pridie quam paterentur *visionibus* per somnum habitis inprimis recreati sunt. Et *illa* quidem ex visione prima sibi facta, in qua scalam in coelum erectam considere, et a Christo sub specie pastoris buccellam accipere sibi videbantur, intellexit illico passionem sibi futuram, et exinde nullam spem in seculo coepit habere; in secunda autem eidem *Dinocratis* fratris sui liberatio e purgatorio ostenditur; in tertia denique abducta ad luctam contra Aethiopem proposito praemio pugnavit et vicit. *Saturus* autem in sua, quam accepit, revelatione sibi cum Perpetua visus est portari ab angelis in lucem magnam, ibique vident martyres, a quibus osculis recepti et deducti sunt ante thronum Dei. His igitur visionibus laeti

invicem se exhortabantur. *Secundulum* vero Deus maturiore exitu de hoc saeculo evocavit, quippe qui adhuc in carcere mortuus est. *Felicitas* autem, cum praegnans fuisset apprehensa, instante jam die judicii valde lugebat, ne propterea forte differretur. Et Deus conjunctis ipsius et sociorum ejus precibus misertus est mulieris, et enixa est puellam, quam soror quaedam postea in filiam sibi educavit. Pridie igitur, cum coenam illam, quam liberam vocant, quantum in ipsis erat, haberent, seu agapen potius celebrarent, multis ut fieri solet adstantibus, qui carcerem intrabant spectantes, illi alacri animo assidentes ad populum verba jactabant, irritantes concurrentium curiositatem, comminantes judicium Domini et passionis suae felicitatem contestantes. Et *Saturus* increpans multitudinem: *Euge*, inquit, *notate vobis facies nostras diligenter, ut recognoscatis nos in illa die judicii.* Inde attoniti discedebant, multi vero ex iis crediderunt. Cum autem illuxit dies, educuntur in amphitheatrum, quasi in coelum hilares. *Revocatus* et *Saturninus* et *Saturus*, ubi sub conspectum judicis pervenerunt, gestu et nutu coeperunt *Hilariano* dicere: *Tu quidem nos, te autem Deus.* Flagellati igitur, cum ceteris sociis *opponuntur bestiis.* Saucii denique ea, quo populus volebat, in medio amphitheatri sistuntur, et osculati prius invicem, ut martyrium per solemnia pacis consummarent, *gladio confossi* sunt. Ceteri quidem immobiles et cum silentio ferrum exceperunt; *Perpetua* autem inter ossa compuncta paululum exululavit, et errantem dexteram tirunculi gladiatoris ipsa in jugulum suum transtulit.

C.

SS. Mappalici, Luciani, Celerini, Numidici aliorumque Confessorum martyria.

§. 747. Nonnulla etiam *Cyprianus* sanctorum Martyrum et Confessorum, qui suo tempore passi sunt, glori-

eos nomina memoriae nostrae consecravit. In his primum *Mappalicum* Carthaginiensem beatum praedicat, qui sub *Decio* imperatore *anno* 251 inter tormenta spiritum exhalavit. „*Vox*, inquit, *plena Spiritu Sancto de Martyris ore prorupit, cum Mappalicus beatissimus inter cruciatus suos Proconsuli diceret:* „„*Videbis cras agonem.*““ *Et quod ille cum virtutis ac fidei testimonio dixit, Dominus implevit. Agon caelestis exhibitus, et Dei servus in agone promissi certaminis coronatus est; pugnam, quam spopondit, exhibuit et palmam, quam meruit, accepit.*“ [1]) — Idem Cyprianus beatissimus martyr de *Numidico* fortissimo confessore haec nostrae memoriae reliquit: „*Nuntiandum vobis fuit, fratres carissimi, quod pertineat et ad communem laetitiam et ad ecclesiae nostrae maximam gloriam. Nam admonitos nos et instructos sciatis dignatione divina, ut Numidicus presbyter adscribatur presbyterorum Carthaginiensium numero, et nobiscum sedeat in clero, luce clarissima confessionis illustris et virtutis ac fidei honore sublimis, qui hortatu suo copiosum martyrum numerum lapidibus et flammis necatum ante se misit, quique uxorem adhaerentem lateri suo concrematam simul cum caeteris, conservatam magis dixerim, laetus aspexit. Ipse semiustulatus et lapidibus obrutus et pro mortuo derelictus, dum postmodum filia sollicito pietatis obsequio cadaver patris inquirit, semianimis inventus et extractus et refocillatus a comitibus, quos ipse praemiserat, remansit invitus. Sed remanendi, ut videmus, haec fuit causa, ut eum clero nostro Dominus adjungeret, et desolatam per lapsum quorundam presbyterorum nostri presbyterii copiam gloriosis sacerdotibus adornaret.*“ [2]) Factum est hoc eodem *anno* 251. — *Lucianus* item, Confessor, sub

---

1) *S. Cyprian.* Epist. ed. apud Erasmum II. 6, ap. Pamel. 9, ap. Rigalt. Baluz. Paris. 8, in ed. *Opp. Cypriani* cur. Goldhorn P. I. (Lips. 1838) Epist. X. c. 4. p. 20.

2) *S. Cyprian.* Ep. ap. Erasm. IV. 10 (Pamel. Rigalt. Baluz. 35, Paris. 34), in noviss. *Cyprian. Opp.* ed. laud. Epist. XL. p. 89.

Celerinoque e carcere literas dedit, quibus quorundam martyrum saltem nomina fidelium memoriae commendat. „*Scire debuisti,*" inquit, „*quid circa nos actum sit. . . . Jussi sumus secundum praeceptum imperatoris* (*Decii*) *fame et siti necari, reclusi in duabus cellis. Sed nunc ipsam claritatem sumus consecuti. Et ideo, frater carissime, . . . ceterum martyrum nomina subjicio, Bassi in pignerario* (*petrario?*), *Mappalici in quaestione, Fortunionis in carcere, Paulli a quaestione; porro Fortunatae, Victorini, Victoris, Herennii, Credulae, Herenae, Donati, Firmi, Venusti, Fructi, Juliae, Martialis et Aristonis, qui Deo volente in carcere fame necati sunt; quorum et nos socios futuros intra dies audietis. Jam enim ex eo, quo iterato reclusi sumus, sunt dies octo in die, quo tibi literas scripsi. Nam et ante dies octo per dies quinque medios modicum panis accepimus et aquam ad mensuram. . . . Salutant vos collegae nostri universi* etc." [3]) — Sed et ipse *Celerinus*, cui has Lucianus literas dedit, jam ad initium persecutionis *Decianae* (an. 250) gloriosa confessione nobilitatus est, prout S. *Cyprianus*, qui eum postmodo clero Carthaginiensi adscripsit, per literas communicatorias testatus est, causam fratribus ingerens, cur non dubitaverit hunc virtutibus pariter ac moribus gloriosum confessorem ad honorem ecclesiasticum promovere. „*Hic*, ait, *ad temporis nostri proelium primus, hic inter Christi milites antesignanus, hic inter persecutionis initia ferventia cum ipso infestationis principe et auctore congressus, dum inexpugnabili firmitate certaminis sui adversarium vicit, vincendi ceteris viam fecit, non brevi compendio vulnerum victor, sed adhaerentibus diu et permanentibus poenis longae colluctationis miraculo triumphator. Per decem et novem dies custodia carceris septus in nervo ac ferro fuit. Sed*

3) *Luciani* Epist. ad Celerinum, inter *S. Cyprian. Epp.* (Pamel. 22, Rigalt. Baluz. Paris. 21), in noviss. ed. laud. Epist. XXII. c. 2. p. 47 sq.

posito in vinculis corpore solutus ac liber spiritus mansit. Caro famis ac sitis diuturnitate contabuit, sed animam fide et virtute viventem nutrimentis spiritalibus Deus pavit. Jacuit inter poenas poenis suis fortior, inclusus includentibus major, jacens stantibus celsior, vincientibus firmior vinctus, sublimior judicantibus judicatus, et quamvis ligati nervo pedes essent, calcatus serpens et obtritus et victus est. Lucent in corpore glorioso clara vulnerum signa, eminent et apparent in nervis hominis ac membris longa tabe consumtis expressa vestigia. Sunt magna, sunt mira, quae de virtutibus ejus ac laudibus fraternitas audiat. . . . In servo Dei victoriam gloria vulnerum fecit, gloriam cicatricum memoria custodit. Nec rudis iste aut novus est in Celerino carissimo nostro titulus gloriarum. Per vestigia cognationis suae graditur, parentibus ac propinquis suis honore consimili divinae dignationis aequatur. Avia ejus Celerina *jam pridem martyrio coronata est. Item patruus ejus et avunculus* Laurentius *et* Egnatius *in castris et ipsi quondam secularibus militantes, sed veri et spiritales Dei milites, dum diabolum Christi confessione prosternunt, palmas a Domino et coronas illustri passione meruerunt. Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus. Nec degener ergo esse nec minor poterat, quem sic domesticis exemplis virtutis ac fidei provocabat familiae dignitas et generosa nobilitas.*" [4])

---

4) *S. Cypr.* Epist. (Erasm. IV. 5; Pamel. Rigalt. Baluz. 34, Paris. 38), nov. ed. laud. Epist. XXXIX. c. 2. p. 78.

D.

S. Laurentii diaconi martyrium.

§. 748. Illustrissimi hujus S. Martyris memoria adeo in benedictione est, et longe lateque adeo per universum orbem terrarum propagata, ut vel ipsum nominasse sufficere videatur. At de *patria* quidem et *parentibus* nihil novimus memoriae proditum a SS. Patribus.[1]) Fuit autem discipulus *S. Sixti II R. P.* (§. 760), eique apprime dilectus ob virtutes singulares, unde ad diaconatus honorem ab ipso promotus est. Obiisse traditur sub *Valeriano* imperatore *anno* 258. *Acta S. Laurentii* extant varia in variis exemplaribus; notissima sunt, quae ex *Surio* circumferuntur.[2]) Sed ea hujusmodi non sunt, ut sibi multum fidei pariant, tum ob styli diversitatem, tum ob historiae varietatem, tum ob inconstantem veritatem. Nec multo melioris notae ea sunt, quae ex martyrologia *Adonis* ad diem X Augusti a Bollandistis exhibentur.[3]) Quare ex antiquis *SS. Patrum* monumentis potius supplendus nobis visus est defectus Actorum sincerorum ac primigeniorum. Huc inprimis spectat *hymnus* auctore *Aurelio Prudentio* in libro *Περὶ στεφάνων*.[4]) Qui cum longior est, quam ut exscribam totum, sufficiat notare, quae SS. *Ambrosius*, *Leo M.*, *Maximus Taurinensis* sermone soluto nobis reliquerunt. „S. Laurentius cum videret *Xystum episcopum suum ad martyrium duci, flere coepit non passionem illius sed suam remansionem. Itaque his verbis appellavit eum:* „„*Quo progrederis sine filio, Pa-*

---

1) Qui conjecturas amant, *Acta Sanctorum* adeant, ubi uberius ea de re disputatum est ad diem X Augusti in *commentario* praevio §§. I–XI, T. II. p. 506 sqq.

2) *Laur. Surii* Vitae Sanctorum (Colon. 1581. VII. f.) T. IV. p. 581—591.

3) Actt. SS. m. August. T. II. p. 518.

4) ibid. p. 512—518, cum *Ruinarti* notis.

ter? Quo, Sacerdos sancte, sine diacono properas? Nunquam sacrificium sine ministro offerre consueveras. Quid in me ergo displicuit, Pater? numquid degenerem probasti? Experire certe, utrum idoneum ministrum elegeris. Cui commisisti dominici sanguinis dispensationem, cui consummandorum consortium sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas? Vide, ne periclitetur judicium tuum, dum fortitudo laudatur. Abjectio discipuli est detrimentum magistri.“ ... Tum Xystus: „„Non ego te, fili, relinquo ac desero, sed majora tibi debentur certamina. Nos quasi senes levioris pugnae cursum recipimus, te quasi juvenem manet gloriosior de tyranno triumphus. Mox venies, flere desiste; post triduum me sequeris. Quid praesentiam meam requiris? Infirmi discipuli magistrum praecedant; fortes sequantur, ut vincant sine magistro, qui non jam indigent magisterio.““ [5]) *Ergo ut comperit ex ore sacerdotis et martyris, se quoque ejusmodi assumendum, congregatis inopum turbis ecclesiasticum censum religiosa liberalitate divisit.* [6]) ... *Praefectus autem fame pecuniae ductus et operta existimans talenta cumulosque congestos sub sacrariis tegi, Laurentium sisti jubet.* [7]) ... *Qui, quum ab eo quaererentur thesauri ecclesiae, promisit se demonstraturum. Sequenti die pauperes duxit. Interrogatus, ubi essent thesauri, quos promiserat, ostendit pauperes dicens: „„Hi sunt thesauri Ecclesiae!““ Et vere thesauri, in quibus Christus est, in quibus Christi fides est.“* [8]) ... Tyrannus inexspectato isto tam pio dolo delusum se videns saevire ac fuere. „*Renuntiare Christo Laurentium jubet, et solidissimam illam Levitici animi fortitudinem diris pa-*

---

5) *S. Ambrosii* De officiis Lib. I. c. 41 med., in Ej. Opp. omn. ed. a *Monte-Alto* (Lutet. Paris. 1603. V. f.) T. IV. col. 32.

6) *S. Maximi Taurin.* Homil. in S. Laurent. I med., in Biblioth. vett. PP. (*Colon. Agripp.* 1618. XV. f.) T. V. P. I. p. 34.

7) *Prudentii hymn.* stroph. 12, in *Actt. SS. m. Aug.* T. II. p. 512.

8) *S. Ambros.* De officiis Lib. II. c. 28 med., in Ej. Opp. ed. laud. T. IV. col. 62.

rat urgere suppliciis. Quorum ubi prima nil obtinent, vehementiora succedunt. Laceros artus, et multa verberum sectione concisos subjecto praecipit igne torreri, ut per cratem ferream, quae jam de fervore continuo vim in se haberet urendi, conversorum alterna mutatione membrorum fieret cruciatus vehementior et poena productior. ... Sed superari caritas Christi flamma non potuit, et segnior fuit ignis, qui foris ussit, quam qui intus accendit; [9]) *nec poenali flexus incendio est, cujus in pectore insuperabili S. Spiritus flamma fervebat.*" [10])

E.

Acta S. Cypriani Episcopi.

1. Prooemium.

§. 740. *S. Cyprianus* gloriosissimus Martyr (§. 665) passus est 14 *Septb. anni* 258 imperante *Valeriano* Augusto. Praeter *B. Pontii* Diaconi ejus (§. 720) narrationem *De vita et passione S. Cypriani* hodiedum etiam *Acta martyrii* ejus circumferuntur, edita (ut supra diximus) a *Surio, Ruinarto, Bollandistis, Gallandio.* Quae Acta, prout ea nunc habemus, duplicem ipsius coram *Aspasio Paterno* et *Galerio Maximo* Procoss. confessionem continent, ex ipsis Actis publicis exscripta, quae a *S. Augustino* visa lectaque fuisse constat, [1]) cum Sermo ejus CCCIX fere totus et iisdem ex horum Actorum verbis contextus sit. Quanti vero ejusmodi Acta a fidelibus facta

---

9) *S. Leo M.* Serm. in fest. S. Laurent., in Biblioth. vett. PP. *Coloniens.* T. V. P. II. p. 859.

10) *S. Maximi Taurin.* Homil. 1. De S. Laurent. sub fin., in Bibl. PP. *Colon.* T. V. P. I. p. 34.

1) *S. Augustini* Serm. CCCIX (q. e. in natal. Cypriani Serm. I) c. 1. 2. 3 in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. V. col. 1247 sq.

fuerint, illud argumento est, quod Cypriano etiam superstite jam prioris ejus confessionis Acta in omnium manibus versarentur. Id praeter Pontium *Nemesianus* aliique Confessores in metallo constituti asserunt. [2]) Haec porro Actis iis adjunctis, quae in posteriore confessione et ipsa morte acciderant, in unum fasciculum a fidelibus ita redacta sunt, ut ea, quae inter utramque confessionem contigerant, continuandae historiae gratia quam brevissime fuerint inserta. Simili modo ad eorundem calcem nonnulla de consummato martyrio ejusque adjunctis annexa leguntur. Cui vero haec additamenta atque ipsa Acta adscribenda sint, non est exploratum. *Henschenius* illa ab eodem *Pontio diacono*, cui vitam Cypriani debemus, si non scripta, tamen collecta et in unum combinata fuisse suspicatur. Stylus quidem utrobique diversus hanc opinionem videtur infringere, nisi forte Pontius in Actis conscribendis ex industria simpliciori sermone usus est, ut eum ad solitam Actorum phrasin accommodaret. Id autem certum est, Pontium in *Vita S. Cypriani* de priori ejus confessione veluti de Actis tum jam publicatis et cuilibet satis notis verba fecisse. [3]) Sed et alteram Actorum partem, quae postremam S. Martyris coram Galerio Maximo confessionem continet, fidelium manibus jam tritam tum fuisse, cum ille *Vitam Cypriani* scriberet, ex eo colligitur, quod ibi nonnulla proconsulis verba, quae in *Actis* obveniunt, expendantur, cetera tanquam vulgo nota praeter-

---

2) „*Nam quasi bonus*, inquiunt, *et verus doctor, quid nos discipuli secuti apud Praesidem dicere deberemus, prior apud Acta Proconsulis pronuntiasti, et tuba canens Dei milites coelestibus armis instructos ad congressionis praelium excitasti.*" Epist. Nemesiani, Dativi, Felicis et Victoris ad Cyprianum, q. e. inter *Cyprianicas* Epist. LXXVII, c. 2 init., in S. Cypr. Opp. ed. *Gersdorf.* (Lips. 1838. II. 8.) cur. *Goldhorn* P. I. p. 249.

3) „*Et, ut quid sacerdos Dei proconsule interrogante responderit taceam; sunt Acta, quae referant.*" Pontius in *Vita et Pass. Cypriani*, ed. in Opp. Cypr. ed. *Wirceburg.* T. I. p. XII.

mittantur. [4]) Edita sunt ex recens. *Theod. Ruinarti* c. ejusdem annotationibus in *Actt. SS. m. Septembr.* T. IV. p. 332—334.

2. Actorum recensio.

§. 750. Imperatore *Valeriano* quartum et *Gallieno* tertium coss. III Cal. Septbr. (30 Aug. 257) Carthagine in secretario *Aspasius Paternus* proconsul ad *Cyprianum* episcopum dixit: *Sacratissimi imperatores Valerianus et Galienus literas ad me dare dignati sunt, quibus praeceperunt, eos, qui Romanam religionem non colunt, debere Romanas ceremonias recognoscere. Exquisivi ergo de nomine tuo. Quid mihi respondes? Cyprianus: Christianus sum et Episcopus. Nullos alios deos novi nisi unum et verum Deum, qui fecit coelum et terram et quae sunt in eis omnia. Huic Deo nos Christiani deservimus, hunc deprecamur diebus ac noctibus pro nobis et pro omnibus hominibus et pro incolumitate ipsorum imperatorum. Paternus: In hac ergo voluntate perseveras? Cyprianus: Bona voluntas, quae Deum novit, immutari non potest. Paternus: Poteris ergo secundum praeceptum imperatorum exul ad urbem Curubitanam proficisci. Cyprianus: Proficiscor. Paternus: Non solum de episcopis, verum etiam de presbyteris mihi scribere dignati sunt. Volo igitur ex te scire, qui sint presbyteri, qui in hac civitate consistunt. Cyprianus: Legibus vestris bene atque utiliter censuistis, delatores non esse. Itaque detegi et deferri a me non possunt; in civitatibus suis invenientur.*

4) „*Quid plura? Subito Proconsuli nunciatus est. Producitur, admovetur, interrogatur de suo nomine, se esse respondit, et hactenus verba. Legit itaque de tabula jam sententiam judex, ... in qua dictus est sectae signifer, et inimicus deorum, et qui suis futurus esset ipse documento, et quod sanguine ejus inciperet disciplina sanciri.*“ Idem ibid. p. XXI. Cf. cum his ipsa Proconsulis verba infra posita.

Paternus: Ego hodie in hoc loco exquiro. Cyprianus: Cum disciplina prohibeat, ut quis se ultro offerat, et tuae quoque censurae hoc displiceat, nec offerre se ipsi possunt; sed a te exquisiti invenientur. Paternus: Invenientur. Et adjecit: *Praeceperunt etiam, ne uspiam conciliabula fiant, nec coemeteria ingrediantur. Si quis itaque hoc tam salubre praeceptum non observaverit, capite plectetur. Cyprianus: Fac quod tibi praeceptum est.* Tunc Paternus proconsul jussit beatum Cyprianum in exilium deportari. Cumque diu ibidem moraretur, successit Aspasio Paterno *Galerius Maximus* proconsul, qui S. Cyprianum episcopum ab exilio revocavit. Cum autem proconsul interea Uticam se contulisset, beatus Cyprianus reversus, ne illuc evocaretur a grege suo, aliquamdiu secessit, donec ille inde rediiset. Valerio Maximo post paucos dies Utica Carthaginem reverso, et S. Cypriano quoque ad suos hortos regresso protinus Idibus Septembribus (13 Sept. 258) duo ad eum apparitores missi sunt, qui eum secum in curriculum levaverunt, et in agrum, cui *Sexti* nomen, perduxerunt, ubi *Galerius* bonae valetudinis recuperandae gratia secesserat. ... Illuc universus populus fratrum convenit, et altera die adstante multa turba proconsul Cyprianum sibi afferri praecepit in atrio Sauciolo sedenti. Cumque oblatus fuisset, *Galerius Maximus* sic eum alloquitur: *Tu es Thascius Cyprianus? Cyprianus: Ego sum. Proconsul: Tu te papam sacrilegae mentis hominibus praebuisti? Cyprianus: Ego. Proconsul: Jusserunt te sacratissimi imperatores ceremoniari. Cyprianus: Non facio. Proconsul: Consule tibi! Cyprianus: Fac, quod tibi praeceptum est. In re tam justa nulla est consultatio. Galerius Maximus* collocutus cum concilio sententiam vix aegre dixit his verbis: *Diu sacrilega mente vixisti, et plurimos nefariae tibi conspirationis homines aggregasti, et inimicum te diis Romanis et sacris legibus constituisti, nec te pii et sacratissimi principes Valerianus et Gallienus Augusti et Valerianus nobilissimus Caesar ad sectam*

ceremoniarum suarum revocare potuerunt. Et ideo cum sis nequissimorum criminum auctor et signifer deprehensus, eris ipse documento his, quos scelere tuo tecum aggregasti. Sanguine tuo sancietur disciplina. His dictis decretum ex tabula recitavit: *Thascium Cyprianum gladio animadverti placet. Cyprianus: Deo gratias!* Post hanc sententiam turba fratrum erupit: *Et nos cum illo decollemur....* Et multa turba eum prosecuta est. Ita Cyprianus in agrum Sexti productus, ibique se lacerna byrro exspoliavit, et flexo genu ad orationem se prostravit. Et cum dalmaticam exuisset, diaconisque tradidisset, coepit spiculatorem exspectare. Qui quum venisset, jussit suos viginti quinque aureos ei dare. Linteamenta vero et manualia a fratribus ante eum mittebantur. Beatus autem Cyprianus manu sua oculos sibi texit, et cum lacinias manuales ligare sibi non potuisset, *Julianus* presbyter et *Julianus* diaconus ei ligaverunt. Ita beatus Cyprianus passus est, ejusque corpus propter Gentilium curiositatem in proximo positum est. Inde per noctem sublatum cum cereis et scolacibus ad areas *Macrobii Candidiani* procuratoris ... cum voto et triumpho magno deductum est. Post paucos autem dies *Galerius Maximus* proconsul decessit. Passus est autem beatissimus Cyprianus Martyr XVIII Cal. Octobr. (14 Septemb. ao. 258) sub *Valeriano* et *Gallieno* imperatoribus, regnante vero Domino nostro Jesu Christo, cui honor et gloria in secula seculorum, Amen.

F.

Acta SS. Fructuosi, Augurii et Eulogii MM.

1. Commentatiuncula praevia.

§. 751. *Tarracone* vetusta et nobili citerioris Hispaniae *(Cataloniae)* urbe SS. *Fructuosus* ibidem epis-

copus et *Augurius Eulogius*que diaconi glorioso martyrio perfuncti sunt XXI *Januar. anni* 259. Acta S. Fructuosi a *D. Augustino* cognita fuisse et olim in ecclesia Hipponensi publice legi solita, manifestum est. [1]) Similiter *Prudentius Clemens* Ejusdem et Sociorum certamen eleganter conscripsit hymno VI libri *Περὶ στεφάνων*. Ceterum *Hrabanus* errat, siquidem *nostro* S. Fructuoso Martyri *Regulam monasticam* tribuit, cujus verum auctorem alium a nostro, nempe *Fructuosum Braccarensem archiepiscopum* [2]) esse, nunc omnes norunt. [3]) Edita sunt Acta illa Fructuosi et Sociorum MM. a *Bollandistis*, qui vetustis probatissimisque codicibus usi eadem cum commentario praevio notulisque evulgarunt in *Actt. SS. m. Januar.* T. II. p. 339—341, cumque his alii, inprimis *Colbertinus* et SS. Patrum *Fulliensium* Codd., quos *Th. Ruinartus* diligentissime contulit, prorsus fere cosentiunt. Unde nos quoque eorum loca praecipua exscribere non dubitavimus, etsi non possimus omnem procul abigere dubitationem, quin ea aliquatenus sint interpolata. Ad finem enim eorum tot sunt et tam stupenda conflata miracula, ut vel piissimum animum et prodigia ceteroqui minime horrentem tamen aliqua imposturae ad fucum faciendum factae suspicio facile subeat.

2. Actorum compendium.

§. 752. *Valeriano* et *Gallieno* imperatoribus, Aemiliano et Basso Coss., XVII Cal. Februar. (15 Januar.

1) *S. Augustin.* Serm. in natal. S. Fructuosi etc. c. 2. 3, q. e. Serm. CCLXXIII in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. V. P. II. col. 1105 sq.

2) Ejus *Vita* ex Mss. antiquissimo cod. edita est in *Jo. Mabillonii* Actt. SS. O. S. Benedicti sec. II. p. 581. Sedit autem hic *Fructuosus Bracarensis* intra annos 656—665.

3) *Nicol. Antonii* Biblioth. Hispan. (Rom. 1672. II. f.) P. V. c. 5. p. 283 sq.; *Schroeckh* Kirchengeschichte T. XX. p. 25 sqq.; *Fabricii* Biblioth. lat. Vol. II. p. 212 sq.; *Baehr* Die christl. röm. Theologie §. 213. p. 473.

259) die Dominica comprehensus est *Fructuosus* episcopus, *Augurius* et *Eulogius* diaconi, ... et recepti sunt in carcerem. Fructuosus autem certus et gaudens de corona Domini, ad quam vocatus erat, orabat sine cessatione. Erat autem et fraternitas cum ipso, refrigerantes eum et rogantes, ut illos in mente haberet. Postera vero die baptizavit in carcere fratrem nostrum *Rogatianum*. Et postquam manserunt in carcere dies sex, producti sunt.... Dixit autem *Aemilianus* praeses ad Fructuosum episcopum: *Audisti, quod imperatores praeceperunt? Fructuosus: Nescio; ego vero Christianus sum. Aemilianus: Praeceperunt deos coli. Fructuosus: Ego unum Deum colo, qui fecit coelum et terram et mare et omnia, quae sunt in eis. Aemilianus: Scis esse deos? Fructuosus: Nescio. Aemilianus: Scies postea. Fructuosus* respexit ad Dominum, et orare coepit intra se. *Aemilianus*: *Qui audiuntur, qui timentur, qui adorantur, si dii non coluntur, nec imperatorum vultus adorantur?* Et ad Augurium diaconum conversus dixit: *Noli verbis Fructuosi auscultare. Augurius: Ego Deum omnipotentem colo. Aemilianus* ad *Eulogium* diaconum. *Numquid et tu Fructuosum colis? Eulogius: Ego non Fructuosum colo, sed ipsum, quem et Fructuosus colit. Aemilianus* ad Fructuosum: *Episcopus es? Fructuosus: Sum. Aemilianus: Fuisti.* Et jussit eos vivos ardere. Et cum duceretur Fructuosus cum diaconis suis ad amphitheatrum, populus episcopo dolere coepit, qui talem amorem habebat non solum a fratribus sed etiam ab ethnicis. Talis enim erat, qualem Spiritus Sanctus per beatum Paulum Apostolum „*vas electionis et doctorem gentium*“ debere esse declaravit. Propter quod etiam fratres, qui sciebant illum ad tantam gloriam pergere, gaudebant potius quam dolebant. Cumque multi ex fraterna caritate eis offerrent, ut aromatibus commixtum poculum sumerent, ille: *Nondum*, inquit, *hora est solvendi jejunium*: agebatur enim hora diei quarta ... Cumque ad amphitheatrum pervenissent, statim ad eum accessit lector ejus,

Augustalis nomine, cum fletibus deprecans, ut eum excalcearet. Cui beatus martyr respondit: *Missum fac, fili, ego me excalceo fortis et gaudens et certus dominicae promissionis.* Accessit autem ad eum commilito frater noster, nomine *Felix*, et apprehendit dexteram ejus rogans, ut sui memor esset. Cui S. Fructuosus cunctis audientibus clara voce respondit: *In mente me habere necesse est Ecclesiam catholicam ab Oriente usque ad Occidentem diffusam. Tu si vis, ut orem pro te, noli recedere ab illa, pro qua oro.* Itaque in porta amphitheatri constitutus, cum jam prope esset, ut ingrederetur ad coronam immarcescibilem potius quam ad poenam, S. Fructuosus ita, ut ipsi audirent fratres nostri, monente pariter ac loquente Spiritu Sancto dixit: *Jam non deerit vobis pastor, nec deficere poterit caritas et repromissio Domini tam hic quam in futurum. Hoc enim, quod cernitis, unius horae videtur infirmitas.* Consolatus igitur fraternitatem ingressi sunt ad salutem, digni et in ipso martyrio felices, qui SS. Scripturarum fructum ex promissione sentirent. . . . Cumque exustae fuissent fasciolae, quibus manus eorum fuerant colligatae, orationis divinae et solitae consuetudinis memores, positis genibus, de resurrectione securi et in signo tropaei constituti, Dominum precabantur, donec simul animas effuderunt. Posthaec solita Domini non defuere magnalia. . . . Fratres autem tristes, velut derelicti sine pastore, solicitudinem sustinebant. . . . Superveniente autem nocte ad amphitheatrum cum vino festinanter pervenerunt, quo semiusta corpora extinguerent. Quo facto eorundem martyrum cineres collectos, prout quisque potuit, sibi vendicavit. Sed nec in hoc Domini ac Salvatoris defuere magnalia etc.

Appendix.

Scripta dubia vel omnino supposita.

SS. RR. Pontificum literae decretales quae feruntur.

A.

S. Zephyrinus Papa.

§. 752. *S. Zephyrinus* ap. Chr. 201 in S. Petri cathedram promotus est, seditque annis circiter septemdecim.[1]) Obiit enim primo anno imperii *Heliogabali*, qui est *annus Domini* 218, die autem 20 *Decembris*, ut Hieronymianum martyrologium testatur. Zephyrino Romanam ecclesiam gubernante illustre poenitentiae exemplum *Natalis* quidam dedit, qui, cum Christi fidem confessus fuisset, in Theodoti Coriarii et Artemonis haeresin lapsus, et accepto salario haeresis illius episcopus creatus est ea scilicet conditione, ut menstruos centum quinquaginta denarios ab illis acciperet. Sociatus igitur illorum partibus, saepe a Domino corripiebatur in somnis. Clementissimus enim Deus ac Dominus noster Jesus Christus eum, qui passionum suarum testis extiterat, perire extra ecclesiam nolebat. Sed cum nocturnas ejusmodi visiones negligeret Natalis, utpote honore primae apud illos sedis et turpis

---

1) L' art de verifier les dates, studio Monachorum O. S. B. e congreg. *S. Mauri* (Paris. 1783—87. III. f.) p. 241; *Dom. Mansi* Annal. eccl. Baronii, Raynaldi etc. (Luc. 1738—59. XXXVIII. f.) T. II ad a. 191 et 197. not. 1. p. 378.

lucri cupiditate (quae multis mortalibus exitio est) inescatus, tandem a sanctis angelis per totam noctem flagris caesus, et gravissime verberatus est; adeo, ut primo diluculo consurgens saccam induerit, et cinere conspersus confestim cum lacrimis ad pedes Zephyrini episcopi sese abjecerit, non solum cleri, verum etiam secularium vestigiis advolutus, et Christi misericordis Ecclesiam ipsam quoque misericordem fletibus suis commoverit atque concusserit. Multisque precibus usus, ostensis etiam vibicibus plagarum, quas pro Christi confessione pertulerat, vix tandem ad communionem admissus est. [2]) Sub ejusdem Zephyrini pontificatus initia, ao. 202, persecutionem *Septimius Severus* excitavit. Eodem fere tempore accidit funestissimus *Tertulliani* lapsus ad Montanistas (§. 504). Anno autem 212 Romam venit *Origenes* (§. 440), cum sibi, sicut ipse alicubi dicit, diu in votis fuisset, Romanam ecclesiam omnium principem coram videre. [3]) — Sub hujus igitur Zephyrini nomine *duae* circumferantur epistolae, quas *Dom. Mansius* in Collect. Concilliorum sua amplissima T. I. col. 730 sq. recepit. Earum una est ad *Episcopus Siciliae*, altera *ad Aegypti Praesules* directa; utramque vero suppositam, vel ex titulo „*Archiepiscopi*," quem Zephyrinus sibi sumit, manifestum est, ne dicam, quod S. Scripturae locum quendam, qui *Hiob* verba continet, ex interpretatione *Hieronymiana* laudat auctor; praeterea voces „*Levita*," „*Apocrisiarii*," „*sedes apostolica*," quae sequiorem aetatem redolent, usurpat; porro multas et integras *SS. Prosperi, Leonis M. et Hilarii Papae* totidem prorsus verbis sibi accommodat.

---

2) Anonym. auctor probabilius *Cajus* presbyter Rom. in libro, cui titulus: *Parvus Labyrinthus* (§. 649), in *Euseb.* Hist. eccl. Lib. V. c. 28. nr. 3—5, ed. *Zimmermann.* p. 377 sq.

3) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 14. nr. 4 med., ed. laud. p. 414 sq.

B.

S. Callistus P. R. Martyr.

§. 754. *Zephyrino* (§. 753) in sede Romana successit *S. Callistus* circa initium anni 219, ac, quinquennio episcopatus nondum penitus elapso, martyrio coronatus dicitur [1]) die 14 *Octobris* 223. Etsi sub ejus pontificatu Ecclesia Christi, *Alexandro* nempe imperatore Christianos admodum protegente, summa frueretur tranquillitate, et apud *Eusebium* nulla de Callisti martyrio occurrat mentio; tamen inter martyres eum numerandum esse, non solum Acta et Martyrologia sed et antiquissimus Bucherii catalogus testantur. Et sane teste *Lactantio* [2]) jurisconsulti saepius iniquis criminationibus impetrarunt, ut in Christianos nonnunquam per tumultus populares animadverteretur. Ea vero, quae martyrologium Romanum addit, Alexandrum Severum *persecutionem* adversus Christianos excitasse, et Callistum jussu imperatoris reliquos inter in carcerem missum, ac diutina fame maceratum fustibusque indies male acceptum, tandem e fenestra in puteum dejectum obiisse; haec parum fidei sibi faciunt, siquidem *Acta Callisti*, unde ea desumta sunt, ipso observante Baronio non sint in omnibus sincera, et ipse imperator tantum abesset, ut in Christianos persecutionem moveret, ut eum potius ipsis favisse, ex gentilibus aeque ac christianis Scriptoribus satis superque constet. — Huic quoque Pontifici *duae* a *Pseudo-Isidoro* adscribuntur epistolae decretales, quas exhibet *Mansiana* Coll. Conciliorum T. I. col. 737 sqq. Altera ad *Benedictum Fratrem et Coëpiscopum*, altera ad

---

1) *Petr. Coustantii* Maurini Epistt. RR. Pontiff. (Paris. 1721) p. 114; *Domin. Mansi* Not. in Annal. Baronii ad a. 226. p. 472.

2) *Lactantii* Divv. Institutt. Lib. V. c. 11, in Ej. Opp. omn. ad ed. Le Brun et Lengl. Du Fresnoi (Wirceburg. 1783—84. II. 8.) T. I. p. 326.

Episcopos Galliarum data est; utraque vero satis seu suppositítiam se prodit. Occurrunt enim ibidem sententiae iisdem paene verbis e *SS. Ambrosii, Augustini, Prosperi, Gelasii, Leonis I* et *Gregorii M.* scriptis desumtae; voces „*Primates*" et „*Metropolitani*" aliaque certa novitatis indicia; jejunium *quatuor temporum*, quinto demum seculo a Leone M. inde innotescens, alia.

C.

S. Urbanus I. Papa.

§. 755. *Callistus* (§. 754) *Urbano* Romanam ecclesiam regendam reliquit [1]) ao. Chr. 223. Urbanum autem, postquam pontificatus octennium nondum compleverat, [2]) i. e. *anno* 230 *martyrio* coronatum fuisse, non liquet; cum Acta, quae die 25 Maji passionem ejus figunt, ab Eruditis unanimi prope consensu inter apocrypha ablegentur. [3]) — *Una* duntaxat sub ejus nomine superest epistola *Antonino et Alexandro Viris clarissimus Coss.* nonis Septembribus data et Christianis omnibus inscripta. Atvero inepta est et absurda vel ipsa subscriptio, dum imperatorem inter consules numerat, et titulo Viri clarissimi appellat. Porro verba, quibus de *bonis ecclesiae* loquitur, aperte eadem in opere *Juliani Pomerii* († c. a. 493) *De vita contemplativa* Lib. II. c. 9 leguntur. Poena item, quae invasoribus bonorum ecclesiasticorum imponitur, desumta est ad verbum e *Codice Theodosiano* Tit. II. const. 11. Haec aliaque apocrypham esse epistolam istam absque dubio indicant. Edita est in ampliss. Collect. Conciliorum ed. a *Jo. Dom. Mansio* T. I. col. 747—752.

---

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 21. nr. 1 fin., ed. laud. p. 428.
2) *Idem* ib. c. 23. nr. 2 init., p. 430.
3) Cf. *Tillemont.* Memoires eccl. T. I. not. 2. sur S. Urban. p. 317 sq.

D.

S. Pontianus P. R. Martyr.

§. 756. *Urbano* (§. 755) defuncto, ao. 230, *Pontianus* episcopatum ecclesiae Romanae suscepit [1]) die 22 Julii. *Anno* autem 235, exorta acerbissima *Maximini* persecutione [2]) in Sardiniam relegatus, ibique aerumnis confectus 28 Septembris mortuus est. [3]) — Ejus nomine *duae* hodie in *Mansi* Collect. Concil. T. I. col. 756 exhibentur epistolae *Pseudo-Isidorianae.* Prior *ad Felicem* missa de honore, quo prosequendi sunt sacerdotes, agit; altera inscripta est: *Pontianus sanctae et universalis Ecclesiae Episcopus omnibus recte Dominum colentibus.* Quae inscriptio per se sola satis jam suspicionis habet. Praeterea utraque epistola ex *Gregorii M.* et *Sixti Pythagorei* [4]) potissimum laciniis consuta est; unde ab omnibus VV. DD. merito tanquam spuriae rejiciuntur.

E.

S. Anterus R. P. Martyr.

§. 757. Mortuo *Pontiano*, qui sex annis episcopatum tenuerat (§. 756), ecclesiae Romanae administrationem suscepit *S. Anterus.* [1]) Qui postquam episcopus ordina-

1) *Euseb.* l. l.

2) *Idem* ib. c. 28 init., ed. laud. p. 438.

3) *Coustant.* Epistt. RR. PP. p. 115.

4) *Xystus* s. *Sixtus*, Philosophus *gentilis* sive Stoïcus sive Pythagoreus, scripserat *Enchiridion* sententiis moralibus refertum, cujus hodiedum latina versio a *Rufino* facta superest. Cf. *Just. Fontanini* Historia literaria Aquilejensis (Rom. 1742. 4.) Lib. V. 8; *Jo. Alb. Fabricii* Biblioth. med. et infim. latinit. (ed. Mansi) T. VI. p. 196; *C. Trg. Gttl. Schoenemann* Biblioth. hist.-litt. PP. latt. T. I. p. 628.

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 29 init., p. 439.

tus est 22 Novembris *anni* 235, non ultra mensem unum et dies tredecim sedem tenuit, et 3 *Januar.* anni proxime insequentis diem obiit supremum. De martyrio ejus nihil quidem exploratum habemus;[2]) sed brevitas pontificatus ejus et vigens tunc *Maximini* praesertim in ecclesiarum Antistites persecutio fidem facere videtur martyrologiis, qui eum occubuisse *martyrem* tradunt.[3]) — Epistola *una* duntaxat, quae eidem attribuitur, ad *Episcopos provinciae Baeticae et Toletanae* directa, et die XII Cal. April. (i. e. 21 Martii 236) *Maximiniano et Africano Coss.* data est, cum tamen Anterus jam 3 Januarii mortuus sit. Accedit, quod iisdem plane verbis haec epistola incipit, quibus secunda *Siricii Papae* orditur, aliaque plura tum ex *S. Hieronymo*, tum ex *Ennodio* († 521) depromta continet. Unde merito inter spurias *Pseudo-Isidori* merces amandatur. Edita est in *Mansi* Coll. Conc. T. I. col. 763—768.

F.

S. Fabianus P. R. Martyr.

§. 758. Loco *Anteri* (§. 757) *S. Fabianus* (die 10 Januarii anno 236) ordinatus est. Hunc Fabianum post Anteri mortem una cum aliis Romam ex agro venisse dicunt, atque illic degentem opitulante Dei gratia praeter omnium exspectationem ad pontificatus sortem pervenisse. Nam cum fratres omnes successoris ordinandi causa in ecclesia essent congregati, ac plerique jam illustres aliquot et nobiles viros eligendos esse conjicerent, de Fabiano, qui tum praesens aderat, nemo ne tantisper quidem cogitabat. Columbam tamen repente e sublimi delapsam capiti illius insedisse narrant, quae Spiritus

2) *Ruinart.* Actt. prim. MM. sincera, Praefat. p. 49.

3) Cf. Actt. SS. m. Januar. T. I. p. 127.

Sancti, qui olim sub columbae specie in Servatorem descenderat, imaginem referre videbatur. Quo spectaculo permotus populus ac divino spiritu incitatus, summa cum alacritate uno consensu simul omnis exclamare coepit dignum esse; statimque comprehensum pontificali cathedrae imposuit. 1) Is ecclesiam Romanam sanctissime administravit quatuordecim annis, *Maximino* scilicet et *Gordiano* ac *Philippo* imperatoribus; denique inter primas *Decianae* persecutionis victimas capite plexus vel alia violenta morte sublatus est 2) die 20 *Januarii* ao. 250, ut catalogi RR. PP. aeque ac martyrologia tradunt. — *Tres* illi aliquamdiu adscribebantur epistolae, quarum una *Dilectissimis ubique catholicae Ecclesiae comministris* nuncupata, altera *Ad omnes orientales Episcopos* data, tertia *ad Hilarium* directa est. Verum omnes apertissimas suppositionis notas praeseferunt, sententiisque integris refertae sunt e codice *Theodosiano*, ex epistola *Pseudo-Clementis* (Romani) ad Jacobum fratrem Domini (§. 30) secundum latinam Rufini versionem, ex libris *SS. Leonis M.*, *Hilarii*, *Gregorii M.*, aliorum compilatis. Extant in *Mansi* Coll. Conc. T. I. col. 771—784.

G.

S. Lucius P. R. Martyr.

§. 759. *Fabiano* in ecclesia Romana successit *S. Cornelius* (§. 651). Qui cum martyrium consummasset,

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VI. c. 29, ed. laud. p. 439 sq.

2) *S. Hieronym.* De vir. illustr. c. 54 sub fin., in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 116; *S. Cyprian.* Epist. IX (ap. Pamel. Ep. 4, ap. Rigalt. et Baluz. 3) in Ej. Opp. edit. *Gersdorf.* cur. Goldhorn. P. I. Epist. IX. p. 17 sq.; Cf. Actt. SS. m. Januar. T. II. p. 252 sq.

in ejus locum venit *S. Lucius* [1]) die 25 Septembr. anni 252 ordinatus. [2]) Is sedem vix adeptus exulare jussus, anno vero insequenti revocatus [3]) quidem, sed paulo post supplicio affectus est. [4]) De tempore autem, quamdiu pontificatum tenuerit Lucius, alii aliter statuunt. *Henschenius* in suo Propylaeo ad Actt. SS. m. Maji T. I anno 253 ordinatum quidem fuisse *S. Stephanum*, sed per biennium tanquam *Lucii vicarium* ecclesiam administrasse, ipsum vero Lucium demum biennio post obiisse tradit. At vir optimus, dum ea de re ad Cyprianum provocat, *Vicarii* voce male deceptus esse videtur. Cum enim Cyprianus Stephanum Lucii vicarium dicat, non eo, quo vulgo utimur, sensu „*vicarii*" vocem adhibet, sed eandem cum voce *Successoris* usurpat. Sic alibi Stephanum etiam Cornelii vicarium appellat, cujus sane vicarius dici minime potuisset, si scilicet eum voluisset significare, qui alterius vices gerit. Itaque nos, Eusebium potissimum secuti, Lucium non ultra octo menses sedem tenuisse arbitramur. [5]) — *Una* decretalis Lucio adscribitur *Epistola ad Galliae et Hispaniae episcopos* data. Verum jam subscriptio, nempe „*Data Calendis Aprilis Gallo et Volusiano Coss. viris clarissimis*" impostorem satis prodit. Eo enim tempore *Cornelius* adhuc in vivis erat; neque

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VII. c. 2 init., ad. laud. p. 482.

2) *Ant. Pagi* Critica hist.-chronol. in Annal. Baronii ad. a. 252. §. 14; L'art de verifier les dates, p. 242.

3) *Duas* idcirca ad eum epistolas dedit S. Cyprianus, unam sed eam nunc deperditam, cum de ejus exilio comperisset; alteram, quae adhuc superest, cum ille de exilio rediisset. Cf. *S. Cyprian.* ad Lucium (ap. Pamel. Rigalt. Baluz. 58, Paris. 57), in Ej. Opp. ed. *Gersdorf.* P. I. Epist. LXI. c. 1 init. p. 152 sq.

4) *S. Cyprian.* ad Stephan. Papam, in Ej. Opp. (ap. Pamel. Rigalt. Baluz. Ep. 67, Paris. 66) ed. *Gersdorf.* P. I. Epist. LXVIII. c. 6 (al. 7) p. 189.

5) *Euseb.* l. l.

clarissimos viros Lucius appellasset *imperatores* Romanos. Sed et alia ejusdem generis, quae in epistolis praecedentium spuriis animadvertimus, manifestissimae suppositionis indicia in hisce literis reperiuntur. Edita est ap. *Mansium* T. I. col. 875—881.

H.

S. Sixtus II. P. R. Martyr.

§. 760. *Lucium* (§. 759) excepit *S. Stephanus* (§. 723), cujus post obitum episcopatus Romanus cessavit dies viginti duos, ut in Chronico PP. RR. annotatur. Itaque die 24 Augusti 257 *Sixtus*, hujus nominis secundus, in locum illius ordinatus est. Sedit autem menses undecim et aliquot dies, siquidem S. Cyprianus eum VIII Id. *Augusti* (anni 258) in coemeterio animadversum (i. e. trucidatum) fuisse diserte narrat, [1]) et VV. DD. plurimi, inprimis *Pagius*, *Pearsonius*, *Tillemontius*, *Coustantius*, *Mansius*, *Basnagius*, *Lumperus* pro re certa et exploratа habent. Itaque cum Eusebius Xystum undecim *annis* ecclesiae Romanae praefuisse scribat, [2]) vix quisquam dubitet, quin per errorem calami aut postmodo a librario pro undecim *mensibus* totidem anni irrepserint; etenim ab Eusebii diligentia prorsus alienum est, eum tam turpiter in summorum pontificum chronologia aberrasse. De literis, quas *S. Dionysius Alexandrinus* de baptismo haereticorum ad eum dedit, supra diximus (§. 503). Nec dubium, quin sua posissimum lenitate atque indefesso studio controversia illa componi coeperit; [3]) unde optimo jure a

---

1) *S. Cyprian.* Successo fratri (Ep. sec. Pamel., Rigalt., Baluz. edd. 82), in Ej. Opp. ed. *Gersdorf.* P. I. Epist. LXXX. c. 1 sub fin. p. 252.

2) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VII. c. 27 init., ed. laud. p. 536.

3) Cf. *Tillemontii* Mémoires eccl. T. IV. p. 16.

Pontio Diacono „*boni et pacifici sacerdotis ac propterea beatissimi martyris*" titulo ornatur. [4]) Reliquorum, quae in pontificatu suo gessit, fere omnium abiit memoria. — *Duae*, quae sub ejus nomine circumferuntur epistolae, altera *ad Gratum episcopum*, altera *ad Episcopos Hispaniarum* data, absque ullo dubio falsae sunt. [5]) Edidit utramque *Mansius* in Coll. Conc. T. I. coll. 993—1000. Idemque sane judicium ferendum puto de *quadringentis et triginta sententiis* a Rufino in latinam translatis, quae nonnunquam *Sixto Papae* nostro adscribebantur. Impressae sunt Lugduni 1507. 4., in Bibliotheca PP. max. Lugdun. T. III. p. 335—339; illustr. ab *Urb. Gfr. Siber*, Lips. 1725. 4. *S. Hormisdas Papa* easdem tanquam apocryphas rejecit. [6]) Et revera non Xysti Papae aut omnino christiani hominis sunt, sed *Xysti* (Sixti) *ethnici philosophi*, [7]) ut jam *S. Hieronymus* [8]) et *D. Augustinus*, qui et ipse aliquamdiu in eodem errore versabatur, [9]) diserte annotarunt.

I.

S. Eutychianus P. R.

§. 761. Beato *Sixto* (§. 760) *S. Dionysius* (§. 726), Dionysio *S. Felix* (§. 731), Felici deinde die 5 Januarii

4) *S. Pontii Diaconi* Vita et passio S. Cypriani, in edit. *Opp. Cypr.* cur. Oberthür (Wirceb. 1782. 8.) T. I. Prolegg. p. XVII.

5) Cf. *Lumperi* Hist. theol.-crit. de SS. PP. P. XIII. p. 775.

6) Decret. *Gratiani* c. 3. §. 51. Dist. XV, in Corp. jur. can. ed. *Richter* (Lips. 1839.) P. I. col. 34.

7) Cf. §. 756. not. 4; *Baehr* Die christl.-röm. Theologie (Gesch. d. röm. Literat. Supplem. Bd. I. Abth. II) §. 97. p. 219.

8) *S. Hieronym.* Epist. ad Ctesiphont., in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. Epist. XXXIII. col. 476; Cf. *Ejusd.* Commentar. in Jerem. c. 22 med., et in Ezechiel. c. 18, ib. T. III. col. 632. 821.

9) *S. Augustin.* in Retractt. Lib. II. c. 42, in Ej. Opp. omn. ed. *Maurin.* T. I. col. 56.

anno 275 in ecclesia Romana successit *D. Eutychianus*,[1]) Marini filius, Hetruscus. Sub hujus pontificatu insana *Manichaeorum* haeresis exorta est, de cujus auctore Manete c. a. 277 duplicem victoriam repertavit *S. Archelaus* Cascharorum tum celeberrimus episcopus (§. 524). Sedit autem B. Eutychianus annis octo, mensibus undecim, diebus tribus, usquedum VII Id. *Decembr. anno* 283 fatis functus est. An *martyrio* vitam consummaverit, etsi Baronius et post eum Blondellus id asseruerint, deficientibus Antiquorum testimoniis, merito subdubitari potest, cum praesertim Eusebio teste illius obitus eo tempore contigerit, quo Ecclesia alta pace fruebatur. — Nomine Eutychiani *duae* extant epistolae, *ad Joannem et Episcopos Baeticae provinciae* una, altera *ad Episcopos Siciliae*. Utraque vero sine haesitatione tanquam supposititia amandatur. Adeo enim imprudenter mentitus est impostor, ut integrum capitulum ex *Hilario* et ex *Leonis M.* ad Leonem imperatorem Epistola (Ep. XCVII) c. 3 priori suae decretali inseruerit; in posteriori autem *Hadriani I Papae* decreta interpolaverit. Impressae sunt in *Mansi* Coll. Concil. T. I. col. 1117—1121.

K.

S. Cajus P. R.

§. 762. In locum *Eutychiani* (§. 761) *S. Cajus* ex genere Diocletiani patre Cajo natus sufficitur[2]) XVII die Decembris anno Domini 383.[3]) Hic annis circiter tredecim Ecclesiae praefuit, mortuus X Cal. *Maji anni*

---

1) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. VII. c. 32 init., ed. laud. p. 549; *Petr. Coustant.* Epistt. RR. PP. T. I. p. 298.

2) *Euseb.* l. l.

3) *Coustant* Epistt. RR. PP. p. 306.

296. Quodsi inter *Martyres* memoria ejus in nonnullis martyrologiis recolitur, non mirum, quum eo titulo ii quoque aliquando ornarentur, qui pro fide Christi certantes aliquo modo passi, necdum vero supplicio affecti sunt. — Epistola decretalis *una*, quae sub ejus nomine asservatur, a *Pseudo-Isidoro* ficta est. [4]) Exhibetur ea typis impressa in *Mansi* Coll. Conc. T. I. col. 1231—1236.

L.

S. Marcellinus Papa.

§. 763. *Cajo* (§. 762) successor datus est *S. Marcellinus*, [5]) Projecti filius, Romanus, qui XXX Junii anno 296 ordinatus fuit, et S. Petri cathedram annis octo, mensibus tribus et viginti quatuor diebus tenuit usque ad 24 *Octobris* diem *anni* 304, quo *Diocletiana* persecutione jam vigente mortuus est. Utrum vero *ipse* supplicium passus, an *Confesoribus* potius adscribendus sit, inter Eruditos controvertitur. Neque *Eusebius* neque *Theodoretus*, qui eum in persecutionis tempora incidisse scribunt, de martyrio ejus quidquam narrant. Cum tamen multa utique eodem Theodoreto teste pro fide pertulerit, non immerito martyris titulo ornatur, *latiori* nempe illo sensu, quo ceteris id contigit, etsi non ad mortem usque cruciati sint. Ceterum quae de Marcellini *lapsu* et de *Sinuessiana Synodo* in ejus causa habita passim narrantur, puram putamque fabulam redolere, atque *Donatistarum* imposturam esse, Eruditorum nostra aetate nemo dubitat, et *S. Augustini* testimonio et auctoritate satis confirmatur. [6]) —

4) *Lumper* Hist. theol.-crit. de SS. PP. P. XIII. p. 787.

5) *Euseb.* l. l.; *Coustant* Epp. RR. PP. p. 310.

6) *S. Augustini* Lib. de uno baptism. c. 16, in Ej. Opp. omn. ed.

Binae Marcellini nomine inscriptae literae decretales jam dudum tanquam commenta *Isidori Mercatoris* explosae fuerunt. Typis exscriptae sunt in *Mansi* Coll. Conc. T. I. col. 1239—1244.

Maurin. T. IX. col. 5. Exhibentur Acta Synodi Sinuessianae in *Mansi* Coll. Conc. T. I. col. 1250—1258.

Explicit tomus secundus.

Addenda.

Ne taedeat lectorem animadvertere suisque locis inserere, quae sequuntur.

p. 4. v. 20. post „Hefelii" etc. adde: Prodiit quidem eodem *Hefelio* auctore *editio altera* curis secundis aucta et emendata (Tubing. 1842. 8. maj.), prodiit tamen mihi paullo *serius*, quam ut hanc praestantissimam recensionem sequi potuissem. — Praecipue vero benevolum lectorem rogatum velim, ut de *Epistola Barnabae* ea conferat, quae eruditissimus D. R.....y.. de ejus genuinitate, textu graeco et antiqua versione perquam docte disputavit in „Archiv für theol. Literatur," herausgeg. von den Proff. d. theol. Facultät der Universität München (Regensburg 1842 ff. 8.) Jahrgg. 1843. Hft. VII. p. 620—646.

p. 24. v. 14. ante „*Opera item*" etc. adde: *Constitutionum sex priores* libri, compendium quoddam de constitutione et regimine ecclesiastico continentes, verisimilius a *Judaeo-Christiano* sub finem seculi III prodierunt. His nonnihil postmodo purgatis quarto seculo ineunte liber *septimus*, praecepta moralia et liturgica complectens, et aliquanto post *octavus* quoque liber, qui constitutiones ipsorum, ut fert titulus, Apostolorum de ordinatione et officiis episcoporum et regulas aliquot disciplinares continet, annexi, et om-

nes *octo libri* exinde nomine *Διατάξεις τῶν Ἀποστόλων* inscripti evulgatique sunt. — Sexto demum ineunte seculo ad easdem constitutiones tanquàm ultimum octavi libri caput collectio quaedam canonum disciplinarium adjecta, et sub nomine „*Canones Apostolorum*“ in ecclesia orientali circumferri coepta est. Et initio quidem *quinquaginta* tantum canones, partim e constitutionibus istis, partim e conciliis graecis maxime Antiochenis, aliisque codibus, ab incerto Scriptore sub finem *quinti* seculi excerpti; iique postea ab alio collectore novis *triginta quinque* canonibus adaucti sunt. Cf. *Seb. de Drey* Neue Untersuchungen über die Constitutionen und Canones der Apostel, Tübing. 1832. 8. Eadem fere conjiciunt *Rich. Rothe* Die Anfänge der christl. Kirche und ihre Verfassung (Wittenberg 1837. 8.) Bd. I. p. 541; *Ferd. Walter* Lehrb. d. Kirchenrechts (VIII Aufl. Bonn 1839. 8.) §. 65. p. 114 sq.; *Aemil. Lud. Richter* Lehrb. d. kath. u. evang. Kirchenrechts (Leipzig 1842. 8.) §. 65. p. 114 sq.; *Jo. Wilh. Bickell*, qui rem novis curis indagavit et uberrime illustravit in suo opere praestantissimo Geschichte des Kirchenrechts (Giessen 1843. 8.) T. I. p. 52—86, cf. Addit. V et VI. ibid. p. 221—238.

v. 21. ante „*Alius denique*“ etc. adde: Etenim *Περίοδοι Πέτρου* nihil aliud quam *Homilias Clementinas*, sed eas in *compendium* redactas esse, plenior ejusdem operis inscriptio *Κλήμεντος τῶν Πέτρου ἐπιδημιῶν κηρυγμάτων ἐπιτόμη* satis prodit. Ipsae vero *Clementinae*, quae graece hodiedum extant, a Christiano de secta *Ebionitarum* secundo seculo compilatae sunt; denique *Recognitio-*

nes S. Clementis ad Jacobum fratrem Domini verisimilius a sequiore aliquo Scriptore ex iisdem *Homiliis* secunda vice elaboratae sunt, et juxta hanc novam imo forte etiam non leviter commutatam recensionem *Rufinus* suam versionem adornasse videtur, quae sola ad nostram usque aetatem pervenit. Cf. *Jo. Jos. Ign. Doellinger* Geschichte d. chr. Kirche, Bd. I. Abth. I. (Landshut 1833. 8.) p. 199.

p. 101. v. 6. adde: De *S. Justini* vita, scriptis, ingenio ac doctrina perquam erudite disseruit *Car. Semisch*, Diac. Trebnitzens. Siles., Justin der Märtyrer, eine kirchen- und dogmengeschichtl. Monographie, Breslau 1841—42. II. 8. Quod opus per praecipuas illius partes egregie recensuit, et praesertim S. Martyris doctrinam cum catholico prorsus dogmate consentire demonstravit R. *(Fr. X. Reithmayr)* in Archiv für theol. Literatur, herausgeg. von den Proff. d. theol. Facult. d. Universit. München (Regensburg 1842 sq. 8.) Jahrgg. 1842 s. T. I. p. 321—335. 632—662.

p. 135. v. ult. adde: Novissime *S. Justini* Philos. et Mart. Opera recensuit, prolegomenis, annotatione ac versione instruxit, indicesque adjecit *Jo. Car. Theod. Otto*, Prof. Jenensis, Jenae 1842 sq. II. 8.

p. 149. v. ult. adde: De hoc S. Patre optime commentati sunt *C. Chr. Woog* Dissertt. II De *Melitone* Sardium in Asia episcopo, Lipsiae 1744 et ib. 1751. 4., qui et fragmenta hujus Scriptoris collegit; *Ferd. Piper* Melito, in Theol. Studien und Kritiken, herausg. v. DD. Ullmann u. Umbreit (Freyburg 1828 sqq.) T. XI. p. 54—154.

p. 162. v. 16. ante „*Operum autem*" adde: Cf. *Jo. Schult-*

hess Hegesippus, princeps auctor (scriptor) rerum christianarum sec. I et II nunc primum seorsim, quantum ex reliquiis fieri potuit, penitus recognitus et secundum criticen historic. exploratus, Turici 1833. 8.

p. 182. v. ult. adde: *Guil. Ferd. Thienemanni* Des Theophilus von Antiochien Vertheidigung des Christenthums, mit Einleit. u. Erläuterungen, Leipzig 1834. 8.

Index

rerum ac personarum locupletissimus

in partem I. II. III. hujus tomi.

Numeri appositi paginas significant.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

U.

V.

W.

X.

Z.

Corrigenda.

in *Parte* I.

pag. XI. nr. XV. pro *Pontaenus* lege *Pantaenus.*
p. 3 v. 11 pro *qua* l. *quae*
p. 8 not. 10 v. 2 pro *epistolarum* l. *epistolam.*
p. 10 §. 13 v. 3 pro *Judaeos* l. *Judaeus.*
p. 11 §. 15 v. 3 pro *catologum* l. *catalogum*
p. 17 v. 15 pro *anctor* l. *auctor.*
p. 25 v. 25 pro *Photus* l. *Photius*
p. 26 not. 11 v. ult. pro *habeter* l. *habetur.*
p. 27 v. 18 pro *Wettsteinio* l. *Wetstenio*
p. 27 v. 23 pro *Concil.* l. *Coll. Concil.*
p. 31 v. 2 pro *excitata* l. *excitatae.*
p. 33 v. 11 pro *creatis* l. *eratis*
p. 33 v. 26 pro *carne msuam* l. *carnem suam.*
p. 40 v. 3 pro *J stini* l. *Justini.*
p. 44 v. 2 pro *faciat* l. *faciant.*
p. 46 v. 11 pro *coeternus* l. *coaeternus.*
p. 53 v. 5 pro *consequente retiam* l. *consequenter etiam.*
p. 55 v. 26 pro *definitio* l. *definito.*
p. 57 v. 30 pro *autiquissimi* l. *antiquissimi.*
p. 61 v. 15 pro *uisse* l. *fuisse.*
p. 72 v. 11 pro *proximas* l. *proximae.*
p. 74 v. 9 pro *sumisse* l. *sumsisse.*
p. 74 v. 15 pro *sacrementorum* l. *sacramentorum.*
p. 74 v. 24 pro *opiniantur* l. *opinantur.*
p. 78 v. 20 pro *depravatum* l. *depravatam.*
p. 81 v. 2 pro *exspiravit* l. *exspiraverit.*
p. 84 §. 103 v. 15 pro *opns* l. *opus.*
p. 85 §. 105 v. 8 pro *additam* l. *addictam.*
p. 96 §. 117 v. 3 pro *decretarent* l. *decertarent.*
p. 102 v. 11 pro *suspiciantur* l. *suspicantur.*
p. 107 v. 33 pro *aliq* l. *aliquo.*
p. 124 v. 19 pro *tali saccusator* l. *talis accusator.*
p. 127 v. 5 pro *conflagratione* l. *conflagratio.*

in *Parte* II.

p. 347 not. 2 pro *VI. f.* l. *II f.*
p. 629 v. antepenult. pro *praefactione* l. *praefatione.*
p. 639 v. 3 pro *nullam* l. *ullam.*

p. 649 v. 22 pro *Samostata* l. *Samosata.*
p. 653 v. 13 pro *nonsolum* l: *non solum.*
p. 654 v. 26 pro *Mothodii* l. *Methodii.*
p. 655 v. 10 pro *opinatationes* l. *opinationes.*
p. 655 v. 15 pro *symbosio* l. *symposio.*
p. 658 v. 9 pro *Proelo* l. *Proclo*
p. 659 v. 25 pro *afirmat* l. *affirmat.*
p. 665 v. 15 pro *seu* l. *sed.*
p. 665 v. 16 pro *simposiis* l. *symposiis.*
p. 670 v. 27 pro *Combedisum* l. *Combefisum.*
p. 671 v. 12 pro *φύσεις* l. *φύσεις.*
p. 672 v. 12 pro *fuerit* l. *fuit*
p. 675 v. 16 pro *orginali* l. *originali.*
p. 676 v. 7 pro *putationibus* l. *amputationibus.*
p. 682 v. antepenult. pro *gloriso* l. *glorioso.*
p. 683 v. 3 *dele* vocem *corporis* repetitam.
p. 685 v. 25 pro *cinculis* l. *vinculis.*
p. 688 v. 20 pro *curcumfusa* l. *circumfusa.*

in *Parte* III.

siquid deprehendat lector, quod nos subterfugerit, ignoscat benevole.